AUCTARIUM CHARTULARII

UNIVERSITATIS PARISIENSIS

AUCTARIUM

CHARTULARII

UNIVERSITATIS PARISIENSIS

SUB AUSPICIIS CONSILII GENERALIS FACULTATUM PARISIENSIUM

EDIDERUNT

HENRICUS DENIFLE, O. P.

IN ARCHIVO APOSTOLICAE SEDIS ROMANAE VICARIUS,
ACADEMIARUM
VINDOBONENSIS PRAGENSIS BEROLINENSIS SOCIUS

AEMILIUS CHATELAIN

IN BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS PARISIIS
CONSERVATOR ADJUNCTUS,
PALAEOGRAPHIAE LATINAE IN SORBONA MAGISTER

TOMUS I

PARISIIS
APUD FRATRES DELALAIN
VIA A SORBONE DICTA

Anno M DCCC LXXXXIIII

LIBER
PROCURATORUM
NATIONIS ANGLICANAE (ALEMANNIAE)

IN

UNIVERSITATE PARISIENSI

EDIDERUNT

HENRICUS DENIFLE, O. P.
IN ARCHIVO APOSTOLICAE SEDIS ROMANAE VICARIUS,
ACADEMIARUM
VINDOBONENSIS PRAGENSIS BEROLINENSIS SOCIUS

AEMILIUS CHATELAIN
IN BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS PARISIIS
CONSERVATOR ADJUNCTUS,
PALAEOGRAPHIAE LATINAE IN SORBONA MAGISTER

TOMUS I

AB ANNO MCCCXXXIII USQUE AD ANNUM MCCCCVI

PARISIIS
APUD FRATRES DELALAIN
VIA A SORBONE DICTA

Anno M DCCC LXXXXIIII



1



S[*igillum*] NACIONIS ANGLICANE

2



SIGILLV[*m*] PROCVRATORIS
NACIONIS ANGLICANE PARISIVS

3



S[*igillum*] RECEPTOR[*is*]
NAC[*i*]O[*n*]IS ANGLICANE PAR[*isius*]

OCTAVIO GRÉARD

V. RECTORI VNIVERSITATIS PARISIENSIS

ADLECTO INTER XL ACADEMIAE GALLICAE

VETERIS VNIVERSITATIS PARIS. STVDIOSISSIMO

HORVM LABORVM TVTORI

GRATO ANIMO EDITORES

D. D.

INTRODUCTIO

In Auctario Chartularii Universitatis Paris. eos fontes ad illustrandam dictam Universitatem usque ad finem circiter saec. xv publici juris facimus, qui opera separata et in se completa repraesentant, nec propter eorum amplitudinem in Chartulario locum habere possent.

Ante omnia *Librum procuratorum nationis Anglicanae* in tribus voluminibus usque ad an. 1492 praeparavimus, quorum primum usque ad an. 1406 extenditur. Deinde unicum volumen librorum procuratorum nat. Gallicanae et Picardorum sequetur. Abstinemus tamen ab editione librorum procurat. nat. Normannorum, cum ii qui ad nos pervenerunt incipiant tantum post aetatem nobis propositam. Registra sive Commentarii tum facultatis medicinae, tum facultatis decretorum in hoc Auctario locum obtinere debuissent nisi ab aliis consilium eos edendi initum esse sciremus; quod ad has facultates attinet, saltem statuta et nomina magistrorum celeberrima in Chartulario ipso non deerunt.

Cuilibet facultati superiori Universitatis Parisiensis penes decanum, facultati artium penes rectorem, cuilibet nationi facultatis ejusdem penes procuratorem fuit liber membranaceus in quo statuta et juramenta continebantur. Libri nationum

Primum anno 1339 citatur *liber nationis* (vid. p. 35, 23), deinde an. 1348 idem *liber parvus nationis in pergameno*[1] (p. 123, 17), cui sine dubio substitutus est alter quem optime novimus. Anno 1356, Jul. 22, natio Anglicana deliberavit « quod fieret *liber nationis de pergameno*, in quo scriberentur statuta et privilegia nationis et Universitatis »

1. Talis libri rationem struxerat quidam in fine Registri 2 nationis Anglic. (*Arch. Univ. Paris. Reg. 3*), scriptura XIV saeculum testante : « Kalendarium, Ewangelia. De officio procuratoris. De officio bedellorum. De officio receptoris. Juramenta examinatorum determinantium. Juramenta determinatorum. Juramenta subdeterminatorum. Juramenta examinatorum S. Genovefae. Juramenta licentiandorum quando veniunt ad procuratorem. Juramenta incipientium quando veniunt ad rectorem. Juramenta incipientium quando veniunt ad procuratorem nationis. Juramenta de modo eligendi intrantem et rectorem. Juramenta magistrorum ordinantium rotulum ad papam. Juramenta nuntiorum ad papam. Statuta nationis. »

(p. 200, 3). Anno 1368 legimus : « juramenta que in *libro rubeo*[1] *nacionis* sunt noviter conscripta » (p. 322, 38); ejusdem mentio fit an. 1381 (p. 601, 34). Quem librum, tenebris diu mersum, nuper emit Bibliotheca nationalis Paris. et notavit *Nouv. acq. lat.* 535.

Similem librum caeterae nationes habuerunt; notus est codex dictus *Harcurianus* (Carnot. 662) qui statuta venerandae nationis Normannorum servavit. Nationum Gallorum Picardorumque libri quam praebuerint formam ignoramus; saltem earum statuta posterius reformata typis vulgata sunt[2].

Idem mos etiam in aliis Universitatibus invenitur; satis sit hic memorare librum statutorum nationis Germanicae in Univ. Bononiensi[3].

At praeter librum illum principalem statutorum et juramentorum ante quem, tactis evangeliis, jurabant supposita, necessario Natio Anglicana, quemadmodum reliquae nationes facultatesque, alia registra papyracea habuit in quibus res communis vitae quotidie inscribendae erant.

Liber procuratoris (pp. 64, 26; 645, 45; 651, 15; 700, 39), de quo mox fusius agetur, variis nominibus designabatur; aliquoties *liber nationis de papiro* (466, 37), *registrum procuratoris* (366, 27) vel *registrum nationis* (52, 34; 75, 38) dicebatur; quandoque confusius imprudentes procuratores *librum nationis* vocaverunt (vid. 257, 7; 400, 43).

Liber receptoris primum an. 1356 in nostro volumine citatus (203, 24; 479, 46; 877, 34; 902, 49; 929, 22) rationes accepti et expensi pro natione Anglicana continebat. Ejus generis quaedam ad nos pervenerunt[4], vetustissimis amissis. Illic contrascribebatur nomen cujuscumque determinantis vel licentiati vel incipientis cum summa ab eo soluta, ita ut duplici exemplari nomen bursamque cujuslibet ad gradus progredientis Natio conservaret. Post computum procurator, qui pro tempore erat, manu propria rationem receptoris apposita formula « Ita est » approbabat. Caeterum specimina ediderunt Carolus Jourdain[5] et Ab. Lefranc[6]. Quandoque evenit ut solutio nationi facta ab uno tantum officiario scriberetur, unde contestatio an summa deberetur necne (vide. pp. 489, 39-40; 547, 2-7).

An revera factus fuerit *liber specialis eorum qui jurabant paupertatem* (896, 47; 897, 14), quem Natio decreverat an. 1405 instituendum, ignoramus.

1. Sic designabatur etiam facultatis medicinae « *libellus rubeo coopertus* in quo continentur statuta facultatis »(*Reg.* 1 *Fac. Med.*, p. 183, ad an. 1413). — At liber nationis Anglicanae tot manibus tritus novam posterius ligaturam accepit et membrana viridi, nunc omnino pallida, vestitus est.

2. *Statuta honorandae Nationis Gallicanae recognita et reformata*, Paris., P. Variquet (1661). Iterum 1715, 1757, 1788. — *Statuta fidelissimae Nationis Picardiae recognita et reformata*, Paris., ap. Vid. Cl. Thiboust, 1675. Iterum 1746.

3. De quo vid. *Acta nat. Germanicae Univers. Bononiens.*, p. VII, sq.

4. Arch. nat. Paris. H. 2587, 2588; Arch. Univ. Paris. Reg. 85 (an. 1494-1530); Arch. nat. Paris. H. 2590.

5. « Un compte de la nation d'Allemagne de l'Université de Paris au xve siècle », Paris, 1875.

6. *Société d'histoire et de géographie* (*de Liège*), *Bulletin*, 1890, p. 27 sqq.

Liber procuratoris

Liber procuratoris quem edendum judicavimus primum nomina determinantium, licentiatorum, incipientium nationis Anglicanae in facultate artium Parisiensi qui solverunt et juraverunt, continet. In quo simillimus est *Libro decani facultatis artium Pragensis* et *Actis fac. art. Vindobonensis* aliisque talibus. Quod bene notandum est, ne ille liber cum *matricula* confundatur in qua omnes advenientes studiosi inscribebantur, quam nobis offerunt Universitates Bononiensis, Heidelbergensis, Coloniensis, etc. Praeterea « acta et facta » nationis Anglicanae (496, 38), et saepe congregationes facultatis artium vel totius Universitatis Parisiensis, immo et res gestas communes servavit. Nec modum unum ac constantem in rebus narrandis procuratores secuti sunt, cum alius alio negotio majus momentum agnosceret, hic sedulius ille negligentius munere fungeretur. Utinam semper diligentes in inscribendis, ut decebat, omnibus graduatis fuissent, neque quosdam determinantes vel licentiatos vel incipientes omisissent! Quod praesertim de viris insignibus dolemus, veluti de Gerardo Groet de Daventria, qui determinantia inscripta (207, 47) mox ut magister memoratur (230, 41), nulla de ejus licentia magisterioque mentione facta, cum tamen intra hos annos nulla codicum jactura incusanda sit. Sic Johannes Petri de Dacia, qui postea episc. Aboens. fuit, solummodo ut determinans affertur (115, 31), quamvis an. 1366 rector fuisset. Et sic de aliis. Rursus quandoque idem determinans vel licentiatus bis inscriptus est, altero procuratore jam actum agente; confer 44, 44 cum 46, 35; 923, 32-38 cum 925, 9-13; iidem incipientes 425 et 426. Immo congregationes integrae bis narratae sunt; ne in parvis moremur, vid. p. 925.

Atqui non omnia in eo libro memoranda erant; saepe multa fuerunt ardua facta tam in Universitate quam in facultate « quae scribi non consueverunt », ut ait quidam procurator (618, 7). De rectoribus frequens in principio, posterius rara mentio; computus receptoris, alii regesto destinatus, quandoque in nostro extensus; ab anno 1396 magistri sub expensis nationis regentes cujuscumque anni nuncupantur; in prioribus annis nomina magistrorum primo in congregationem intrantium afferuntur, postea omissa sunt.

Statuta plura memorantur, sed raro ad verbum, quod comparare possumus quando instrumentum originale ad nos etiam pervenit (ex. gr. v. 188, 6). Privilegium Alemannis in natione Anglicana a rege Franciae concessum (857, 36), cujus textus perditus est, saltem refertur.

Pretium libri

Fontem minime spernendum ad historiam Universitatis Paris. enucleandam in libro procuratoris agnoscere debemus; nam ii procuratores, rerum oculati testes, acta cujusvis congregationis statim scribentes, multa nobis praebent de statutis, rebus, moribus usibusque nationis Anglicanae vel Facultatis artium vel totius Universitatis. Eo autem pluris aestimandus ac religione majore observandus fons ille, quod caeterarum nationum

registra, quantum ad saeculum XIV et saeculi XV maximam partem, amissa sunt [1]. Per longinquum aevi spatium unius nationis Anglicanae registra supersunt, ab eisque quae fuerit Parisiis vita magistrorum scholariumque intima repetendum. Itaque nimiae verecundiae nobis videtur ea quae in fine Registri 3 nationis Angl. legitur sententia, charactere sæculi XIV scripta : « Nota quod infra multa continentur, que modicum valebunt post mille annos persicos. »

Ex eo fonte pauca BULAEUS et Car. JOURDAIN de rebus Universitatis traxerunt; analecta tantum alter, speciminis instar, in *Indice chronol.* suo vulgavit. Inde plura de institutione novit C. THUROT [2]. Magistrorum quaedam nomina et nequaquam omnia celebria, scrutatus est Alexander BUDINSZKY [3]; denique unus editorum, Henricus DENIFLE vetustissimum registrum an. 1333-1348 publici juris fecit [4], ut in tomo II *Chartularii* Universitatis loci afferri possent.

Itaque liber procuratoris, quem in extenso edimus, ineditus reputandus est, et venam novam quaerentibus pretiosamque aperit.

Condicio librorum

Condicio librorum procuratoris nationis Anglicanae, jam saeculo XV iniqua, postea pejor, nunc pessima est. Quanquam in arca nationis reponebantur, saepius multas ob causas extracti sunt atque in manus imprudentes vel nocentes repositi. Unde multorum procurationes annorum amissae sunt, quod facile ex elencho procuratorum (pp. 945-965) patet. Cum anno 1333 nunc series incipit, mox jacturam an. 1333 Jun.-1337 Jul. deinde an. 1338 totius passo priore volumine; postea aliqui menses ann. 1359-1362, et 1365 Mart. ad 1368 Mai. deficiunt, ut de minoribus, semper in notis indicatis, taceamus. Gravior inter an. 1383-1392 lacuna, i. e. unus liber integer interjacet.

Salutem iis libris afferre voluimus, cum charta vetustate, usu, humiditate plurimis periculis exposita sit. Temporum injuria pessumdata volumina, quoties aperueris, in pejus cadunt. Jam charta horum infimae qualitatis erat cum natio Anglicana, semper aere levis, eam comparavit, et ipsi procuratores non raro deterrimae notae chartam vituperant.

Quid de scripturae generibus a tot procuratoribus adhibitis dicemus? Alius celerius, alius tardius, hic diligenter, ille temere, quisque secundum morem in regione qua oriundus erat usitatum, acta nationis enarravit. Characteribus in Suecia vel Polonia consuetis succedit manus adolescentuli qui in extrema Scotia elementa didicerat. Tales igitur procurationes si quis accurate transcribere velit, neque oculis neque tempori parcendum, praesertim cum, teste quodam procuratore, « papyrus fluit » (p. 343, n. 1).

1. Nationis Gallicanae vetustissimum registrum (*Arch. Univ. Reg.* 1) quod ad nos pervenit ad annos 1443-1455 pertinet, Nationis Picardorum unum (*Arch. Univ. Reg.* 11) ad annos 1476-1483 spectat.

2. *De l'organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris au Moyen-Age* (1850).

3. *Die Universität Paris und die Fremden an derselben im Mittelalter*, Berlin, 1876.

4. In *Archiv für Litteratur-und Kirchengesch.*, V.

In edendis procuratorum scriptis, imprimis conati sumus fidam codicum imaginem reddere; nam originalia vera sunt. Codices igitur iterum iterumque ita ambo contulimus, ut si quid alterum fugisset, alter perscrutari tentaret. Veniam tamen a peritis fidenter quandoque petimus, cum nomina studentium vel magistrorum adeo deformata inveniantur; scripserunt enim juvenes quemadmodum audierant; singulare fit nomen Scoti ab illis de Prussia, nomen Alemanni a Scotis, nomen illorum de Germania superiori a Suecis auribus acceptum. De orthographia, quae tunc nihil nisi vana res videbatur, non agemus; prudens lector documenta nova de latinitatis pravitate saec. xiv-xv ingravescente in quacumque fere columna inveniet[1]. Ratio editionis

Pauca tantum immutavimus : praeter correctiones in notis memoratas, signum compendii pro medietate aliquando post numerum adhibitum litteris reddidimus, et annos crasso charactere introduximus, claritati servientes.

Inscriptiones procuratoriarum omissas inter uncos supplevimus. Ordinem congregationum non raro a procuratoribus turbatum restituimus. Denique sententias nullo discrimine scriptas divisionibus interpunctionibusque liquidas reddidimus.

Indices sive Tabulas nationis Anglicanae in finem ultimi Auctarii voluminis rejicere primum volebamus, at lectoribus parcendum fuit ne in hoc volumine parum auxilii, multum taedii invenirent. *Indicem personarum* saltem absolvimus, in quo secundum urbem natalem vel saltem regionem, quoties in Libro ipso notatur, nomina magistrorum studentiumque ordinata sunt[2]. Deficiente origine, cognomen nomina sequuntur. Talem indicem conficere non parvae operae fuit; saepe enim solum praenomen (Johannes, Henricus, etc.) invenitur, cum eodem tempore multi Johannes, nonnulli Henrici in natione vigerent. Aliquoties incertissimum est quid significet de Saxonia vel de Hassia multaque hujus generis, cum plures ejusdem patriae et nominis eodem anno nationem Anglicanam frequentarent. Procuratores adolescentuli ambiguis verbis suppositorum originem notare sat habuerunt. Indices

Ultimum volumen nat. Anglicanae registro urbium regionumque, quales hodie nominantur, coronabimus, iisdem ut in hoc ita in reliquis voluminibus saepius allatis, ne idem bis agamus. Tunc solum ratiocinari poterimus quomodo variae nationis Anglicanae personae secundum diversas regiones distribuerentur. Materiarum quoque notandarum indicem addere non praetermittemus.

1. Caeterum vid. de hoc *Introductionem* ad *Chartul.* III, p. x sq.

2. Formas varias ejusdem civitatis in unum contraximus; quoties vero in dubio fuit an diversis nominibus una civitas designaretur, separatim velut in codice linquere satius putavimus.

MEMORABILIA NATIONIS ANGLICANAE PARISIENSIS

1. Nomen, sigillum, area.

Nomen *Anglicanae nationis* a tempore quo constituta est Parisiensis Universitas in usu fuit, cum Anglis plus quam Scotis et Alemannis tunc abundaret; de quo vide infra cap. 2. At paulatim decrescente Anglorum, crescente Germanorum numero, nomen *nationis Almaniae* sive *Almannorum* usitatum est. Prima illius tituli mentio in littera obligatoria anni 1367, Sept. 7, legitur (vid. 310, not. 5), quae omnes hucusque fugit. De mutatione nominis sollemniter in natione 1378, Jan. 5, deliberatum est (529, 40), jamque an. 1400-1405 procuratores quidam novum nationis nomen adhibent (816, 37-824, 43; 835, 40). Immo ipsi Scoti an. 1414 Benedicto XIII scribentes de se ipsis dixerunt : « sunt de natione *Alamannie* [1]. » Novum nomen ab an. 1431 magis in morem venit, et quasi prorsus ab an. 1442 veteri substitutum est.

Epitheton *constantissima* natio solummodo saec. xv, Schismate extincto et jam mutato nomine nationis, sibi appropriavit [2], ad designandam constantiam quam natio et quidem Alemanni durante Schismate se monstrasse praetendebant, de quo cap. 16.

Sigillum nationis, cujus effigies jam apud Nat. de Wailly [3] et Vallet de Viriville [4] ex mutilo exemplari typis reddita est, in fronte voluminis nostri vide (I)[5]. In illo summa pars beatam Virginem manu librum tenentem, a filio suo verisimiliter coronandam; media S. Edmundum regem et S. Catherinam; inferior historiam S. Martini, chlamydem suam cum paupere dividentis; infima doctorem duos scholares docentem repraesentat. Per hoc, nostra quidem sententia, tres actus principales nationis designantur. Per S. Martinum cura et sustentatio pauperum scholarium; in parte infima instructio scholarium; in parte suprema finis instructionis, magisterii adeptio. Hi tres actus positi sunt sub praesidio duorum patronorum, S. Edmundi, patroni proprii nationis, et S. Catherinae, patronae specialis philosophorum. Et sic corrigitur falsa vel vaga explicatio, quam auctores relati praebent.

1. Reg. Vat. 332, fol. 29.
2. Vid. Arch. Univers. Paris., thec. XIV, D. n° 29, ad an. 1455.
3. *Eléments de Paléographie*, II, p. 364, n° 11; 394, n° lxxx.
4. *Histoire de l'instruction publique en Europe*, p. 133. Douet d'Arc, *Collection de sceaux*, n° 8016, describit tantum sigillum.
5. Desumptum est ex Archivo Universitatis Paris., *l. c.*

Hoc sigillo, cum inscriptione S[igillum] nacionis Anglicane, natio usa est etiam longo tempore postquam locutionem *Nationis Anglicanae* mutavisset in *nationem Alemanniae*, nam sigillum a nobis typis expressum appendet instrumento an. 1455, Octob. 30. Testis praeterea est Joannes Major, Scotus, theologiae doctor, qui ait : « Hunc S. Edmundum nostra Alemaniae natio patronum habet, quia non multis retroactis diebus Anglicana dicebatur, et hoc sigilli inscriptio *tempore quo de Natione eram* ostendebat; quod *post hoc* fusum est e[s]t natio Germanorum inscripta, et non sine causa, quia pauci admodum Anglorum Parisiis respectu Germanorum in artibus gradum capiunt[1] ».

Sigillum parvum procuratoris quod alteri parti cerae apponebatur[2], nondum in quovis libro expressum est; inscriptionem praebet : « S[igillum] procuratoris nacionis Anglicane Parisius. » Cum anno 1341 ectypum amissum esset (vid. p. 52, 21), novo « addita est stella in honorem beatae Virginis, maris stellae », cujus effigiem in fronte voluminis vide (2).

Receptori nationis proprium quoque fuisse sigillum ex imagine in fronte voluminis (3)[3], et apud Vallet de Viriville edita patet inscriptionemque praebet : « S[igillum] receptor[is][4] nacionis Anglicane Par[isius]. »

Arma nationis Anglicanae, sicut in parte dextra « Sigilli praeclarae facultatis artium » ap. Vallet de Viriville, p. 130, videre est, aquilam nigram capita duo librantem ostendunt (vid. p. 929, n. 1).

In ecclesia SS. Cosmae et Damiani servabatur *arca* vel cista nationis, in qua res et jocalia cultui divino praeparata claudebantur. Anno 1347, amissa clave, duas novas fieri jussit natio, quarum una curato ecclesiae, tanquam majoris custodii adjutori, traderetur (vid. 105, 36; 703, 21). — Aliam apud S. Mathurinum cistam vel arcam communem cum tribus clavibus ab an. 1340-1341[5] natio statuerat, in qua pecunia nationis per receptorem collecta, sigillum nationis et pignora debitorum reponerentur (43, 20; 51, 41; 205, 4; 400, 28).

Clenodia nationis enumerantur an. 1369, scil. calix et ampullae, 6 libri spectantes ad officium nationis, tres cappae cericiae (i. e. sericeae) et tria nicera (*sic*) ornamenta, scil. duo casulae cum suis omnibus attinentiis (339, 28).

1. *Historia Majoris Britanniae, tam Angliae quam Scotiae* (Parisiis, 1521), fol. 38 b. Auctor Parisiis sub finem saec. xvti studuit, et an. 1494 in art. licentiatus est (Reg. Univers., n° 85, fol. 4).

2. Nostrum a tergo cerae in instrumento supra, p. xiv, not. 2, annotato invenitur.

3. Nostrum a tergo cerae invenitur, ut ap. auctorem supra allegatum, in Arch. nat. Paris., J. 515, n° 14 (an. 1398).

4. Apud Douet d'Arc, *l. c.*, perperam bis « preceptoris ».

5. Vid. praeterea *Chartul.*, II, n° 1061.

2. Patria suppositorum. Constitutio nationis.

Ut notum est, facultas artium Parisiis quattuor nationibus consistebat, Gallicana, Picardorum, Normannorum, Anglicana. Sicut prima numerosior caeteris erat, sic ultima seu Anglicana pauciora quam quaelibet alia natio in se continebat supposita. Nil mirum, cum patria suppositorum nationis Anglicanae a Parisiis plus distaret, quam natale solum suppositorum aliarum nationum. Sane Itali etiam et Hispani, qui ad provinciam Bituricensem nationis Gallicanae pertinebant, a Parisiis non minore intervallo aberant; sed reliquae provinciae nationis Gallicanae viciniores omnibus aliis Parisiis erant, proindeque natio Gallicana caeteras nationes numero suppositorum superabat.

Natio Anglicana etiam ultima nationum erat, et ultima inrotulabatur, « non quia posterior dignitate existebat, sed quia antiquitati placuit hunc ordinem observare[1] ». At etiam « posterior dignitate » reputabatur, saltem cum facultas artium de eligendo rectore ageret; nam aliquando plus duobus annis nullus ex Anglic. natione rector electus est (cf. 362, 39).

Nihilominus natio Anglicana quodammodo notabilior tribus aliis nationibus erat. Quod enim licentiati et baccalarei juris Parisiis an. 1379 confessi sunt, de suppositis magis nat. Anglicanae quam cujuslibet nationis apprime probatur : « A cunctis mundi climatibus dispersi filii ad ipsam Universitatem Paris., fontem scientie, pro scientia acquirenda a puerili etate concurrunt, laboribus et periculis multis exponentes semetipsos, parentes, amicos et pecuniam relinquentes, et bona propria et amicorum consumentes[2]. » Nulla alia natio tam multa, tam diversa inter se usibus et lingua, tam dissita regna in se comprehendebat quam natio Anglicana. Jam an. 1331 dicebant, « duodecim regna in dicta natione existere[3]. » In rotulo an. 1362 fere omnia ista regna enumerantur : « Imperium, regna Ungariae, Bohemiae, Poloniae, Sueciae, Daciae, Norvegiae, Scotiae, Angliae, Yberniae, etc. »[4]; annumeres patriarchatum Aquilegiens. et Livoniam. Ex omnibus istis regionibus in *Auctario* ab an. 1333 ad an. 1406 summa solida 1700 graduati afferuntur, et multo plura supposita apparerent, si Liber procuratorum sine lacunis esset, et non solum graduatos contineret, sed omnes advenientes. Ast etiam nunc constat a septentrione, ut ab ultimis partibus Scotiae, a Suecia, Norwegia, usque ad Helvetiam, patriarchatum Aquilegensem et Sclavoniam, ab occidente Imperii usque ad orientem ejusdem, atque Livoniam, Poloniam et Ungariam, studiosos ad Parisiensem Universitatem confluxisse et nationi Anglicanae adscriptos fuisse. « Scolares de natione nostra sunt de diversis mundi partibus », ipsi confessi sunt (654, 13).

1. Vid. *Chartul.*, III, 269.
2. *Ibid.*, p. 274.
3. *Ibid.*, II, p. 406.
4. *Ibid.*, III, p. 91.

Sacc. XIII Anglici in natione pracpotentes et numerosiores reliquis erant. Hinc nomen nationi Anglicanae, tunc divisae in provinciam Anglicanam et provinciam non Anglicanam, quae undecim regna complectebatur[1]. Sed paulatim Anglici in Universitatibus regni Angliae, Oxoniis et Cantabrigiae, retenti sunt[2], ita ut in *Libro procurat.* ab an. 1333 usque ad an. 1406 vix 8 graduati Anglici afferri possint[3]. Nomen tantum antiquum, nat. Anglicana, remansit, ipsumque paulatim in nomen nat. Alemanniae mutaverunt[4].

Hoc tempore nostro duas magnas tribus vel partes in natione Anglicana distinguere debemus, Scotos et Alemannos (cum Hollandrinis). Omnes reliquae partes, ut Sueci, Dani, Poloni, Ungari, etc. simul sumptae duas dictas tribus numero suppositorum non superaverunt. Tempore Schismatis natura moresque cujuslibet ambarum tribuum magis circumscripti evaserunt, ut infra cap. 16 apparebit. Alemanni tamen majorem partem in natione fere constituebant, indeque in deliberationibus momentum afferebant. Nil mirum, si nationem Anglicanam paulatim in has tres tribus distingui videmus, *Alemanniam superiorem*, *Alemanniam inferiorem*, *Scotiam*.

Sane jam saec. xiv indicia hujus divisionis invenimus. An. 1392 procuratores provinciae Scotiae, Alemanniae inferioris et Alemanniae superioris nominantur (662, 16-19). Sub nomine Alemanniae superioris hic non illam regionem tantum intelligi, quam nos hodie eodem nomine designamus, ex hoc apparet, quod procurator istius provinciae, Georgius de Rain, e Sclavonia oriundus fuit. An. etiam 1394 et anno sequenti tres provisores festi nationis citantur, qui ad istas provincias pertinuerunt (cf. etiam p. lxx). Invenitur locutio « de alta Alamannia » (890, 5). Fortasse divisio saepe dicta facta est, postquam provinciae Sueciae et Daciae scholaribus caruerunt, inter annos 1383 et 1392. An. 1528 tantum abrogata eique substituta est divisio in provincias Germanicorum et Britannicorum. Sicut postea Germanici, ita antea Poloni, Ungari aliique adjacentes Alemannis annumerati erant.

Alemanni fortiores reliquis erant, quia numerosi Hollandrini Parisiis studuerunt. Ad Alemannos etiam pertinebant insignissimi magistri nationis, doctrina celebres, ut Conradus de Montepuellarum, Ulricus de Augusta, Albertus de Riemestorp, Marsilius de Inghen, Henricus de Hassia, Gerardus de Kalkar, Jordanus de Clivis, Johannes Dorp, aliique. Alemanni praeterea tempore Benedicti XIII privilegiati erant.

3. Provinciae Alemanniae, Scotiae, Sueciae, Daciae.

In capite 2 de divisione principali nationis verba fecimus. Sed sub hac generali divisione unumquodque regnum in natione provinciam constituebat. Jam an. 1331 earum mentio fit.

1. Vid. *Chartul.*, II, n° 955, p. 405.
2. Utique propter bellum etiam Franciae illatum.
3. Vid. infra *Indicem*.
4. Vid. cap. 1.

Provincia Alemanniae

Celeberrima harum provinciarum fuit *provincia Alemanniae*[1]. Saepe natio de illa loquitur non apposito nomine « Alemaniae », simplici locutione : « provincia nostra », quae semper intelligi debet provincia Alemanniae[2]. Natio Alemannorum Aurelianensis etiam provinciam Alemanniae Paris. memorat : « Parisius in provincia dominorum nationis nostre[3]. » An « provinciae non Anglicanae » Alemannica substituta sit decidere non licet.

Provinciae Alemanniae *provisor*, fortasse quolibet anno electus, praeerat, qui saepe nominatur. An. 1348 affertur nobilis vir Alexander provisor scolarium de Alemannia[4]. Postea leguntur Rutgerus de Vinle[5]; Fridericus de Ropa[6]; Godefridus de Harve, praepositus Kerpensis[7]; Mathias de Grifimonte[8]; Johannes de Egmonda[9]; Jacobus de Leydis[10]. Isti provisores nobiles vel saltem satis divites erant. Generatim officio provisorum fungebantur, antequam determinavissent, vel licentiati in artibus essent.

Haec provincia separatas etiam congregationes habuit (333, 22), et forsan eas scholas possidebat[11], in quibus per longum temporis spatium Jordanus de Clivis legit. Graduandi ex ista provincia dilationem bursarum suarum non obtinuerunt a natione, nisi prius provinciae suae satisfecissent (484, 22; 485, 21; 572, 11).

Provincia Alemanniae nationi 30 francos accommodavit, et natio procuratoribus provinciae pignora dedit pro 52 francis (334, 7; 340, 47). Alio tempore provincia pecuniam dare noluit (371, 31; 372, 25). Sed et natio Anglicana pluries pecuniam provinciae Alemanniae commodavit[12].

Dicta provincia domum pro pauperibus scholaribus possidebat, *domum Almannorum pauperum scholarium*[13], cui magister quidam, ex Alemannis electus, praeerat. Bis nominatur : mag. Henricus de Kempen et Johannes de Moguntia[14]. Res domus praeterea duo procuratores administrabant[15]. Quantum ad pecuniam provincia quandoque speciales procuratores elegit[16]. Domus Alemannorum sita erat in via *Pavée* (*du Mûrier*), quae de via S. Victoris ad viam *Traversine* conducebat[17].

Collegium aliud Alemanni tunc temporis non possidebant. An. 1378 imperatori Carolo IV, Parisiis praesenti, petitio nationis de fundatione unius Collegii porrecta est[18], sed sine fructu.

1. Infra 82, 16; 287, 27; 339, 26; 340, 2; 484, 22; 485, 21; 907, 13; 912, 5, etc.
2. Cf. infra 333, 22, 32; 334, 4 sqq; 339, 26; 616, 50; 902, 4. 5, etc.
3. Fournier, *Statuts et privilèges*, etc., I, 147.
4. Infra p. 118, 4.
5. 253, 26.
6. 486, 19.
7. 616, 50.
8. 705, 19.
9. 764, 13; 774, 15.
10. 798, 1, 18.
11. Vid. infra cap. 6.
12. Vid. v. g. p. 903, 7; 907, 11.
13. 82, 16; 244, 8; 245, 40; 253, 28; 560, 44, etc.
14. 253, 28; 561, 1.
15. 253, 29.
16. Cf. p. 334, 37.
17. Jaillot, *Recherches*, etc. *Quartier place Maubert*, IV, p. 107.
18. P. 530, 2.

Sicut Bononiae natio Germanica in diversas provincias divisa erat[1], ita Parisiis in provincia Alemanniae diversa corpora popularium (*Landsmannschaften*) distinguebantur. Duo saltem infra annotantur : *Rinenses* et *Saxones* (198, 43 sqq.)[2]. Certe alia quoque formabantur, sed nullum infra vestigium eorum invenitur. In quibusdam Universitatibus Germaniae, ut in Pragensi et Vindobonensi, haec corpora veras nationes constituebant.

Provinciae *Scotiae* ubique in hoc volumine mentio fit. Nescimus tamen quomodo sacc. xiv constaret. Ab an. 1325 quaedam bursae pro pauperibus scholaribus fundatae erant[3], et postea domum possederunt, de qua agetur in *Chartul.*, tom. VI, de *Collegiis*. Reliquae provinciae

Provinciae *Sueciae* et *Daciae* ante an. 1383, seu potius ante med. sacc. xiv, fama aliqua gaudebant, imprimis provincia Sueciae (vid. p. 431 sqq., 438 sqq., 442, etc.), sed an. 1392 natio Anglicana conquerebatur de « absentia scolarium illarum provinciarum » (661, 28). Immo jam an. 1354 notatur « absentia scolarium Sueciae, qui a longo tempore Parisius non studuerunt neque student[4] ». Sane haec verba non stricte sumenda sunt, nam semper quidam scholares ex istis provinciis Parisiis inveniebantur, ut ex *Indice personarum* infra apparet. An. 1374 praeterea scribitur, scholares de regno Sueciae Parisiis existere (443, 36), an. 1397 iterum indicantur (746, 46 sqq.). Sed domus illarum provinciarum Parisiis scholaribus carebant, atque « ad talem ruinam et eversionem devenerant, ut nichil in eis remanserat, nisi platee vacue inutiles[5] ». Et pauci Sueci et Dani Parisiis postea studuerunt. Ab an. 1392 ad an. 1406 e Suecis inveniuntur tantum Ruthgerus et Fridericus Traest, Henricus Andreae; e Danis Andreas et Johannes Gerechini, Cristiernus Hemmingi, Hermannus, Navno Johannis, Nicolaus, Petrus Nicolai.

De domibus istarum provinciarum vid. infra cap. 15. Ad provinciam Daciae pertinebat *domus Daciae* juxta collegium Laudunense, quae an. 1392 unum inquilinum habuit et ad manus Collegii Laudunensis pervenit. Provincia Sueciae possidebat domum *ad imaginem nostrae Dominae*, seu Collegium Scarense in vico Brunelli, et domum *ad cornu cervi* seu Collegium Lincopiense in vico S. Hilarii. Ambae domus inter an. 1383 et 1391 ad manus nationis Anglicanae propter absentiam scholarium pacifice devenerunt (661, 29). Antea provincia Sueciae, seu potius dioecesis Upsalensis possidebat duas domus *scholarium Upsalensium*, unam in vico Serpentis, aliam in vico ad duos pontes, sed jam an. 1354 Matthias Laurentii, canon. eccl. Upsalens. eas Yvoni Simonis, secretario regis Franciae,

1. Vid. Luschin, *Vorläufige Mittheilungen über die Gesch. deutscher Rechtshörer in Italien* (1892), p. 56.
2. Vide infra cap. 14.
3. Una infra etiam p. 240, 31 sqq. indicatur.
4. Vid. Geoffroy, *Les étudiants Suédois à Paris au XIVe siècle* in *Revue des sociétés savantes*, V (1858), p. 664.
5. Geoffroy, *l. c.*

vendidit[1]. Hortus tantum duarum domorum nationi Anglicanae remansit, de quo saepe infra[2].

De aliis provinciis nihil certi scimus.

4. Quae et cujus aetatis fuerint membra nationis.

Natio Anglicana comprehendebat primum omnes eos qui, e regionibus in capite 3 enumeratis oriundi, Parisiis in artibus studebant vel regebant; deinde omnes iisdem partibus natos qui alicui alii scientiae Parisiis studebant, nondum in ea magisterium adepti, quanquam in artibus ibidem licenciati non erant. Sic v. g. Johannes de Jenzenstein, postea episcopus Misnensis et archiepiscopus Pragensis; sic Benedictus de Ungaria aliique. Qui alicui Ordini religioso adscripti erant, in natione Anglicana non inveniuntur[3]; quandoque tamen membra Ordinum cum suppositis nationis Anglicanae, popularibus suis, amicitia conjungebantur et ad festa nationis vocabantur (vid. cap. 12).

Communiter in natione manebant donec doctoratum in alia scientia obtinuissent, quod Johannes Parvi an. 1406 pronuntiavit : « Un théologien est de la faculté des arts jusqu'à ce qu'il ait le bonnet sur la teste[4], » i. e. donec magister in theologia factus sit ac birretum receperit. Medicinae tamen magistri hoc saeculo in natione remanserunt. Sed alii etiam aliarum facultatum magistri nationem non dereliquerunt « ad quemcumque statum pervenerunt », ut juraverant. Sic Walterus de Wardlaw, episcopus Glasguensis. Simon de Ketnes annos 25 a Parisiis absens immunitatem petere debuit ut a congregationibus nationis abstineret (600, 16). Johannes Mullechner de Austria, licentiatus in theologia ab an. 1395, conjunctus cum natione remansit, saepe nomine ipsius officio legati functus est, immo adhuc an. 1416, Martio, Parisiis pro natione coram Sigismundo imperatore proponens fuit[5].

Aetas suppositorum diversa erat. In facultate artium quatuordecim annos nati debebant esse ut ad determinandum[6] admitterentur, at unus et viginti anni ad magisterium in artibus[7] obtinendum requirebantur. In caeteris autem nationibus cum aliquoties magistros minus 21 annis habentes videamus[8], idem potuit in natione Anglicana accidere. Altera

1. Vid. Geoffroy, *l. c.*
2. Vid. *Indicem*, Thomas Graffardi et Thomas, consiliarius regis Franciae, et infra cap. 15.
3. Examinati in artibus apud S. Genovefam jurare debebant, quod « nec in aliquo Ordine votum professionis emiserint ». *Chartul.*, II, p. 678. In caeteris nationibus inveniuntur quidam religiosi, sed mendicantes nunquam admissi sunt.
4. Apud Bourgeois du Chastenet, *Nouv. histoire du Concile de Constance*, Preuves, p. 229.
5. Vid. tom. II *Auctarii.*
6. Vid. *Chartul.*, II, p. 673 (4).
7. Vid. *ibid.*, I, p. 78; 587.
8. Herveus de Freneya et Joh. Caronis vix attigerunt 19mum annum (*Chartul.*, III, p. 460), Thomas le Mauge et Ursinus de Talvande vix 20mum annum (*ibid.*, p. 384, n° liiij, p. 385.) Quidam alii etiam juniores videntur.

parte quidam magisterium multo tardius receperunt, veluti Galterus de Wardlaw, can. Glasguens., Theodericus de Brinen, can. Aquens., Hartwicus de Hammis, Andreas de Sudermann, Arnoldus de Arnheim, Johannes de Scoenvorst, praepositus S. Servatii Trajectensis, Johannes Beissel, cantor Aquensis, aliique qui sero in artibus inceperunt, de quibus cap. 7 agetur, et seniores fuisse videntur. Sine dubio etiam in natione Anglicana quidam consenuerunt, ut in caeteris nationibus[1]; qui Parisiis Coloniensem Universitatem adierunt, fere omnes provecti aetate fuerunt, cum plerique licentiam sub Johanne de Calore immo sub Grimerio Bonifacii accepissent. Revera nonnulli in natione Anglicana per longum temporis spatium rexerunt[2]; sic Conradus de Rûtershoven diutius 35 annis in ea remansit, et Reynerus Creyt, cum Coloniam abiit, utique sexagenarius vel septuagenarius fuit.

5. Officiarii nationis.

Procurator nationis res nationis procurare debuit et quasi praeses nationis, sicut rector Universitatis praeses totius facultatis artium, reputabatur. In Universitatis congregationibus personam nationis gerebat, et non solum in congregationibus Universitatis, immo etiam quando Universitas in publicis actibus coram rege aliisque sollemniter repraesentabatur, ut e *Chartulario* saepe saepius liquet. Tunc non solum rector Universitatis sed etiam procuratores nationum nominantur. **Procurator**

Procuratori juramenta suppositorum omnium, quemcumque gradum petentium, accipienda erant et *signetum procuratoriae* licentiatis ante inceptionem tradendum (467, 27); ejus nomine magistri ad congregationes nationis convocabantur; ipse praesidebat et deliberanda proponebat.

Quivis magister statim post adeptum magisterium, proindeque post completos an. 21, in procuratorem eligi poterat, praesertim si dives erat. Quandoque magistri jam pro futura procuratoria solvebant. Nam antiquus mos erat, an. 1377 memoratus, quod « nullus aliquod officium nationis acceptare possit, nisi prius procurator extiterit ». An. 1374 praeceptum est « quod nullus ab unanimi consensu magistrorum in procuratorem electus, quamvis vellet, procuratoriam refutare posset » (448, 49; 450, 14; 453, 6).

Secundum statuta, quot menses tot procuratores nominandi vel renovandi erant; sed saepius is qui mense Junio electus erat usque ad congregationem mensis Augusti munere fungebatur, scholis vacantibus ab ultima die legibili ante festum S. Petri usque in crastinum

1. Sic, v. g. Johannes Husso, nationis Gallicanae, septuagenarius fuit; Nicolaus de Suessione habuit 75 annos. Vid. *Chartul.*, III, p. 536, 452.

2. *Index personarum* illud prorsus ostendet.

S. Ludovici. Hoc ex Elencho procuratorum (p. 945-961) patet. Qui per vacationes procurator erat, a receptore 20 sol. recipiebat (vid. infra cap. 11, p. LII, § 4°). Ex Elencho etiam apparet, eundem saepe continuatum et pluries in procuratorem electum esse.

E vetusto facultatis artium statuto[1] anni 1288, procurator novus nomen suum et diem electionis in registro inscribere debebat; jurabat[2] in institutione sua omnia acta[3] tempore procurationis suae se conscripturum, praesertim nomina graduatorum. Quam negligentes quidam fuerint, satis liquet e Libro.

Die electionis procurator abdicans, ut statuerat natio an. 1340 (p. 43, 24), librum et papyrum, sigillum cum clavibus apportare debebat, ne successor in ulla re impediretur. Durante officio nullus se absentare potuit sine consensu nationis, quae tunc alium substituebat. In nulla etiam natione quisquam simul officio procuratoris nationis et rectoris Universitatis fungi potuit.

Ab an. 1392 quilibet procurator abdicans nationi supplicavit, ut in suis anteactis gratus haberetur et a natione approbaretur.

Receptor Praeter *receptorem communem facultatis artium* in quibusdam occasionibus institutum (259, 23; 273, 29), ne sexta bursa suppositis imposita alienis usibus serviret, quaelibet natio ab antiquo *receptorem pecuniae nationis* habuit. Grave id munus antiquioribus magistris non regentibus conferebatur, cum animi maturitatem in recipiendis exponendisque summis exigeret, valore monetarum imprimis in dies variante. Secundum juramenta ab iis praestita[4], si errore vel gratia praejudicium aliquod nationi fecissent, « de pecunia debita nationi satisfacere » debebant; itaque receptoria non a pauperibus quaerebatur.

Statutis an. 1346-1350 factis (97, 8 sq., 146, 24), pecuniam seu vadia in quolibet mense recepta, ante finem mensis in arcam nationis reponere receptor adigebatur. Ipse partem bedellis debitam in fine mensis refunderet; et quolibet mense compotum in congregatione nationis redderet. At saepius vidimus dilatum esse computum, « quia non comparuit receptor »; postea in vacationibus ut procuratoris, ita receptoris munus dormiebat.

Communiter ad annum receptor eligebatur (561, 28), sed revera tam opportunitatis causa, quam quando negotia longa incepta erant, ut reparatio scholarum vel domuum nationis, renovatus erat antiquus receptor; sic Henricus de Thenis an. 1371-1376; Jordanus de Clivis 1379-1383 et postea; Aegidius de Jutfaes an. 1392 electus nondum an. 1399, quo epidemia mortuus est abdicaverat (804, 41; 807, 24). Itaque an. 1403 multis magistris aegre ferentibus « invidias, rixas et dissentiones oriri in natione ex continuatione

1. Vid. *Chartul.*, II, 22.
2. Vid. *Chartul.*, II, n° 549 et 672.
3. Hoc tamen juramentum quisque pro conscientia sua procurator observabat; cf. p. 300, 16 : « facte fuerunt plures congregationes generales, *et quid factum fuit hinc inde bene scitur*, et quia aliis impeditus, omnia scribere non potuit » procurator.
4. Vid. *Chartul.*, II, 672.

receptoris per tres, quattuor, quinque, sex, septem, octo, etc. annos », deliberatum est « quod expediret in quolibet anno eligere novum receptorem, aut ad minus de biennio in biennium » (866, 31). Immo, non placuit de biennio in biennium, sed quotannis (906, 907).

Receptor recedens vel officium resignans non habebat « potestatem substituendi alium »; resignatione peracta natio ipsa providebat (561, 29 sqq.).

Mense Septembri generaliter, circa diem S. Mathei, receptor institutus fuit, saltem cum usus observatus est. Sed minus de receptorum quam procuratorum nominibus certi sumus, antequam seriem *librorum receptorum* habeamus [1]. Elenchum illum receptorum, salvis codicum lacunis, ex Auctario speciminis gratia confecimus.

1333		Petrus de Veteri Campo (electus, 1332)	P. 13,24
1334-38		*Deficiunt*	
1339		Suno de Succia, tunc receptor	31,21
1340		Conradus de Montepuellarum, tunc receptor	40,38
»	Oct. 29	Ulricus de Augusta	43,1
1341		Johannes de Kynnard, substitutus	49,46
»	Jun.	Suno de Swecia	51,36
1343		Ulricus de Augusta, tunc receptor	65,17
1344	Sept. 22	Theodericus, tunc receptor	78,16
1345	Oct. 14	Willelmus de Viridi Monte, Scotus	87,36
1346	Jun. 4	Theodericus de Foro	97,2
1348	Jun. 21	Cunradus de Swecia	120,45
»	Oct. 18	Nicholaus Michaelis de Swecia	126,32
1349	Maii 26	Theodericus de Hollandia	135,1
»	Jun. 12	Guillelmus de Brenuecht, substitutus	137,1
»	Jul. 17	Theodericus de Alemaria	138,38
1350	Jun. 13	Johannes de Wesalia	143,23
»	Sept. 17	Johannes de Colonia, substitutus	144,37
1351-52		Henricus de Minda, tunc vice receptor	151,2 ; 154,33
1352	(Aug.)	Johannes de Wesalia, tunc receptor	159,21
1353	April.	Wiskinus Wenslai	165,17
1355	Sept. 22	Johannes de Lovanio	186,39
1356	Mart. 28	Johannes de Aquis, substitutus	194,24
»	Sept. 23	Johannes de Dacia	201,39
1357	Sept. 23	Themo Judei	221,1
1361	Oct.	Albertus de Saxonia	267,39
1362	Sept. 23	Henricus de Kempen, tunc receptor	270,36
1363	Aug. 16	Johannes Neve de Novymagio	289,17

1. Libri receptorum nat. Anglicanae qui ad nos pervenerunt incipiunt an. 1425 (Vid. supra p. x, n. 4).

1363	Aug. 24	Theodericus Dystel de Unna	289,35
1364	April. 1	Marsilius de Inghen	298,42
1365-67		*Deficiunt*	
1368	Sept. 21	Arnestus de Hollandia, continuatus	316,33
1369	Sept. 21	Johannes de Ammers	342,2
1371	Jan. 26	Henricus de Thenis, subst. (elect. Sept. 21)	386,20; 403,20
1376	Sept. 21	Walterus de Delf	503,22
1377	Aug.	Martinus Hollandus, substitutus	525,1
1378	Sept. 21	Johannes de Stralen	561,45
1379	Sept. 21	Jordanus de Clivis, continuatus an. 1380 sqq.	592,22
1383-91		*Deficiunt*	
1392	Maii	Robertus de Cardeny, tunc receptor	664,5
»	Maii	Aegidius de Jutfaes	664,38
1399	Nov. 18	Johannes Forestarii, vice receptor	805,26
1400	Jul. 5	Arnoldus Witwiic	816,8
1403	Sept. 21	Johannes Dorp	867,6
1404	April 3	Wilhelmus Blok, substitutus	987,7
»	Sept. 21	Richardus de Lonen	883,32
1405	Sept. 21	Johannes de Galkopf	905,17
1406	Sept. 21	Wilhelmus Blok	932,17

Receptor luminaris vel *luminarium Beatae Mariae*, id est pecuniae candelis Nostrae Dominae destinatae, pluries nominatur in principio hujus libri [1]. At vana cautio erat, dum natio an. 1349 « nullam habens pecuniam nisi pecuniam pro luminari Beatae Mariae », illam esurienti receptori nationis curiam Romanam petenti concederet (137, 18). Postea solus receptor nationis citatur. Statutum est an. 1356, Martii 23, « ob reverentiam B. Virginis, quod ejus pecuniam procurator et receptor seorsum ponerent a pecunia nationis, ne illa pecunia, semel B. Virgini dedicata, ad humanos usus amplius converteretur » (193, 38); jam receptor nationis « non minus de illa pecunia quam de pecunia nationis teneretur reddere rationem » (194, 1).

Examinatores determinantium

Secundum longam et inveteratam consuetudinem, semper antiquior magister nationis non regens, duo seniores regentes una cum receptore seipsos in *examinatores determinantium* elegerunt (672, 40; 759, 17; 865, 24; 915, 3). Sed mos ille aliquantum temporis in oblivionem ivisse videtur, cum *duos* tantum temptatores electos an. 1347 et 1357 (103, 29; 205, 28), *unum* adjunctis receptore et procuratore an. 1352 (155, 19), saepius tres magistros (269, 293, 307), nequaquam e senioribus, unanimi magistrorum praesentium consensu electos reperiamus. Procurator solum ex gratia, non de jure aderat (69, 10). Mense Januario, vel

1. Petrus de Veteri Campo, simul receptor pecuniae nationis (13, 28), Suno de Swecia (43, 1), Joh. Kynnard (51, 36), Joh. de Syberg (119, 15), Henricus de Minda (138, 3).

saltem Februario, quotannis natio officiales eos designabat qui postea cito, quandoque « in eadem septimana » (224, 44) determinantes examinabant, postquam juramentum solitum emisissent[1].

Eadem congregatione generaliter qua temptatores determinantium in natione, vel proxima, natio eligebat pro quolibet mense magistrum unum a quo natio Anglicana apud S. Genovefam repraesentaretur in examine secundo pro licentia conferenda. Pro quolibet mense examinis illius superioris[2] (hoc est pro duabus auditionibus) magister designabatur; secundum autem numerum licentiandorum fiebant communiter quattuor, aliquoties quinque vel sex auditiones (496, 24; 587, 47); unde duo, generatim tres magistri, vel una, vel variis in congregationibus, eligebantur[3]. Magister is electus nationi summam quamdam solvere debebat. An. 1377 praeceptum est, ut examinatores nihil darent (515, 33; 517, 27 sqq.). Sed jam an. 1378 quilibet iterum unum francum solvebat, et sic postea (532, 28; 568, 38 etc.). An. 1383 tamen examinatores sine pecunia electi sunt (653, 6). Caeterum vid. infra p. LI, § 4°. Examinatores licentiandorum

In qualibet auditione numerus licentiandorum praefixus erat; ita ex statuto facultatis artium an. 1288 quadraginta et octo candidati, in uno mense examinari poterant[4]; e juramentis an. 1338 vero 16 tantum, in quavis serie nationi Gallicanae tres, Normannicae duo, Picardicae duo, Anglicanae unus tribuebantur[5]. At quoties in alia natione deficiebant candidati, in alia excedebant, tum supposita nationis Anglicanae e ficta natione licentiati evadebant; inde gallicati (179, 32; 311, 36; 312, 6; 427, 44) vel normannizati (311, 40; 312, 1) vel picardizati (471, 17)[6] dicebantur.

Haec sufficiant, nam caetera potius ad historiam facultatis artium quam unius nationis pertinent[7].

Ut facultatibus superioribus, sic cuique facultatis artium nationi fuerunt *bedelli*.

Bedellus superior (286, 44) vel *major* (289, 43) vel *magnus* (908, 37) officio non modico fungebatur; at multo gravior persona fuit quam credere posses, si sensum huic voci apud Universitates modernas tributum conspiceres. Procuratori nationis in omnibus rebus assistebat; ejus erat scholas visitare, vacationes, horas lectionum, statuta nationis proclamare, nuntios ad papam missos etiam comitari. Bedelli

1. Quod vid. in *Chartul.*, II, Append.

2. Examen in S. Genovefa *superius* (311, 34) vocabatur, *inferius* autem examen licentiandorum apud Nostram Dominam.

3. Postea vocabulum « mensem » eodem sensu quo « auditionem » usurpavisse videntur, cum an. 1398 menses quinque examinis (April. 2 et 18, Maii 6, 14, 24), an. 1399 sex adjudicati sint (792, 31).

4. Vid. *Chartul.*, II, p. 17-18.

5. Vid. *Chartul.*, II, p. 19 et not.; p. 474 (Articuli quos examinatores ap. Genovefam jurare debent).

6. Anglicandi (95, 48).

7. Referimus lectorem quoad haec et quoad similia in cap. 7 interim ad *Indicem* in *Chartul.*, II, et ad THUROT, *De l'organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris*, p. 42 sqq., ubi principia bene enucleantur, non raro tamen diversae tempestates confunduntur.

Posterius annuum officium fuit, at saeculo xiv et xv non prius munere quam vita exiisse videtur bedellus. An. 1363 Conrardo, superiore bedello mortuo (286, 40), cessatum est a lectionibus non modo in nationibus quattuor, sed in reliquis, praeter theologicam, facultatibus (287, 4). Tum alium natio elegit.

Tales proventus bedellus a natione colligere potuit ut magistris divitior evaderet. Bedello nuptias filiae celebranti 20 libras natio concedit (581, 28). Celeber hic citandus Bomundus de Treveris qui ad scholas *septem artium* aedificandas pecuniam, quam regina Franciae, e stirpe Bavarica, recusaverat, nationi praestitit (vid. cap. 11) et ipse splendidam habitationem cum cavea, horto, stabulo, in domo nationis *ad imaginem Nostrae Dominae* (908, 35 sq.) sibi paravit. Fuit etiam notarius publicus (922, 7) et beneficium SS. Cosmae et Damiani appetiit (914, 27).

Bedellus inferior (414, 12) vel *subbedellus* bedello superiori auxiliabatur; medietatem salarii alteri concessi pro labore suo accipiebat. Munere per omnem vitam duraturo, ubi a natione recipiebatur, frui eum videmus. Sic cum Johannes de Treveris electus fuit an. 1363, ei « data fuit virga subbedellatus per procuratorem nationis *quamdiu vixerit*, et super illo est ei littera data testimonialis sub nationis sigillo » (282, 11). Idem Johannes postea bedellus superior nominatus est. Ex electione Matthiae de Monikedam an. 1402 discimus, cautionem 20 franc. id officium petenti impositam esse (848, 5).

De *officiariis extraordinariis*, ut de intrante pro electione rectoris, de inrotulatoribus, de nuntiis, abstinemus verba facere, cum satis noti sint ex aliis, ut etiam e *Chartulario*.

6. Scholae nationis.

Ut caeteris nationibus, ita Anglicanae fuerunt in *vico Straminum* vel *Straminis* quaedam scholae, quae tamen, exceptis scholis septem artium, non semper dilucide et distincte designantur.

Inter quas primum locum obtinent scholae *septem artium* sive *septem artium liberalium* nuncupatae; an. 1370 de emptione agebatur (vid. 362, 30) « ne ad manus aliorum transirent, maxime cum a longis et magnis retroactis temporibus [1] ipsas locando competentem pensionem et salarium pro eisdem » natio solvisset. Saepius de iis scholis agitur, at ea tantum pars quae « *super terram* » vocabatur lectionibus nationis Anglicanae reservabatur; partis superioris usus Picardiae proprius erat (746, 45). An. 1393 procurator nationis Picardiae requisivit « receptorem nationis Anglicanae, ut faceret reparare *superiores* scholas *septem artium*; alias, nisi faceret, natio Picardiae intenderet facere reparari, et sic

1. Vetustissimam earum mentionem in hoc libro invenimus an. 1340 (39, 37), 1342, 9 Febr. (p. 54, 33).

natio Anglicana perderet jus et proprietatem suam in illis scholis » (683, 12). Frustra primum Picardis « parvas scholas versus Sequanam » obtulit natio nostra (686, 10). Iterum ruinam impendentem an. 1396 Picardi arguunt (728, 21), qui tandem propositis nationis Anglic. libenter an. 1398 annuerunt (755, 9). Anno demum 1402, post maximas difficultates, penitus aedificatae sunt sumptibus nationis eae scholae (848, 33), in quarum fronte an. 1406 repraesentata sunt arma Imperatoris cum titulo : « Hee sunt scole septem artium liberalium » (930, 36). Jure natio gloriabatur de his scholis, nam « non est visum simile opus a natione completum » (848, 35).

De emptione *antiquarum* scholarum et de earum reparatione an. 1369 docemur (324, 37; 330, 35); non facile latomo 150 libras necessarias tribus solutionibus dedit; at perfectis laboribus nusquam « antiquae » vocantur eaedem scholae, sed *novae*. Cum jam an. 1370 « area *scholarum novarum* esset multum pulverizata et arenosa, in tantum quod quasi abominabile esset scholaribus se ponere in tanto multitudine pulveris », pavimentum factum est pecunia a procuratore Jordano de Clivis praestita. Jam non raro nominantur *scholae novae Almannorum super terram* vel *inferiores* (430, 9; 504, 3; 593, 3), *scholae novae Anglicorum super terram* (449, 45), quae etiam dicebantur *magnae scholae novae* nationis *super terram*, « in quibus Jordanus de Clivis multis annis legere consuevit » (593, 3; 611, 10), et quidem jam ab an. 1369 (339, 42 sqq.). — Partis autem superioris eaedem vocantur *scholae novae Almannorum superiores* vel *scholae magnae superiores* (593, 5), in quibus Henricus Langhals diu legit (339, 45). Eaedem vocantur scholae *magnae et novae Almannorum in cono vici Straminis versus Sequanam* (448, 10).

Occurrunt etiam *scholae parvae Almannorum versus Sequanam superiores*[1] et *super terram* (504, 8 sq., 28).

Obscurius designantur scholae Wilhelmo de Wadenoy concessae, sitae *in fine scholarum omnium*, quae tamen vastae fuisse videntur cum eae Marsilio de Inghen tributae fuerint (415, 5; 430, 25). Anno 1373 Hugoni de Hervorst conceduntur scholae *situatae super scholas mag. Wilhelmi de Wadenoy, sitae prope Sequanam* (432, 43).

Anno 1372 *quinque* scholae spectabant ad nationem (414, 40), scilicet eae quas diximus. At cum an. 1378, de reparationibus scholarum inferiorum versus Sequanam receptor Joh. Stralen cum mag. Gilberto (de Celseto, medico regis Franciae) earum proprietario tractaret, is promisit nationi pro sex libris annuis se facturum *tres* bonas scholas[2] de scholis praedictis (565, 30; cf. 611, 30), et revera fecit. Namque mox nominantur « scholae

1. Earum proprietatem an. 1376 natio non habebat; itaque reparationes a magistro Joh. Coc petitas facere recusabat (505, 23) antequam proprietarius ad eas jubendas invitaretur.

2. Sic morem gerebat nationi Anglicanae dives ille medicus qui aedificando domum suam (i. e. scholas medicinae) plurimum novis scholis nationis nocuerat (456, 18; 467, 36; 565, 39 sq.).

superiores *mediae* prope Sequanam » (585, 19), scholae *mediae* super scholas parvas prope Sequanam » (593, 19). Unde patet aedes Sequanae contiguas ita a Gilberto divisas esse an. 1378 ut tres scholae superponerentur, sic vulgo designatae : « scholae novae parvae prope Sequanam *super terram*, ...*mediae*, ...*supremae* » (593, 10). An. 1380, cum pauci in natione regere peterent, duas illarum scholarum parvarum, quas tenebat a Gilberto, nationi Normanniae, tertiam magistro cuidam Picardo, natio Anglicana locavit.

Sic posthac (an. 1382) *sex* scholae a natione quotannis distributae sunt. (Vid. 625, 42 [1].)

Praeter scholas in quibus consueverat legere Anglicana natio, ceteris nationibus quandoque alias pretio mutuavit, ut a Normannis duas scholas *ad longum introitum* (34, 37; 39, 38; 102, 40; 199, 25), vel a Gallis (78, 28; 314, 5). Quoties numerus volentium regere, ut an. 1370, fuit « bene duplus ad numerum scholarum quas habebat natio » (368, 26), quilibet procurabat sibi scholas, a natione ipsa, non tamen ultra communem *taxum*, solvendas. Sic nominantur « *aula* in domo barbitonsoris » (505, 35); « *aula ad rotam fortunae* » (506, 22). Aliae scholae, non tamen expensis nationis, fuerunt in domibus magistrorum. Sic v. g. Gerardus Kalant, quia legebat in domo sua, non legebat ad expensas nationis (712, 31 sqq.). Alia exempla alibi.

An. 1401 auditorium superius magnarum scholarum Alemanniae dividere in duas scholas propositum est, quarum multo minor pro 30 scholaribus et ultra sufficeret (835, 20); unde concludendum est, magnas scholas integras 80 vel 100 scholares minimum continuisse.

Status scholarum non erat optimus. Aliquando non poterant claudi, ita ut per fures « deferrentur omnia stramina » (405, 2). Eadem querela alias legitur (478, 30). Alio tempore deficiebant pulpitus pro magistro, stramina, etc.

Ab antiquo mentio fit *ballivi vici Straminis* (100, 33, 137, 34 et passim), unius bedellorum, qui habuit claves scholarum (102, 40). An. 1395 subbedellus nationis claves scholarum omnium nationum recepit (702, 11 sqq.). An. 1403 praepositus Paris. praecepit ut vicus Straminis clauderetur (871, 44); barrae fuerunt missae an. 1404 (875, 34 [2]). Natio Anglicana voluit ut etiam parvae scholae in fine vici Straminis includerentur (872, 29).

7. Determinantes, licentiati, incipientes.

Determinantes

Librum procuratorum non matriculam esse qua scholares omnes inscriberentur, sed registrum praesertim determinantes, licentiatos, incipientes memorans, jam diximus.

Quid sit determinare et subdeterminare alias [3] docuimus, et ultimum actum in Quadra-

1. Vid. de distributione scholarum facta magistris cap. 8.

2. Jam an. 1358 Carolus dux Normanniae praecepit, ut vicus Straminis nocte clauderetur. *Chartul.*, III, n° 1238.

3. *Chartul.*, II, p. 673, not. 2; p. 674 (5).

gesima fieri. In qualibet natione idem usus vigebat. Qui determinavit, determinator vel determinans vocabatur. Cum in Quadragesima solum hi actus perficerentur, deficiunt in Auctario quando folia codicum de Quadragesimae tempore agentia amissa sunt, quod non raro accidit, ut ex *Elencho procuratorum* quivis videre potest.

Determinantia ac baccalareatus idem omnino erat (vid. 264, not. 7; 352, 35; 491, 23; 538, 33; 606, 29)[1]. Communiter sub magistro nationis propriae, immo populari suo, determinaverunt et debuerunt determinare. Hoc facile sequi possis in serie determinantium anni cujuscumque. Aliquando sub magistro alienae nationis determinaverunt, sic aliquis gallicatus, picardizatus, normannizatus dicebatur[2]. Ut examinatoribus seu temptatoribus determinantium, ita determinantibus certa juramenta praescripta erant[3]. Determinantes juramentis asserebant praesertim quos libros audivissent et quam haberent bursam.

In scriptis redigebant alumni se libros ordinate audivisse et a quibus magistris. Cum Parisiis tale documentum non reperiamus, speciminis instar, exemplum illud ex Universitate Vindobonensi saeculo xiv exeunte protrahimus[4].

Ego Perchtoldus, Dei gratia dux de Radiawn... publice profiteor, quod audivi
Parva logicalia a mag. Flukch [de Pfullendorf] et Johanne Werbard (*i.e.* Berwardi)
Logicam veterem a mag. Conrado et Johannes Werbard
Phisicam Aristotelis a mag. Conrado de Rotenburg
Euclidem et *Insolubilia* a mag. Christiano de Grätz
Speram (i. e. *Spheram*) a mag. Rechperg
Priorum analytic. a mag. Christiano de Susato
Posteriorum a mag. Johanne de Tannis
Grecismum[5] a mag. Gürtenstain
Obligatoria[6] et *exercitium priorum* a mag. Bernhardo [Berwardi] de Villigen
Confredum[7] a mag. Delthinger

1. Perperam Thurot, *De l'organisation de l'enseignement*, etc., p. 48, not. 4 : « Au xive siècle, le mot de *bachalarii* ne leur est jamais appliqué. Ils sont toujours appelés *determinantes.* » Utique quandoque adhuc dicebatur « determinantes *et* baccalarei » (48, 40). Sed e locis ut 623, 3, omnino apparet nostra sententia, nam Henricus Poelman coram magistris solum determinavit, et haec determinantia vocatur « bachalariatus ». Vid etiam 701, 40. Secundum rigorem tamen determinantes, « bachalariandi » (823, 3) solum determinantia perfecta baccalarei erant. Inde determinantia vocata baccalareatus.

2. De his nominibus vid. *Chartul.*, II, p. 19, not.; p. 475 et supra cap. 5.

3. *Ibid.*, p. 672 (3); 673 (4); 674 (5).

4. E bibliotheca Capituli Posoniensis ms. 68, apud Knauz, *A Pozsonyi Káptalannak Kézirntai* (1870), p. 140. Instrumentum in lingua germanica scriptum latine vertimus.

5. Eberhardi Bethuniens., ed. Wrobel, Vratislaviae, 1887.

6. De *Obligatoriis* vid. Prantl, *Gesch. der Logik im Abendl.*, IV, 40 sqq., 52 sqq. *Obligationum et Insolubilium tractatum* scripsit Johannes Holandrinus (ed. Vindobonae, 1509).

7. Godofredum de Vino-salvo, seu Vinsauf, qui scripsit *Poeticam novam* (ed. Leyser, *Hist. poem. med. aevi*, p. 862), versus 2114 hexametros continentem, quae de arte dictandi, versificandi et transferendi agit.

Tertiam partem Alexandri[1] a mag. Cesare Chünigstain Slegawer 2um, 3um tractatum *Petri Hyspani* a mag. Bernhardo.

Computum cyrometr[ic]alem a mag. Hermanno [Poll]

Donatum a mag. Johanne de Neuenmarkt

Praedicti magistri pro eorum labore bene a me recompensati fuerunt.

Plures semper determinantes quam licentiati et incipientes quotannis fuerunt. Eorum numerum quibusdam annis ascendisse videmus ad triginta novem (1358), quadraginta (1403), quadraginta duo (1365).

Ut non raro scholares in alia Universitate inscripti Parisios venerunt ad studia perficienda[2], sic inveniuntur qui determinarunt in alia Universitate et postea Parisios profecti sunt ut reliquos in artibus gradus reciperent. Jam an. 1279 statuerant, quod Parisiis « vel alibi in alio studio generali, ubi sint ad minus 12 magistri regentes » determinarent[3]. Saeculo XIV, idem adhuc statutum viguit[4]; et cursoribus jurandum erat se determinavisse « Parisius vel alibi, ubi sit studium generale[5] ». Difficultates quandoque de hoc ortae sunt (485, 5 sqq.; 488-490); sed apud aliam Universitatem juramentum praestiterunt se eumdem gradum in alia Universitate non iteraturos (606, 24).

Sic jam an. 1333 Thomas Bray et Wilhelmus de Cantebrugia reputabantur pro determinantibus, quia in Anglia determinaverunt[6]. Postea plures ut determinantes reputabantur[7], nullis explicationibus additis. An. 1375 Lambertus de Gelria admittitur, quamvis non determinans Parisiis (466, 31; 467, 19). An. 1376 Johannes de Moguntia et Thomas de Ungaria ut baccalarei Pragenses afferuntur[8]. An. 1381 notantur tres[9] ex eadem Universitate (quae tamen minime nominatur), Hugo de Landau[10], Nicolaus de Cuba[11] et Michael de Frankfordia[12], Parisiis ut baccalarei recepti. Gerardus Domherr de Lutzenburgh an. 1395 Parisios ut baccalareus Tolosanus venit[13]. An. 1396 quidam bacc. Pragens. et alter Coloniens. recepti sunt (716, 31). Infra in notas plures alii ex Universatibus Vindobonensi, Heidelbergensi, Coloniensi, Erfurtensi ut baccalarei art. Parisios petentes inserentur.

1. I. e. tertiam partem *Doctrinalis* Alexandri de Villa-Dei, cujus editionem subministravit REICHLING in *Monumenta Germaniae paedagogica*, tom. XII (Berlin, 1893).

2. Ab anno 1392 plures in notas attulimus qui in Heidelbergensi, Coloniensi, Erfurtensi Universitatibus ut scholares intitulati erant.

3. *Chartul.*, I, n° 1485. Vid. praeterea II, 19; p. 73-75.

4. Infra 701, 35. Cf. tamen *Chartul.*, II, p. 673 (4).

5. *Ibid.* p. 675 (6).

6. Infra, p. 17, 5, 11.

7. V. g. 114, 14; 163, 18; 168, 17.

8. Infra, p. 500, 8; 498, 24. Cf. *Monumenta hist. Univers. Prag.*, I, 142, 148; an. 1370 et 1371 bac. Pragens.

9. Infra, p. 606, 21 sq.

10. *Mon.* I, 172, bac. an. 1376.

11. *Ibid.*, pp. 173, 174, ubi tamen perperam « Guba ». Bac. an. 1376.

12. *Ibid.*, p. 184, bac. an. 1378.

13. Infra, p. 701, 24 sqq.

Raro evenit, ut aliquis partim in alia Universitate, partim Parisiis determinaverit. Ad an. 1354 tamen scribitur, Arnoldum de Clivis actus determinantiae Oxoniis incepisse et Parisiis complevisse [1].

Quandoque Parisiis determinaverunt tantum, et in alia Universitate gradus alios receperunt. Sic an. 1396 Bernhardus Eykhoff in Universitate Colon. ut bacc. Paris. inscribitur [2]; an. 1387 Heidelbergam Johannes Spenghe de Yselstein, Bertoldus de Visbeke Theodericus de Asperen et Job de Argentina ut baccalarei in art. Paris. advenerunt ibique intitulati sunt [3], qui postea Heidelbergae cursus suos compleverunt.

Determinantiam licentia sequebatur. Plerumque sub eodem magistro quo determinaverant licentiam subibant. Juramenta praestanda [4] ac bursae solvendae erant. Communiter licentia apud S. Genovefam [5] quaerebatur, nam examem pro licentia obtinenda apud Nostram Dominam omnino in potestate cancellarii Paris. et quatuor ab ipso e nationibus electorum examinatorum erat, dum tamen apud S. Genovefam quaelibet natio pro secundo examine suos examinatores elegit, licet primum examen ibidem etiam e cancellario et quatuor ab ipso electis examinatoribus pendebat [6]. Perinde ac determinantes, auditionem librorum praescriptorum [7] perfectam esse licentiandi probare debebant [8]. **Licentiati**

Saepe imprimis prioribus decenniis eodem anno licentiati sunt et inceperunt quo determinaverant. Postea etiam exempla ubique adsunt, v. g. Henricus de Embeke (an. 1356), Godfridus de Prussia (1361), Johannes de Priswalk, Jacobus Johannis (1373), Johannes Dorp de Leydis (1393), Wilhelmus de Lochem (1405), etc. Rursus inter determinantiam et licentiam intervallum solito majus, cum Johannes Ubach an. 1352 determinaverit, an. 1385 licentiatus fuerit. Vulgo duo vel tres anni inter duos gradus consumebantur.

Incipere fuit primam lectionem magistralem legere. Velut ad alios gradus tendentibus, incepturis juramenta [9] praestanda quoque et bursae solvendae. Generaliter statim post licentiam receptam inceperunt. Accidit tamen ut multo tardius, etiam post nonnulla decennia, inciperent. Sic Adolphus de Angermont (1333-1352), Conradus de Gelnhausen (1344-1378), Reinmarus de Brula (1344-1352), Wernherus de Pforzheim (1357-1371), Joh. Gray Scotus (1374-1392). **Incipientes**

Ut singulare referimus, Johannem de Angusia licentiatum esse et incepisse, solutis solvendis, sine determinantia (343, 16; 345, 7).

1. Infra, p. 169, 32.
2. Keussen, *Matrikel*, p. 47.
3. Vid. Toepke, *Matrikel*, p. 19-23. Parisiis post an. 1383 determinaverunt.
4. Jam in tom. I *Chartul.* articuli pro licentiatis. Juramenta vide, t. II, 675 (7).
5. Medio saec. xiv° bona pars licentiatorum ap. Nostram Dominam ibant (vid. annos 1344-1348); sed posterius S. Genovefae examen frequentiores adierunt.
6. Vid. *Chartul.*, III, p. 307.
7. *Chartul.*, II, 676 (10)-679 (15).
8. De licentia in S. Genovefa vid. cap. 5.
9. Vid. *Chartul.*, II, p. 680 (16); 681 (17) et (19).

Ex eo quod legitur (271, 19) pauperes sine nova cappa incipere posse, confirmatur statutum a reliquis cappam novam rotundam et propriam habendam[1].

8. Magistri regentes nationis.

Sicut praecedens capitulum, hoc quoque omnibus nationibus commune est. Si quis post licentiam in artibus incepit et procuratori tam in pecunia quam juramentis[2] satisfecit, dictus fuit magister. Quemadmodum ubique, magistri regentes a magistris non regentibus distincti sunt. De multis magistris nihil post primam lectionem magistralem scitur. Sive Parisios reliquerint, sive ibi aliam scientiam discituri remanserint, inter magistros non regentes computabantur, qui docere in artibus post quoddam temporis spatium desierunt. Sic haud pauci in natione magistri numerabantur; in rotulo[3] anni 1362 nominantur 55; in congregatione an. 1378 erant 33 praesentes (550), an. 1398 vero 44 (783).

In *Auctario* illos fere magistros regentes inveneris qui scholas impensis nationis habebant. Quotannis mense Septembri (402, 46; 404, 12 sqq.) scholas in quibus rexerant anno praeterito in manus nationis remittere debebant, postea quicumque regere in animo habebat a natione scholas supplicabat; tum scholas natio saepe veluti anno praecedente distribuebat. Cuicumque magistro sic approbato requirebatur fidejussor qui magistrum per totum ordinarium lecturum nationi spondebat. Generaliter octo vel decem circiter magistri fuerunt quibus natio scholas impertiebat, quandoque etiam minus. Anno 1372 nominantur quinque[4], quia « quinque sunt scolae spectantes ad nationem » (414, 42); an. 1373 octo (430, 12), an. 1374 jam decem indicantur (504, 1 sqq.), an. sequenti undecim (527, 9). Ab anno 1396 istorum nomina magistrorum regentium sollemniter afferuntur. Etiam accidit ut tam pauci regentes essent ut scholae Normannis vel Picardis commodarentur (611, 29 sqq.). Secundum antiquitatem regentiae scholae distribuebantur, senioribus meliores (363, 5; 526, 39; 668, 43; 726, 31 sqq.). Fuit lis inter magistros, quae sorte dirimebatur (416, 32; 417, 5; 504, 28; 565, 22). Quando plus quam quinque regentes erant, sibi de scholis providere debebant, sed expensis nationis (287, 34; 477, 43; 527, 6 sq., 626, 2, et passim).

Ab antiquo magistri remanentes scholas recedentium magistrorum, qui fama gaudebant, vel resignantium, appetebant. Sic an. 1342, cum Conradus de Montepuellarum recessit (54, 34 sqq.), an. 1346 (101, 19 sqq.). Et jam ab antiquo scholae saepe distributae sunt (vid. 125, 1; 339, 44 sq.; 390, 28).

Scholarium numerum non eumdem omnes magistri obtinuerunt. Marsilius de Inghen utique omnium maximam frequentiam habebat; « si contingeret quod mag. Marsilius tot

1. Vid. *Chartul.*, II, p. 680 (16).
2. *Ibid.*, II, p. 681 (19).
3. *Ibid.*, III, p. 91.
4. An. 1382 sex. Vid. supra cap. 6.

haberet scholares, quod commode non possent sedere in scholis sibi deputatis, et aliquis aliorum, in cujus scholis scholares dicti Marsilii commode intrare possent, ita modicos haberet scholares, quod commode intrare possent in scholas Wadenoy, » illae scholae Marsilio concederentur (459, 12 sqq.). Inter magistros qui magnam frequentiam habuerunt, numerandi sunt Jordanus de Clivis, Gerardus Kalkar, Johannes de Hokelem et Hugo de Hervorst, qui a longis temporibus in iisdem scholis docuerunt (526, 40; 563, 11 sqq.).

Magistri ad congregationes nationis ad tractanda acta nationis, saepius per juramentum, vocati invitatique fuerunt. Formulas quibus invitabantur Parisiis non supersunt, at exemplum ex Universitate Pragensi afferemus[1] :

Reverende magister, sitis hodie hora 17ª in congregatione facultatis ad audiendum petitionem Johannis Tostorp de Embeck volentis petere dimissionem burse facultatis ad pinguiorem fortunam, sub pena contradicendi.

In congregationibus magistrorum non raro lites, jurgia, brigae, dissensiones, rixae et clamores inordinati oriebantur, ita ut valentiores magistri congregationibus penitus abstinuerint et recesserint (361, 36). Notum est quomodo bachalarius Henricus Poelman congregationes turbaverit (621, 28 sqq.).

De rixis inter magistros nonnunquam in Auctario agitur. Per arbitros e natione electos sedatae sunt (vid. cap. 14).

Non sine difficultatibus magistri aliarum Universitatum in Universitate Paris. vel natione Anglicana admittebantur. Exemplo adsunt Henricus de Oytha et Jacobus de Cracovia qui Parisios ex Universitate Pragensi venerant (527, 40).

9. Quo devenerint supposita nationis.

Supposita nationis Anglicanae sicut supposita aliarum nationum primum artibus, i. e. philosophiae studuerunt proindeque fundamentum aliarum scientiarum posuerunt. Verumtamen nonnulli inveniuntur qui juri antequam gradus in artibus recepissent operam dabant. Nec tamen omnes qui in artibus determinaverunt, in iisdem etiam licentiati sunt vel inceperunt, neque omnes qui magistri artium erant, in alia scientia graduati sunt.

Quidam titulo magistri artium tota vita sua contenti erant et in artibus per satis longum temporis spatium docuerunt[2], nec in alia scientia ad gradum baccalareatus vel licentiae pervenerunt. Plures eorum Parisiis remanserunt, immo multi, tam magistri quam scholares, ibidem mortui sunt, ut in epidemia an. 1399 (819, 31), dum alii, ut infra videbimus, ad alias Universitates recesserunt.

1. *Monum. hist. Univers. Prag.*, I, 1, p. 280 ad an. 1393. Vid. p. 278 ad an. 1392, ubi agitur de « exercitiis parvorum logicalium ».

2. Vid. cap. 4 et 8. Saepe etiam « in partibus ».

Magna pars sodalium nationis finita « regentia » in artibus quaerebat licentiam in alia scientia, Parisiis vel alibi. In sequentibus ea supposita nationis Anglicanae enumerantur, quae tum Parisiis in theologia, medicina et jure can. magisterium vel licentiam receperunt, tum in sua patria episcopi facti sunt, tum in alia Universitate studuerunt vel in quadam scientia, praecipue in artibus rexerunt. Cum fontes e quibus nos ea haurire potuimus sint magna ex parte hiantes, nostri elenchi minime perfecti sunt. Accedit, in nostro libro procuratorum diversos annos, imprimis 1365-1368 et 1383-1392 deesse, proindeque plures nationis Anglicanae fuisse, quos nunc ut tales agnoscere non possumus. Nihilominus tamen nostri Elenchi quasi novi dicendi sunt, si compares ea, quae hucusque cognita erant. Notandum praeterea, in fontibus a nobis allatis pro diversis Universitatibus generatim non adnotari, an illa vel ista supposita in artibus. Parisiis graduati fuerint; magna ex parte Auctario et nostra conjectura fisi sumus.

Lic. in theol. Parisiis

Diversi *Parisiis magisterium in theol.* receperunt. Cum elenchus licentiatorum in theol. Parisiis ab an. 1373 tantum incipiat[1], ante an. 1373 pauci noti sunt, inter quos Johannes Rathe Scotus[2], Walterus de Wardlau[3], et fortasse Themo Judei de Monasterio[4]. Si Adalbertus Ranconis de Ericinio de Bohemia mag. theol. fuit, magisterium minime Parisiis accepit, cum an. 1371 jam Pragae ut scholasticus ecclesiae Pragensis et baccalareus theol. commoratus fuerit[5]. In rotulis tamen ante an. 1373, a nobis in *Chartul.* publicatis, multo plures ut studentes vel bacc. theol. enumerantur. Post an. 1373 sequentes magistri theol. inveniuntur[6],

Henricus de Hassia,
Henricus de Oytha,
Guillelmus Trebron,
Johannes Mullechner de Austria,
Georgius de Rain de Sclavonia, Aquilegens. dioec.
Johannes Matthiae,
Johannes de Moravia,
Thomas de Cracovia,
Arnoldus Uitwiie,
Johannes de Galencoep,
Bernardus Flogheling.

Lic. in medicina Parisiis

Eorum, qui *Parisiis in medicina licentiati* erant, sequentes notari possunt :

Nicolaus de Goudriaen[7],
Johannes de Lovanio[8],
Nicolaus Statter (Scatter[9]),
Theodericus de Veene[10],

1. Vid. *Introduct.* ad *Chartul.*, III.
2. Vid. *Chartul.*, II, 596, not. 3.
3. Vid. *ibid.*
4. Qui per longum temporis spatium Sorbonicus fuit, ut apparet e Bibl. Arsenal. Paris., ms. 1021, p. 351.
5. Vid. Reg. Av. Greg. XI, vol. III, fol. 415. Hoc imprimis apparet ex *Articulis, de quibus accusatus fuit mag. Henricus de Oyta in curia Rom., ibi per diffinitivam sententiam absolutus*, in cod. chart. XIV saec. conv. Ord. Praed. Vindobon., n° 289, fol. 159-163, an. 1371, April. 24 et an. 1373, Aug. 11. Brevius apud Denis, I, p. 2, p. 2002, et Aschbach, *Gesch. der Wiener Universität*, I, 406, not. 1.
6. Vid. notas partim in *Chartul.*, III, partim in *Auctario.*
7. Vid. *Chartul.*, II, p. 629.
8. *Ibid.*, III, 81, 128.
9. *Ibid.*, p. 251.
10. Vid. infra, 217, 43.

Thomas de Duns[1],
Henricus de Kempen,
Henricus de Thenis,
Ernestus de Delf,
Walterus de Delf,
Franco Ghiisberti de Delf,
Johannes Gray,
Et fortasse Hebernus Jutfaes, Joh. de Platea[2].

Multi nationis Anglic. in rotulis ut scholares in jure can. Paris. designati sunt; duos tamen solum eruere potuimus, qui *Parisiis in jure can. licentiati* erant, Johannem de Colonia Scotum et Benedictum de Ungaria seu de Makra[3]. Lic. in jur. can. Parisiis

Circa viginti quattuor suppositorum nat. Anglicanae hoc brevi temporis spatio in sua patria *Episcopi* creati sunt, non raro sine ullo alio gradu quam mag. artium. Dimidia fere pars eorum ad Scotos, altera ad Alemannos et Suecos pertinet[4]. Episcopi

Scoti:
Walterus de Wardlaw, ep. Glasguens, et card.
Joh. Peblis, ep. Dunkeldens.[5],
Walterus Trayl, ep. S. Andrews,
Matthaeus Glendowyn, ep. Glasguens.[6],
Gilbertus Grenlaw, ep. Aberdon.[7],
Guillelmus de Spiny, ep. Moraviens.[8],
Henricus de Wardlaw, ep. S. Andrews[9],
Galterus Forestarii, ep. Brechinens.,
Johannes Crannach, ep. Cathenens.[10],

Alemann.:
Joh. de Erkel, ep. Ultraject.[11],
Albertus de Halberstadt, ep. Halberstadiens.[12],
Arnoldus de Horne, ep. Ultraject.[13],
Joh. de Jenzenstein, ep. Misnens.[14],
Theodericus Damerou, ep. Torpatens.[15],
Raynaldus de Vianen, ep. Ultraject.[16],

Sueci:
Johannes Petri de Dacia, ep. Aboens.[17],
Bero Gregorii de Suecia, ep. Aboens.[18],
Brunulphus Karoli, ep. Scarens.[19],

1. De sequentibus vid. in *Auctar.*, partimque JOURDAIN, *Index*, etc., p. 198.
2. 788, 4; BROM, *Bullar. Traject.*, II, n° 1880.
3. Vid. infra, p. 771, 4 sqq.
4. Ad illos tantum notas apponimus, quos in *Chartul.* vel in notis Auctarii nondum ut episcopos designavimus.
5. Vid. *Chartul.*, III, 661, not. ad p. 37.
6. An. 1388-1389, cum fuisset lic. in utroque jure. Vid. Reg. Av. Clem. VII, vol. L, fol. 335.
7. An. 1390, Jan. 19, cum esset licent. in art. Reg. Av. Clem. VII, vol. LVII, fol. 77 b.
8. An. 1397, Sept. 1, cum esset bac. decret. et cantor eccl. Morav. Reg. Av. Ben. XIII, vol. XXIV, fol. 65 b. Jam an. 1371 fuit bac. decr. et can. Morav. (Reg. Av. Greg. XI, vol. II, fol. 101).
9. An. 1403, Sept. 10, cum esset praecentor Glasguens. et decr. doctor. Reg. Av. Ben. XIII, vol. XXX, f. 99.
10. Ambo infra, p. 782, not. 6, et p. 926, not. 8.
11. An. 1342. Vid. BROM, *Bullarium Traject.*, I, n° 1046. Parisiis studuit (v. ibid., n°s 930, 937); in bulla papali tamen non mentio fit eum fuisse mag. in art., sed solum can. Traject.
12. Vid. *Chartul.*, III, et KEHR, *Päpstl. Urkunden u. Regesten*, n° 765.
13. An. 1371, Jul. 9, cum esset can. Colon. Reg. Av. Greg. XI, vol. III, fol. 64. Ut in *Gall. christ.*, III, 899, refertur ex illustri familia erat oriundus sicut noster. An. 1378, transfertur ad eccl. Leodiens.
14. De quo in *Chart.*, III. Certe infra non refertur, cum solum notentur qui aliquem gradum obtinuerunt. Sed ad nat. Angl. Parisiis pertinuit.
15. An. 1378, Dec. 21, ut GAMS refert.
16. An. 1379, Nov. 28, cum esset bac. in leg. et thesaurarius eccl. Traject. Reg. Av. Clem. VII, vol. XVII, fol. 39. Sed non sedit, cum Florentius de Wevelinghofen Nov. 7 ejusdem anni ab Urbano VI ibid. institutus esset episcopus.
17. An. 1368. Vid. *Chartul.*, III, p. 157, n. 1.
18. An. 1385. Apud GAMS, *Ser. episc.*, p. 338, legitur : Bero *Georgii*. — Nescimus, an Johannes de Westphalia an. 1370, ibid. notatus noster sit.
19. An. 1405. Vid. infra, p. 655, not. 2.

Sueci { Joh. Gerichini, ep. Upsalens.[1], Navno Johannis, ep. Arosiens.[2], Christianus (Christernus) Hemmingi, ep. Ripens.[3].

Verisimiliter etiam Nicolaus Johannis, an. 1361 ep. Lundens., Matthias Laurentii, an. 1372 ep. Arosiens., et Nicolaus Michaelis, an. 1395 ep. Arosiens. praefatis annumerandi sunt.

Multi alii magistri nat. Anglic. in ultimo vitae suae stadio, immo jam antea ut ex *Auctario* liquet, in diversis ecclesiis beneficiis et praebendis fruebantur, et ad dignitates eccles. pervenerunt[4].

Aurelianis studentes

Schola magna, quam supposita nat. Anglicanae, absolutis studiis artium Parisiis, quandoque antea, saepissime frequentarunt, fuit *Universitas Aurelianens.*, ubi legibus, raro juri can. studuerunt. Cum Parisiis lectura legum prohibita esset, Universitas Aurelianens. quasi facultas legum Universitatis Paris. considerabatur et ab Universitate Paris. alimentum, i. e. supposita ejusdem, recepit. Multi imprimis Alemanni ibidem commorati sunt; « clangor linguae germanicae, confragantibus tumultuose sonis, per omnes perstrepebat vicos, mediam pulsans aëris regionem, ut putasses te patrie natalis solum inhabitasse[5]. » Natio Alemanniae Aurelianens. sperabat se duraturam, « quamdiu[6] illa Parisiens., omnium Universitatum regia mater et imperialis domina, sacrorum fuerit vallata canonum studio, et quamdiu vernulis et ancillis suis dominata fuerit et eas vel opibus evacuata vel pauperie compuncta non manumiserit, artes scil. liberales, omnibus scientiis ad famulatum et obsequia delegatas. Dum enim illic (Parisiis) studentium restat pluralitas, nunquam istic (Aurelianis) personarum erit eclipsis, penuria vel egestas[7]. » Cum Universitas Aurelianens. non nimis distaret ab Universitate Paris., magnam commoditatem afferebat studentibus Parisiensibus, facilis erat communio inter ambas Universitates, et postquam per aliquod temporis spatium Aurelianis fuerant, iterum Parisios quandoque revertebantur et in natione Anglicana, ad quam semper pertinuerunt, apparebant[8]. Immo, quamvis absentes a Parisiis et Aurelianis commorantes, nonnunquam Parisiis inrotulabantur, quia scholares Paris. se putabant. Caeterarum etiam nationum magistri artium idem fecerunt, ut non semel e Rotulis in *Chartul.* III editis liquet. Plerumque insuper Aurelianis legibus operam dabant, Parisiis juri canonico[9].

1. An. 1410, Jul. 28, cum esset cancellarius regis Sueciae. Arch. Vat., arm. XII, 121, p. 34.
2. Infra, p. 799, not. 3.
3. An. 1418, Octob. 7, cum esset praepositus Roskildens. Arch. Vat., arm. XII, 121, p. 109.
4. In rotulis et in Reg. Vat. et infra notantur praepositi, decani, canonici, etc. Non operae pretium est his tunc communibus immorari.
5. Apud Fournier, *Statuts et privilèges*, I, 145, ad an. 1382.
6. Apud Fournier, *l. c.*, I, 138, « quando diu; » hic et postea.
7. *L. c.*, an. 1378.
8. Vid. v. g. infra, p. 370, 25; 540, 3, 27; 567, 22; 628, 44.
9. Saepe hoc in rotulis indicatur. Sic Gregorius XI de Guillelmo de Wardlaw (in *Auctar.* praetermisso) ad cancell. Paris. scribit : « Qui Aurelianis

Dolendum libros procuratorum nat. Alemanniae Aurelianens. ab an. 1444 solum conservatos esse. Aliis proinde fontibus usi sumus, ut saltem aliqua supposita nat. Anglicanae Paris., quae Aurelianis studuerunt, protraheremus. Ne obliviscaris praeterea Aurelianis nationem Scotorum separatam fuisse a natione Alemanniae.

Gerardus de Attenderna [1],
Guillelmus Clappam [2],
Joh. de Lythona,
Richardus Arnoldi [3],
Everardus de Maguntia [4],
Thomas Marcer Scotus,
Tilmannus de Santo Vito,
Galterus de Renen,
Adam Hobonis de Catwiic [5],
Simon de Ketenis [6],
Ingerannus de Ketenis [7],
Johannes Scalpy [8],
Walterus Trayl [9],
Henricus de Odendorp [10],
Everardus de Yppelburne Maguntin. [11],
Johannes Marse [12],
Reynaldus de Vyanen [13],
Johannes de Xanctis, [14]
Johannes Bersword,
Rudolphus Tam,
Theodericus de Heeswic [15],
Egidius Brune,
Johannes Grutere,
Henricus Boest,
Nicolaus de Offenburch,
Albertus de Calbe,
Roricus de Sternenberch,
Henricus Tuve,
Henricus de Andernaco,
Henricus Sprone,
Martinus de Delft,
Walterus Yseren [16],
Liphardus de Dattelen [17],
Andreas Symonis,
Johannes de Beke [18],
Thomas Wis,
Thomas de Edinham,
Alexander Bur,

per quinque in civ., et Parisius per alios quinque annos in can. juribus studuit, prout adhuc in eodem jure can. Parisius studet » (Reg. Av., vol. XXVI, fol. 367, ad an. 1375).

1. An. 1336. Vid. Riezler, *Vatikanische Akten*, n° 1788.

2. An. 1349. Vid., quantum ad sequentem etiam, Fournier, *l. c.*, III, 454, 455.

3. An. 1365. Vid. ibid., p. 457.

4. An. 1370, quattuor sequentes Aurelianis inveniuntur. Vid. infra, p. 370, 25 sq.

5. An. 1371, bacc. decr. Aurelianis, Reg. Av. Greg. XI, vol. VI, fol. 81 b.

6. Eodem an. bac. in jure can., lic. in leg. Aurel., legens decretum ibid., loco doctoris, Reg. Av. Greg. XI, vol. V, fol. 386 b.

7. An. eodem, e Reg. Av. Greg. XI, vol. IX, fol. 348 b, ubi « FFuillanus de Keconis ».

8. An. eod. schol. leg. Aurelian., Reg. Av. Greg. XI, vol. VII, fol. 364 b.

9. 1375 nuntius Univers. Aurelian., lic. leg., bac. in decr. *Chartul.*, III, 133, not. 17.

10. Sequentes 21 ad an. 1378, inter Alemannos Aurelianis studentes enumerantur. Vid. Fournier, *l. c.*, I, 139, ubi tamen non dicitur, eos Parisiis fuisse. Hoc eruitur ex *Auctario*.

11. Jam supra, ad an. 1370.

12. Vid. infra, p. 345, 1.

13. Cf. etiam infra, p. 540, 2.

14. Adhuc an. 1384. Vid. Fournier, I, 152.

15. Fortasse alius, an. 1350, fuit bac. in med. Vid. Brom, *Bull. Traj.*, II, n° 1361.

16. Qui infra « Volkerus de Zutphania » vocatur.

17. Can. Tarbatens., jam an. 1375, juri can. studens, sed Paris. Reg. Av. Greg. XI, vol. XXIII, fol. 84 b.

18. Quattuor sequentes, ad an. 1378, vid. ap. Fournier, III, p. 463 sq.

Nicolaus Firnkorn de Cuba[1],
Johannes de Duglois[2],
Jacobus Watson[3],
Simon de Mundavilla[4],
Johannes de Tulach[5],
Robertus de Merton[6],
Guillelmus de Glendowyn[7],
Johannes de Sarwerden[8],
Adam de Fexhe,
Bernardus Ottijn de Pinguia[9],
Gerardus Grote de Daventria[10],
Johannes de Pavone de Colonia[11],
Theodericus de Oy[12],
Matthaeus Glendonwyn[13].

Andegavis *Andegavis* pauci e natione Anglicana gradus adepti sunt. Unum tantum invenimus, satis celebrem, Johannem Bonrode.

Montispessulani *Montispessulani* diversi in studio medicinae occupati erant.

Arnoldus de Celario[14],
Theodericus de Hasselt (de Campis),
Jacobus Kalkar de Goch,
Henricus Meys de Goch,
Henricus Lupi de Wesalia,
Borcardus Trutel de Rutlingen,
Nicolaus Schnell[15],
Henricus Oss[16],
Henricus Dintter[17],
Hermannus de Braklis[18],
Nicolaus Colve de Saxonia[19].

Quidam ibidem juri studuerunt. Invenimus Johannem de Inghen et Henricum de Roshem[20].

Avenione *Avenione* non pauci Alemanni juri operam dederunt; e natione Anglicana tamen sequentes tantum afferre possumus.

1. *Ibid.*, I, 152, ad an. 1384.
2. Rotulus Aurelianens., an. 1388, in Reg. Suppl. Clem. VII, n° 69, fol. 146, ubi designatur ut bac. leg., consanguineus regis Scotiae aliorumque procerum.
3. Fournier, III, 477, ad an. 1394.
4. *Ibid.*, I, 178, ad an. 1397. Postea tantum Parisiis in art. studuit, et an. 1403, ut mag. art. et lic. in leg. affertur.
5. Rotulus Aurelianensis, an. 1403. Suppl. Clem. VII, n° 93, fol. 42, ubi designatur mag. art. et in jure civ. in sec. volumine.
6. Fournier, I, 178, ad an. 1407.
7. *Ibid.*, ad an. 1408.
8. *Ibid.*, ad an. 1407, I, 191, ubi et sequens, desideratur tamen cognomen « de Fexhe ». An. 1410 Coloniae, Keussen, *Matrikel*, I, p. 565. Idem est Johannes Heidelbergae an. 1401 intitulatus.
9. Jam an. 1389, Coloniae affertur ut mag. art. Paris. et bac. leg. Aurelian. Vid. Keussen, *l. c.*, I, 6.
10. Sequentes verisimiliter, licet non certe, Aurelianis studuerunt. Gerardus Grote non solum mag. art., sed etiam legum scholaris fuit, et quidem jam 1363. Vid. Suppl. Urb. V, n° 35, fol. 175 b, et *Chartul.*, III, 93, not. 31.
11. In suppl. Urb. V, n° 35, fol. 176, designatur ut bac. in decr., studens in leg., ad an. 1363.
12. Mag. art. et lic. in leg. an. 1375, in Reg. Av. Gregor. XI, vol. XXIII, fol. 87 b.
13. Qui fuit in utr. jure licent. Vid. p. XXXV, n. 6.
14. De septem sequentibus vid. *Cartulaire de l'Université de Montpellier* (1890), ad an. 1362, I, 455.
15. De ipso in Reg. Suppl. Urb. V, n° 35, fol. 168, ad an. 1363, scribitur : « Nicholaus Schnell de Balgingin, bac., licent. et magistratus an. Dom. MCCCLIIIJ° Parisius in art., in fac. medicinae Paris. et Montispessulani studiorum nutritus et provectus, Constant. dioc. » Postea Bononiae.
16. Parisiis cursus in medicina incepit, et Montispessulani complevit, ut ediscimus e Reg. Innocentii VI, vol. XII, fol. 498, ad an. 1356.
17. Vid. infra, p. 920, 41.
18. Vid. p. 821, 38.
19. Parisiis inter an. 1383-1392. Vid. Rot. med. Montispessul. in Reg. Suppl. Benedicti XIII, n° 78, fol. 207.
20. *Cartul. de l'Université de Montpellier*, p. 604, ad an. 1378.

Johannem de Inghen [1],
Hectorem Vilt de Huessen [2],
Johannem de Kalchofen [3],
Henricum de Wardlaw [4].

Ibidem in *Rom. curia* quandoque etiam litteris se tradiderunt, ut Christianus de Elst, schol. theol. [5].

Multo plures nationis Angl., quam infra notamus, *Bononiae* jus civile vel etiam canonicum audiverunt. Sed cum matriculae Scotorum et Suecorum desiderentur, matricula nationis Germanicae tantum uti potuimus. Ex iis qui Bononiae studuerunt, quidam sicut aliqui Aurelianis studentes, solummodo postea Parisiis gradus in artibus receperunt. Cum nomina personarum quandoque hic secundum patriam solum, illic secundum cognomina inscripta sint, sine dubio in nostro Elencho diversa nomina praetermissa sunt. **Bononiae**

Goswinus de Duisburg [6],
Buchardus de Constantia [7],
Ramboldus Vaener de Gamundia [8],
Hartwicus de Hammis [9],
Hilbrandus et Andreas Sudermann de Tremonia, fratres,
Nicolaus Trutler de Rutlingen [10],
Arnoldus de Arnheim,
Gotfridus Cayphe de Prussia [11],
Henricus de Goch,
Conradus de Geilnhusen [12],
Hilgerus de Colonia [13],
Hubertus de Colonia,
Johannes Grecus [14],
Henricus Bilant [15],
Arnoldus de Rogiten [16],
Nicolaus Schnell [17].
Johannes de Pritzwalk (?) [18],
Nicolaus de Kunigstein [19],
Godefridus de Harve [20],
Henricus de Hoven,
Rutgerus de Drove [21],
Job Vener de Argentina [22],
Nicolaus de Offenburg [23],

1. Rotulus Avenionensis, an. 1378, in Reg. Suppl. Clem. VII, nº 48, fol. 121 b. Designatur ibid. mag. in art. et bac. in jure can.
2. *Ibid.*, fol. 125. Voc. mag. art. Paris., in medicina provectus, scolaris in jure civili.
3. *Ibid.*, fol. 125 b. Ibid. vocatur mag. in art. Parisius, provectus in jure can., qui in eadem facultate tam Padue quam alibi VII annis studuit. An. 1366, archiepiscopus Salzeburgensis pro suo « secretario », Joh. de Kalchofen, cler. Constantiens, Urbano V supplicat, ut recipiat eccles. paroch. S. Laurentii in Mirtzthal, Salzeburg. dioec., cum tam Parisiis quam Paduae VII annis vel circa jura canonica audiverit (Reg. Suppl. Urbani V, an. 4, tom. unic., fol. 247).
4. Fournier, *l. c.*, II, 331, ad an. 1393.
5. Brom, *Bullarium Traject.*, II, nº 1254.
6. *Acta nat. Germanicae in studio Bononiensi*, p. 113, ad an. 1346.
7. *Ibid.*, p. 119, 120, ad an. 1349.
8. *Ibid.*, ad an. 1359, p. 125.
9. Tres sequentes ibid., an. 1367, p. 129.
10. *Ibid.*, p. 130, ubi et sequens.
11. *Ibid.*, p. 131, ad an. 1368, et sequent.
12. Vid. infra *Addenda*.
13. De ipso et sequente *Acta*, etc., p. 132 sq. ad an. 1370. An hic illicque allati iidem sunt?
14. *Ibid.*, p. 132.
15. *Ibid.*, p. 134, ad an. 1370.
16. *Ibid.*, p. 137, ad an. 1374.
17. Ad an. 1379, p. 141 et 394. Sup. p. xxxviii, n. 15.
18. *Ibid.*, p. 141.
19. *Ibid.*, p. 145, ad an. 1382.
20. De duobus sequentibus, p. 146 sq., an. 1385.
21. *Ibid.*, p. 147.
22. Deest in *Auctario*; sed Parisiis in art. determinavit, ut e Toepke, *Matrikel der Universität Heidelberg*, I, p. 23, ediscimus, et quidem inter ann. 1383 et 1387, qui anni nunc desiderantur. Postea, an. 1393, Bononiae studuit. Vid. *Acta*, etc., p. 152 et Luschin, *Vorläufige Mittheil.* etc., p. 45.
23. *Ibid.*, p. 160, ad an. 1407.

Johannes de Rodenstein [1],
Johannes de Groesbeck [2],
Johannes Ruter [3],
Johannes de Saxonia,
Johannes Gruter.

Raro Bononiae medicinae studuerunt; affertur Jacobus Martini de Middelberg [4].

Patavii *Patavium* hac tempestate nondum tot Alemanni accesserunt quot saec. sequenti [5]. Nihilominus nunc etiam quidam nationis Anglicanae jura audiverunt. Sicut Bononiae, ita etiam Paduae quantum ad ea quae ad nationem Anglicanam Paris. pertinent, solummodo de Alemannis certa quaedam habentur. De Scotis vix aliquid ante saec. XVI scimus [6]. Pro Alemannis etiam minime ut Bononiae matriculae saec. XIV supersunt.

Johannes Kalchofen [7],
Sdenco de Bohemia [8],
Gerardus Swechten [9],
Henricus de Odendorp [10],
Benedictus de Ungaria [11],
Job Vener [12].

Pragae Quidam nationis Anglicanae *Pragam* profecti sunt, ut juri studerent. Dolendum matriculam juristarum ab an. 1372 tantum superesse. Nonnulla nomina notare possumus.

Fridericus Junghen [13],
Henricus de Angern [14],

1. *Ibid.*, p. 161.
2. *Ibid.*, p. 165, ad an. 1412.
3. Tres sequentes dubii sunt. De primo (Reuter), vid. ibid., p. 137, ad an. 1376. De secundo, p. 153, de tertio, p. 158. Idem de Johanne de Erkel (p. 101) dicendum.
4. Vid Keussen, *Matrikel*, I, p. 8, not. 18.
5. Vid. Luschin, *Vorl. Mittheil.*, p. 35 sq., cujus tamen conjectura p. 36 proposita omnino rejicienda est. In eccl. Augustinensium Patavii olim legebatur super quodam lapide sepulchrali inscriptio : « Haec sepultura est Societatis Teutonicorum facientium sot.lares, quam fecerunt fieri an. Dom. MCCCCXXXVII, de mense Februarii ». « Sotlares » videtur cl. Luschin vox inanis, corrigenda in « scolares ». Et sic demonstratum esset, scholares teutonicos jam an. 1437 sepulturam propriam habuisse. Ast appositio « facientium » ad « Societatis Teutonicorum » nobis indicat, hic agi de quadam societate, quae in arte aliqua versabatur. Sed quanam? Isti Teutonici fecerunt sotulares, i. e. artem sutrinam exercebant. *Deutsche Schuhmacherzunft*, non : *Deutsche Schülermacherzunft*. Attenta structura verborum in inscriptione, « scolares » omnino vox inanis esset.
6. Vid. Andrich, *De natione Anglica et Scota Juristarum Universitatis Patavinae*, Patavii, 1892, p. 129.
7. Vid. supra, p. XXXIX, not. 3. Deest apud Gloria, *Monumenti della Università di Padova*, et Luschin, *Vorläufige Mittheilungen*, etc., p. 107.
8. Gloria, *l. c.*, II, n° 1309, ad an. 1370.
9. *Ibid.*, I, n° 662, doctor decret., ad an. 1387.
10. Ut doctor jur. utr. Aurelianis studuit, et ad an. 1382, Octob. 4, ibid. affertur (Fournier, *l. c.*, I, 148); Octob. 12, Parisiis (infra, p. 628, 44), ubi jam antea mag. art., Aurelianis lic. in leg. An. 1383 Vindobonae, minime tamen tunc doctor decret. fuit (minus recte Aschbach, *Gesch. der Wiener Universität*, I, 31, 44, etc.). An. 1387, Paduae, et ibid. in jure can. et civ. doctoratum recepit (Gloria, II, 2, n°s 1668, 1671). An. 1389 Vindobonae et Coloniae (v. Aschbach, p. 54; Keussen, *Matrikel*, I, 8; Luschin, *l. c.*, p. 46).
11. Infra p. 927, not. 3.
12. Gloria, *l. c.*, 2, p. 396, n° 2184, ad an. 1402. Prius Bononiae.
13. *Album seu matricula fac. jurid. Universitatis Prag.* (1372-1418), in *Monumenta hist. Univers. Prag.*, II, 1 (Pragae, 1834), p. 123, ad an. 1376.
14. *Ibid.*, p. 5, 10. 126, baccalar. decret., ad an. 1381.

Johannes de Dulmen [1],
Conradus Swarber de Argentina [2],
Henricus Andreae de Suecia [3],
Henricus Magni de Abo [4],
Johannes Gerichini [5],
Andreas Gerichini [6],
Theodericus Damerow [7],
Jacobus Johannis [8].

Alii Pragae in facultate artium docuerunt.

Martinus Wesselicz [9],
Wieboldus Stutte [10],
Henricus de Embeck [11],
Fridmannus de Praga [12],
Johannes de Drsczka [13],
Wilhelmus de Amsterdam [14],
Gebhardus Kemin [15],
Nicolaus de Boemia [16],
Guillelmus de Bavaria [17],
Paulus de Gelria [18].

Inter theologos nominatur Henricus de Oytha[19], qui postea Vindobonam recessit.

Omnes in sequentibus allati, in diversis Universitatibus regentes fuerunt, praecipue in facultate artium. Generatim a nobis usque ad an. 1392 tantum annotantur, cum postea in notis *Auctarii* indicati sint.

Vindobonae jam nonnullis lustris antequam Universitas erigeretur quoddam suppositum nat. Anglic. fuit rector scholae S. Stephani, scil. Conradus de Montepuellarum[20]. Postea, cum Universitas an. 1365 fundaretur, quasi anima consilii Rudolphi ducis Austriae aliud

Vindobonae

1. *Ibid.*, p. 11, ubi designatur ut mag. art. Paris., bac. decr. Paris., et can. Aboens. Certe idem est ac Johannes de Suecia, infra, p. 292, 29.
2. *Ibid.*, p. 70, ad 1383. Fuit canon. S. Thomae Argentin.
3. *Ibid.*, p. 136, ad an. 1385.
4. *Ibid.*, p. 148, ad an. 1397. Fuit rector juristarum.
5. *Ibid.*, p. 154, ad an. 1404.
6. Jam an. 1403, Pragae invenitur; vid. ibid., p. 154. An. 1406, rector canonistarum, Lundens. et Roskildens. canonicus; ib., p. 7. 21.
7. Verisimiliter Pragae juri studuit; anno 1375, saltem ibidem commoratus est ut in utroque jure baccalareus et mag. artium, et secretarius Caroli IV (Reg. Av. Greg. XI, vol. XXVI, fol. 107). Episc. Torpatens. Vid. supra, p. XXXV.
8. *Album*, etc., p. 112, ad an. 1402. — Vix Theodericus de Hildensem, qui an. 1403 Pragae (ibid., p. 154), affertur, idem est ac qui jam an. 1347 Parisiis studuit (infra, 104, 3). Perperam etiam Keussen, *Matrikel*, I, 8, n° 10, in nota, Gotfridum can. Aquensem cum Gotfrido Harve confundit.
9. Vid. Denifle, *Die Universitäten*, p. 595, ad an. 1362.
10. Denifle, *l. c.*, et *Monumenta hist. Univ. Prag.*, I, 1, p. 133 sqq., ab an. 1367. Fuit can. Osnabrug., et Pragae simul medicinae studuit. An. 1375, cum rector Universitatis fuisset, jam ut mag. medicinae affertur (Reg. Av. Greg. XI, vol. XXVI, f. 160).
11. *Monumenta*, etc., p. 133, ad an. 1367.
12. *Ibid.*, p. 135, ad eundem an. e Bibl. caesar. Vindob., ms. lat. 4929, fol. 262, canon. Pragensis.
13. *Ibid.*, p. 143, ad an. 1370, et *ibid.*, II, 1, p. 252 sqq. (an. 1372.)
14. *Monumenta*, p. 146, ad an. 1371.
15. *Ibid.*, p. 150, ad an. 1372, ubi tantum « Gebhardus ». Idem ac Everardus Kemin.
16. *Ibid.*, p. 160, ad an. 1374, ubi mag. Paris. vocatur.
17. *Ibid.*, p. 180, ad an. 1378.
18. *Ibid.*, p. 210, ad an. 1383.
19. Bibl. caes. Vindob. ms. lat. 4929, fol. 262, ad an. 1383, Decemb. 30, quo tempore in congregatione Universitatis cum aliis praesens erat. Ut jam an. 1371, fuit praepositus Widenburgens. in eccl. Osnabrugensi.
20. An. 1341. Vid. *Allgem. Deutsche Biographie*, XVI, 648 sqq. An. 1341, Maii 16, « Conradus de Megenberg, mag. in art. » fit can. Ratisponens. (Reg. Vat. Bened. XII, an. 7, fol. 142).

suppositum nat. Angl. fuit, scil. Albertus de Riemestorp, qui postea episc. Halberstadens. electus est[1]. Plures tamen numero post fere duo decennia, cum Universitas reformaretur, Vindobonae inveniuntur.

Cholomannus Kolb seu Cholb (1379),
Henricus de Hassia[2],
Henricus de Oytha,
Henricus de Odendorp,
Gerardus de Kalkar,
Hermannus de Treysa,
Lambertus de Gelria,
Paulus de Gelria,
Michael de Francfordia,
Petrus Engelhardi,
Andreas de Langenstein,
Thomas [Zegenandi] de Clivis,
Christianus de Ungaria (?)[3].

Heidelbergae

Non pauci magistri, nationis Anglicanae famosi aliqui, *Heidelbergae* inscripti sunt, cum Universitas an. 1386-1387 erigeretur. Quidam horum magistrorum desunt infra in *Auctario*, illi scilicet, qui intra ann. 1383-1387 Parisiis gradus in artibus adepti sunt, quia dicti anni in libro procurat. desiderantur. Post an. 1387 alii supervenerunt. Ex infra notatis plures, adeptis gradibus Parisiis, aliis scientiis in diversis Universitatibus operam dabant.

Marsilius de Inghen[4],
Henricus de Angern,
Johannes Berswort,
Thomas de Hollandia[5],
Henricus de Wesalia,
Walterus Venedau,
Nicolaus Jacobi de Goch,
Gerardus de Lederdam[6],
Christianus de Eckoye[7],
Theodericus de Asperen[8],
Sigismundus de Gorlicz[9],
Conradus de Geilnhusen,
Johannes Bote de Teckenborg[10],
Henricus Bernekote[11],
Alphardus de A,
Hugo de Landau[12],
Gofridus de Leyningen[13],
Nicolaus Verenkorn de Cuba[14],
Johannes de Alemaria[15].

1. An. 1365 nuntius ducis Austriae fuit ad Urbanum V. Vid. *Chartul.*, III, p. 93, not. 29. Caeterum de ipso et de sequentibus plura ap. Aschbach, *Gesch. der Wiener Universität*, I.

2. Notandum Henricum in *Auctario*, ubi tam saepe occurrit, et in *Chartul.*, nunquam designari nomine « de Langenstein », sed communiter de Hassia, quandoque de Hembuch, Heynbuch, sicut etiam in Reg. Av. Gregorii XI, vol. VI, fol. 377 : « Henricus Hembueche, cler. Magunt. dioec., in theol. bacc., mag. in art. » (1371, Jan. 27.)

3. De septemcastris, seu de *Siebenbürgen* ?

4. Vid. de sequentibus Toepke, *Matrikel der Universität Heidelberg*, I.

5. Parisiis, an. 1383-1387.

6. Duo sequentes magistri fuerunt Parisiis, an. 1383-1387. De Gerardo vid. *Chartul.*, III, 520, et n° 1656, not. 2.

7. Tres alii in *matricula*, p. 19-23, ut baccalarei in art. Paris. designantur, eodemque an. 1387 Heidelbergae inscripti sunt. Vid. supra, p. XXXI.

8. In *matricula* ut bacc. art. affertur, sed Parisios reversus est. Vid. *Chartul.*, III, n° 1592.

9. Mag. Paris., 1383-1387.

10. Iste et tres sequentes. an 1388 Heidelbergae.

11. Qui infra (p. 523, 19) vocatur de Isenborch.

12. Fuit Heidelbergae etiam lic. in jure can. Vid. Toepke, II, 524.

13. An. 1389.

14. An. 1391. Ibid. in jure can. licent. fuit. Toepke, II, 524.

15. An. 1407-1408.

Heidelbergae fuit etiam Regnoldus Vener de Argentina, et quidem bacc. in jure can[1].

Nulla alia Universitas tot simul magistris nationis Anglicanae Paris. ditata est ac Coloniae *Coloniensis*. Jam antequam Universitas nata esset, quoddam suppositum nationis, scil. Arnoldus de Essendia de Aldendorpe, fuit rector scholarum ecclesiae Coloniensis[2]. Anno vero 1389, cum Universitas erigeretur, 32 magistri artium nat. Angl. Paris., quorum circa 17 solum hucusque ut magistri Paris. agnoscebantur, inscripti sunt. Plurima pars Parisiis licentiam in artibus receperunt, antequam Johannes Blanchart an. 1381 a Clemente VII cancellarius institutus esset, pauci inter ann. 1383-1389. Diversi interim in aliis Universitatibus docuerunt vel studuerunt, ut Pragae, Heidelbergae, Bononiae, Aurelianis.

Jordanus de Clivis[3],
Gerardus de Kalkar[4],
Arnoldus de Lochem,
Theodericus Dystel de Unna,
Johannes de Ubach,
Henricus de Wesalia,
Johannes Boten de Tekenborg,
Johannes de Kolke (Cole),
Johannes Voghel,
Johannes Berswort de Tremonia,
Arnoldus de Noringen[5],
Johannes de Venlo,
Hermannus de Aldenrode,
Bernardus Ottyn de Pingwia[6],
Nicolaus Scatter,
Godefridus de Harve,
Henricus de Hoven,
Jacobus Martini de Middelberg[7],
Gerardus de Hoynghen,
Alexander de S. Vito,
Johannes Arnoldi de Novimagio[8],
Hermannus Roeve,
Henricus de Ysenburg,
Wilhelmus Agni de Duysberg,
Arnoldus de Xantis,
Godefridus Florentii de Kalkar,
Tilmannus de Elfingen,
Franco de Gasteldonck de Buscoducis[9],
Johannes de Vico de Udem,
Johannes Hollinc de Tremonia,
Albertus Bestken,
Thidericus de Nyenborgh[10].

Fortasse alii insuper magistrorum Univers. Colon. an. 1389 ad nat. Anglic. Paris. pertinebant, qui Parisiis post an. 1383 gradus receperunt, proindeque a nobis signari non possunt.

1. Toepke, II, 502.
2. An. 1363. Vid. Reg. Suppl. Urbani V, n° 35, fol. 176 b.
3. De sequentibus vid. Keussen, *Die Matrikel der Kölner Universität*, I, p. 3-11.
4. Höhlbaum perperam asserit in *Mittheilungen aus dem Stadtarchiv von Köln*, XVII, p. 124, Gerardum fuisse magistrum artium Pragensem. Gerardus nunquam Pragae studuit. An. 1365 Parisiis determinavit (infra, p. 309, 37), ibidemque ante an. 1368 ut magister incepit, verisimiliter an. 1367, cum Greg. XI, an. 1371, Jan. 27, scribat : « qui a quatuor annis citra in artibus Parisius rexit, et scolaris theol. a totidem annis » (Reg. Av., vol. V, fol. 551).
5. Verisimiliter post an. 1383 Parisiis determinans et mag.
6. Bernardus de Binga (616, 37).
7. Verisimiliter post an. 1383 Parisiis.
8. Keussen, p. 10, not. 34, cum perperam vocat bacc. Pragens.
9. Parisiis post an. 1383.
10. *Ibid.*, p. 6. Cf. tamen, *ibid.*, not. 1, et p. 76, n° 30. Johannes Heye de Ruremunda etiam Parisiis invenitur, sed jam an. 1371.

Postea etiam magistri Paris. nationis Angl. Coloniam profecti sunt : an. 1390 Volkerus Yserem, qui antea Aurelianis fuit[1], an. 1391 Paulus de Gelria et Thomas Zegenandi de Clivis[2], qui interim alias Universitates visitaverunt, an. 1392 Henricus Lanchals de Clivis[3]. De reliquis vid. infra in notis post an. 1392. Trium tamen mentionem facere oportet, Johannis de Dorp de Leidis, famosi nominalis, qui an. 1418 Coloniae inscriptus est[4], David de Hamylton, an. 1440 ut decret. doct. inscripti[5], Reyneri Creyt. Iste ultimus an. 1421 Coloniae intitulatus est verbis : « nihil solvit, quia antiquus mag. art., qui diu rexit in eisdem[6]. » Revera, jam an. 1369 Parisiis rexit[7].

Erfordiae Cum Universitas *Erfordiensis* an. 1392 in vitam prodiit, nullum suppositum e nat. Anglicana recepit. Saltem inter inscriptos anni ejusdem nullus occurrit[8], qui ex *Auctario* ut mag. Paris. agnosceretur. Minime tamen praetermittendum, annos 1383-1392 in *lib. proc. nat. Angl.* deesse, proindeque inter 20 magistros alemannos in Universitate Erfordiensi inscriptos fortasse unum aliumve Parisiensem fuisse, qui Parisiis infra dictos annos gradus in artibus receperat. Postea tamen saepe Parisienses Erfordiam adierunt, ut infra in notis probavimus.

Cracoviae Nec inter primos Universitatis *Cracoviensis* magistros aliquis nationis Anglic. invenitur[9], quamvis diversi Poloni tunc temporis Parisiis studiis vacaverint.

Universitates *Lipsiensem*, *Rostokcensem*, *Lovaniensem*, quia posteriores, ad IIum vol. *Auctarii* rejicimus. Duos tamen magistros infra[10] notatos invenies. Certe Universitatem *S. Andrews* in Scotia, a Benedicto XIII an. 1413, Aug. 28, erectam[11], plures magistri nat. Anglic. Paris. inchoaverunt, cum tot Scoti Parisiis studuerint. Sed quantum scimus matricula istius Universitatis ad nos non pervenit.

Jam supra cap. 7 annotavimus, plures non raro in aliis Universitatibus, praecipue Pragensi, Vindobonensi, Heidelbergensi, Coloniensi, Erfordiensi ut scholares inscriptos fuisse vel in artibus determinasse, deinde Parisios profectos esse, ubi caeteros gradus in artibus receperunt.

10. Solutiones.

Quid et quibus solverent supposita nationis Anglicanae ad quemcumque gradum promovenda, saltem e Libro procuratoris hic exponere nobis proponimus.

1. V. supra p. XXXVII. Vid. KEUSSEN, I, p. 46.
2. *Ibid.*, p. 51.
3. *Ibid.*, p. 57.
4. *Ibid.*, p. 162 et *Chartul.*, III, p. X, note 4.
5. *Ibid.*, p. 323, n° 40.
6. *Ibid.*, p. 181.
7. Vid. infra, *Indicem*.
8. Vid. WEISSENBORN, *Akten der Erfurter Universität*, I, p. 36-42.
9. Vid. *Statuta necnon Liber promotionum philosophorum ordinis in Universitate studiorum Jagellonica 1402-1849* (Cracoviae, 1849).
10. P. 713, not. 2; 917, not. 1. Quantum ad Johannem Groesbeck vid. supra, Bononia.
11. Instrumenta in Arch. Vat., Reg. Aven. Ben. XIII, vol. LXIV, fol. 606-611.

Antequam ad procuratorem nationis accederent juraturi, qui determinare volebant, debitis quodammodo privatis liberati esse debebant; scilicet *collectam* magistris nationis (572, 13) solverant, et *provinciae* (572, 12) cujus erant satisfecerant. Ad quam pecuniae summam ascenderent eae contributiones omnibus suppositis, etiam illis qui ad nullum unquam gradum pervenerunt, quae quidem secundum casus suppositaque plus minus variae reputandae sunt, neque Liber procuratoris neque alii fontes nos edocent. Determinantes

Inter juramenta[1] determinantium ea solutiones respiciunt :

Item, dicetis quantitatem burse vestre fideliter, sine dolo, computando omnia ordinarie consumpta ac exposita in bursa, duntaxat locagio hospicii et sallario famuli exclusis.....

Item, solvetis receptori nacionis 5 bursas, et pro scolis proportionaliter, priusquam vicum [straminum] intrabitis; videlicet : si septimanatim expenderitis in bursa ij vel 3 solidos, dabitis pro scolis 20 solidos paris.; si autem 4 vel 5 sol., dabitis 30 sol.; si autem 6 vel 7, dabitis 40; si autem 8 vel 9, dabitis 50, et sic deinceps[2]....

Item, habetis memoriam de reddendo sallarium bedellis vestre nacionis....

Item, dabitis procuratori nacionis unum grossum thuronensem de sigillo ad usus suos; alias vos jurare non admittat.

Bursa, i. e. summa pecuniae, quam quis per septimanam juxta suam facultatem pro suo victu expendere potuit, elementum fuit quo taxarentur medio aevo in Universitate contributiones. Quemadmodum in republica seu familia optime ordinata, sic amplam pecuniae summam divites, modicam pauperes conferebant. Qui pro bursa nihil vel minus 16 denariis habuerunt, ad subdeterminandum (vid. infra) admissi sunt. Inde idem determinantiae gradus pro 30 sol. conquisitus ab iis qui bursa duorum sol. fruebantur, illi qui bursam 12 sol. habebat (208, 12) 6 libr. et 10 solidis constabat.

Procuratori unum *grossum turonensem* (463, 45; 482, 15) vel *antiquum grossum* (511, 7) solvisse determinantes, ut juraverant, vidimus.

Praeter quinque bursas ordinarias, in multis casibus, *sextam* bursam impositam esse determinantibus, quae communiter ad usus facultatis artium reservabatur et rectori, praesentibus quattuor nationum procuratoribus receptoribusque, computari solebat (140, 20; 143, 44; 149, 22; 159, 27; 165, 12). Anno 1359 statutum fuit « quod quilibet ad actum aliquem procedens daret pro sexta bursa 5 grossos philippinos, pro lite inter theologos et facultatem artium » (251, 35; 252, 17); et ne pecunia illa dispargeretur, in manus Johannis Anse, receptoris nationis Gallicanae, numeranda erat (259, 13). Alias subsidium illud sive nuntio (283, 24), sive rectori e natione electo (290, 41), auxilio fuit.

1. Vid. *Chartul.*, II, p. 673.

2. Hoc est 60 sol. pro bursa 10 vel 11; 70 sol. pro bursa 12 vel 13; 80 sol. pro bursa 13 vel 14 sol., etc.

Bene tamen notandum est, plerumque gratiam nationis intervenisse, sive dilatione bursarum, sive remissione earumdem.

Dilatio bursarum

Dilatio, induciae bursarum. Perpauci in condicione erant, statim bursas suas solvendi. Iter ad Parisios multis sumptuosum fuit, cum via aliquot mensium quibusdam peragenda esset (446, 23). Evenit insuper ut « spoliatus omnibus tam pecuniis quam libris » (373, 24) studium attigerit; vita Parisiensis ita cara fuit, ut non semel coacti essent Parisios relinquere et « viaticum querere pro studio continuando » (608, 29). Revera maxima pars determinantium imploravit gratiam nationis. Tales promiserunt solvere bursas suas intra certum terminum. Tunc solum postquam termino praefixo satisfecerant, procurator addidit : « Solvit ». Ditissimi etiam eorum non habebant semper promptam pecuniam. Sic bursa Johannis Scalpi erat 3 mutones; pro 3[bus] bursis dedit litteras officialis; pro aliis tantum satisfecit in pecunia. Bursa Rothgeri de Luneborch fuit 44 sol.; nihilominus partim solummodo solvit; pro aliis dedit pignora (256, 5, 9). Saepe termino praefixo solvere non potuerunt, et solutio iterum dilata fuit (jam antiquitus, vid. 87, 16 sqq.; 95, 10), quo evenit ut quando incepturi erant, nondum pro determinantia in pecunia satisfecissent. Natio damnum contrahere noluit. An. 1355 stabilivit, « quod determinaturus impotens satisfacere de bursis suis pro presenti, prestito juramento receptori quod pro nunc est impotens, poneret pignora sufficientia apud receptorem » (177, 11). Haec ordinatio remansit intacta. Immo posterius pignora duplum vel sesquialterum debiti valentia, deponenda erant (jam 311, 18); et vadia, plerumque libri, nisi numerato die dicta solvissent, a receptore vendi poterant (92, 12 sqq.; 123, 19; 177, 17; 342, 47, etc.). Quicunque autem non potuit ponere pignora (vid. 225, 38 sqq.), « litteram sub sigillo officialis informa » afferre debebat. Litterarum ejus generis quasdam adhuc conservatas in notas inseruimus (225, n. 2; 263-266, n.; 314; 351). Earumdem longam seriem anni 1360 vide p. 262-263. Ex eis liquet praeterea, quae summae solvendae forent. Antiquitus natio non raro juramento suppositorum contentabatur (77 et passim), vel comminabatur, si non solverint infra certum terminum, determinatio « erit nulla reputata » (141, 9 sqq.).

Remissio bursarum

Remissio bursarum. Pauperibus, quorum bursa nihil, vel quasi nihil, natio remittebat certas solutiones, sed non omnes. Ut an. 1339 Thomae Haquini pauperi, qui non obstante paupertate 16 sol. solvere debuit, et cum non habuerit, juravit se soluturum « quandocumque primitus pecuniam habere posset » (27, 41; 31, 1 sqq.). Et cuidam incepturo fuit gratia, « ne solveret bursas, donec fortuna sibi melior arrideret » (55, 19). Postea alii, quorum bursa nihil, bursas suas solvere promiserunt « cum ad fortunam venerint meliorem », « pinguiorem » (65, 34 sqq.). Pro eis steterunt fideijussores. Saepe nihil annotatur quomodo isti, quorum bursa nihil, vel 2 sol. tantum, solverint, quandoque promiserunt se infra certum terminum soluturos, vel cum facultas « suppeteret ». Sed jam legitur, eis natio-

nem omnes bursas remisisse, excepto salario pro bedellis (159, 14 sqq.; 164, 13 sqq., 21). Procurator suspirans scripsit : nichil, nichil! (164, 35.) Vel : « nichil, nichil, ditabitur Deo volente » (163, 23). Ab an. 1355, sequens modus servabatur. Pauperes qui liberi voluerunt esse a solutione bursarum, jurare debuerunt; « primo, ut non haberent unde solverent, nec hic, nec in partibus; secundo, quod quanto prius pecuniis unde solverent, abundarent, libenter nationi de bursis vellent satisfacere » (179-182). Inde orta est locutio, quae postea semper occurrit : « juravit statutum paupertatis », vel simpliciter : « juravit statutum. » Primum vestigium hujus locutionis invenimus verbis : « paupertatem jurare » (228, 41), occasione cujusdam, qui « nec Parisius nec in partibus de propriis habuit 5 florenos annuatim consumere ». Ex dictis patet, remissionem bursarum condicionalem fuisse. Verum est, pauperes plerumque non ad pinguiorem fortunam pervenisse, proindeque nihil solvisse. Nihilominus condicio apposita eos obligabat secundum conscientiam agere, et sic videmus Leonem de Arnheim, determinantem an. 1350, cujus bursa nihil, an. 1362 solvisse (141, 2).

Quae supra de determinantibus exposita sunt, pro licentiandis et incipientibus etiam valent, ut non eadem iterum dicamus.

Ex superioribus apparet, quod quando gratiam ad bursas solvendas petebant candidati, natio de quibusdam saltem bursis non dispensabat. Exempli gratia, an. 1348, supplicanti cuidam « natio remisit totum, praeter tres bursas » debitas bedellis, luminaribus Nostrae Dominae, nuntiis in curia Romana, i. e. sextam (118, 45); an. 1355, praeter duas bursas debitas bedellis et lumini B. Mariae (177, 48); eodem anno « deliberatum fuit nationem de bursis bedellorum, nec de dimidia bursa B. Virginis, nec de integra bursa quae reponi solet ad arcam, ad muniendum se de altercationibus artistarum cum theologis, nullo modo posse dispensare, sed solum de tribus aliis bursis habere potestatem remittendi » (181, 21). Unde patet e quinque bursis ordinariis unam bedello, dimidiam subbedello [1], dimidiam luminaribus ecclesiae Nostrae Dominae saltem in medio saeculi XIV reservatam esse.

Equidem bedelli saepius queruntur quod illi dispensati « dum tamen satisfaciant bedellis » raro condicionem eam adimpleant (180, 6; 348, 31), et toties natio dilationem de iis bursis recusavit.

Remissio bursarum tam saepe a determinantibus postulabatur ut nationi cavendum fuerit ne divites scholares eam peterent (174, 6). Anno 1380, speciale juramentum pro dilationem vel terminum supplicantibus natio concepit (583, 41), sed tum definitivam formam usibus jamdiu vigentibus dedit.

1. Idem usus, quoad partem bedellis debitam, etiam an. 1425 viguit; nam in principio libri receptoris nationis Alemanniae (Arch. nat. Par. H. 2587, fol. 1ter) scriptum est : « Item receptor debet bedello principali pro quolibet determinante, licentiando aut incepturo unam bursam; item subbedello mediam bursam. »

Subdeterminantes

Subdeterminatio, pauperibus reservata, nullus proventus nationi generaliter afferebat[1]. Sic juramentum a subdeterminaturis exigebatur[2].

Jurabitis quod anno determinationis vestrae, nec de proprio, nec de quocumque alio, plus quam *sexdecim* denarios in septimana potestis expendere secundum vestram facultatem.

Quosdam ad subdeterminationem admissos fuisse a natione an. 1373 (423, 6 sqq.) invenimus, quorum bursa ad 5 solidos vel 5 sol. et 2 denarios vel 18 solidos ascendebat. Rursus saepissime eos, qui statutum paupertatis coram natione juraverant, tanquam determinantes procurator inscripsit. At ea statutorum transgressio vituperata est ab ipsa natione an. 1374, quae iterum decrevit « quod amplius in futurum nullus pauper determinaret, sed subdeterminaret in medio quadragesimae, et quod nullus dives bursas suas soluturus amplius subdeterminaret, omni nationis dispensatione[3] super hoc penitus interdicta » (448, 36; 452, 41).

Si quis determinantium seriem diligenter observaverit, nationem Anglicanam videbit interpretatam esse juramenti verba aliter ac potuisset, cum multi scholares qui « non plus quam *sexdecim denarios* in septimana expendere poterant » tanquam determinantes inscribantur, nedum ad subdeterminandum admissi. Sic unus cujus bursa 16 den. determinat an. 1377 (512, 35), octo an. 1398, unus an. 1399 (789, 47), quattuor an. 1400 (810, 17; 812, 2), quattuor an. 1401 (823, 24 sq.), septem an. 1402 (839, 35 sq.), etc.[4]. Et ne putes illam mentionem ad idem redire ac « bursa nihil », afferemus duos scholares quorum bursa 16 den., quibus ex juramento adstricte subdeterminatio aperta fuisset, per dispensationem subdeterminavisse (770, 16; 792, 6). Nomini prioris procurator addidit « solvit » eodem modo quo subdeterminatori vicino cujus bursa 5 sol. (770, 6).

Licentiandi

Licentiandi in artibus juraverant[5] se « receptori nationis integre 5 bursas, omni fraude et dolo postpositis » soluturos et « de reddendo salarium bedellis nationis » memoriam habituros. Praeterea sextam bursam, quando imposita fuit cuivis quemlibet gradum petenti

1. Posterius tamen determinantes, quorum bursa nihil, receptori 1 lib. 6 sol. solverunt. (Reg. receptoris an. 1494 sqq. Arch. Univ. Paris, n° 85.)

2. Vid. *Chartul.*, II, p. 674 (5).

3. Nihilominus an. 1398 citantur duo subdeterminantes, quorum unus bursam 5 sol., alter bursam 16 denariorum habebat, cum nota apposita : « Solvit per dispensationem » (770, 8 et 16). Etiam ex dispensatione nationis *subdeterminaverunt* sufficientem bursam habentes quattuor an. 1374 (447, 33, 449, 3 sq.), unus an. 1376 (487, 43), unus an. 1383 (650, 23), unus an. 1397 (736, 20), duo an. 1398 (770, 6 et 16), unus an. 1399 (792, 6), duo an. 1402 (841, 24), duo an. 1405 (918, 13), duo divites an. 1406 (918, 13; 919, 34).

4. Multos determinantes « quorum bursa nihil » invenimus quos ad subdeterminantiam admittere natio potuisset, ex. g. decem an. 1349 (134, 14), septem an. 1350 (140, 34. sq.), septem an. 1354 (170, *pass.*), decem an. 1368 (326, 34 sq.), quattuor an. 1380 (585, 2 sq.), duo an. 1382 (166, 25; 67, 127), Blasius « omnino pauper » an. 1383 (652, 32; 653, 41), unus an. 1400 (810, 14), unus an. 1403 (866, 7).

5. Vid. *Chartul.*, II, p. 675 (7).

(vid. supra), numerare debuerunt, vel, si pecunia prompta caruerunt, vadia sufficientia aut litteram obligatoriam aut sponsorem [1] nationi dare [2].

Ad licentiae examen admittebantur ii qui *alibi* determinaverant (vid. cap. 7), sed « solutis solvendis », id est ea condicione ut bursas easdem nationi refunderent quas dedissent, si Parisiis ab origine studuissent, bursas pro gradu determinantiae, pro scholis, pro gradu licentiae simul numerando (498, 26).

Incepturi in artibus quoque quinque bursas (sive sex, ut supra vidimus) receptori nationis [3] refundere debebant. Praeterea procuratori nationis jurabant « quod magistrum suum, sub quo incipient, non defraudabunt, sed promissa eidem plene et integre, omni fraude semota, fideliter adimplebunt. » **Incipientes et Magistri**

Magisterium igitur non levis impensa scholaribus fuit, cum eodem anno, quo licentia, gradus ille conquiri potuerit; itaque non paucorum licentiatorum nomina frustra inter magistros quaerimus. De dilatione solutionis eaedem regulae quae pro determinantione ac licentia in natione admittebantur.

Praeter bursas, quaedam a novis magistris seu bejanis, noviciis, solvenda fuerunt. Anno 1345 in natione statutum fuit « quod quilibet magister de novo incipiens, nisi juramento praestito impotentiam solvendi et paupertatem allegaret, pro *bejania* sua » seu « pro bejanio introitus ad primam congregationem » (302, 21) unum florenum nationi solvere teneretur (84, 15). Idque statutum observatum esse plurimae hujus voluminis paginae ostendunt (e. g. 153, 25; 173, 18; 211, 17), praesertim an. 1369, quo procurator, jubente natione, novos magistros requisivit « ut statim praedictum *jucundum introitum* solverent, scilicet ad minimum unum francum, sub poena statuti quod juraverant servare consuetudines nationis, quarum ista est una », sin minus ipsorum voces in natione non audirentur neque ad aliquod officium nationis vel emolumentum admitterentur 333, 12); an. 1378, nominantur 23 magistri qui simul jucundo introitu se liberarunt, ut virga nationis apta pararetur (555).

Francum vel florenum vel scutum unum, quod eodem pertinet, solvere in natione mos fuit quoties magister quilibet ad officium quodcumque eligeretur; sexcenta illius consuetudinis inveniet si quis locos collegerit ubi novus procurator nationis, receptor, examinator S. Genovefae, nuntius in curia Romana suffragio congregatorum designatus est. Quo

1. Sic an. 1359 scholaris hospitem suum, tum debitorem, fidejussorem pro bursis licentiae ponit (244, 2).

2. Praeterea aliquid pro straminibus vel herba clerico aut alteri servitori cancellarii (sive S. Genovefae; sive N. Dominae) licentiaturi conferre permittebantur. Variavit ea contributio : 2 vel 4 sol. in S. Genovefa, 2 franci ap. N. Dominam citantur (*Chartul.*, II, p. 676, not. 6).

3. Vid. *Chartul.*, II, p. 682 (17). — An. 1342, scholaris quintam bursam rectori debitam numerat, et, dilatione pro quattuor caeteris concessa, tabernarium Richgerum Alamannum fidejussorem ponit (55, 22).

ista pecunia devenerit, seu potius de prandiis potationibusque vid. capitula 11 et 13.

Varia denique contributio numeranda fuit a quolibet supposito in eos rotulos inscribi petenti quos nuntius nationis ad pontificem de beneficiis obtinendis ferebat. Inrotulari qui cupiebat an. 1341 duos florenos (45, 31) ; si fuerit absens, usque ad septem florenos (99, 17) an. 1346 ; anno autem 1351, praesens tria, absens quattuor scuta aurea (152, 32) ; an. 1352, duo tantum scuta (161, 32) ; an. 1362 tres francos (274, 40) ; an. 1375 praesens unum francum, superveniens 24 sol., absens duos francos (465) ; an. 1378 praesens unum superveniens duos, absens tres francos tradere intra nuntii manus debuit, ut partem saltem expensarum sustineret.

11. Res nummaria nationis.

Inter angustias vixisse nationes, imprimis Anglicanam, res nota est. Planius tamen e libro procuratoris nunc edito receptas et impensas pecunias a receptore nationis nostrae saeculo XIV factas perspicere licet[1].

Recepta 1° Pecunia recepta a magistris pro prima procuratoria, quae pecunia tamen in taberna consumebatur.

2° Vectigalia scholaribus ad quemcumque trium graduum accedentibus imposita ; quae, ut fortuna propria scholarium, tum minimi tum gravis valoris fuerunt. At fonte illo principali reditus frui non penitus nationi licebat, cum toties pauperes vel aliquantisper impediti studentes pro numerato litteram obligatoriam, scilicet promissum saepe inane futurum, deponerent.

Praeterea partem nationis non raro officiales, consentiente facultate, deminuebant ; procuratori enim nationis, vel nuntio curiam adituro, vel rectori ipsi concedebatur aliquando determinans aut baccalarius, solutis solvendis[2]. Determinantes illius generis quovis anni mense ex gratia, sed non gratuito, *determinantes reputati* fuerunt ; et pecuniam ab iis numeratam supplicanti magistro vel procuratori, tanquam emolumenti supplementum, natio concessit. Quaeque quattuor nationum tali favore fruebatur (34, 14 sq.). An. 1345, Aug. 26, Johanni de Sarburgo tributus est « primus determinans qui daretur nationi in anno tunc incipiente, solutis solvendis » (86, 35). An. 1350 Joh. de Wesalia nuntius « determinantem solutis solvendis » obtinet ut summam itineri suo promissam diutius exspectare possit. Neque minimis bursis, ut patet, in tali casu arca nationis privabatur[3].

1. Facilius erit saeculi XV rem nummariam exponere, cum librum receptoris, praeter librum procuratoris, ab an. 1425 servaverimus.

2. Vid. 35, 29 ; 38, 20 ; 47, 24 ; 66, 32 ; 67, 5 ; 89, 29 ; 110, 12 ; 112, 8 ; 146, 22 ; 152, 35 ; 160, 5 ; 166, 4 ; 167, 20 ; 173, 38 ; 198, 28 ; 202, 22 ; 205, 24 ; 218, 31, etc.

3. Sic Arnoldus de Compositel, cujus bursa XII sol. (163, 19).

Conradus de Suecia, an. 1348, quinque libras repetit « pro uno bachelario sibi alias ad S. Genovefam concesso, cum natio habuerit pecuniam » (121, 8). Quandoque procurator liberaliter praebendae illi renuntiabat, ut Gerardus de Dulmen, an. 1352 : « Concessa est nationi cuilibet unus bachellarius in examine S. Genovephe, et licet procuratores aliarum nationum habuerint *pro se medietatem*[1] cujuslibet sic expediti, partem tamen talem nationi renuntio .» (163, 33.)

3° Jucundus introitus magistrorum (de quo supra) qui quidem plerumque in tabernis subito consumebatur, nisi aliqua urgebant, ut virga nationis (526, 12) vel scholarum aedificatio, etc.

4° Pecunia oblata ab examinatoribus S. Genovefae, pro primo et secundo mense generaliter uno franco constabat, pro tertio decem tantum solidis vel minus. Pro quarto, quinto, sexto, quando ii menses examinatoribus egebant, communiter 2 sol. (777, 26; 778, 24; 792, 36). An. 1393 omnes menses obtinuit pro 20 solidis (687, 32); an. 1398 primum mensem 4 solidis habuit, nullo reliquos menses petente (770, 39).

5° Pecunia recepta a receptore tempore suae institutionis.

6° Aes mulctaticium quod natio a suppositis statuta violantibus exigere poterat; veluti si qui determinantes aut licenciati in vesperis vel missa deficiebant, quattuor vel sex denarios ab iis bedellus requirebat (16, 11), quod si non solvissent, una libra cerae pro luminaribus Virginis poena erat. Quando discordia inter duos magistros orta fuerat, is qui arbitrium nationis recusabat pecuniariam quoque animadversionem incurrebat.

7° Locatio domuum quas natio gerebat *ad cornu cervi* et *ad imaginem Nostrae Dominae*, de quibus toties mentio (vid. infra cap. 15).

8° Contributio quam magister domus Alemannorum ex parte provinciae illius nationi refundebat.

1° Bursae tam bedello (integra) quam subbedello (dimidia) debitae de quolibet baccalario licentiato, incipiente. Impensa

2° Luminaria Nostrae Dominae, quae, saltem medio XIV° saeculo, dimidiam cujusque bursam sorbebant.

3° Distributiones magistris e statuto an. 1333 faciendae (15, 32), quo in octo festis anni principalibus duodecim magistri 8 sol. pro missa, 4 sol. pro vesperis, in quinque dominicis quadragesimae 6 sol. pro missa, 3 sol. pro vesperis; bedelli duo partem simul unius magistri recipiebant. In ea summa totali 7 lib. 12 den. distribuenda parsimoniam ignorabant; nam si pro duodecim quattuor tantum magistri officio sacro aderant, triplicem portionem capiebant, summa distributionis nunquam decrescente.

1. Altera medietas (bursae verisimiliter tres), bedellis, luminaribus N. Dominae, et facultati artium redibat.

4° Stipendium procuratori debitum, scil. 20 solidi ratione procuratoriae per vacationes (109, 10; 124, 25; 303, 29; 426, 27; 455, 19; 475, 4, etc.).

5° Stipendium receptoris quod ad 40 sol. (109, 15; 137, 26; 536, 2) ascendebat.

6° Rectori[1] etiam a receptore satisfaciendum erat (90, 21) et cappae procurandae (50, 1, 31).

7° Locatio scholarum extra vicum Straminis, ad usum magistrorum regentium qui in scholis nationis locum non invenerant (50, 41, etc.) et reparatio reliquarum.

8° Census annuus abbatiae S. Genovefae debitus, areae ubi scholae nationis aedificatae erant proprietariae.

9° Varia pro servitio divino in ecclesia SS. Cosmae et Damiani, inter quae aliquid debitum curato pro quavis missa; cantores vocati ad festum S. Edmundi, etc.

10° Prandia et potationes nationis quae majorem numerati partem hauriebant. Frustra modum iis apponendum pluries decreverunt, in tabernas Parisienses (vid. cap. 13) longinquarum regionum scholares florenos, scuta, coronas diffundebant.

11° Gratia facta bedellis quoties eorum « magnos labores et parvum lucrum » natio recognoscebat (197, 18; 238, 30; 378, 22; 589, 21; 609, 22; 681, 28, etc.), vel receptori (109, 15), vel alii cuivis officiario.

12° Expensae factae a nuntiis ad summum pontificem cum rotulo missis (vid. v. g. 570, 16), bedello vel subbedello nationis comitante, Adde stipendia pro rotuli ingrossatione (58, 12), vel scriptore litterarum (165, 6; 376, 18; 391, 41), etc.

13° Contributio nationis pro camera ballivi vici Straminis (102, 40; 137, 34) qui claves scholarum custodiebat.

14° Varia, ut emptio vel ligatura libri nationis (314, 26), etc.

Quidquid id est, artem aerarii gerendi omnino in natione Anglicana ignoraverunt. Pauperibus quidem ad viam vivendi ingrediendam paterno animo favebant, sed quod e reditu cedebat, non frugalitate supplere conabantur sed in tabernis consumere. Non semel occurrit lepida locutio, quando invenerunt quamdam pecuniam : « et statim perpotatum fuit illud scutum etc. per magistros in taberna » (v. g. 219, 4; 237, 19). Magnam partem pecuniarum receptarum ut « pecunias perpotabiles » considerabant (vid. cap. 13). Officia quasi ad hastam dari videmus; majus pretium offerenti examen superius licentiandorum, minus emolumentum petenti nuntiatio ad papam (369, 34) tribuitur. Deficiente in tabernis pecunia, procuratores quandoque pro *futura*[2] procuratoria solvunt (268, 25; 416, 2; 420, 28;

1. Quae fuerit rectoris pars saeculo XIV° ignoramus. Rectori, quando e natione Anglicana oriundus erat, si parvus fructus foret, subsidium a natione allocatum videmus (609, 48). Posterius, an. 1425 saltem (Arch. nat. Paris, H 2587, fol. 1ter) « receptor debebat unicuique rectori pro quolibet incipiente 2 sol. », immo pro cappa rectoris incipiens 8 sol. solvebat.

2. Henricus de Beesde procuratoriam promissam (268, 30) nunquam habuit, at ad alia officia pervenit. Ad haec vid. supra cap. 5.

474, 41; 475, 18; 494, 14), quod fortasse corruptelae propinquavisse quis judicet. A provincia Alemanniae saepius pecuniam mutuavit (vid. cap. 3), immo a singularibus suppositis, et id quasi mos fuit; saepissime a receptore (806, 7), non raro a magistris (602, 2; 714, 14, et passim) aliisque, ita ut arca nationis, optime seris clausa, raro summam eam pecuniae habuerit quae furum cupiditatem excitare posset. Quid mirum, si legitur nationem non fuisse ad solvendum « propter depauperationem nationis » (329, 27), si se sentiit « pecuniis improvisam » (643, 33), ; nam semper in angustiis laborabat.

Nihilominus magistri conscii fuerunt suae dignitatis, et cum regina Franciae, Isabella (e Bavaria) eis 20 tantum francos dare voluisset, a qua mutuare desiderabant 200 scuta (821, 30), magistri sibi conscii deliberaverunt unanimiter, « non expedire capere illas pecunias » (842, 28). Attamen postea non infra suam dignitatem positum existimarunt, a suo bedello 100 francos mutuos sumere (845, 32).

In *Auctario* ubique mentio fit nummorum, qui tunc Parisiis in usu erant. In sequentibus minime librarum, solidorum, denariorum, alborum mentionem facimus, cum hi nummi quasi omnibus horis tererentur, sed aliorum. Nihilominus omittere nolumus, quandoque etiam distingui denarios fortis monetae, solidos de forti, de debili, florenos « boni ponderis, » vel « de pondere », scuta grossa, etc. Ex nummis inveniuntur : Nummi

Cathedra [1],	Floreni,
Pavilio [2],	Floreni de Florentia,
Mutones auri [3],	Semiflorenus de Florentia,
Corona [4],	Floreni de Bohemia,
Regalis [5],	Francus,
Scuta,	Grossi turonens.,
Antiquus vel aureus scudatus,	» » Philippi, seu Philippini,
Scutum Philippi,	Grossi antiqui,
Scutum Johannis,	Grossi Flandrenses.

Natio omnia ordinabat juxta valorem scuti (écu d'or), et praesertim inter an. 1354[6] et 1362, quod minime facile erat, cum scutum tantis varationibus subjectum esset. Inter praedictos annos valor *scutorum* invenitur solidorum 13 usque ad sol. 46.

13 (203, 24); **13**, den. 4 (190, 28; 194, 33, 221, 16); **14** (177, 23); **15** (175, 46; 178, 43); **16** (209, 7; 210, 15; 221, 14); **17** (201, 21; 222, 43; 246, 11); **18** (184, 6; 224, 11); **19** (184, 48; 185, 20); **20** (202, 14; 247, 264, 9); **23** (230, 38, et passim; 239, 17; 262, 29; 263, 11); **24** (203,

1. Sive « chaise d'or ».
2. Pavillon d'or.
3. « Mouton d'or » et « agnel d'or ».
4. Couronne d'or.
5. Royal d'or.
6. Sed jam antea, v. g. 1348, et postea.

4, 29; 231, 46; 236, 25); **26** (175, 15); **28** (241, 7); **29** (242, 8); **30** (235, 38; 244, 23); **32** (243, 6; 244, 44); **33** (187, 20); **34** (237, 37; 239, 46); **36** (208, 13, 24; 209, 32; 211, 37; 220, 48; 262, 46); **46** (244, 6). An. 1367 (265, 2) **105** sol. — Dimidium scutum Johannis, *sive* 4 grossi Philippi (257, 42). Scutum Johannis = 6 lib. (256, 29); 2 scuta Philippina val. 38 sol. (590, 39).

Muto = 42 sol. (242, 6); 7 lib. 14 sol. (256, 9). — *Regalis* 15 sol. (268, 45; 267, 43); 36 sol. (220). Idem atque florenus (265, not. 1). Dimidius regalis, *sive* 5 grossi turon. de Philippo (258, 2). — *Florenus* ut scutum, v. g. 12 sol. (119, 34); 15 sol. (306, 24; 308, 1); 17 sol. (184, 3); 18 sol. (305, 30); 20 sol. (262, 23; 264); 26 sol. (175, 18); floreni inter 12 et 40 sol. (105, 20-23). — Idem de *franco*: 18 sol. (270, 38; 274, 41, 48).

12. Ecclesia, officia, festa, patronus nationis.

Natio Anglicana festa sua et quaedam officia in *ecclesia* parochiali SS. Cosmae et Damiani celebravit [1]. Conventus S. Germani de Pratis jus patronatus seu praesentandi ad illam ecclesiam an. 1345, Junii 19, ad Universitatem transferebat [2]. Primus curatus ab Universitate praesentatus videtur fuisse Albertus de Saxonia seu de Ricmestorp (267, 1 sqq.). Sed non semper e natione eligebatur. Ante an. 1406 fuit Johannes Rotelli; postea utique Thomas de Cracovia, mag. theol., immo Bomundus bedellus hoc beneficium assequi voluerunt (914, 23, 27). Ecclesia praedicta, in qua natio saepe etiam suas congregationes fecit, minime in bono statu fuit; an. 1394 media ecclesia omnino discoperta erat, et curatus ecclesiae nationem implorabat, ut ei subveniret (695, 1 sqq., 18, 33, 42). An. 1403 nova structura nondum finita erat, et natio iterum contribuebat (867, 30 sq., 890, 14).

Apud SS. Cosmam et Damianum natio conservabat cistam nationis, in qua erant res et jocalia cultui divino praeparata, ne detrimentum subirent et putrescerent (105, 36). Nihilominus multi libri inveniebantur disligati, ornamenta dissuta, ampullae deturpatae et ad rubiginem declinantes (315, 29). Natio postea omni anno duos vel tres francos reponebat pro indumentis sacris ecclesiae (881, 44).

In choro dictae ecclesiae fuit, saltem postea, locus adaptatus sepulturae magistrorum nationis, ornatae monumento cum insignibus nationis [3].

Octo *festa* solemnia nationis enumerantur, quinque beatae Virginis [4], reliqua S. Catherinae martyris, S. Nicolai, duorum patronorum Universitatis, et S. Edmundi regis, patroni nat.

1. De ista eccl. vid. *Topographie hist. du vieux Paris. Région occident. de l'Université*, p. 357 sq.
2. *Chartul.*, II, p. 567.
3. Vid. *Mém. historiques sur les bénéfices*, p. 116, 119 sq.
4. Notandum usque ad an. 1375 quattuor tantum festa B. Mariae proprie celebrata esse, Purificationem, Annuntiationem, Assumptionem et Nativitatem B. Virginis. Et quandoque in *Chartul.* quattuor solum notantur. Revera nat. Angl. non ante an. 1375, Dec., deliberavit festum Conceptionis celebrare et distributiones facere (480, 45 sqq.). Sed jam antea quinque festa B. Virginis afferuntur (15, 19; *Chartul.*, II, 473).

Anglic. Praeter ista festa alia minus principalia notabantur. Ab an. 1333 duodecim magistri nationis et bedelli, qui in vesperis vigiliarum et in missa dictorum festorum praesentes erant, distributiones percipiebant (15, 6 sqq.; 16, 17 sqq.[1]). Ad assistentiam determinantes etiam et licentiati obligabantur (16, 10 sqq.). Ab an. 1405 magistris in festo Purificationis candelae offerebantur (893, 4). Praeterea quotannis Nov. 1 missa cum vigiliis pro omnibus magistris, baccalareis, scholaribus et benefactoribus defunctis nationis statuebatur (361, 27; 364, 6). In dicta ecclesia aliis occasionibus etiam missa dicebatur, vel ut pro unione ecclesiae (778, 34; 915, 42), pro defunctis magistris nationis (915, 43, 45).

An. 1383 natio se consuetudini caeterarum trium nationum et facultatum conformando deliberavit ut quolibet die sabbato missa in honorem b. Virginis in praefata ecclesia celebraretur (645, 29 sqq.; 646, 28 sqq.).

Quantum ad alia festa et dies dominicas natio morem facultatis et Universitatis secuta est, ut videre possis in singulis fere foliis Auctarii.

Congregationes etiam natio Anglicana sicut aliae nationes fere tum apud S. Maturinum, tum apud S. Julianum pauperem habuit.

Patronus specialis nationis fuit S. Edmundus rex Angliae, et quidem ab illa tempestate, qua Angli numerosiores aliis erant. Jourdain quidem affirmat Carolum Magnum etiam patronum nat. Anglicanae fuisse[2], sed non hac tempestate et haud ante an. 1488, quo anno, Jan. 26, 28, natio deliberabat, « an festum Caroli Magni celebraretur, aut non[3]. »

Festum patroni, i. e. S. Edmundi, seu « festum nationis » (320, 14; 435, 26, 36), immo « festum Almannorum » (889, 42), « a longissimis temporibus » (320, 14), quotannis Novemb. 20 cum solemnitate in ecclesia nationis[4], et ab an. 1363 « cum crastino » celebrabatur (292, 10)[5]. Primum officio divino in ecclesia durante supposita nationis cantabant. Sed cum an. 1370 in vesperis vigiliae festi potius ululassent quam cantassent, praeceptum est, ut ad missam aliqui boni cantores sub remuneratione nationis propter majorem solemnitatem adducerentur (373, 39 sqq.). Postea quotannis alieni, « solempnes », cantores assumebantur (vid. 406, 8; 417, 47; 460, 22; 479, 20; 508, 19). Sed natio debitis onerata magnis expensis gravabatur, et an. 1380 statuebat ut in festo quilibet « *voce Alemannica cantaret, quanto dulcius sciret* » (595, 4).

Festum in ecclesia epulis in taberna excipiebatur. « Fieri festum in ecclesia et in taberna » (820, 33). Aliquot dies ante festum S. Edmundi duo vel tres magistri nationis,

1. Aliquando distributiones differebantur, « quia natio nullas habebat pecunias et esset pluribus debitis onerata. » Absentes praeterea in pecunia puniebantur (375, 17 sqq.).

2. *Un compte de la nation allemande* (Paris, 1875), p. 6.

3. *Reg. Univers.*, n° 10, fol. 150; Bul., *De patronis IV nationum Universitatis*, p. 72.

4. Exinde semel ecclesia S. Edmundi vocatur (671, 37).

5. Vid. praeterea infra in *Kalendario*, ad Nov. 21 (p. 10).

eligebantur, ut necessaria pro prandio ordinarent. Quolibet magistro assistente certam pecuniae summam, unum vel dimidium francum, solvente, de residuo natio providebat. Semel 36 magistri nationis prandio assistebant (374, 5).

Quandoque natio ad hoc festum populares, qui non ad nationem pertinebant, invitabat, ut an. 1395 legatos regis Angliae Parisiis praesentes (714, 41), magistros alemannos aliarum facultatum (714, 26, 30; 788, 1, 5; 936, 5), et Arnoldum de Emelisse, nation. Picard., propter unionem quam cum nat. Anglic. iniverat. Non semel unus istorum invitatorum officium in ecclesia celebravit (714, 28; 788, 3; 936, 7).

Cum natio an. 1391, omnes « potationes » et convivia « de pecuniis perpotabilibus » prohibuisset, excipiebat tamen prandium in festo S. Edmundi, « quod quidem festum natio voluit celebrare singulis annis, ut hactenus fuit celebratum [1]. »

13. Tabernae Parisienses.

Innumeras fuisse Parisiis tabernas saeculo XIII e libro Stephani Boileau [2] constat, cum cuicumque facultates habenti tabernam aperire liceret. Mercatores vini raro plures quam sexaginta fuisse, scimus e litteris Caroli VI eos ad antiquum praefixum numerum reducentibus [3]; at tabernarum, si Gilberto de Metis adhibenda fides, qui omnia quidem amplificare videtur, plus quam quattuor millia regnante Carolo VI numerabantur [4]. Saltem multae fuerunt, sed parum de earum nomine ac loco moniti sumus.

Notitiam nostram auget liber procuratorum nationis Anglicanae, cum saepius tabernae in quibus jucundus introitus celebratus sit describantur. Caeterarum nationum si libri ad nos pervenissent, dubium est an talia documenta tanto numero praeberent; nam, ut scripsit Wiskinus decanus Caminens. in tegumento libri procuratoris (*Reg.* 5) :

Cantat Normannus, bibit Anglicus [5], est Alemannus.

Sane in eo libro, qui gesta Anglicorum Alemannorumque refert, indicia de potulentis

1. *Chartul.*, III, n° 1592.

2. Cf. *Le livre des métiers*, p. p. R. DE LESPINASSE et BONNARDOT, p. 25 : « Tout cil pueent estre tavernier à Paris qui vueulent, se il ont de quoi par aiant le chantelage au Roy, les mesures aus Bourgois et les crieurs. »

3. Cf. Lettres patentes de Charles VI réduisant les vendeurs de vin au nombre de soixante (le nombre ancien) en 1410, ap. *Les métiers et corporations de la ville de Paris*, ed. René DE LESPINASSE, I, p. 649. — Aliud mandatum de eodem argumento, an. 1416, *ibid.* (p. 652).

4. « Len souloit estimer à Paris plus de quatre-mil tavernes de vin, plus de quatre-vingt-mil mendians, plus de soixante-mille escripvains ; item de escoliers et gens de mestier sans nombre. » Description de Paris sous Charles VI, ap. *Paris et ses historiens aux XIVe et XVe siècles*, p. p. LE ROUX DE LINCY et L.-M. TISSERAND, p. 232.

5. Notum est jam JACOBUM DE VITRIACO similia de Anglicis scribere in sua *Hist. Hierosolymit.*, l. 2, c. 6.

et esculentis quaerenda, neque revera deficiunt. Nec obliviscaris, in *Auctario* solum de magistris, minime de scholaribus agi.

Abstinemus recensere quoties nationis magistri tabernam ingressi sint; pagina quaeque voluminis nostri, praesertim in priore parte, potatione non caret. Cum vino de Portugalia semel electio procuratoris confirmabatur (204, 31). Non semper unica vini nota (247, 39), vel communi (441, 14; 563, 7, et passim) contentabantur. « Solatium magistris fieri in taberna » (153, 30; 205, 32), opus caritativum videbatur. Quandoque magistri solutiones consuetas praestare noluerunt, nisi haberent pro ista pecunia bonum prandium in taberna (223, 33 sqq.). Dicuntur potavisse mane et vespere, « in bonis ediis de mane et sero in taberna angulari apud S. Julianum » (252, 10). Talia legenti animum subit usus dictus *Frühschoppen* societatum studentium (*Corpsstudenten*) apud Alemannos nunc vigens. Alia etiam mores hodierni temporis evocant, sicut bejauni, novicii (*Füchse*), « societates convivales nationis » (474, 47). Germanica jocosa locutio est, illa, quae in *Auctario* tam saepe occurrit : *perpotare aliquem*, *super aliquo*. An. 1363 statutum est, « quod quilibet *qui deberet perpotari*... unum florenum deberet persolvere » (291, 17). Sic « *perpotabantur* bejani nationis » (426, 25), seu novus magister (496, 13; 498, 44), procurator novus (360, 37; 401, 27; 461, 36; 463, 16; 492, 15, et passim), « cum duobus noviciis » (401, 46), novus receptor et examinator S. Genovefae (291, 21). An. 1356, Febr. 10, novus procurator « non fuit potatus usque tunc », et « potaverat natio super officiariis » (190, 4 sqq.). Alio tempore magistri potabant « super nationem » (397, 7).

Potationes comestionesque limitare voluit natio (363, 47)[1], sed frustra. In iis sensus nonnullorum vino victos esse conjicere licet ex eo loco : « Henricus Poelman inflammatus et passionatus, *licet ante prandium* fuisset » (621, 39); nam post prandium illum excessum natio excusavisset. Quid mirum cum expensae perpotationis unius usque ad 41 florenos parvos ascendere possent (298, 33), etiam quando festum S. Edmundi tunc non celebrabant?

Sed ut justi simus notare non pigeat, alios etiam Universitatis sodales, non solum magistros nationis Anglicanae, cibo vinoque se invitasse. Gerson semel conquerebatur de praelatis, religiosis et theologis suae aetatis : « Jam de se proverbia quedam apud vulgus generaverunt sue ebrietatis vel crapule, nam et cibi aliqui et vina precellentia ab ipsis tanquam inventoribus aut cultoribus denominantur, sicut dicitur *tarte Jacobine*, et *vin de théologien*[2]. » Quaedam instrumenta in *Chartul.* III de lite Universitatis contra cancellarium Johannem Blanchart edita nobis suggerunt, istum cancellarium ejusque officiarios versatos fuisse in bonis vinis et epulis; cognoscebant bene qualitatem vini de

1. Similiter nat. Picard. *Chart.*, III, p. 210.
2. *De temperantia*, in Bibl. nat. Paris, mss. lat. 14903 (S. Victor 694), fol. 120 b; 16403, fol. 126 b. Vid. *Opp.*, II, 639.

Belna (Beaune [1]), prandia lauta non recusabant, per aquam Sequanae usque ad Parvam Boloniam in quadam navicula transvehebantur, ut ibidem simul et stomacho palatoque, et licentiaturis indulgerent [2]. Nicolaus Decani frequentissime vidit portare « de vino, de pullis, perdicibus, cuniculis, caseis et pluribus aliis comestibilibus pro parte bachalariorum et licentiandorum [3] » ad cancellarium, qui frequenter coquum mutavit [4], certe ut cum novo coquo series ciborum et cocturae genus mutarentur.

Pecuniae in natione Anglicana pro taberna reservatae vocabantur « pecunie perpotabiles », et an. 1391, cum prohiberentur potationes et convivia, enumerantur istae pecuniae, « videlicet pecunie recipiende a magistris pro prima procuratoria, et pro jocundo introitu [novorum magistrorum ad congregationem], pro mensibus distribuendis in examine S. Genovefe, pro procuratoriis tempore determinantium et tempore vacationum, pecunie recipiende a receptore tempore sue institutionis [5] ». Finita congregatione, in qua menses pro examine S. Genovefae distribuebantur, magistri statim intrabant tabernam, « que protunc erat consuetudo laudabilis nationis » (915, 13). Nuntii etiam pro suo *benevalete* invitabant alios in tabernam (106, 19; 277, 14; 330, 7; 720, 10), rursusque natio nuntio in adventu suo propinabat (403, 29).

Quadraginta circiter tabernae ab Anglicana natione frequentatae an. 1333-1406, aliquid ad historiam rerum Parisiensium addunt. Notandum autem, eamdem saepe tabernam variis nominibus designari, cum procurator signum ante portam tabernarii suspensum arbitrio suo nuncupaverit; et aliquoties obscure designari, sicut « cena in vico plastrie » (135, 3), « taberna in parte superiori vici S. Jacobi » (300, 12); saepius praesertim in parte altera voluminis, « tabernam » simpliciter, nullo adjuncto nomine, inveniri.

In *angelo*, prope S. Mathurinum (592, 23).

Ad *barbam auream* [prope S. Genovefam] (p. 19, 10).

Ad *barbias* vel *varbias*, juxta domum elevantis (elephantis?) (19, 30; 23, 30.)

In *bonis ediis* (252, 10).

Apud *calvum caput* (187, 18).

Apud *cavam* (50, 34).

Taberna prope *Castelletum*, in qua propinatur *vinum de Portugalia* (204, 32), alias dicta « ad *castellum*, infra (inter) duos pontes » (328, 41; 330, 4; 432, 13), « in *castello* » (336, 7; 341, 21), « ad *castellum*, in Civitate » (348, 11); « ad *castrum*, in Civitate » (365, 43), « in *castelleto* » (25, 20).

Hospitium de *cervo*, in vico S. Jacobi (729, 20).

In *chapelletis* (733, 2) vel *chappletis* (733, 45), ad *chapletos* (761, 14), vel *sapletos* (760, 36), gallice *in sapplet* (698, 29).

1. *Chartul.*, III, p. 354, n° 26; 376, xxx.
2. *Ibid.*, p. 362, n° 68; 383.
3. *Ibid.*, p. 377, xxxiiij.
4. *Ibid.*, p. 378.
5. *Ibid.*, n° 1592. Cf. praeterea infra p. 291, 18 sqq., ad an. 1363.

Ad *cycnum*, in Civitate (221, 3).

Hospicium duorum *cignorum*, in platea de Cythara (289, 28).

Ad *citaram*, in vico Citare (201, 45).

Ad *coccatorium* vel *coketerium* (137, 44; 143, 38).

Ad vel apud *crucem auream*, infra pontes (125, 19; 143, 18).

Ad *delfinum*, in vico Cithare (198, 13).

Ad *falces* (19, 7).

Ad *falconem*, juxta parvum pontem (223, 45).

Ad *gallum* (321, 32); — Ad *gallum et gallinam*, in vico prope parvum pontem (589, 11; 598, 6).

Ad duos *gladios*, in vico S. Jacobi (461, 35); in duobus *gladiis*, juxta parvum pontem (423, 46; 442, 3; 494, 38; 497, 31); quae taberna saepius[1] nominata, videtur esse eadem atque « ad duos *enses* » (426, 30; 430, 42; 434, 26; 437, 35; 475, 16).

Apud *grangiam* (127, 21 et 23; 238, 4); in *grangia* (186, 35 et 41; 284, 3; 422, 40); ad *grangiam* (223, 19; 235, 37); de *grangia* (360, 39); in *horrium*, gallice *en la grange* (346, 36); in *horrium* vel *grenge* gallice (668, 27); *à la grange* (675, 8).

Ad *husiam Egidii* (380, 40; 381, 1), in vico Cithare; ad *huchiam Egidii* (386, 4; 387, 33); ad *huciam Egidii* (385, 12); taberna quae dicitur *hucia Egidii* (381, 38); ad *huchiam* (408, 17); ad *epitogium Gileti* vel *Gilleti*, in vico Cithare (475, 39; 483, 39; 511, 45); ad *epitogium* (477, 25; 509, 24); *al le hoeze*, ad quam pendet signum ad modum epytogii magistrorum (496, 14); *in epitogio Gilleti* (561, 47); *ad habitum Gilleti* (621, 15; 622, 41).

Ad *imaginem S. Jacobi*, in vico Sutorum (297, 39).

Ad *imaginem S. Johannis* (183, 11; 189, 6; 335, 42; 375, 10); in quadruvio *ad imaginem beati Johannis Baptiste* (231, 23 et 40; 665, 22), hospicium *ymaginis S. Johannis* (418, 24); — *ad ymaginem S. Johannis*, in vico Beverie (253, 12; 298, 32); — *ad ymaginem S. Johannis*, in vico S. Jacobi (323, 33; 325, 10; 332, 33; 339, 19); taberna *juxta hospicium boni Johannis apothecarii* (261, 28); — *ad ymaginem S. Johannis*, prope portam S. Jacobi (532, 5 et 36).

Ad *imaginem beate Virginis* vel *Nostre Domine*, in vico S. Jacobi (189, 29; 190, 3; 205, 32; 208, 31; 219, 5; 273, 4; 284, 1); — ad *imaginem N. Domine*, in vico Husseti prope parvum pontem (299, 41); taberna *ad ymaginem b. Virginis*, in vico Sutorum alias Husie (398, 39; 453, 36); hospicium *apud ymaginem N. D.* in platea Sutorum (306, 7); hospicium *ymaginis beate Marie* (241, 5) vel *Nostre Domine* (249, 45).

Apud *landitum* (213, 13).

Hospicium *lune*, in vico Anglicorum (345, 49).

Ad *malleatos* (28, 26), ad *malletos* (358, 21; 561, 3); ad *mallietos* (416, 14); ad *malleos* (455, 17; 606, 3); in *malleo*, prope S. Julianum (251, 5); de *malleo* (305, 27[2]).

Apud *navem* (211, 18).

Taberna *nigri capitis*, ante Carmelitas (278, 10).

Taberna *panni de minutis variis* (278, 33).

Ad *pomum spine*, in Civitate (138, 15).

1. Vid. 340, 19; 349, 40; 350, 41; 352, 38; 406, 22; 412, 9; 414, 35; 423, 45; 442, 3; 446, 36; 462, 29; 463, 15 et 42; 494, 6 et 38; 497, 31; 503, 19; 513, 44.

2. Cf. etiam Bibl. nat. Paris. ms. lat. 16754, fol. 24 b : « de *mailletis*, in civitate. » Vid. Jaillot, *Recherches*, etc.; *Quartier du Luxembourg*, V, 69.

Ad hospicium *Rutheri*, juxta domum Richoldi (259, 47); in domo *Ruutheri* (260, 13); in domo *Ruteli* (274, 46).

Ad *salmonem* vel in *salmone* [1], in platea S. Jacobi; in hospicio *salmonis* (344, 36 et 45; 435, 28; 441, 11; 476, 5).

Ad *scutum Burgundie* (304, 31).

Ad *scutum Francie*, ante S. Severinum (521, 30; 580, 46).

Hospicium ad *signum Stelle* (376, 16).

Apud *tabulas* (50, 42).

Palatium *de termis* seu *de terminis*; palatium *terminorum* situm in opposito vici Sorbone (58, 10; 136, 6 et 8; 137, 4; 172, 23; 173, 23; 282, 40; 293, 9; 307, 50; 479, 45); taberna *juxta abbatem de Cluniaco*, domus *abbatis Cluniacensis* (19, 2; 366, 36; 367, 1 [2]).

Ad *turbotum*, gallice *turbot* vel *turboet* (413, 38; 466, 44; 562, 25; 655, 7 [3]).

Apud magnum *turonensem*, ante parvum pontem (247, 38; 259, 6; 261, 13); in *turonense* (258, 40).

14. Lites cum caeteris nationibus.

Contentiones inter varias Universitatis nationes ab antiquis temporibus ortae sunt. Inter celeberrimas memoranda ea quam an. 1265-66 et 1275 natio Gallicana cum Picardica aliisque nationibus habuit [4]. Ipsa Anglicana saepius lites sustinuit cum natione Gallicana, quae omnium nationum praepotens erat, nam in ea sola numerabantur supposita plura et gravioris auctoritatis quam in reliquis nationibus, quia pro maxima parte e Parisiis regionibusque circumvicinis oriunda; inde se insolentius extulerunt. « In honoribus voluerunt esse pars media, in oneribus autem solum quarta, » ut jam an. 1265-66 de iis Picardi conquerebantur [5]. Et revera prae aliis natio Gallicana privilegiata erat, quam natio Anglicana quandoque consuluit (870, 4 sqq.). Sed plus quam cum Gallicana natio Anglicana semper cum Picardica dimicavit, et quidem jam saec. XIII. Famosa est lis an. 1281 de praeeminentia duarum nationum; res venit ad manus, Anglici, robustiores aliis, destruebant habitationes Picardorum et occidebant plures eorum, ita ut Picardi cogerentur Parisios relinquere, et Universitas multum turbata fuerit [6].

1. In quibusdam exemplaribus *Summae praedicatoriae*, ALANI DE INSULIS, v. g. Bibl. nat. Paris., ms. lat. 3268, folio 47 b, legitur de certis ecclesiasticis : « malunt legere salmonem, quam Salomonem ». Apud MIGNE (*Patrol. lat.* 210, p. 180) perperam : « malunt legere in Salomone quam in Salomone. »

2. Utique ibidem vinum Matisconense et Burgundiae, in quantum ad Cluniacenses pertinebat, potabatur.

3. Vid. *Chartul.*, III, p. 379 : « ad intersignium *turboti*, in vico ubi est ecclesia S. Juliani pauperis. »

4. De qua in *Chartul.*, I, n° 409 et n° 460.

5. Bibl. nat. Paris., ms. lat. 9071, fol. 11 *bis*, in fine.

6. GUILLELMUS DE NANGIS, ed. GÉRAUD, I, p. 256, et ap. *Hist. des Gaules*, etc., XX, p. 520; JOHANNES DE S. VICTORE, *Mem. histor.*, in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 15011, fol. 452b : « Circa eadem tempora in Parisiensi Universitate maxima fuit discordia, et post pugna. Clericis namque Anglicis et Picardis pro quibusdam causis inter se temere dissidentibus

Sed transeamus ad nostram aetatem. In ipso nationis sinu accidit ut cujus provinciae esset suppositum litigaretur. An. 1356 congregatio facta est « ad descindendum discordiam inter Rinenses et Saxones super distinctione provinciarum eorumdem atque ad sedandum brigam inter dictas provincias super hoc ortam » (198, 42); tunc natio decrevit omnes citra Ruram ad dioec. Coloniensem, omnes ultra Ruram ad Saxones pertinere. Lis de finibus et de praeeminentia

At, si provinciae nationum, immo nationes ipsae supposita ad se attrahebant. Nam « quo plures habebant magistros et bejaunos seu novos scholasticos, eo ditiores erant, quia ex taxatione bursarum determinantium, licentiandorum et incipientium percipiebant nonnihil pecuniarum [1] ».

Cum Picardica natione lis acerba propter hoc an. 1356, mense Maio, incepit de quodam baccalario, Monte S. Gertrudis oriundo, dioecesis Leodiensis, dicto Johanne Mast [2], qui in gente Anglicana determinaverat (197, 33), deinde in natione Picardica incipere volebat (206, 11). Tunc dictus baccalarius « jurare debuit utrique nationi indifferenter juramenta solita, quod ad quamcunque nationem judicatus esset, quod sibi indissolubiliter adhaereret » (207, 5). Hic baccalarius ansam dedit utrique nationi litigare de finibus nationis, qui hucusque minime certi erant. Positionibus hinc inde adstructis, ambae nationes an. 1358, Julii 12, quoddam « appunctamentum » spoponderunt quo fines melius noscerentur (233, 10). Fluvii Mosa et Mosella ambas nationes dividere debuerunt. Simultas inter nat. Anglic. et Picard.

Alia, quanquam minor, difficultas ejusdem generis fuisse videtur an. 1369 (345, 16), cum natio Anglicana in congregatione ordinaret ne scholares sui incepturi pro *placet* examinarentur, scilicet cujus nationis essent, cum quo magistro starent, quando fuerint licentiati, ut tali deliberatione eos severitati cujusdam magistri Picardi, Clementis nomine, subtraheret. Tum minas adversus Clementem adhibuerunt, ne supposita nationis Anglicanae vexaret; sin minus, « magistri nationis nostrae baccalarios de natione sua tantum vel plus tribularent. »

Cum iisdem an. 1399 dimicatum fuit, neque Anglicanae nationi superare contigit. De suppositis ad beneficia Brabantiae praesentandis cum ageretur, Picardi promissa fecerant quae adimplere neglexerunt (794, 48). Tunc irata natio « voluit factum istud in libro nationis notari et scribi, quia reputavit sibi factam in persona magistri Henrici magnam fraudem, et zelum talem qualem gerunt nationi tales magistri Picardi in hoc facto presente, satis experimento didicisse, et quid facerent pro natione aut suppositis in casibus quibus

fere ibi studium deficere credebatur. Insultus nampe (*sic*) facti sunt et congressus inter eos, Anglicique cum armis et viribus tunc prepotentes Picardos fugaverunt; fractis quoque eorum domibus et ipsorum aliquibus interfectis et pluribus vulneratis, extra Parisius fugere coegerunt Picardorum nationem, donec postea pax inter eos facta fuit. Dicebatur autem vulgariter, Picardos hanc pugnam primo et originaliter incepisse. » Quae Bul., III, 456 sq. narrat, opus phantasiae merum est.

1. Vid. Bul., IV, 346.
2. Ejus bursa ad 12 sol. ascendebat (207, 12).

facultas eis arrideret, immemores eorum quae natio Anglicana favorabiliter ipsis aut alteri eorum saepe gratiose exhibuit et aliis de illa lingua » (796, 5 sqq.).

De scholis septem artium quorum partem inferiorem Anglicana, superiorem Picardica occupabat, multae difficultates surrexerunt [1], et diu viguisse postea simultatem inter ambas nationes probat nota 1 paginae 661.

Lis cum natione Gallicana

Neque cum Gallicana natione nostram optimum fere commercium habuisse jam diximus. An. 1364, Otto de Dymaringa « de dioecesi Metensi natus et acclimatus idiomate de quo dubium erat... inter nationem Gallicanam et nostram, ad quam pertineret », determinavit (295, 40; 297, 1) et licentiatus est (298, 1); cujus pecunia [2], pro determinatione et licentia danda intra manus magistri Picardi in depositum missa est, donec dicta causa finiretur. Immo bursas pro inceptione « fraudulenter et latenter » natio Gallicana receperat (316, 16). An. 1380, nondum decisa causa, facultas artium de quaestione deliberabat (591, 1).

Magna lis adversus nationem Gallicanam fuit propter examen licentiandorum in S. Genovefa. Jam an. 1370 (351, 7, 42; 352, 20), in natione Anglicana cancellarium S. Genovefae incusabat quod « secundum tenorem bullae et depositionem examinatorum » licentiandos non licentiaret. Gallici semper praeeminentiam et prioritatem sibi vindicare voluerunt [3]. Mense Maio in manus Walteri de Wardelaw, episcopi Glasguensis, res deponitur (357, 25 sqq.) et ejusdem capellano vinum vel clenodia, ut memoriam domini adjuvet, offeruntur (358, 13). Frustra natio Anglicana amice agere cum altera conabatur, cum societatem sive fraternitatem quamdam super exsequiis defunctorum ambarum nationum fundare proponeret (362, 10 sqq.); nihilominus acrior concertatio vigebat. An. 1376 natio Gallicana in examine S. Genovefae illos nationis Anglicanae noluit admittere, qui non Parisiis sed alibi determinaverant (488, 5; 489, 20; 490, 3). Natio Picardorum jam tunc nationi Anglicanae contra Gallicanam succurrebat (490, 19). Sed de alio postea natio querebatur. An. 1378 imperatori Carolo IV petitio dirigitur « quatenus dignaretur scribere pro natione ad dominum apostolicum, ut cessaret illa oppressio examinis S. Genovefae, secundum quod nostri vocarentur secundum merita personarum » (529, 42). Eodem anno Gerardo de Kalkar nuntio curiam Romanam adituro traditur littera « ad tollendum gravamen, quod in temptamine S. Genovefae singulis annis nationem nostram, licet minus juste, contra honorem suum aggravaret » (558, 6). Vani conatus diu evaserunt.

Schismate exorto, vel saltem an. 1381, rerum status mediocris fuit. Cancellarius S. Genovefae, Judocus Ghisilius, qui partes Urbani VI secutus est, nationi favebat (vid.

1. Vid. supra cap. 6.

2. Ottonis bursa ad 8 sol. ascendebat (298, 16), unde de summa 7 libr. 6 sol. agebatur, quod grave fiebat. De suppositis « quorum bursa nihil » contentiones tales non ortae fuissent.

3. Vitia jam antea notantur, ut v. g. an. 1355 cujusdam « brigae » inter nationes propter hoc mentio fit (179, 28).

614, 9 sq.), ex eaque suum vicecancellarium, Jordanum de Clivis, elegit. Sed jam circa finem ejusdem anni abbas S. Genovefae istum cancellarium destituit (614, 1 sqq.), quam remotionem commissarii papae Clementis approbaverunt, qui insuper alium cancellarium aliosque vicecancellarium et temptatores instituerunt [1]. Natio Anglicana tunc cum nationibus Picardica et Normannica sociata erat, et unam imiter decreverunt « quod temptamen S. Genovefe deberet aperiri per officiarios positos et ad hoc ordinatos per mag. Judocum », i. e. antiquum cancellarium, « et si abbas nollet eis assignare locum, quod tunc fieret querela in Parlamento » (618, 38). Postea sola natio Anglicana conclusit sic procedere, « ac si nichil fuisset actum per commissarios » (620, 9). Et ita evenit an. 1382. Antiquus vicecancellarius et antiqui temptatores trium nationum examen aperierunt et clauserunt, posteaque tres nationes quattuor examinatores elegerunt, i. e. unum etiam pro natione Gallicana, tribus nationibus hostiliter cum abbate et commissariis agentibus [2]. Plures scholares tamen nationis Gallicanae obstabant praedictis officiariis, itaque « triginta quatuor scholares idonei impediti fuerant licentiam obtinendi [3] ».

Causa ante Parlamentum vocata est, quod Jul. 12 abbatis S. Genovefae et nationis Gallicanae jura recognovit [4]. Irritatio inde tanto fervescebat, ut Anglici Gallicis comminarentur, natio que omnibus scholaribus suis sub omni poena possibili inhibere debuerit, « ne aliquid attemptarent *via facti* contra aliquem magistrum nationis Franciae, secundum juramenta nostra de pace nutrienda inter nationes » (624, 14, sqq.).

Caput id, ut incepimus, sic cum dissentione nationis intestina finiemus. Non verba facimus de litibus propter praebendas (550, 5 sqq.), de verbis injuriosis et conviciis, quibus quandoque unus alterum insectabatur, quae controversiae generatim per arbitros ex ipsa natione electos amicabiliter dirimebantur. Divisionem deflendam inter nationis supposita injecit Schisma, cum Romanis pontificibus Alemanni, Avenionensibus Scoti adhaererent. Molesta facta vitam nationis turbaverunt, e quibus primum locum infelix casus Henrici Poelman obtinet (621, sqq.). Plura in capitulo 16 vide.

15. Possessiones nationis Anglicanae

Non nisi oblique natio Anglicana quibusdam fundis [5] fruebatur, qui quidem ad nationem paulatim devenerant cum a possessoribus, nationi subjectis, relicti essent. Jam supra

1. Vid. *Chartul.*, III, nº 1468, p. 308.
2. *Ibid.*, p. 305-307. Bulaeus, IV, p. 587, praecipuum cardinem minime attigit.
3. *Ibid.*, p. 307.
4. *Ibid.*, nº 1468.
5. In Archiv. nat. Paris, M 73, inveniuntur nonnulla possessionis instrumenta saec. XIII sqq. suppositorum nationis Anglicanae. De hoc in tom. II.

(cap. 4) de quodam horto ad domum Upsaliensem pertinente et de tribus domibus mentionem brevem injecimus; sed aliqua addemus.

Hortus ille in vico Serpentis situs Thomae Graffardi, nationis Normanniae, secretario regis Franciae, an. 1373, placuit; cum domum ei contiguam habitaret, Thomas locagium horti a natione optimis condicionibus petivit. Inde difficultates ortae sunt quod Petrus de Luca ab archidiacono quodam de Suecia, tunc defuncto, procurationem multis annis antea acceperat neque jam se procuratorem illius horti vel plateae reputabat. Tandem an. 1374, Febr. 17, consentientibus scholaribus provinciae Sueciae, conclusus est contractus quo hortus pro 40 sol. paris. annui census[1] Thomae ejusque heredibus et successoribus perpetuum in emphyteosim concedebatur, salvis juribus nationis Anglicanae et praedictae provinciae seu ecclesiae Upsalensis (443, 35). Posterius episcopo Bajocensi idem hortus locatus fuit (681, 15; 684, 40).

Trium domuum (882, 6, « tria collegia » nominantur[2]) quae, ut an. 1392 dicitur (661, 28), jam propter absentiam scholarium illarum provinciarum ad manus nationis ex deliberatione Universitatis et sententia rectoris pacifice devenerant, procuratores et gubernatores natio designabat, qui de locagiis reparationibusque curam haberent, et omnia recepta in libro scriberent ut computus illis ad quos spectarent, si necesse foret, posset declarari (662, 21). Hae domus, de quibus jam cap. 4, sunt sequentes :

Domus Daciae, juxta Collegium Laudunense fuit et prope Carmelitas, qui domum acquirere tentaverunt, et revera a rege copiam obtinuerunt[3]. Sed frustra; parte quadam contenti esse debuerunt; major pars domus ad usum collegii Laudunensis serviit, cum saltem an. 1393 a magistro Gerardo de Versigniaco, nationis Picardiae, magistro ejusdem collegii computatio nationi reddita fuerit (676, 20). Saec. XV collegium Laudunense domum acquisivit[4].

Domus *ad cornu cervi*, in vico Jude, juxta S. Hilarium, reparationes perpetuas exigebat. An. 1392 pars tecti ceciderat et inhabitans recedere voluerat (706, 38); tum receptor Aegidius de Jutfaes 161 francos 10 sol. 6 den. e suo mutuavit ut domus reficeretur. Deinde domum locatam fuisse Johanni Bonrode (717, 45), Thomae Marescalli, nationis Picardiae (761, 38) (cujus nationem paenituit « quia per tales paedagogos domus destrueretur » 778, 11), cuidam lumbardo (800, 26), quibusdam Scotis qui propter epidemiam abierunt (803, 33), Johanni Dorp (851, 32), Johanni Piccardi (860, 28), denique an. 1404-1406 receptori Guillelmo Bloc (882, 24). Adeo reparationes nationem onerabant ut de domo

1. Num quattuor annuos terminos, quos promiserat, solverit e libro procuratoris ignoramus sed saltem ann. 1376 et 1377 in die S. Edmundi unum album numeravisse Thomam videmus (509, 29; 528, 36).

2. Domus Daciae 731, 44; 732, 8; 921, 9, collegium vocatur.

3. Vid. *Chartul.*, III, n° 1481.

4. Vid. JAILLOT, *Recherches*, etc. IV, Quartier Maubert, p. 62 sq.

vendenda an. 1404 quaestio agitaretur (873, 35). An. 1406 accidit ut capitulum S. Marcelli se habere jus ad fundum dictae domus contenderet, quia in terra capituli ea domus fundata esset, et censum annualem repeteret (934, 39). Mox autem decanus Lincopensis, a quo centum scuta ad reparationes solvendas procurator nationis petierat, summam quidem numeravit, at domus proprietatem sibi vindicavit (936, 22). Obscurus erat reparationum et locagiorum pro tot annis computus; arbitri dati sunt Petrus Cauchon et Oliverius de Imperio (941, 37) qui concordiam inter nationem et decanum ecclesiae Lincopensis an. 1407 restituerunt.

Domum *ad imaginem Nostrae Dominae* vel *beatae Mariae*, in vico Brunelli, natio « ab Universitate habebat »; quae domus spectabat ad canonicos ecclesiae Scarensis in Suecia (754, 19). An. 1398 petenti Aquino Asari, archidiacono ecclesiae Scarensis, ea sub certis condicionibus tradita est (771, 32). An. 1405 domus erat « ruinosa, caduca, valde male cooperta et fetida » (895, 27). Tum factis reparationibus secundum facultatem nationis « sine quibus domus non posset inhabitari » (897, 7), Bomundo bedello principali nationis, qui succurrerat aliquam summam commodando (904, 8), ad ejus vitam domus concessa et data est (913, 22).

Sic possessiones nationis dubiae, controversae, onerosae, paucos fructus eo tempore afferebant. Melioris condicionis erant domus Alemannorum et Scotiae; at non proprie ad nationem Anglicanam, sed ad provincias Alemanniae et Scotiae in natione Anglicana pertinebant.

16. Natio Anglicana Schismate durante[1].

Personam quam natio Anglicana Schismate durante gessit, admodum singularis est. Primo, dum Universitas cum Urbano VI vel in neutris partibus staret, cum Universitate concinebat; ab an. 1379, Maii 24, dum Universitas se pro Clemente declarasset, natio Anglicana in neutris partibus remanebat; anno 1381-1382 aperte contra Clementem VII agitabat, cui tamen circa finem ejusdem anni adhaerebat, et solummodo postea, sane jam ante 1392, iterum neutras partes elegit, simul tamen stando ex parte Romani pontificis simul Universitatis conatibus suffragando.

Hoc nihilominus minime tota persona explicatur. Nulla alia natio tam diversis suppositis constabat; nil mirum si supposita quantum ad duos papas diversae opinionis erant. Ut jam in cap. 2 scripsimus, duae magnae tribus in natione distinguebantur : Alemanni et Scoti. Post electionem Clementis Scoti istum pontificem ut verum papam

1 Omnia hic breviter enarramus, ne ea quae in Auctario vel in notis Chartularii latius explicantur repetamus. Solam nationem Anglicanam in principalibus quas percurrerit stationibus consideramus.

agnoverunt; major vero pars Alemannorum in natione Anglicana post an. 1379, April., Urbanum VI pro vero papa habuit vel saltem non ad Clementem inclinavit. Quomodo ergo *natio* in neutris partibus remanere, contra Clementem agitare, rursus Clementi posteaque Urbano vel Bonifacio IX adhaerere potuit?

Ut hoc intelligatur sciendum est, majorem partem in natione momentum habuisse. Saepe in libro procuratoris hoc indicatur, et hac tempestate dilucide exprimitur: « per *majorem* partem nationis, *et per consequens ex tota natione conclusum* » (651,10). « Major pars nationis per modum nationis » (781,15). In illis casibus, in quibus natio Anglicana post an. 1379, Maii, in neutris partibus, vel non cum papa Avenionensi, vel contra ipsum et cum papa Romano stabat, majorem partem nationis Alemanni cum Suecis aliisque adjacentibus constituebant; quando natio papae Avenionensi adhaerebat, major pars nationis per Scotos et aliquos dissidentes Alemannos formabatur.

Nec pigeat aliam observationem annectere. Cum Alemannia se pro Urbano VI, i.e. pro papa Romano declaraverit, mirari quis posset, cur Alemanni in natione Anglicana Parisiis degentes ab anno 1379 non strenius partes Urbani arripuerint, sed potius in neutris partibus remanserint. Ast prudenter in hoc egerunt, ne, ut alias dicitur, natio « videretur se partem facere contra Universitatem » (601,27). Alemanni ut major pars nationis solum deliberationem Universitatis an. 1379, Januarii 8, continuabant, licet ut personae privatae, ut eorum populares, pro majori parte contra papam Avenionensem papae Romano adhaerebant, quod utique data occasione in medium processit, ut infra notabimus. Sic etiam post an. 1392, cum natio, id est major pars nationis per Alemannos constituta, a rege privilegiata esset ut papam Romanum sequi posset, ipsa, ut persona juridica, sine determinatione pro aliqua parte remanere voluit, et solum ab an. 1403 eam partes Bonifacii IX aperte sequi videmus.

Sed transeamus ad ipsam historiam.

1378 Pro Urbano Ut tota Universitas, ita et natio Anglicana post electionem et coronationem Urbani VI rotulum ad eum misit. De hoc rotulo, post mortem Gregorii XI, ubique in *Auctario* sermo est (538 sqq.). Nuntius rotuli pro natione Gerardus de Kalkar electus est (539,11). Eodem an. 1378, Jun. 12, nuntius litteras « credentiales » a natione recepit (559,21). Forte non multo post omnes nuntii profecti sunt[1], interim jam Marsilio de Inghen cum Henrico de Thenis pro factis Universitatis, imprimis vero nationis, Romae commorante[2]. Sed jam antequam nuntii iter arripuissent, paene omnes cardinales Romae Urbanum VI relinquentes, Anagniam recesserant dicentes, Urbanum VI electum fuisse per impressionem[3]. Verisimi-

1. Vid. *Chartul.*, III, n^is 1419 et 1606.
2. Vid. 559,4 sqq. De Marsilio solo *Chartul.*, n° 1608, et *Indicem person.* in *Auctar.* I.
3. Vid. *Chartul.*, III, n° 1607, not. 1, et epist. Marsilii n° 1608.

liter nuntii cum Avenionem attigissent, certe protinus cardinales in ea civitate commorantes de his quae Romae et Anagniae agerentur certiores facti erant. Ex aliis fontibus de dissidio inde inter nuntios orto scimus[1]. Aliqui jam tunc partes Urbani deseruerunt et exspectarunt tum Avenione, tum in confinibus Italiae papam venturum, vel in Italiam iter arripuerunt; Gerardus de Kalkar, nuntius nationis Anglicanae post aliquod temporis spatium Parisios cum suo rotulo reversus est[2]. Inter tot rumores et voces sibi contradicentes inconsulta natione agere noluit. Septemb. 29 et 30 eum in congregatione nationis Parisiis videmus[3].

Jam Universitas Paris. informationes per Johannem de Guignicurte[5] et Nicolaum de S. Saturnino a cardinalibus dissidentibus missas et fortasse epistolam dictorum cardinalium[6] receperat. Jam rex Carolus suum primum concilium celebraverat[7]. Natio Anglicana tunc sicut caeterae anceps rei eventum experiri voluit. Nondum Parisios nuntius venerat de electione Roberti de Gebennis in papam[8], quando Gerardus de Kalkar (Sept. 30) in congregatione supplicavit ut « in casu quo ipsum oporteret transferre se versus curiam Romanam cum rotulo », aliquem in scholis substituere posset (563,16). At jam nunc aliqui loquebantur de « rotulo novo ad *istum* papam *vel ad futurum* », « *ad alium futurum* » (564, 6, 14, 22). Anceps

Circa mensem Novemb. Parisios regi allatum est creatum esse Robertum de Gebennis in papam. Rex Novemb. 16 secundum concilium convocavit, in quo se pro isto papa, i. e. Clemente VII declaravit[9]. Quomodo natio Anglicana se gessit? Certe, sicut Universitas haesitans remansit. Praeterea usque ad an. 1379 non videtur eam consilium commune accepisse. Suppositorum cura erat ne in rotulo, « si fieret novus », vel antiquus « contingeret rescribi » (567, 13, 24), praetermitterentur. Minime exprimitur, ad quem duorum paparum.

Januarii 8 Universitas Paris. regi responsum dedit nobis optime notum; declarat se in neutris partibus remansuram, cum non sit adhuc concordia in opinionibus suppositorum[10]. Certe natio Anglicana ut natio causam Clementis amplecti renuit; non tamen palam Urbanum VI praetulit, ut apparet e declaratione Februarii 12 in congregatione data, cum rex nationem accusasset « quod ipsa impediret quod rotulus non concluderetur nec mitteretur Fundis ad Clementem » (569,17 sqq.). Natio ut prius anceps, vel ut tunc dicebatur « neutralis », « indifferens », remansit. Tum consiliarius nationis praecipuus certe fuit 1379 Neutrius partis

1. Vid. *Chartul.*, III, n° 1419 not.
2. Minime Romae fuit, ut hucusque iterum iterumque scribebatur.
3. 562,44; 563,12.
4. *Chartul.*, III, n° 1609 et not. 1.
5. *Ibid.*, n° 1607 et n° 1610, not. 5.
6. *Ibid.*, n° 1609.
9. De quo *ibid.* n° 1613.
8. Sept. 20.
9. *Chartul.*, III, n° 1614.
10. *Ibid.*, n° 1616.

Henricus de Hassia, mag. in theol., qui olim ad nationem pertinuerat et semper cum natione ligatus remanebat. Is qui eo tempore maxima auctoritate apud nationem fruebatur, Gerardus de Kalkar, discipulus illius in theologia fuerat. Henricus de Hassia tum neutralitatem pronuntiavit [1]. Aliud praecipuum nationis suppositum, Conradus de Gelnhausen, doctor decret. Bononiensis, eodem quo Henricus de Hassia sensu fuit.

Sed postea etiam ut olim agitur semper de rotulo qui forsan posset componi (569,38; 575,31); Hugo de Hervorst suum nomen dedit, sive rotulus ad Clementem, sive ad Urbanum mitteretur (571,32). Martii 23 et 24 et deinde usque ad 30 April. non minus quam 21 magistri petierunt se rotulo futuro (nescimus an in quocumque rotulo) inscribi (576,39; 577,7 et p. 578). Paene omnes Alemanni erant.

Ante April. 30 nuntius Parisios venit, regem Wenzeslaum et Alemanniam velle Urbano VI ut vero papae adhaerere [2]. Tum vero Gerardus de Kalkar, semper adhuc nuntius rotuli, cum quo infectis rebus Parisios reversus erat, audita hac fama April. 30 in congregatione « supplicavit, ut a legatione sua (qua legatus seu nuntius Universitatis ex parte nationis erat) absolveretur facienda ad Clementem, attento quod Alemannia se ad Urbanum determinasset » (578,47 sqq.). Natio hoc concessit, omnesque in hoc concordes fuerunt, « nullo modo volentes ipsum ad Clementem iturum » (579,8). Nihilominus usque ad Maii 9 duo Alemanni inveniuntur volentes inrotulari, « si contingeret fieri rotulum » (579,27; 580,24).

Hactenus natio Anglicana ut natio minime ab Universitate dissentiebat, quae licet jam pro majori parte suppositorum magis ad Clementem VII inclinaret, ut corpus tamen seu societas in neutris partibus remanebat. Maii 7 vero rex tertium concilium congregavit[14] et Maii 21 Universitatem invitavit, ut suffragium commune pro Clemente VII velut vero papa emitteret, et Urbanum VI respueret [3]. Facultates theologiae, decretorum et medicinae, atque nationes Galliae et Normannorum Maii 24 votis regis Caroli responderunt; Anglicana autem natio, cui Picardica se adjunxit, renuit se illis accommodare, dicens : « Universitas non debebat recedere a deliberatione alias (Januarii 8) habita, scilicet a neutralitate et indifferentia » [4].

Rector Universitatis, tunc e dicta natione oriundus, nimirum Johannes de Stralen, modo receptor et pluries procurator nationis, negavit deliberata Universitatis « concludere per modum Universitatis et pro concluso habere et reputare » [5]. Universitas nihilominus suam

1. Vid. *Chartul.*, III, nos 1619 et 1663, not.

2. Quantum ad declarationem Febr. 27, vid. WEIZSAEKER, *Deutsche Reichstagsakten*, I, 232 sqq. Non totam Alemanniam Urbanno adhaesisse, et Clementem VII etiam asseclas habuisse, bene ostendit VALOIS, *Le Grand Schisme en Allemagne*, in *Römische Quartalschrift*, Jahrg. VII, 1893, p. 107 sqq.

3. Vid. *Chartul.*, III, n° 1621.

4. *Ibid.*, n° 1623.

5. *Ibid.*, p. 569. De diversis congregationibus et actis *ibid.*, nis 1624-1627.

6. *Ibid.*, p. 570 sq.

deliberationem « pro concluso » et vera determinatione existimavit, eamque Maii 30 regi praesentavit [1]. Rector absque procuratoribus nat. Anglic. et Picard. praesens fuit, cum regi deliberationes *singularum* nationum et facultatum referri deberent [2]. Sed orator Simon Freron aliqua subticuit simpliciter dicens : « quod dicta Universitas adherebat et adherere intendebat de cetero dom. Clementi pape VII tanquam vero pape ».

Scissio in Universitate jam erat perfecta. Verumtamen de his omnibus in Libro procuratorum altum silentium.

Una conclusio aliam trahit. Universitas se pro Clemente declaravit. Nulla mora videbatur fore rotulum communem ad istum papam dirigendi. Sed ut Universitas regem decipiebat, ita et Clementem VII in errorem ducere voluit. In capite rotuli Universitas scripsit, « quod rotulus ille fuit et est conclusus per unanimem et communem consensum Universitatis singularum facultatum et nationum [3] ». Nationes Picard. et Anglic. Septemb. 7 intercesserunt dicentes, « quia nunquam due nationes (dictae) consenserunt in ipsius rotuli conclusione nec missione ad dictum dom. Clementem ». Natio Anglicana noluit rotulum ante extinctionem Schismatis mitti, ut e posterius dictis (585,27; 607,21) conjicere debemus. Contra rotulum

Universitas quantum ad caput rotuli seu articulos communes [4], non autem quantum ad mittendum Clementi rotulum, cedebat. Immo non negligebat interim duas nationes sollicitare easque ad inrotulationem impellere conabatur. Profecto non sine aliquo successu, sed iniqua condicione.

In nationibus ipsis scissio facta est, cum e dictis duabus nationibus plures magistri consenserint rotulo inscribi et nuntium mittere ad Clementem. Ut de Picardis taceamus, in natione Anglicana Scoti consilium Universitatis secuti sunt, et eo magis, quod in patria eorum Clemens VII ut verus papa agnoscebatur. Ex 16 inrotulatis 14 e Scotia oriundi erant, duo tantum ex Alemannia, quorum unus e Constantia, alter ex Argentina [5]. Cum major pars nationis, proindeque natio contraria esset, horum rotulus non erat « Rotulus nat. Anglicanae », sed solummodo quorumdam « magistrorum nat. Angl. »; nec nuntii duarum nationum inscripti sunt ut : « nuntius nat. Picard. », « nuntius nat. Anglic. », sed « nuntius magistrorum nat. Picard. », « nuntius mag. nat. Anglic. », quanquam tamen caeteri nuntii vocantur nuntii facultatum et nuntii nationum [6]. Rotulus communis Universitatis mense Octobri an. 1379 ad Clementem missus est [7]. Scissio

Sicut jam [8] annotavimus, infelici casu in libro procuratorum aliqua folia desunt, ita ut acta a Junii 5 usque ad Decemb. 16 an. 1379 desiderentur.

1. N° 1627.
2. Vid. p. 571.
3. *Ibid.*, n° 1424.
4. *Ibid.*, p. 243.
5. Vid. *ibid.*, p. 269 et n° 1633.
6. *Ibid.*, n° 1426.
7. *Ibid.*, p. 242 et n° 1633.
8. P. 581, not. 4.

Aspectum quem an. 1379, mensibus Septemb.-Octob. praebebat, seu potius scissionem, natio Anglicana usque ad concilium Constantiense plus minusve retinuit. Istae duae magnae tribus in natione, Scoti et Alemanni, quantum ad papas divisae erant et remanserunt, paucis momentis exceptis.

1380 An. 1380 agitur pluries de recommendatoriis epistolis « ad summum pontificem vel cardinales » (583,34; 585,43; 593,40), de curia Romana (594,38,42), sed non notatur, ad qualem pontificem. Natio non semper annuit. Martii 4 Petrus de Austria recessurus petit, « quod si tempore ejus absentie illud Schisma paparum determinaretur et fieri contingeret rotulum nationis ad summum pontificem, quod tunc posset imponi » (585,27). Idem petiit Scotus quidam an. 1381 (607,21). Et sic utique supplicationes similes intelligi debent (598,17; 607,9).

1381 De Concilio gen. In ancipiti fuit Clemens VII anno 1381. Universitas Parisiensis determinavit, ad Schisma abolendum viam Concilii generalis esse tenendam [1]. Natio Anglicana respondit, hanc viam esse tutam in eamque consentire, « protestando quod non intenderet recedere a mandatis, jussionibus et obedientia superiorum suorum » (608,8 sqq.). Prudenter in hoc egit. Pro bono pacis et ne videretur partem facere contra Universitatem, consensit quidem in via Universitatis; sed haud absolute, cum via Concilii generalis jus non solum unius, sed et alterius pontificis in dubium revocare posset. Tam Alemanni ex parte pontificis Romani, quam Scoti, ex parte pontificis Avenionensis, potius viam suorum superiorum sequi voluerunt. Jam duobus mensibus antea Johannes Muntschemannus de Maguntia accusavit rectorem, quod magno Universitatis sigillo contra deliberationem trium facultatum instrumentum quoddam sigillaverat, in quo nominabatur Clemens VII, « si dici debeat Clemens » (603,8 sqq.) Haud etiam alieni videntur fuisse Alemanni ab gravi turbatione Universitatis, eodem anno secuta ex violentia Ludovici ducis Andegavensis, de qua in *Chartul.*, III, n° 1640. Nullum tamen ejusdem vestigium in Libro procuratoris.

1382 Contra Clementem Omnino hostilem natio se gessit an. 1382, et quidem propter duas causas. Adhuc cancellarius Universitatis Paris. fuit Johannes de Calore, a Gregorio XI institutus. An. 1381 Johannes Blanchart a Clemente VII nominatus et in choro Nostrae Dominae installatus est [2]. Ex eo et quattuor ab eo electis examinatoribus examen ad licentiam in artibus pendebat (vid. supra cap. 7), ipseque licentiam dedit. Potior pars nationis in angustias adducta est. An. 1382, April. 1, sub procuratore alemanno, natio deliberavit, quod sodales nationis, qui in Nostra Domina per cancellarium auctoritate Clementis VII licentiati et magistrati essent, ad nationem non reciperentur; receptor ab illis bursas acceptare non posset. April. 7, sub alio procuratore alemanno Petro de Catwiic, praeceptum est, ut procu-

1. *Chartul.*, III, n° 1637.

2. *Ibid.*, n°s 1461 et 1641.

rator quilibet novus hanc conclusionem prosequi deberet (618,45 sqq.; 619,21 sqq.). Revera Henricum Poelman e natione exclusit nullumque in Nostra Domina licentiatum in librum inscripsit. Memorandum, Alemannos partem majorem nationis constituisse. Sine dubio Scoti conclusioni aegre adhaeserunt; saltem Guillelmus Trebron contra eam insurrexit (630,20), et unus alterve Alemannus ut Arnoldus de Arnheim, Johannes de Hocklem (630,20,33). Universitas ipsa se opposuit, et nationem sub poena exclusionis ad cessionem impulit (630-633), quae tandem cessit, postquam deminuta et debilitata erat.

Altera causa erat lis acerba, quam natio Anglicana eo tempore contra nat. Gallicanam sustinuit de licentiandis in S. Genovefa (vid. supra cap. 14), et iterum simul de auctoritate Clementis VII agebatur. Papa Avenionensis causam commisit duobus collectoribus, quos commissarios instituit. Qui quidem cancellarium S. Genovefae, Judocum Ghisilium, fautorem Urbani VI, ejusque vicecancellarium et quattuor temptatores « auctoritate apostolica a suis officiis destituerant » et novos instituerunt [1]. Natio Anglicana pro antiquo cancellario decertabat (613, 47 sqq; 619, 36). Cum natio de decisione duorum commissariorum certior facta esset, irritata, April. 25 sequentem conclusionem concepit : « attentis litteris *quibusdam*, virtute quarum *nonnulli (intelligas :* commissarii Clementis VII) disponunt circa temptamen predictum, ac si facultas nullam haberet potestatem... deliberatum est... quod natio nostra non deberet aliquo modo mutari in predictis, ymo sic procedere, *ac si nulle litere venissent vel nichil fuisset factum per commissarios literarum* » (619, 41 sqq.). Haec conclusio idem valebat, ac non agnoscere auctoritatem papae Avenionensis [2]. Nullus praeterea magister, praeter eum qui officium temptatoris jam acceptaverat, illud officium a dictis commissariis recipere voluit, « ymo mallent quod statim recederent de Parisius » (620, 25), ut quidam aiebant.

Et recesserunt. Ab an. 1379 sed imprimis ab an. 1382 Octob. usque Novemb. ejusdem anni non pauci Alemanni Parisios reliquerunt [3]. An. 1382, Octob. 12, natio Anglic., ab Universitate monita, adhuc deliberavit, non expedire rotulum facere seu mittere ad Clementem. Sed jam Novemb. 24 natio loquebatur de rotulo communi, « qui ex parte nationis ad dominum papam Clementem esset destinandus » (636, 12). Tunc praeterea praeceptum est, « quod magistri noviter graduati (apud Nostram Dominam) inscriberentur papiro nationis » (636, 37), et Novemb. 28 natio etiam cancellarium et subcancellarium S. Genovefae, contra quos paulo ante tam acriter agitaverat, ad juramenta admisit (637, 12 sqq). Pro Clemente

1. Vid. *Chartul.*, III, p. 308 et supra p. LXII-LXIII.

2. Ex quo aliisque apparet, verbum opponentium scil. Picardorum, Normannorum et Anglicorum in Parlamento : « quod eorum intentionis nunquam fuerat nec erat aliquid dicere seu proponere contra partem summi pontificis Clementis pape moderni, quinymo sibi adherebant » etc. (*ibid.*, p. 307), minime ad Anglicos, sed ad Picardos et Normannos referendum esse.

3. Vid. *Chartul.*, III, n° 1640, not. 4, et infra p. 659, not. 5.

Haec omnia explicari nequeunt, nisi admittas, Scotos [1], ex quibus novus procurator omnino inhabilis, Thomas de Foresta, tunc propter discessum plurium Alemannorum in natione praevaluisse. Sed minime soli erant, nam Scotis se quidam indignati et non contenti Alemanni ut Henricus Poelman de Arnheim, Arnoldus de Arnheim etc., adjunxerunt; alii vero, ut Jordanus de Clivis receptor, metu perterriti tacebant.

Inde evenit, ut Henricus Poelman, qui paulo ante e natione exclusus erat, in procuratorem eligeretur. Ipso procuratore obtinuit, ut in libro procuratoris omnia, quae natio de excludendis licentiaturis in Nostra Domina sub cancellario auctoritate Clementis instituto statuerat, cum omnibus quae natio contra Henricum Poelman aggressa erat, delerentur (646, 651). Nunquam natio Anglicana tristiorem habitum quam eo tempore ostendit.

Nil mirum igitur, nationem Anglicanam, et quidem « secundum ejus partem majorem » (641, 28; 651, 10), nunc in rotulo mittendo ad Clementem VII sicut quamlibet aliam nationem occupari. Haud amplius, ut an. 1379 de rotulo « magistrorum nationis Anglic. », de nuntio « magistrorum nat. », sed de rotulo Clementi praesentando « ex parte », « ex nomine nationis » (636, 13; 639, 43), de « rotulo nat. nostre » (652, 46), « nomine nationis » (642, 19) agitur [2]. Nuntius pro rotulo nationis Scotus Andreas de Trebron, frater ejusdem qui an. 1379 nuntius fuerat, eligebatur (640, 4). Sed cum natio tunc « gravem pecunie carentiam pateretur » (636, 21), « sentiens seipsam pecuniis esse improvisam » (643, 33), rotulus erat dirigendus « in expensis particularibus colligendis magistrorum volentium scribi in eodem » (636, 15). Natio assidue in acceleratione et « grossatione » rotuli (639, 41;
1383 640, 35; 641, 29; 642, 647, 29), in articulis communibus (641, 47 sq.), in bedellis curiam adituris (643; 651; 653) occupata fuit; cum tamen natio debilitata esset, pauci sunt inrotulati (651, 9). Insuper « placuit nationi, quod nuntii jurarent sicut est consuetum et quod rotulum secum apportarent » (654, 9). Immo acceptavit etiam declarationem Universitatis pro Clemente VII [3], cum « non vellet contradicere, nec contradiceret » (654, 8); rogavit solum ne ea traderetur alicui, nisi ad minus redigeretur in forma meliori (654, 28) [4]. Noluit tamen declarationem separatam pro Clemente in scriptis dare (647, 3 sqq.).

Hac sola tempestate, in tanto annorum curriculo ab an. 1379 usque ad an. 1415, natio Anglicana secundum partem suam majorem pro papa Avenionensi se declaravit. Aberat illa pars quae antea et iterum aliquos post annos pro causa Romani pontificis vel « neutralitate » certabat. Nescimus quantum temporis hic rerum status duraverit, cum in libro procuratoris anni 1383-1392 desint. Quando an. 1387 Universitas Paris. tertio ad Clemen-

1. Scotis jam antea quantum ad clavem « cistae » natio cessit. V. infra p. 672, 1 et *Chartul.*, III, n° 1644.

2. Ex hoc confirmatur, ut jam satis comprobatum est, rotulum an. 1379 alium esse atque rotulum an. 1383 missum.

3. Vid. *Chartul.*, III, n° 1650.

4. *Ibid.*, n° 1651.

tem VII rotulum destinavit, quattuor tantum supposita nationis inscripta sunt, omnes Alemanni, inter quos iste famosus Henricus Poelman de Arnheim[1].

Ante an. 1392, Bonifacio IX jam electo, natio jam numerosior erat, in eaque Alemanni iterum majorem partem obtinuerunt. An. 1403 natio enuntiavit, « quod ipsa privilegiata mansit Parisius de gratia domini regis sub obedientia alia, scil. domini Bonifacii, in immunitate sua » (857, 37). Nescimus an natio hoc privilegium ante an. 1392 a rege obtinuerit. Saltem ab an. 1392 nullum ejusdem vestigium in libro procuratoris invenitur. Caeterum hac tempestate modus agendi nationis non tam intricatus erat, quam post an. 1379. Universitas expergefacta an. 1390 coepit cogitare de mediis et viis ad Schisma abolendum[2]. Nationis, et quidem tam Alemannorum quam Scotorum, erat conatus Universitatis comprobare eique adjumento esse. Paucis verbis singularia hujus temporis enucleare possumus, communia ad *Chartularium* pertinent. 1392 et seq. Cum Universitate

Usque ad an. 1394 nihil memorandum, nisi quod natio an. 1394 bedellum Universitatis Coloniensis, qui Parisios epistolam ejusdem portavit, bene recepit (692). Hoc anno etiam in congregationibus ab Universitate factis, ut viae ad tollendum Schisma invenirentur, natio repraesentata fuit per tria supposita Johannem de Moravia, Joh. Mullechner de Austria, Aegidium de Jutfaes[3], ita ut quaelibet earum provinciarum quibus tum natio constabat[4], scil. Scotia, Alemannia superior, Alemannia inferior, legatum haberet. Natio tunc insuper tres vias ad abolendum Schisma propositas bonas esse et regi proponendas cum Universitate consensit[5]. Eodem anno Boemundus bedellus nationis proposuit, ut fieret liber in pergameno, in quo omnes epistolae factum unionis ecclesiae tangentes, Universitati missae, ab eaque expeditae, scriberentur et in arcam nationis poneretur (696, 6). 1394

Ab an. 1395 Universitas Paris. saepe tum ad duos papas, tum ad principes exteros vel ad Universitates legatos misit; inter quos paene semper unum nationis Anglicanae suppositum invenitur. Sic jam an. 1395 inter nuntios Universitatis ad Benedictum XIII Johannes Mullechner de Austria affertur (705), qui postea per longum temporis spatium hoc munere functus est, ut ex *Auctario* apparet[6]. Eodem anno agebatur de exclusione Petri de Ailliaco (708) et Johannis de Moravia (712 sq.), quia contra viam cessionis invita Universitate laboraverant. Mense Decembri natio quinque scuta rectori dedit, unum clientem Avenionem mittenti, ut latorem rotuli aliquorum scholarium, baccalareorum et licentiatorum ad Benedictum XIII caperet, impediretque ne rotulus ad papam veniret (715, 40, sqq.[7]). 1395

1. *Ibid.* p. 462 sq.
2. *Ibid.* n[is] 1659, 1661.
3. Vid. *Chartul.*, III, p. 606.
4. Vid. supra cap. 2.
5. Vid. *Chartul.*, III, p. 609.
6. Vid. infra p. 719, not. 1 (Vindobonam); 737, 1 (Francfordiam); 743, 1 (ibid.); 751, not. 1 (Norimbergam), 762, 20; 763, 12; 768, 42 (Remos), 817, not. 2 (Francfordiam). Ad an. 1395 affertur etiam ut nuntius ad Oxoniam. Bul., IV, 751 [b].
7. Ex epistola Universitatis ad Cardinales Dec. 28, apparet hos baccalareos et scholares juris cano-

1396 An. 1396 Parisiis secundum Concilium fuit; ex parte nationis erant praesentes Johannes Mullechner de Austria, Johannes de Claromonte, Galterus Forestarii, Johannes de Edinburgh (721, not. 2), i. e. duo Alemanni et duo Scoti. Hi deputati « habebant scribere super aliquibus conclusionibus, qui proponi debebant in Concilio generali », et istas conclusiones
1398 provectiores et prudentiores nationis inspicere debebant (721, 17). An. 1398 natio Universitati suffragabatur quantum ad subtractionem beneficiorum Benedicto XIII (758, 47; 759, 41 sqq.); sed propter suppositum dubiae fidei, Henricum Poelman de Arnheim, qui tunc rector et saltem clam ex parte Benedicti, ut olim ex parte Clementis fuit, non paucas angustias patiebatur (765 sqq.) Natio exinde Henricum consortio nationis privavit.

In tertio etiam Concilio Parisiensi an. 1398, in quo Benedicto XIII obedientia subtracta est, natio Anglicana erat repraesentata per unum Scotum, Galterum Forestarii, procuratorem, et unum Alemannum, Aegidium Jutfaes, receptorem[1]. Vix mirum Alemannum suffragium emisisse de subtractione obedientiae[2]; sed momento non caret, Scotum etiam huic conclusioni consensisse[3]. Is nihilominus postea a Benedicto XIII episcopatum Brechinensem acceptavit (782, not. 6 et supra cap. 9). Universitas Paris. epistolam subtractionis cum omnibus sigillis, sigillo etiam nationis Anglicanae, sigillavit (779, not. 2).

Certe natio Anglicana parum sibi conveniens agebat. Eodem tempore protestata est, quod, quamvis major pars, proindeque natio, sit de obedientia Romani pontificis, manere velit « sicut ante *sine determinatione certa pro aliqua parte* » (781, 15, 19). Sed si ita fuit, quomodo tunc subtractioni obedientiae Benedicto assensum praebere et suum sigillum epistolae Universitatis appendere potuit? Verum est, nationem id postea poenituisse, dicendo sese inscia appositum fuisse sigillum (862, 28 sqq). Ex his omnibus apparet Alemannos circumspectis viris, quales an. 1379-1382 habuerat, caruisse, nec consilio talium prudentium, ut olim Henrici de Hassia, Conradi de Gelnhausen, usam esse. Minime tamen reticendum, rerum statum admodum mutatum fuisse.

1403 An. 1403 Francia et Universitas Benedicto obedientiam restituerunt. Natio aetate et usu
Pro Bonifacio docta respondit: « quod (sicut) ipsa privilegiata mansit Parisius de gratia domini regis sub obedientia alia, scil. dom. Bonifacii, in immunitate sua, ita dixit se velle stare sub obedientia ejus sicut ante stetit et semper. De particulariter respicientibus istam obedientiam Benedicti natio se non intromisit » (857, 37 sqq.). Tandem aliquando perpetuam fluctuationem

nici fuisse. Epistola invenitur in Bibl. Rotomagens., ms. O. 20 (1355), fol. 202; Bibl. nat. Paris., ms. lat. 14643, fol. 67; Bul., IV, 752.

1. Vid. infra p. 777, not. 1. Ambos de Benedicto XIII, ut papa, diverse sensisse e notis seq. liquet.

2. Exstat in Arch. nat. Paris., J 517, n° 155. Gillez de Jutfaes scripsit, « que l'on doit oster à dit pape toute obeissance sans nulle dilacion et sans autre quiconque monicion ne sommacion ».

3. *Ibid.*, n° 160. Gautier Forestier scripsit: « il me semble que à practiquer la sante voie de cession n'i a meilleur moyen que de partir en tout de la obeissance de notre saint père le pape sans nulle dilacion ou monicion ».

relinquens aperte obedientiam Romani pontificis professa est. Inde natio negavit epistolae restitutionis obedientiae suum sigillum apponi (862, 36).

Universitas rotulum ad Benedictum XIII misit[1]. Natio Anglicana ad Bonifacium IX rotulum mittere decrevit, sed Universitas id per modum nationis fieri non permisit (863, 22; 864, 27). Scotis etiam tam a natione quam ab Universitate negatum est ut ad Benedictum rotulum, sigillatum sigillo nationis, mittere possent (864, 34 sqq.). Impositi sunt tamen rotulo communi, sed minime cum inscriptione : « rotulus nationis Anglicane ». Scotis aliqui alii se adjunxerunt. Operae pretium duximus hunc rotulum e *Reg. Supplic. Benedicti XIII*, an. 10, tom. 8, publici juris facere, cum omnes inrotulati ad hunc tomum *Auctarii* pertineant. An. eodem, Octob. 20, rotulus in curia signatus est.

Clementissime sanctitati vestre supplicat humiliter devota filia vestra Universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium quatenus eidem gratiam facientes specialem in personis magistrorum in artibus nationis Anglicane inferius subscriptorum eisdem magistris de beneficiis, officiis, personatibus aut etiam dignitatibus vel alias juxta eorum supplicationes infrascriptas dignemini providere...

Et primo Arnaldo de Uitwiic dyacono Trajectens. dioc. mag. in art. et bacal. in theol. regenti in artibus a XIIII annis, lecturo anno presenti Sententias.

Item Laurentio de Lundoris, cler. S. Andree dioc., mag. in art. et bac. in theol., de canonicatu eccl. Aberdonens.

Item Simoni de Mundavilla, subdyac. Glasguens. dioc., mag. in art. et licent. in leg., de canonicatu eccl. Dunkeldens.

Item Henrico de Fulda, cler. Herbipolens. dioc., mag. in art., studenti in theol. a septem annis citra.

Item Guillermo de Egmonda, cler. Trajectens. dioc., mag. in art., actu stud. in medicina a quinque annis citra.

Item Thome de Grenlau, cler. S. Andree dioc., mag. in art., student. in facultate decret. in IIII° anno sue auditionis.

Item Roberto de Merton, cler. Glasguens. dioc., mag. in art., de canonicatu Glasguens.

Item Thome Ethiopis, cler. Jauriens. dioc., mag. in art., stud. in theol. Parisius.

Item Johanni Laverok, cler. Dunkeldens. dioc., mag. in art., stud. in fac. decret.

Item Henrico Brugg, cler. Curiens. dioc., mag. in art., stud. in jure can., de canonicatu ecclesie Curiensis.

Item Stephano Bigly, presb. S. Andree dioc., mag. art., stud. in fac. decret.

Item Johanni de Dalketh, cler. S. Andree dioc., mag. in art., stud. in fac. decret.

Item Willermo Bel, cler. Brechinens. dioc., mag. in art., stud. in fac. decret.

Sequuntur absentes.

Item Johanni Forestarii, presb. S. Andree dioc., mag. in art. et licent. in jure can., de canonicatu in eccl. Moraviensi.

1. Vid. infra p. 863, not. 1.

Item Johanni de Claromonte, cler. Leodiens. dioc., mag. in art. et licent. in decret.[1]
Item Jacobo de Fausyde, presb. S. Andree dioc., mag. in art.
Item Johanni Idyl, cler. S. Andree dioc., mag. in art.
Item Alexandro de Foulerton, cler. S. Andree dioc., mag. in art. de canonicatu eccl. Rossens.
Item Boemondo Theodorici de Lutrea, cler. Treverens. dioc., bedelloque principali nationis Anglicane in Universitate Parisiensi.

Cujuslibet serio inspicientis animo obicitur, eandem fere rationem inter Alemannos et Scotos nunc intercedere, atque an. 1379. Ea differentia tamen observatur, quod Alemanni an. 1379 publice in neutris partibus se tenebant, anno autem 1403 palam etiam Romano pontifici adhaerebant. Scoti utique Avenionensis pontificis partes etiam nunc secuti sunt. Quia vero Alemanni majorem partem nationis constituebant, proindeque momentum in natione afferebant[2], ideo dici potuit : *natio* de facto rotuli (ad Benedictum) non se intromisit (879, 42 sq.).

Natio Anglicana eo tempore etiam duos magistros exclusos restituit, Johannem de Moravia et Henricum Poelman de Arnheim[3].

1404 Pro Innocentio VII

Non mirum, nationem Bonifacio IX defuncto voluisse, ut consultis Universitatis « quod scriberetur electoribus et principibus Alemannie », facta conjungerentur (888, 17). Negavit praeterea, se rotulum Romam misisse (891, 2 sqq.). Universitas tunc ambasciatores Romam ad novum papam Innocentium VII mittere decrevit, et natio hoc approbando voluit « quod multum ferventer laboraretur pro unione ecclesie » (893, 1 sqq.). Receptor nationis cum rectore gratiarum actiones referebat duci Bituricensi, qui legationem « misit ad dominum Innocentium super facto ecclesie » (896, 29). Nuntii, quos Universitas hoc tempore saepius Romam misit, non ex qualibet natione eligebantur, semper tamen natio Anglicana repraesentata erat, tum per Gotscalcum Vriese (893, not. 1, et 915, 43), tum per Arnoldum Uitwiic (905, not. 1 ; 915, 40).

1406 An. 1406, cum Parisiis legati ex Ungaria morarentur, natio elegit Johannem Mullechner de Austria ut proponentem, qui eisdem inter alia factum unionis ecclesiae recommandare debuit (928, 10, 26). Eodem anno res magni momenti accidit. Rex Benedicto XIII[2] suisque officiariis omnia emolumenta subtraxit, instigante Universitate quae mense Decembri « minutam littere » praesentavit in qua Benedictum schismaticum et suspectum de haeresi declaravit atque ab ejus obedientia recessit[4]. Sub quibusdam tamen verbis latere videba-

1. Aurelianis an. 1393 juri civ. studebat. Eum supra p. XXXVII omisimus.
2. Vid. supra p. XVII.
3. Vid. infra p. 863, 13 et 864, not. 2.
4. Qui tunc et postea in Benedictum XIII debacchati sunt, partim solummodo ad Universitatem Paris. pertinebant. Benedictus XIII in duabus epistolis ann. 1408 et 1410, in *Chartul.*, III, p. XXIII, not. 4, citatis sequentes nominat : Simonem de Cramaud, patriarcham Alexandr., Vitalem de Castromaurono, archiep. Tolos., Petrum Frenelli, ep. Meldens., Arnulphum de Fonte et Johannem Garsie, O.

tur nationi, ea omnia Universitatem de papa Romano quoque dicere voluisse. Natio Anglic. recusavit propterea sigillum suum apponere cum « Innocentium VII verum vicarium Christi, successorem Petri » reputaret proindeque nec a sua vel successoris sui obedientia recedere, nec ab illo ad Concilium generale appellare vellet (937 sqq.). Universitas suos legatos ad nationem misit, qui eidem persuaserunt, in epistola Universitatis nihil contineri, quod in praejudicium obedientiae nationis esset, nec Universitatis intentionem esse nationi in sua obedientia nunc vel in futurum in aliquo derogare (939, 28 sqq.). Natio tandem post multas altercationes consensit (940, 22 sqq.).

Quantum tempora mutata erant! An. 1379 Universitas Paris. ab obedientia Romani pontificis ad Avenionensem pontificem defecerat et nationem Anglicanam ad suas partes trahere conata erat; an. 1406 Universitas Paris. in perpetuum, ut jam an. 1398 ad tempus, imperium Avenionensis pontificis abnuit et ad hoc auxilium nationis Anglicanae oravit, ei libertatem dando faciendi quid vellet, id est, ut Romano pontifici adhaereret.

Tempus est finem hic faciendi. Multo plura in quocumque capitulo dicere, aliaque de novis rebus addere potuissemus, veluti quomodo natio infirmis « sicut pia mater suis filiis manus porrigeret subventrices » (623,27), de bursis suppositorum nationis in Sorbona (835, not. 1); at modum introductioni debitum excederet et de his omnibus disserendi in venturis tomis locus erit. Satis sit nihil alicujus ponderis omisisse. In notis etiam brevitati consuluimus. Quod prorsus quantum ad cap. 9 animadverti cupimus, in quo, ne longiores jam notas extenderemus, paginas Auctarii haud indicare visum est, et quoties quis Parisiis, v. g. Bononiam aliamve Universitatem petierit, postea Parisios rediturus, enarrare consulto omisimus. Tum index adeundus.

Restat ut grates justas solvamus Carolo Schrauf, archivo Universitatis Vindobonensis praeposito, ejusque auxiliario Arthuro Goldmann, qui de illius Universitatis suppositis multa quaesierunt ad hoc volumen, plura etiam ad sequentia volumina liberaliter promiserunt, atque Mons. Fráknoi, Academiae Hungaricae secretario, de rebus Hungaricis bene merito.

Castellione juxta Balneolum, 21 Sept. 1894.

Min., Petrum Plou (*i. e.* Plaoul), Joh. Parvi, Joh. Guioti et Stephanum (de Mesnillo Fouchardi) ministrum S. Maturini Paris., omnes quattuor mag. theol. Paris., Stephanum Montanii, Gaufridum de Pertusio, Johannem Converte, Johannem Francisci Chausefoirée. Inter illos qui an. 1406 strenue contra Benedictum locutus est, annumerandus etiam Petrus Regis, abbas S. Michaelis.

INDEX CAPITULORUM INTRODUCTIONIS

KALENDARIUM AD USUM NATIONIS ANGLICANAE[1]

JANUARIUS

1	III	A	Kal.	CIRCUMCISIO DOMINI. — Non legitur. đ
2		B	N.	
3	XI	C	N.	GENOVEFE.
4		D	N.	
5	XIX	E	N.	Non legitur ultra terciam.
6	VIII	F	Id.	EPIPHANIA DOMINI. — Non legitur.
7		G	Id.	Cursorie pro crastino.
8	XVI	A	Id.	
9	V	B	Id.	
10		C	Id.	GUILLELMI BITURICENSIS. — Non legitur.
11	XIII	D	Id.	
12	II	E	Id.	
13		F	Id.	FIRMINI. — Non legitur.
14	X	G	Id.	
15		A	Kl.	MAURI ABBATIS. — Festive.
16	XVIII	B	Kl.	
17	VII	C	Kl.	ANTHONII ABBATIS.
18		D	Kl.	
19	XV	E	Kl.	
20	IIII	F	Kl.	FABIANI SEBAST. — Festive.
21		G	Kl.	AGNETIS VIRGINIS. — Festive.
22	XII	A	Kl.	VINCENTII MARTIRIS. — Non legitur
23	I	B	Kl.	
24		C	Kl.	
25	IX	D	Kl.	CONVERSIO SANCTI PAULI. — Non legitur. đ
26		E	Kl.	POLICARPI. — Festive.
27	XVII	F	Kl.	JULIANI. — Non legitur ordinarie.
28	VI	G	Kl.	
29		A	Kl.	
30	XIIII	B	Kl.	
31	III	C	Kl.	

FEBRUARIUS

1		D	Kal.	Non legitur ultra terciam.
2	XI	E	No	PURIFICACIO BEATE MARIE. — Non legitur.
3	XIX	F	n	BLASII. — Missa apud Predicatores pro animabus defunctorum Universitatis Festive. đ
4	VIII	G	a	
5		A	s	AGATHE VIRG. Fest.
6	XVI	B	Id.	
7	V	C	Id.	Die sabbati ante carnisprivium incipientur cursus in nonis Sancti Jacobi. In capite jejunii ab *Esto michi*[2] usque ad quintam feriam non legitur ordinarie. In die carnisprivii[3] non legitur ultra terciam. In quarta feria[4] post *Esto michi* non legitur.
8		D	I	
9	XIII	E	d	
10	II	F	u	
11		G	s	
12	X	A	Id.	
13		B	Id.	
14	XVIII	C	Kl.	
15	VII	D	Kl.	
16		E	Kl.	

1. *Sumptum e* Libro *vel* Chartulario Nationis Anglicanae, *Bibl. nat. Paris. ms. N. a. l. 535, fol. 7-12, de quo vid.* E. CHATELAIN *in* Mémoires de la Société de l'Histoire de Paris et de l'Ile-de-France, *t.* XVIII (*1891*), *p.* 100. *Exscripsimus textum primum* (*an. 1366-1370*; *vid. infra ad 22 Febr.*) *tantum, minime additiones recentiores, paucis exceptis* (*uncis inclusis*), *quae magna ex parte sunt saec.* XVI *et seq. Numeri ad designandos singulos dies cujusque mensis a nobis appositi sunt. Kalendarium a* VALLET DE VIRIVILLE, Hist. de l'Instruction publique, p. 366, *e ms. Bibl. nat. 4831 editum huic simile est.*
2. *Dominica Quinquagesimae.*
3. *Feria tertia post Quinquagesimam. Vid.* Chartul. Univers. Paris, II, p. 719 *ad p. 326.*
4. *Dies Cinerum.*

17	XV	F	Kl.	
18	IIII	G	Kl.	
19		A	Kl.	
20	XII	B	Kl.	
21	I	C	Kl.	
22		D	Kl.	CATHEDRA S. PETRI. — Missa de sancto spiritu pro papa Urbano in vita[1]. Non legitur.
23	IX	E	Kl.	
24		F	Kl.	MATHIE APOSTOLI. — Non legitur.
25	XVII	G	Kl.	
26	VI	A	Kl.	[đ]
27		B	Kl.	
28	XIIII	C	Kl.	[TRANSLATIO S. AUGUSTINI][2]. — Non legitur[2].

MARCIUS

1	III	D	Kl.	đ
2		E	N.	
3	XI	F	N	
4		G	o	
5	XIX	A	n	
6	VIII	B	a	
7		C	s	THOME DE AQUINO. — Non legitur.
8	XVI	D	Id.	
9	V	E	I	
10		F	d	
11	XIII	G	u	
12	II	A	s	GREGORII PAPE. — Non legitur.
13		B	Id.	
14	X	C	Id.	
15		D	Id.	
16	XVIII	E	Kl.	
17	VII	F	Kl.	Ultima die legibili ante Annunciacionem dominicam erit electio Rectoris.
18		G	Kl,	
19	XV	A	Kl.	
20	IIII	B	Kl.	CUTBERTI.
21		C	Kl.	BENEDICTI. — Non legitur ordinarie.
22	XII	D	Kl.	
23	I	E	Kl.	
24		F	Kl.	Non legitur ultra terciam.
25	IX	G	Kl.	ANNUNCIACIONIS DOMINICE. — Non legitur.
26		A	Kl.	
27	XVII	B	Kl.	A sexta feria ante Ramos palmarum usque post *Quasimodo*[3] non legitur ordinarie.
28	VI	C	Kl.	[đ]
29		D	Kl.	In vigilia Palmarum incipientur cursus in mane.
30	XIIII	E	Kl.	
31	III	F	Kl.	In sexta feria post Ramos non legitur, nec in diebus mercurii et jovis precedentibus ultra nonas Sancti Jacobi.

APRILIS

1		G	Kal.	
2	XI	A	No	
3		B	n	
4	XIX	C	a	AMBROSII. — Non legitur.
5	VIII	D	s	
6	XVI	E	Id.	In festo Pasce et Pentecostes usque ad quintam feriam non legitur.
7	V	F	Id.	
8		G	I	
9	XIII	A	d	
10	II	B	u	đ
11		C	s	
12	X	D	Id.	
13		E	Id.	In quocumque festo non legitur, in vigilia ejus non disputabitur.
14	XVIII	F	Kl.	
15	VII	G	Kl.	
16		A	Kl.	
17	XV	B	Kl.	
18	IIII	C	Kl.	
19		D	Kl.	
20	XII	E	Kl.	[đ]
21	I	F	Kl.	
22		G	Kl.	
23	IX	A	Kl.	GEORGII. — Festive.
24		B	Kl	
25	XVII	C	Kl.	MARCI EWANGELISTE. — Non legitur.
26	VI	D	Kl.	
27		E	Kl.	
28	XIIII	F	Kl.	
29	III	G	Kl.	PETRI MARTIRIS. — Non legitur ordinarie.
30		A	Kl.	

1. *I. e. pro Urbano V, quo regnante (1362-1370) Kalendarium scriptum est. Illud sicut et totum librum (salvis additionibus) ann. 1366-1370 (fortasse an. 1368 circiter) scriptum esse conjicimus ex hoc, quod ultimum documentum charactere primo in libro datum est an. 1366, 5 Junii (Fol. 31 b.), quamvis jam ad an. 1356, Julii 22, ordinatum esse legimus,* « quod fieret Liber nationis de pergameno » (*vid. infra 1356, 22 Julii*). *Revera Kalendarium et vivente Carolo V rege Francorum scriptum est (vid. infra ad 11 Junii), qui anno tantum 1364, 8 Aprilis, regnum obtinuit. Caeterum vid. infra ad an. 1356, 22 Jul. et ad an. 1368, 20 Decemb.*

2. *Charactere recentiori. Ad an. 1361, mense Septemb., tantum legimus, hoc festum in Universitate posse celebrari. Vid. infra.*

3. *Octava Resurrectionis Domini.*

MAIUS

1	xi	B	Kl.	Apostolorum Philippi et Jacobi. — Non legitur.
2		C	N.	
3	xix	D	N	Invencio sancte Crucis. — Non legitur. d
4	viii	E	o	
5		F	n	
6	xvi	G	a	Johannis ante portam Latinam. — Non legitur.
7	v	A	s	
8		B	Id.	
9	xiii	C	Id.	Translacio s. Nicolai. — Non legitur.
10	ii	D	I	
11		E	d	In rogacionibus non disputabitur.
12	x	F	u	
13		G	s	In vigilia Pasce, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, non legitur ultra terciam.
14	xviii	A	Id.	
15	vii	B	Id.	In crastino Ascensionis non legitur ordinarie.
16		C	Kl.	
17	xv	D	Kl.	A sexta feria ante Pentecosten usque in crastinum Trinitatis non legitur ordinarie.
18	iiii	E	Kl.	
19		F	Kl.	
20	xii	G	Kl.	
21	i	A	Kl.	
22		B	Kl.	
23	ix	C	Kl.	
24		D	Kl.	Dominici[1]. — Festive.
25	xvii	E	Kl.	d
26	vi	F	Kl.	Augustini[2]. — Festive.
27		G	Kl.	
28	xiiii	A	Kl.	
29	iii	B	Kl.	
30		C	Kl.	
31	xi	D	Kl.	

JUNIUS

1		E	Kal.	Petri martiris[3]. — Festive.
2	xix	F	N.	
3	viii	G	N.	
4	xvi	A	N.	
5	v	B	N.	
6		C	Id.	
7	xiii	D	Id.	
8	ii	E	Id.	
9		F	Id.	
10	x	G	Id.	d
11		A	Id.	Barnabe apostoli. — Missa pro rege Karolo in vita[4]. Non legitur.
12	xviii	B	Id.	
13	vii	C	Id.	
14		D	Kl.	
15	xv	E	Kl.	Ultima die legibili ante festum beati Johannis Baptiste erit electio Rectoris.
16	iiii	F	Kl.	d
17		G	Kl.	
18	xii	A	Kl.	
19	i	B	Kl.	Gervasii Prothasii. — Festive.
20		C	Kl.	
21	ix	D	Kl.	
22		E	Kl.	
23	xvii	F	Kl.	Non legitur ultra terciam. Vigilia.
24	vi	G	Kl.	Nativitas beati Johannis Baptiste. — Non legitur.
25		A	Kl.	Eligii. — Non legitur.
26	xiiii	B	Kl.	Ab ultima die legibili ante festum beati Petri usque in crastinum beati Ludovici non legetur ordinarie[5], et proclamentur cursus, scilicet in vigilia Petri, pro prima die legibili.
27	iii	C	Kl.	
28		D	Kl.	Vigilia.
29	xi	E	Kl.	Petri et Pauli apostolorum. — Non legitur.
30		F	Kl.	

JULIUS

1	xix	G	Kal.	
2	viii	A	N	
3		B	o	
4	xvi	C	n	Translacio sancti Martini. — Festive.
5	v	D	a	

1. *Translatio.*
2. *Episcopi Cantuariensis.*
3. *Translatio. Sed in libro Procuratorum potius festi* S. Nicomedis *mentio fit. Cf. infra e. g. ad an. 1339, 2 Junii.*
4. *I. e. pro Carolo V rege Francorum (1364-1380). Vid. supra ad 22 Febr.*
5. *Vid. infra ad 26 Augusti.*

6		E	s	Octava Petri et Pauli. — Festive.
7	xiii	F	N.	
8	ii	G	Id.	
9	xiii	A	Id.	
10	x	B	I	
11		C	d	Translacio sancti Benedicti. — Non legitur ordinarie.
12	xviii	D	u	
13	vii	E	s	đ
14		F	Id.	
15	xv	G	Id.	
16	iiii	A	Kl.	
17		B	Kl.	
18	xii	C	Kl.	
19	i	D	Kl.	
20		E	Kl.	Margarete. — Festive.
21	ix	F	Kl.	Victoris. — Festive.
22		G	Kl.	Marie Magdal. — Non legitur. đ
23	xvii	A	Kl.	
24	vi	B	Kl.	
25		C	Kl.	Jacobi apostoli. — Non legitur.
26	xiiii	D	Kl.	Marcelli. — Festive.
27	iii	E	Kl.	
28		F	Kl.	
29	xi	G	Kl.	
30	xix	A	Kl.	
31		B	Kl.	Germani. — Festive.

AUGUSTUS

1	viii	C	Kal.	Ad Vincula sancti Petri. — Non legitur. đ
2	xvi	D	N.	
3	v	E	N.	Invencio sancti Stephani. — Non legitur.
4		F	N.	Dominici. — Non legitur.
5	xiii	G	N.	
6	ii	A	Id.	
7		B	Id.	
8	x	C	Id.	
9		D	Id.	Vigilia.
10	xviii	E	Id.	Laurencii martiris. — Non legitur.
11	vii	F	Id.	
12		G	Id.	
13	xv	A	Id.	
14	iiii	B	Kl.	Vigilia. — Non legitur ultra terciam.
15		C	Kl.	Assumpcio beate Marie. — Non legitur.
16	xii	D	Kl.	
17	i	E	Kl.	
18		F	Kl.	
19	ix	G	Kl.	
20		A	Kl.	Bernardi abbatis. — Non legitur.
21	xvii	B	Kl.	
22	vi	C	Kl.	
23		D	Kl.	
24	xiiii	E	Kl.	Bartholomei apostoli. — Non legitur.
25	iii	F	Kl.	Ludovici[1]. — Non legitur.
26		G	Kl.	Hic resumuntur lectiones ordinarie[2] et proclamentur cursus pro horis extraordinariis[3]
27	xi	A	Kl.	
28		B	Kl.	Augustini. — Non legitur.
29	xix	C	Kl.	Decollacio sancti Johannis. — Non legitur.
30	viii	D	Kl.	đ
31		E	Kl.	

SEPTEMBER

1	xvi	F	Kal.	Egidii et Lupi. — Non legitur.
2	v	G	No	
3		A	n	đ
4	xiii	B	a	
5	ii	C	s	
6		D	Id.	
7	x	E	I	Non legitur ultra terciam.
8		F	d	Nativitas beate Marie. — Non legitur.
9	xviii	G	u	Pro crastino festive.
10	vii	A	s	
11		B	Id.	
12	xv	C	Id.	
13	iiii	D	Id.	
14		E	Kl.	Exaltacio sancte Crucis — Non legitur.
15	xii	F	Kl.	Octava beate Marie. — Festive.
16	i	G	Kl.	
17		A	Kl.	
18	ix	B	Kl.	

1 *Charactere recentiori :* Sermo in Collegio Navarre in Carnificio. *Jam an. 1364, 31 Julii sermo ab Universitate ibidem concedebatur. Vid. infra ad an. 1364, 31 Jul.*
2. *Inter lineas.*
3. *Hac die apud Artistas* Parvum Ordinarium *incipiebat. Vid. infra ad an. 1345, Aug. 26.*

19		C	Kl.	
20	XVII	D	Kl.	VIGILIA.
21	VI	E	Kl.	MATHEI APOSTOLI. — Non legitur. đ
22		F	Kl.	
23	XIIII	G	Kl.	
24	III	A	Kl.	
25		B	Kl.	FIRMINI. — Festive.
26	XI	C	Kl.	
27		D	Kl.	COSME ET DAMIANI. — Festive.
28	XIX	E	Kl.	
29	VIII	F	Kl.	MICHAELIS ARCHANGELI. — Non legitur.
30		G	Kl.	JERONIMI DOCTORIS. — Non legitur.

OCTOBER

1	XVI	A	Kal.	REMIGII. — Non legitur.
2	V	B	N.	LEODEGARII. — Festive.
3	XIII	C	N.	[đ]
4	II	D	N.	FRANCISCI. — Non legitur.
5		E	N.	
6	X	F	N.	
7		G	N.	
8	XVIII	A	Idus	
9	VII	B	Id.	DYONISII SOCIORUMQUE EJUS. — Non legitur.
10		C	Id.	TRANSLACIO S. MARTIALIS. Fest.
11	XV	D	Id.	Prima die legibili post festum beati Dyonisii erit electio Rectoris, et proclamentur cursus pro horis legibilibus cursorie[1].
12	IIII	E	Id.	
13		F	Id.	
14	XII	G	Id.	
15	I	A	Id.	
16		B	Kl.	OCTAVA SANCTI DYONISII. — Festive.
17	IX	C	Kl.	
18		D	Kl.	LUCE EWANGELISTE. — Non legitur.
19	XVII	E	Kl.	
20	VI	F	Kl.	
21		G	Kl.	[UNDECIM MILLIUM VIRGINUM.]
22	XIIII	A	Kl.	[đ]
23	III	B	Kl.	
24		C	Kl.	MAGLORII. — Festive.
25	XI	D	Kl.	
26		E	Kl.	
27	XIX	F	Kl.	VIGILIA.
28	VIII	G	Kl.	SIMONIS ET JUDE APOSTOLORUM. — Non legitur.
29		A	Kl.	
30	XVI	B	Kl.	
31	V	C	Kl.	QUINTINI MARTIRIS. — Non legitur ultra terciam. Vigilia.

NOVEMBER

1		D	Kal.	FESTIVITAS OMNIUM SANCTORUM. — Non legitur.
2	XIII	E	No	COMMEMORACIO MORTUORUM. — Non legitur.
3	II	F	n	MARCELLI. — In crastino animarum fit anniversarium magistri Guillelmi Autissiodorensis.
4		G	a	
5	X	A	s	đ
6		B	Id.	LEONARDI. — Festive.
7	XVIII	C	Id.	[WILLIBRORDI primi episcopi Trajectensis.]
8	VII	D	I	
9		E	d	MATURINI. — Non legitur ordinarie.
10	XV	F	u	
11	IIII	G	s	MARTINI EPISCOPI. — Non legitur.
12		A	Id.	Pro crastino, festive. In crastino Martini fit anniversarium mag. R[oberti] de Serbona.
13	XII	B	Id.	BRICTII. — Festive.
14	I	C	Kl.	
15		D	Kl.	
16	IX	E	Kl.	
17		F	Kl.	
18	XVII	G	Kl.	OCTAVA SANCTI MARTINI. — Festive.
19	VI	A	Kl.	
20		B	Kl.	EADMUNDI REGIS ET MARTIRIS. — Non legitur.
21	XIIII	C	Kl.	In crastino non legitur[2].
22	III	D	Kl.	CECILIE VIRGINIS, — Festive.
23		E	Kl.	CLEMENTIS MARTIRIS. — Non legitur.
24	XI	F	Kl.	Non legitur ultra terciam.
25	XIX	G	Kl.	KATERINE VIRGINIS ET MARTIRIS. — Non legitur.

1. *In crastino (10 Octob.) s. Dionysii* Magnum ordinarium *incipiebat. Magis explicite in Kalendario* Chartul. II. , p. 714, *legitur :* Illa die lectiones ordinarie reincipiuntur in vico Straminis.
2. *Quod an. 1363, 28 Novemb., statuebatur. Vid. infra ad h. a.*

26		A	Kl	In crastino sancte Katerine fit missa apud Predicatores pro papa Johanne XXII. — Festive.
27	VIII	B	Kl	
28		C	Kl	d
29	XVI	D	Kl	VIGILIA.
30	V	E	Kl	ANDREE APOSTOLI. — Non legitur.

DECEMBER

1	XIII	F	Kal.	ELIGII EPISCOPI. — Non legitur.
2	II	G	N	OCTAVA BEATE KATERINE. — Festive.
3		A	o	
4	X	B	n	
5		C	as	Non legitur ultra terciam.
6	XVIII	D	Id.	NICOLAI EPISCOPI. — Non legitur.
7	VII	E	Id.	Non legitur; in crastino Nicolai fit apud Predicatores missa pro conservatione studii. [d]
8		F	Id.	CONCEPCIO BEATE MARIE[1]. — Non legitur.
9	XV	G	Id.	
10	IIII	A	I	
11		B	d	
12	XII	C	u	
13	I	D	s	LUCIE VIRGINIS. — Festive.
14		E	Kl.	
15	IX	F	Kl.	O Sapiencia[2].
16		G	Kl.	A secundo O usque in crastinum crastini Ephyphanie a lectionibus ordinariis cessetur. Ultima die legibili ordinarie ante Natale Domini eligatur Rector[3] et proclamentur cursus pro prima die legibili.
17	XVII	A	Kl.	
18	VI	B	Kl.	
19		C	Kl.	
20	XIIII	D	Kl.	
21	III	E	Kl.	THOME APOSTOLI. — Non legitur.
22		F	Kl.	d[4]
23	XI	G	Kl.	
24	XIX	A	Kl.	VIGILIA. — Non legitur ultra terciam.
25		B	Kl.	NATIVITAS DOMINI. } Non legitur.
26	VIII	C	Kl.	STEPHANI PROTHOMARTIRIS. } Non legitur.
27		D	Kl.	JOHANNIS APOSTOLI. } Non legitur.
28	XVI	E	Kl.	INNOCENTIUM. } Non legitur.
29	V	F	Kl.	THOME MARTIRIS. } Non legitur.
30		G	Kl.	
31	XIII	A	Kl.	SILVESTRI PAPE. — Non legitur ultra terciam.

1. *Charactere recentiori* (*saec.* XV-XVI) : Festum Normanorum.

2. *In Parisiensi ecclesia tunc temporis per novem dies vigiliam Nativitatis Domini praecedentes ad* Magnificat *in vesperis una antiphonarum* (*solemnium dictarum*) *incipientium cum* O, *cantabatur, ut liquet e Breviariis dictae ecclesiae sacc.* XIV. *Praeter septem, quae adhuc in usu sunt, sexta* (*post* O Oriens) *tunc incipiebat* O Thoma, *nona seu ultima* O Virgo. *Prima* (O Sapientia) *cantabatur 15 Decembris, ut notatur supra, et ut apparet e* Kalendariis Paris. ecclesiae (*cf. Bibl. nat. Paris., mss. lat. saec.* XIV 746, 1022-1026, 1052, 1264, 1291, *etc.*), *quod in Rubricis istius ecclesiae late explicatur* (*cf.* Ordo secundum usum Paris. *in mss. lat.* 745, 978, 1263). *In Kalendario Univers. ed. in* Chartul., II, p. 715, O Sapientia *ad 16 Decemb. notatur* (*vid. tamen*, p. 716, Kalend. Juristarum *ad 15 Decemb. e ms. Arsen.*); *similiter et* GROTEFEND, Zeitrechnung des deutschen Mittelalters, I, 140, *scribit, Parisiis* O Sapientia *in 16 Decemb. cecidisse.*

3. Ultima dies legibilis ordinarie *sine dubio fuit* secundum O, *i. e. 16 Decembris, plerumque enim 16 Decemb., immo et post 16, rector eligebatur. Vid. infra ad an. 1340, 1345, 1348, 1360, 1362, 1370, 1372, 1373, 1376, et* Chartul. Univers., III, *ad an. 1361, 1368, 1371, 1373, 1381, 1382, etc. Ex quo liquet diem 16 Decemb. praelatam fuisse in Univers. Paris. Hac die saepissime etiam electio procuratoris in natione Anglic. facta est. Cf. etiam infra ad an. 1345, Dec. 16.*

4. *Notare hic volumus per hanc litteram in fine certorum dierum appositam* (*per nos quandoque suppletam*) *designari* dies aegyptiacos, *de quibus vid.* Chartul. Univers., II, p. 716, *not.*, *et* GROTEFEND, *l. c.*, p. 36.

LIBER PROCURATORUM

NATIONIS ANGLICANAE[1]

1333

(*Fol. 15*) Tempus procuracionis magistri Johannis de Scenighen Alemanni.

Anno Domini M°C°C°C°XXXIII convocatis omnibus magistris actu regentibus in nacione Anglicana electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Johannes de Scenighen Alemannus apud Sanctum Julianum pauperem die martis[2] post Epyphaniam Domini, tempore cujus conputavit magister Robertus dictus Liber[3], nacionis Normannorum, de tempore rectorie sue.

1333

Tempus procuracionis magistri Johannis de Waltirstona Scoti.

Anno Domini M°CCC°XXXII convocatis omnibus magistris actu regentibus in nacione Anglicana electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Johannes de Waltirstona Scotus apud Sancum Julianum pauperem die veneris[4] proxima post festum Purificacionis beate Marie virginis, tempore cujus computavit magister Petrus de Veteri Campo, qui pro anno precedente extitit receptor predicte nacionis, et omnibus defalcatis[5] tenebatur predicte nacioni in XXXVIII solidis parisiens. et VIII denariis cum obolo, tribus tamen obolis albis inde defalcandis. Item computavit idem magister Petrus de luminari Beate Virginis, cujus extitit receptor pro anno illo precedente, et remansit nacioni obligatus in XXXIII solidis parisiens. et IX denariis.

Item determinavit sub predicto magistro Johanne de Waltirstona dominus Philippus de Brechyno Scotus, cujus bursa nichil.

Item sub eodem magistro Johanne determinavit dominus Andreas de Kalys Allemannus, cujus bursa nichil.

Item sub eodem magistro Johanne determinavit dominus Willelmus de Ramyslande Anglicus, cujus bursa III solidi.

Item sub eodem magistro Johanne determinavit dominus Andreas de Buyirgast Scotus, cujus bursa IIII solidi.

Item sub eodem magistro Johanne determinavit dominus Willelmus de Grenelaw Scotus, cujus bursa IIII solidi.

Item sub predicto magistro determinavit dominus Cristianus de Else[6], cujus bursa IIII solidi.

Item sub eodem magistro determinavit dominus Willelmus de Edenburgh, cujus bursa IIII solidi.

Item sub eodem magistro determinavit dominus Galterus de Coventre, cujus bursa III solidi.

Item sub eodem magistro dominus Radulphus de Colonia, cujus bursa nichil.

Item sub magistro Johanne de Scenighen determinavit dominus Reynerus de Aquisgrana, cujus bursa IIII solidi.

Item sub eodem magistro Johanne determinavit dominus Hermannus de Getlandia, cujus bursa IIII solidi.

Item sub magistro Johanne Consilii determinavit dominus Hartmigus de Alba Curia, cujus bursa III s.

1. *Arch. Univers. Paris.*, *Reg. de l'Université*, n° 2. *Desunt* 14 *folia.*
2. 12 *Januarii.*
3. *Seu* Robertus Liberti.
4. 5 *Februarii.*
5. *Cf.* Du Cange, *ed.* Henschel, *s. v.* defalcare.
6. *I. e.* Elst.

Item tempore ipsius erat electus magister Johannes de Wedale in examinatorem apud Sanctam Genovefam pro primo mense; item electus fuit magister Patricius Brune in examinatorem ibidem pro secundo mense.

Anno Domini supradicto, octava die mensis Martii, convocatis omnibus magistris actu regentibus in nacione Anglicana apud Sanctum Matulinum per bedellum principalem nacionis predicte, sicut consuetum est, ad ordinandum, statuendum et pro supplicationibus statutum fuit ex unanimi consensu omnium magistrorum principaliter ad honorem Dei et beate Virginis et ex consequenti ad honorem tocius nacionis pro se et suis successoribus in posterum, quod quolibet anno per receptorem dicte nacionis, qui pro tempore fuerit, distribuatur una summa pecunie pro XII magistris ad servicium Dei accedentibus apud Sanctum Cosmam et Damianum, vel alibi, prout nacio duxerit ordinandum, per modum qui sequitur :

Videlicet quod in octo festis principalibus, quinque scilicet beate Marie, festo sancti Nicholai, sancte Katerine et sancti Edmundi regis, in quolibet istorum octo festorum distribuantur duodecem solidi parisiens. dictis duodecem magistris sic, quod quilibet magister pro vesperis habebit quatuor denarios et pro missa octo denarios; in Quadragesima vero die veneris pro completerio III denarii cuilibet, et pro missa in sabbato VI denarii : ita quod in quolibet festo principali distribuentur duodecem solidi, in festo vero minus principali sicut in Quadragesima novem solidi. Si autem omnes duodecim magistri in horis pretactis non interfuerint, dicta summa duodecem solidorum in festis principalibus et IX solidorum in minus principalibus totaliter distribuetur magistris in vesperis vel in missis tunc presentibus, sic quod si non fuerint nisi duo vel tres presentes, tantum habebunt, scilicet XII vel novem solidos modo predicto. Et quilibet receptor, qui pro tempore fuerit, distribuet pro festis in sua receptoria accidentibus [1] et conputabit in fine sue receptorie. Summa vero totalis dictarum distribucionum per annum septem libre parisiens. et XII denarii, que quidem summa alias distribuebatur inter magistros predicte nacionis sicut et cetera recepta, et ipsam de receptis suis principalibus, scilicet de pecunia nacionis, modo quo dictum est defalcantes pro distribucionibus dictis ad honorem Dei ordinaverunt. Ad quod statutum perficiendum interfuerunt magistri infrascripti : Johannes de Waltirstona tunc temporis procurator dicte nacionis, Robertus de Pillemor, Bertoldus de Constancia, magister Petrus de Veteri Campo, Gosswynus de Zutphania, Petrus Strangonis de Dacia, Stephanus de Sancto Andrea, Johannes de Wedale, Theodoricus de Novimagio, Johannes de Scenighen, Johannes Consilii, Patricius Brune. Quod quidem statutum predicti magistri fide media confirmaverunt et in posterum defendere promiserunt.

Statuerunt eciam magistri prenominati, quod determinantes vel licentiati, prout alias fuit ordinatum, predictis horis intersint, et qui defecerit in vesperis vel completorio, solvet quatuor denarios, pro missa sex denarios, quos si non solverit cum fuerit requisitus per bedellum ex parte nacionis, solvet pro contumacia sua unam libram cere pro luminari Beate Virginis. Item concesserunt dicti magistri, quod in festis minus principalibus, scilicet in Quadragesima, duo bedelli haberent novem denarios inter ipsos distribuendos, et in octo festis principalibus duodecem denarios, si intersint missis et vesperis modo prenominato, ita quod illi duo bedelli in quolibet festo habebunt porcionem unius magistri.

Summa pro bedellis XI solidi et IX denarii. Summa totalis et magistrorum et bedellorum VII libre XII solidi et IX denarii.

1333

(*Fol. 15*ᵇ) Tempus procuracionis magistri Johannis de Waltirstona Scoti.

Anno Domini M°CCC°XXXII° convocatis omnibus magistris actu regentibus in nacione Anglicana continuatus fuit in procuratorem dicte nacionis predictus magister Johannes de Waltirstona Scotus die martis proxima [2] ante festum beati Gregorii pape. Tempore cujus

licenciatus fuit dominus Johannes de Constancia sub magistro Bertoldo de Constancia, cujus bursa III solidi.

Item licentiatus fuit dominus Johannes de Rate sub magistro Roberto de Pilemor, cujus bursa IIII sol.

Item licentiatus fuit dominus Philippus de Brechyne sub dicto magistro Johanne de Waltirstona, cujus bursa nichil.

Item licenciatus fuit dominus Henricus de Warendorpe sub magistro Petro de Veteri Campo, cujus bursa VIII solidi.

Item licenciatus fuit dominus Henricus de Tegna-

1. *Referri debet ad* festis.

2. 9 *Martii.*

gell sub magistro Theodorico de Novimagio, cujus bursa VI solidi.

Item licentiatus fuit dominus Neso de Ramesby sub magistro Roberto de Pilomore, cujus bursa III sol.

Item dominus Thomas de Bray Anglicus reputabatur in nacione pro determinante, ex eo quod determinaverat in Anglia et solvit pro bursis et scolis III libras cum dimidia. Item idem dominus Thomas licenciatus fuit sub magistro Johanne de Wedale, cujus bursa sex solidi.

Item dominus Willelmus de Kantebrugia reputabatur in nacione pro determinante, eo quod determinaverat in Anglia, cujus bursa nichil.

Item [1] idem dominus Willelmus debuit esse [2] licenciatus apud Sanctam Genovefam, et fuit gallicatus [3], sed non erat licenciatus, ymmo examinatus recessit sine licencia, quia noluit jurare statuta nacionis predicte Anglicane.

1333

Tempus procuracionis magistri Goeswini de Zutphania.

In crastino [4] beati Marci anno supradicto juravit michi Willelmo de Zidewinde, vices gerenti procuratoris nacionis Anglicane, dominus Willelmus de Dunbaer sive de Grinlaw Scotus, licentiatus sub magistro Roberto de Pulmur, cujus bursa IIII solidi.

Item licenciatus fuit dominus Adolphus de Anchermont sub magistro Petro de Veteri Campo, cujus bursa nichil.

Item licenciatus fuit dominus Reinerus de Aquisgrana sub magistro Johanne de Sceneghen, cujus bursa VI solidi.

1333

[Tempus procuracionis magistri Johannis de Waltirstona.]

Item anno Domini millesimo CCC°XXXIII convocatis magistris actu regentibus in nacione Anglicana electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Johannes de Waltirstona die martis proxima [5] post festum Philippi et Jacobi, tempore cujus licenciatus fuit dominus Cristianus de Else sub magistro Theodorico de Novimagio, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Nicholaus Londe [6] sub magistro Petro de Dacia, cujus bursa V solidi.

1337 [7]

(*Fol.* 29) [Tempus procuracionis magistri Ulrici de Augusta.]

Item anno predicto Domini, in crastino [8] beati Bartholomei, convocatis omnibus magistris de nacione Anglicana, ut moris est, per juramenta eorum ad Sanctum Matulinum, ad faciendum et eligendum novum procuratorem, ego magister Ulricus de Augusta continuatus fui in procuratorem a majore parte nacionis unanimi de consensu, videlicet a magistris Hugone Scoto, David Scoto, Johanne de Constancia, Wernhero Wolfram, Churado de Monte Puellarum.

Acta sunt hec que sequntur.

Item in die sancti Bartholomei convocatis omnibus magistris de nacione Anglicana ad Sanctum Maturinum hora prime, propositum fuit in deliberacione magistrorum predictorum tunc presencium : utrum placeret per modum expedientis quod quedam pecunia, qua tenebatur magister Chunradus nacioni, daretur ex parte nacionis, ut appellacio magistri Corardi de Monte Puellarum propter privationem suam mitteretur ad curiam, que quidem pecunia erat deputata pro luminaribus Beate Virginis, et infra V die[s] vel sex excogitaretur via acquirendi et habendi pecuniam alia[m], que poneretur loco pecunie concesse seu tradite pro litera appellacionis predicte ad curiam Romanam et solverentur luminaria Beate Virginis. Diliberabat (*sic*) major pars nacionis, quod placuit ei et esset expediens, quia nacio tunc non habebat aliam pecuniam, et quatenus [9] esset pro honore nacionis. Presentes fuerunt magistri : ego magister Ulricus de Augusta, procurator, magister Hugo Scotus, Chunradus de Monte Puellarum, magister Andreas de Polonia, magister Johannes de Gasparde, magister Theodoricus de Trajecto, magister Wernherus Wolframine.

Item die jovis [10] post festum sancti Egidii et Lupi

1. *Quae sequuntur usque* sed non erat *alio charactere.*
2. Debuit esse *inter lineas.*
3. *Cf.* Chartul., II, n° 545, *nota.*
4. 26 *Aprilis.*
5. 4 *Maii.*
6. *Vel :* Loude.
7. *Desunt* 13 *folia. In margine superiori fol.* 29 *legitur* : Tertius sexternus. *In medio, charactere moderno* : lib. Proc. ab n. D. 1338 ad 1347. Jourdain, Ind. chronol., n° 558, *quae sequuntur, ad an.* 1338 *remisit*; *sic etiam in* Archiv für Litteratur- und Kirchengesch. V. *Sed pertinent ad an.* 1337. *Vide infra* p. 24, not. 15, *ad finem an.* 1337.
8. 25 *Augusti.*
9. *Abbreviatio etiam pro* quantum.
10. 4 *Septembris.*

magister Chunradus de Monte Puellarum exposuit XXI denarios parisiens. in una taberna juxta abbatem de Cluniaco unacum quatuor procuratoribus et aliis magistris, qui tunc ibidem fuerunt.

Item die sabbati[1] Quatuor temporum ante [festum sancti] Michahelis expendimus nos tres procuratores *ad falces* cum aliis magistris trium nacionum[2] XV solidos, de quibus nacio nostra solvit V solidos.

Item uno vespere cum de Sancta Jenovefa venimus *ad barbam*[3] *auream*, expendimus ego, magistri Chonradus et Andreas de Polonia cum aliis magistris trium nacionum XVI denarios nomine nacionis.

Item anno ut supra in crastino[4] beati Mathei convocatis magistris singulis de nacione Anglicorum ad Sanctum Julianum pauperem, ego magister Ulricus fui continuatus et de novo electus in procuratorem predicte nacionis per pluralitatem vocum predictorum magistrorum. Magistri eligentes fuerunt scilicet Johannes de Constancia, Wernherus Wolframmi, Andreas de Polonia et Conradus de Monte Puellarum; magistri vero, scilicet Johannes de Gasparde, Theodricus de Trajecto eligerunt magistrum Phylippum Scotum, qui tunc absens erat et non interfuit congregacioni, nec fuit tunc regens verus, cui eciam magister Hugo[5] dedit vocem suam condicionaliter, si esset ydoneus eligi vel vellet acceptare, si non, ipse ex tunc michi tradidit vocem suam.

Acta sunt que secuntur :

(*Fol. 29* b) Item exposui ego magister Ulricus de Augusta pro honore et nomine nacionis *ad Barbias* juxta domum *elevantis* circa festum sancti Michahelis XVIII denarios, videlicet quibusdam magistris propinando, scilicet Picardorum et Normanorum.

Item dominus Suno de Swecia incepit sub magistro Philippo Scoto; [sub][6] magistro Chunrado de Monte Puellarum, sub quo fuit licenciatus, incipere non potuit, quia privatus fuerat[7]; cujus bursa IIII^or^ solidi.

Item ego magister Ulricus dedi XVI solidos magistro Grimerio[8] de receptis a magistro Sunone de Swecia, quos nacioni Anglicane mutuarat in appellacione transmissa ad curiam.

Item in crastino[9] sancti Dionisii convocatis omnibus a domino rectore Johanne de Vimarcio ad Sanctum Julianum pauperem ad eligendum novum rectorem, predictus rector nolebat ponere in deliberacione, utrum novus rector deb[er]et eligi; dicebat, quod nollet propter presenciam magistri Chunradi de Monte Puellarum, quem ipse dicebat esse privatum propter quandam discordiam prius motam inter tres naciones, scilicet Picardorum, Normanorum et Anglicorum ex una parte, et nacionem Gallicorum et magistrum Christianum ex altera parte. Accidit, quod predictus magister Chunradus exivit de Sancto Juliano quia ab Universitate fuit totaliter privatus[10]. Interim predictus rector posuit in deliberacione, utrum placeret eligere novum rectorem. Naciones quatuor traxerunt se ad partem. Naciones Gallicorum, Picardorum et Normanorum electores rectoris concorditer eligerunt; nacio vero Anglicorum nondum eligerat. Magister Chunradus predictus venit et sedit ad nacionem suam, quem nacio et major pars facultatis non dicebant nec habebant pro privato, et volebat eligere intrantem cum nacione sua. Tunc predictus magister Christianus[11] cum aliquibus personis nolebant procedere ad eligendum intrantem; excepe-runt contra jam dictum magistrum Chunradum. Ego vero magister Ulricus tunc procurator videns quod tarde erat, quasi hora none Nostre Domine, processi ad eligendum electorem, ne rector mitteret pro juniore theologo, qui loco electoris nacionis nostre intraret[12]. Primo protestabar, quod si aliquis interesset eleccioni electoris, qui ibi non deberet esse propter quamcumque causam vel cujus vox esset gratiosa, quod ejusdem presencia eleccioni in nullo (*Fol. 30*) prejudicaret, neque ejus vox ac vota valerent neque nocerent. Sic vero induxi, sufficienti prehabita protestacione, in singulis magistris ejusdem nacionis ibidem presentibus eosque per eorum juramenta requirendo, ut electorem eligerent. Magister vero Suno de Swecia, qui tunc erat junior magister, elegit me magistrum Ulricum de Augusta procuratorem existentem. Postea induxi in magistris videlicet Theodorico de Trajecto, Johanne de Brabancia. Nolebant eligere aliquem pro intrante, quia dicebant, quod eleccio nulla esset propter presenciam magistri Chrunradi predicti, quia privatus ab Universitate esset[13]. Deinde induxi in jam dicto magi-

1. 20 *Septembris.*
2. Anglicorum, *et verisimiliter* Picardorum et Normannorum.
3. *Ms.* varbam.
4. 22 *Septembris.*
5. Scotus.
6. *Scriptum erat* de consensu, *sed postea haec verba deleta sunt.*
7. *Inter lineas* incipere... fuerat.
8. Bonifacii.
9. 10 *Octobris.*
10. *Verba :* quia... privatus, *inter lineas, in textu verba :* nescio quo motu ductus, *eliminata.*
11. Bonifacii.
12. *Cf.* Chartul. Universitatis Parisiensis, n° 492.
13. quia... esset *inter lineas*

stro Chunrado, qui me predictum Ulricum procuratorem elegit. Item magister Andreas de Polonia me elegi[t], necnon magister Wernherus Wolfram me elegi[t]. Postea vero induxi in magistro Johanne Scoto de Rathey, qui nulli vocem suam dare volebat, quia dixit, quod non constaret sibi, utrum aliqui, qui intererant eleccioni, essent ydonei ad eligendum vel non; propter quod indifferenter ille se habebat. Postea vero induxi in magistro Johanne de Constancia, qui electionem meam finaliter confirmavit. Ego, inquantum Ulricus, dedi vocem meam magistro Andree jam dicto, non ut eligendo, sed ut daret eam cuicumque placeret, et inquantum procurator conclusi me pro electore seu intrante, substituens vero immediate magistrum Sunonem predictum pro procuratore substituto loco mei; idem vero substituit magistrum Andream loco sui.

Statim post rector vocavit quatuor procuratores ut redderent deliberaciones suarum nacionum. Quo facto accesserunt, et quivis procurator cujuslibet nacionis electorem presentabat. Predictus autem rector trium nacionum electores acceptabat, spreto quarto electore, scilicet nacionis Anglicane, dicens quod ipse rite et racionabiliter non fuerit electus propter presenciam quarundam personarum, quas non dicebat idoneas ad interessendum eleccioni, neque ipsum electorem predicte nacionis Anglicane volebat admittere ad jurandum [1] cum aliis electoribus, prout [2] est consuetum, propter hoc quia obiciebatur, quod dictus intrans per magistrum Choradum de Monte Puellarum fuerat electus, qui Corradus a tota Universitate fuit perpetuo privatus propter maleficium suum.

(*Fol. 30* b) Item proxima die martis [3] post festum sancti Dionysii convocatis omnibus magistris de nacione Anglicana actu regentibus hora none Sancti Jacobi ad Sanctum Maturinum, ad audiendum compotum magistri Johannis Scoti de Rathey de expensis factis ad curiam, omnibus hinc et inde computatis per eum et defalcatis, nacio remansit sibi tunc debita XII libras et XV solidos parisiens. Presentes fuerunt magistri : magister Ulricus de Augusta tunc procurator, Johannes Scotus de Rathay, Johannes Gasparde, Theodricus de Trajecto, Conradus de Monte Puellarum, et Andreas de Polonia, et magister Suno de Swecia.

Anno Domini ut supra, convocatis omnibus magistris de nacione Anglicorum ad Sanctum Julianum pauperem, proxima die lune [4] post festum sancti Luce hora prime, ad faciendum procuratorem in predicta nacione, ego magister Ulricus de Augusta fui continuatus in procuratorem et de novo electus ab omnibus magistris tunc presentibus concorditer unanimi [5] de consensu, nullo eorum penitus reclamante. Presentes fuerunt magistri Johannes de Constancia, Wernherus Wolframmi, Andreas de Polonia, Conradus de Monte Puellarum et Suno de Swecia.

Acta sunt ista que sequuntur :

Item proxima die martis [6] sequente, convocatis magistris omnibus de nacione Anglicana ad ordinandum, supplicandum et dispensandum etc. ad Sanctum Maturinum, in primis positum fuit in deliberacione et supplicatum, ut magister Conradus de Monte Puellarum haberet procuratorium cum sigillo nacionis ad curiam Romanam de appellatione facta per tres naciones, scilicet Picardorum, Normanorum et Anglicorum, cui concessum fuit, quia rigorosum erat, cum factum fuerit nacionis. Presentes fuerunt magistri : magister Hugo Scotus, ego magister Ulricus tunc procurator, magister Chunradus predictus. Predicta vero litera procuratorii fuerat lecta coram nobis, cui quidem procuratorio due naciones, scilicet Picardorum, Normanorum, sigilla eorum pariter appendebant.

Item die mercurii [7] proxima convocatis omnibus magistris ad supplicandum etc. ad Sanctum Julianum pauperem magister Theodricus de Trajecto supplicavit unam [8] literam supplicatoriam ad dominum papam et duas alias literas recommendacionis ad duos [9] cardinales, que litere sibi fuerant concesse a nacione. Presentes fuerunt magistri Hugo Scotus, magister Johannes de Kasperde, Theodoricus predictus, Suno de Swecia.

Item sequente [die] [10] vocatum fuit ad congregationem in primis ibidem, ut forma predictarum literarum videretur. Visa fuit et concessa, tamen tali condicione prehabita, ut si in aliquo contra nacionem suam forefecisset, ut aliqui asserebant, quod hoc in reversione sua de curia ad voluntatem nacionis emendare deberet, quod michi magistro Ulrico tunc procuratori et magistro Johanni Scoto de Rathey fide

1. *Ms.* rurandum.
2. *Inter lineas.*
3. 14 *Octobris.*
4. 20 *Octobris.*
5. *Ms.* ununimini.
6. 21 *Octobris.*
7. 22 *Octobris.*
8. *Ms.* unanan.
9. *Ms.* duas.
10. 23 *Octobris.*

data compromisit et paratus[1] erat emendare. Itaque literas optinuit sigillatas. Presentes fuerunt magistri Johannes Scotus, Theodoricus de Trajecto predictus.

Item sequente die[2] supplicavit Conradus major bedellus, ut sibi litera testimonialis sui pedellatus sigillaretur. In nacione concessum[3] fuit sibi, quia dicebatur rigorosum. Presentes fuerunt magistri Hugo Scotus, Philippus Scotus, Suno Swecus, magister Andreas de Polonia. Eidem magistro Andree fuerunt litere date a nacione ad dominum papam et ad duos cardinales in eadem congregacione ad Sanctum Marturinum, ab eisdemque magistris etc.

(*Fol. 31*) Item ego magister Ulricus de Augusta dedi Giligino pedellono nostro VIII solidos.

Anno Domini ut superius in crastino[4] sancti Eadimundi regis Anglicorum convocatis omnibus magistris regentibus de nacione Anglicana per juramenta eorum ad Sanctum Julianum pauperem, ut moris est, ad faciendum novum procuratorem, ego magister Ulricus sepedictus de Augusta fui de novo electus in procuratorem et continuatus. Presentes fuerunt magistri Wernherus Wolfram, Suno de Swecia, qui me concorditer de novo et consensu unanimi eligerunt.

Acta sunt que secuntur :

Item in vigilia[5] sancte Katerine post vesperas nostras ad Sanctum Cosmam ego magister Ulricus de Augusta solvi pro vino *ad Barbias*[6] XI denarios pro magistris et pedellis, qui in vesperis tunc fuerunt.

Item nacio Gallicana eodem tempore intimavit seu denunciavit tribus nacionibus, scilicet Pycardorum, Normanorum et Anglicorum, separacionem.

Item facta congregacione nacionis Anglicane super ista separacione magistrorum tam regencium quam non regencium ad Sanctum Maturinum in nonis Nostre Domine per juramenta, propositum fuit in deliberacione magistrorum in eadem congregacione de modo separandi, utrum videlicet placeret, quod[7] quoddam originale[8] seu statutum Symonis legati, quod in archa communi tunc esse credebatur, amministraretur[9] illis magistris deputatis ad separacionem nacionum, quibus omnibus placuit, et processum erat de consilio eorum. Magistri[10] presentes fuerunt, magistri Johannes Scotus antiquior in nacione, Hugo Scotus, Philippus Scotus, Johannes Scotus de Rathey, Johannes de Constancia, Wernherus Wolfram, Johannes Consilii et magister Suno de Swecia, quibus omnibus placuit concorditer de tali processu separacionis, quemadmodum aliis duabus nacionibus placuit, et de modo procedendi remiserunt ad alias naciones.

Item in die sancti Eligii[11] convocatis omnibus magistris de nacione Anglicana per juramenta sua regentibus et non regentibus ad Maturinum in nonis Nostre Domine, propositum fuit in deliberacione, cum per istos septem magistros legatos a sede apostolica[12], qui connoscere habent de causa separacionis, consultum fuerit tribus nacionibus, scilicet Picardorum, Normanorum et Anglicorum, ut ipsi se amicabiliter componerent cum Gallicis, ita[13] tamen quod omnia incepta ab hora electionis rectoris retractarentur et annullarentur, et privationem magistri Johannis de Vimarz revocarent, tres naciones : (*Fol. 31 b*) deliberatum fuit concorditer nullo contradicente, quod non retractarentur attemptatus, quod isti deputati in casu discernendo[14] procederent secundum justicie rigorem. Presentes fuerunt magistri Hugo Scotus, Johannes Consilii, Wernherus Wolframmi etc.

1337

Tempus magistri Sunonis de Swecia.

Item anno ut supra convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum ad eligendum novum procuratorem, ego magister Suno de Swecia electus fui in procuratorem nacionis Anglicane die lune qua cantabatur *O Sapiencia*[15] nullo penitus contradicente, cujus tempore acta sunt que sequuntur.

Primo apud dominos judices de casu separacionis die sequenti dicti Gallici reputati fuerunt contumaces, penam vero contumacie reservaverunt usque

1. *Ms.* paratas.
2. 24 *Octobris.*
3. *Ms.* concetessum.
4. 21 *Novembris.*
5. 24 *Novembris.*
6. *Vid. supra*, p. 19,30. *Ms. potius* Verarbias.
7. *Ms. addit* nos.
8. *Ms.* origale.
9. *Cf. documentum in* Chartul., n° 409.
10. *Ms. addit* fuerunt.
11. 1 *Decembris.*
12. *Cf.* Chartul., l. c., p. 454.
13. *Ms.* itaque.
14. *Ms. primo* causa discernenda.
15. *Haec antiphona Parisiis* 15 *Decemb. cantabatur* (*vid. supra in* Kalendario *notam ad* 15 *Decemb.*), *quae post an.* 1333 *et ante* 1339 *anno* 1337 *tantum in diem lunae incidebat.*

ad diffinitivam sentenciam, quam in fine multum invite contra dictos Gallicos promulgaverunt, o[rdinando] videlicet, quod dicti Gallici non possent procedere contra tres naciones de casu separacionis cognoscendo coram quocumque judice, nisi prius refunderent expensas, quas tamen taxare noluerunt, totum propter favorem Gallicorum.

Item relevatus fuit magister Conradus de Monte Puellarum per Universitatem, qui ab eadem Universitate privatus fuerat, quia privationem magistri Christiani, quam legerat in sermone, revocare noluit.

Item recepi XX solidos ex parte magistri J[ohannis] de Kynnart pro inceptione sua.

Item in una congregacione generali ad Sanctum Matulinum annullati fuerunt omnes processus coram judicibus et privaciones magistrorum Conradi et Johannis de Vimarcio propter bonum pacis et ex communi sensu ambarum partium.

Item quando fui in Castelleto exposui II obolos albos.

Item in taberna cum multis magistris nacionis XII denarios.

Item cum procuratoribus aliarum nacionum durante separacione exposui XII denarios.

Item notario nostro II solidos.

1338

(*Fol. 35*) .....deliberabant[1] sicut prius, et facultas theologie deliberabat magistrum Richardum[2] habere jus in eleccione, qui quidem magister Rychardus permansit rector pro tempore illius rectorie. In cujus procuracione[3] incepit dominus Ulricus de Uberlingen sub magistro Ulrico de Augusta, cujus bursa nichil.

1339

Tempore procuracionis magistri Ulrici de Augusta.

Anno Domini M.CCC°.XXXIX, die mercurii[4] post festum Epyphanie, convocatis omnibus magistris actu regentibus in nacione Anglicana aput Sanctum Julianum pauperem ut moris est ad eligendum procuratorem, electus fuit magister Ulricus de Augusta in procuratorem predicte nacionis, omnium magistrorum unanimi de consensu, in cujus tempore facta sunt que secuntur.

Primo vicegerens[5] conservatoris privilegiorum Universitatis et duo alii scolares de nacione Normannorum citati fuerunt personaliter ad curiam Romanam per dominum camerarium domini pape[6] occasione cujusdam exhortacionis, que de predicta curia conservatoris ut dicebatur emanabat, idemque vicegerens ex deliberacione Universitatis non comparuit personaliter, et sic contumax fuit reputatus.

Item dominus rector[7] ad instantiam abbatis de Flavinyaco[8] citatus est Senonis ex mandato apostolico.

Item eodem tempore deliberatum est propter quedam pericula que Universitati imminere videbantur, quod nuncii de Universitate solempniores pro factis communibus et de statu communi Universitatis tangentibus una pro provisione pauperum magistrorum ad curiam mitterentur.

Item eodem tempore incepit dominus Andreas Fr[e]ouati de Swecia sub magistro Sunone, cujus bursa XXVII denarii.

Item eodem tempore incepit dominus Nicolaus de Costfeldia sub magistro Johanne de Rathe Scoto, cujus bursa duo solidi.

Item dominus Nicolaus Johannis de Svecia incepit sub magistro Johanne Scoto de Rathe, cujus bursa IIII^or solidi.

1339

[Tempus procuracionis magistri Gerardi de Maerten.]

(*Fol. 35 b*) Anno Domini M°.CCC°.XXXIX°[9], die cinerum[10], convocatis omnibus magistris actu regentibus de nacione Anglicana apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem prout moris est, electus fuit in discordia in procuratorem predicte nacionis magister Gherardus de Maerten, qui concordia facta in predicta nacione procurator remansit pacifice et quiete.

In cujus tempore acta sunt que secuntur :

1. *Desunt tria folia in ms. an.* 1338 *continentia, et sic sententia manca est. Agitur de anno* 1338, *post* 15 *Decemb., cum novus rector jam electus esset.*
2. Richardum Varot Normannum.
3. *Nescimus quisnam fuerit procurator. Cf. note* 2.
4. 13 *Januarii.*
5. *Ms. :* vicegerentes. *Vicesgerens conservatoris (episc. Silvanectensis) fuit* Stephanus de Lingonis, canonicus et officialis episc. Silvanectensis; *duo scholares erant* Nicolaus de Gromesvillio et Wilhelmus de Thonavilla. *Cf.* Chartul. Univ. Paris., II, n^um 1014 *et notam ibid., et* n^um 1021.
6. Gasbertum, archiepisc. Arelatens.
7. Richardus Varot Normannus.
8. Guidonis ?
9. *Ms.* MCCCXXIX.
10. 10 *Februarii.*

Dominus Johannes Baldewini de Praga, cujus bursa IIII[or] solidi, pro scolis XXX solidi, determinavit.

Item dominus Theobaldus de Lucemborgh, cujus bursa IIII solidi, pro scolis XXX[ta] solidi.

Item dominus Johannes de Sybergh, cujus bursa III solidi, pro scolis XX solidi.

Item dominus Henricus de Colonia, cujus bursa IIII solidi, pro scolis XXX solidi.

sub mag. Ulrico de Augusta.

Item dominus Nicolaus de Skildebierhg sub magistro Ludgere, cujus bursa XX solidi, pro scolis XXX solidi.

1339

Tempus procuracionis magistri Andree Freouati de Smalandia.

Anno Domini 1338 more Gallicano, et secundum alios 1339, undecima die mensis Marcii, convocatis omnibus magistris actu regentibus in nacione Anglicana ad Sanctum Julianum pauperem ad faciendum procuratorem predicte nacionis, electus fuit magister Andreas, Freouati filius et Cecilie, regni Swecie, dyocesis Lincopensis, terre videlicet Smalandie de australi provincia Nydungie, parochie videlicet Hyalmsryd, ville scilicet Hedesryd[1], in procuratorem predicte nacionis Anglicane per pluralitatem vocum. Appellatione quadam interjecta, in dubio retinuit intersignia, ac tamen ultimate concordia omnium facta fuit, et sic procurator remansit.

In cujus tempore acta et scripta sunt que secuntur :

Nota quod plures Alemanni incipiunt annum in Circumcisione Domini, licet Gallici in festo Pascatis.

Primo illi, qui determinaverunt in alio mense precedente, non erant scripti, et ideo eos scripsi, quorum unus fuit dominus Thomas Haquini de Orabro, qui determinavit sub reverendo magistro Sunone de Swecia et in quadam summa pro scolis et pro bursis propter paupertatem et ex gratia magistri et magistrorum solvit nisi XVI solidos parisiens.; et post tamen quittabatur.

Item dominus Bero de Trinello Vesgotus sub magistro reverendo Mathia de Upsalia, cujus solutio burse consistebat in hoc quod scriberet pro nacione Anglicana, cum fuerit requisitus[2].

Item dominus Robertus de Cupir in Ffif Scotus, cujus bursa 3 solidi.

Item dominus Gwillelmus de Cupir in Ffif Scotus, cujus bursa 3 solidi.

sub magistro Johanne de Rat Scoto determinaverunt.

(*Fol. 36*) In cujus eciam procuratorio examinatores erant facti[3] isti : primo magister Mathias de Swecia Upsalensis dyocesis pro primo mense apud Sanctam Genovevam, magister Nicholaus de Vestfalia pro 2°, magister Andreas Freouati pro tercio mense.

Item in eodem mense, 13 die mensis Martii, electus fuit magister Nicholaus de Vestfalia ad eligendum rectorem, et electus fuit in rectorem Universitatis magister Richardus de Biliaco; tamen dicebatur quod magister Johannes de Bononio fuit prius electus et conclusus, et tamen propter bonum pacis concordiam honeste fecerunt.

Item in crastino electionis predicti rectoris computavit predecessor suus magister Richardus Varot Normannus, qui cum duobus rectoribus ipsum immediate precedentibus erat examinator predicti magistri Andree, et computatione facta et approbata per facultatem tenebatur sibi facultas in 24 solidis parisiens., et ivit secum facultas *ad Malleatos*, et comedebant et potabant magistri eodem die, et consumpti erant in fine 30 solidi, quos substitutus a domino rectore exponebat.

Item dominus Walterus de Moravia licenciatus erat sub magistro Ulrico de Augusta[4], cujus bursa nichil.

Item mensis ejusdem tempore deliberatum erat unanimiter in Universitate, quod mitterentur nuncii solempnes de qualibet facultate ad eundum ad curiam Romanam pro defensione quorundam privilegiorum Universitatis et maxime tangentium curiam conservatorum privilegiorum Universitatis[5]. Cum hoc eciam concessum fuit, quod mitterentur rotuli pro magistris cujuslibet facultatis, et deliberatum erat, ut videbatur, ut contribucio fieret, quod quilibet magister et scolaris solveret quartam partem burse sue[6]. Attamen postmodum facultas theologorum reclamavit. Et in ejus procuratorio concordia ad plenum non erat habita, et ideo non plus scribo de hoc.

1. *Quidam, ad irridendum istum procuratorem, in margine quinque manus designantes natalia hujus magistri delineavit. Praeterea legimus* Nota tetu..., notu bene.

2. *Verba* : cujus solutio... requisitus *in ms. deleta sunt. In margine alio charactere* : Nota pro deo istam procuracionem, que est satis fatua. *Vid. infra ad an.* 1340, *Novemb.* 18.

3. *Inter lineas.*

4. sub... Augusta *inter lineas.*

5. *Ad haec videas supra, p.* 26, 5.

6. *Cf.* Chartul. Univ. Paris., II, p. 674, *not.* 4.

Item dominus Johannes de Syberg Alemannus licenciatus erat sub magistro Ulrico de Augusta, cujus bursa 3 solidi cum 3 denariis.

Item deliberatum est, quod scolaris quidam nomine Selestinus[1] pro abusione quorundam privilegiorum, quia etiam fuit privatus in Montepessallano, ab Universitate Parisiensi privaretur. Et factum est ita.

Item bis sigillatum est in mense suo sigillo magno Universitatis.

Notatur[2] et questio magistri Petri de Polonia, corespondens fatuitati Andree; proponitur sub hac forma : utrum res, cujus substantia et accio est in temporis et eternitatis orizonte locata, ejusdem luminis evidencia utriusque emisperiorum ornamenta discernere possit.

1339

[Tempus procuracionis Mathie Laurentii de Succia.]

(*Fol. 36* b) Anno Domini M.CCC.XXXIX, die beati Ambrosii episcopi[3], in primis convocatis omnibus magistris actu regentibus in nacione Anglicana apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem nacionis predicte, qui propter subortam inter eos dissensionem procuratorem pro tunc facere nequiverunt, et ideo procurator precedens rectori tradidit intersignia requisitus per magistros aliquos nacionis. Et eadem die in nonis Beate Virginis rector[4] vocabat magistros nacionis predicte ad Sanctum Maturinum ad procuratorem faciendum. Et secundum voluntates omnium per viam spiritus sancti procedens, nominavit magistrum Mathiam Laurencii de Suecia in procuratorem et inducens per singulos vota omnium in ipsum consenciencia reperit, et ob hoc ipsum procuratorem conclusit et intersigniis investivit.

In cujus procuratoria acta et ordinata fuerunt, que inmediate inferius sunt subscripta.

Primo, quia pro contribucione fienda ad mittendum nuncios ad curiam consensus omnium magistrorum habebatur, theologis dumtaxat exceptis, et quia alii reputabant expediens, ut contribucio fieret, deliberatum fuit ad habendum concordiam quod magistri in theologia actu regentes a sex leccionibus ordinariis privarentur, nisi se in proxima sequenti congregacione generali in proposito aliis conformarent. Facta vero congregacione sequenti theologi in contribucionem sicut alii consenserunt. Quantitas autem contribucionis predicte erat, quod quilibet gaudens privilegiis Universitatis, scilicet magistri regentes et non regentes, scolares seculares et regulares tam de domibus collegiatis quam alii, exceptis tantum fratribus mendicantibus, quartam partem burse unius septimane persolveret sub pena privacionis, si juratus, sub pena resecacionis, si scolaris non juratus, et sub pena amissionis officii, si librarius, pergamenarius, illuminator sive scriptor, qui omnes ad contribuendum astringebantur, sicut magistri vel scolares. Modus vero recipiendi contribucionem deliberatus per Universitatem fuit talis, quod deputati de qualibet facultate una cum rectore et procuratoribus sederent ad Sanctum Maturinum, et ibi reciperent ab omnibus magistris et scolaribus, etc., qui ibi tam per scolas quam in sermonibus publicis vocabantur. Item deliberatum fuit, quod qui jam in principio deputarentur ad levandum predictam contribucionem, remanerent in suis officiis quantum ad hoc, quousque contribucio esset facta.

Item deputatus fuit magister Mathias Laurencii de Swecia ex parte nacionis Anglicane ad levandum contribucionem predictam.

Item licenciatus fuit dominus Nicholaus de Skildekierhge sub magistro Ludgero, cujus bursa V solidi.

Item incepit idem dominus Nicholaus sub eodem magistro Ludgero, cujus bursa V solidi.

Item concessi fuerunt in tercio mense ad Sanctam Genovepham IIII subrogati, unus cuilibet nacioni.

1339

(*Fol. 37*) Tempore procuracionis magistri Nicolai de Schiltberghe.

Anno Domini M.CCC.XXXIX, in vigilia[5] Ascensionis Domini, convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane actu regentibus hora prime apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem, ut moris est, electus fuit magister Nicolaus de Schiltberghe in procuratorem nacionis predicte concorditer unanimi de consensu omnium magistrorum, nullo penitus reclamante, in cujus procuracione acta sunt que sequuntur :

Dominus Robertus Cuppir Scotus licenciatus fuit sub magistro Nicolao de Cosfeldia, cujus bursa III solidi.

1. *Scil.* Coelestinus Seguerii (Séguier), *de quo v.* Chart. II, nᵘᵐ 1027, *et not.*, *et* FOURNIER, Statuts et privil., II, nᵘᵐ 1058.
2. *Haec nota alio charactere scripta est.*
3. *4 Aprilis, die dominica.*
4. Richardus de Biliaco.
5. 5 *Maii.*

Dominus Thomas Haquini de Swecia tenetur nacioni de determinacione sua XVI solidis, et supplicavit nacioni, allegans paupertatem suam, ut parceret sibi ad presens et exspectaret illam pecuniam, quia pro certo pro nunc solvere non posset, quia sibi pecunia de partibus non venit, et dixit quod oporteret ipsum ire ad partes propter defectum pecunie et paupertatem, quos XVI solidos promisit solvere nacioni quandocumque primitus rediret Parysius et tantum haberet quod persolvere posset. Si vero non rediret Parysius, juravit quod transmitteret eos nacioni Parysius, quandocumque primitus pecuniam habere posset. Et suffecit nacioni in istis promissionibus et juramentis in vigilia[1] Corporis Christi.

Anno Domini M.CCC.XXXIX, in vigilia Corporis Christi, convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane actu regentibus apud Sanctum Maturinum hora prime, ad audiendum compotum receptoris de determinantibus et de licenciatis et incipientibus in artibus, computavit magister Suno de Succia receptor, ita quod summa totalis extendebat se super XXXII libras cum XVIII solidis et IX denariis parysiens. denariis preter Robertum Scotum et dominum Thomam Haquini supradictum, qui scilicet Thomas juravit nacioni solvere illos XVI solidos de determinacione sua juxta formam suprascriptam. Et ille dominus Robertus Scotus tempore compoti adhuc erat in examine, et ideo ab ipso receptor de licencia sua adhuc nichil recepit et adhuc solvere tenetur, postquam fuerit licenciatus vel quando debeat licenciari. Et predictus receptor debet adhuc computare totum illud, quod expendebat de predicta summa pecunie tam pro scolis magistrorum predicte nacionis scolas persolvere tenencium, quam pro solucione bursarum, bedellorum et alia quecumque exposuit et solvit in usum predicte nacionis. Et si solutis solvendis omnibus aliquid predicte pecunie maneat residuum, quid de hoc residuo nacio factura erit, deliberabit, et receptor refundet nacioni, juxta suam ordinacionem de residuo pecunie memorate. Verumptamen idem receptor magister Suno protestatus fuit pro tunc coram nacione, et nacio sibi reservavit, quod si plura posset invenire que pro presenti non computavit, alias computaret quando esset requisitus. Et predictus compotus condicionaliter concessus fuit, quia videbatur erratum fuisse in ponendo.

Anno Domini M.CCC.XXXIX, die prima Junii, apud Sanctum Maturinum congregacione facta nacionis Anglicane ad ordinandum de pecunia nacionis, fuerunt concesse et date magistro Ulrico de Augusta nuncio ad curiam VII libre, que remanserunt solutis solvendis de pecunia nacionis.

Ego[2] Nicolaus de Columbi fui presens in dicta concessione facta dicto nuncio per magistros Nicolaum Schiltberghe procuratorem nacionis, Warnerum Woulfran, Ulricum de Vuerlinghen dicte nacionis, anno et die predictis, presentibus Corrardo et Egidio bedellis dicte nacionis, et Henrico de Rosenberg, testibus etc.

1339

Tempus procuracionis magistri Nicolai de Schiltberghe.

Anno Domini M.CCC.XXXIX, sequenti die[3] Nicomedis martiris, convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane actu regentibus hora prime Nostre Domine apud Sanctum Julianum pauperem, ut moris est, ad faciendum novum procuratorem, ego magister Nicolaus de Schiltberghe supradictus fui de novo electus in procuratorem predicte nacionis et continuatus concorditer unanimi de consensu omnium magistrorum, nullo penitus reclamante.

Acta sunt que sequuntur :

Dominus Patricius Scotus licenciatus fuit sub magistro Johanne Rath Scoto, cujus bursa IIII^or solidi.

Dominus Gherhardus de Colonia licenciatus fuit sub magistro Ulrico de Augusta, cujus bursa IIII solidi.

(*Fol.* 37[b]) Anno Domini 1339, sabbato[4] ante festum Petri et Pauli apostolorum, predictus procurator, scilicet magister Nicholaus de Schiltberghe, cum esset recessurus de villa Parisiensi, in congregacione nacionis nostre scilicet Anglicane hora nonarum Nostre Domine apud Sanctum Maturinum substituebat in procuratorem magistrum Wernerum dictum Wolfram.

Tempore cujus acta sunt que secuntur :

Dominus Gosvinus Dozeborghensis licenciatus est apud Nostram Dominam sub magistro Johanne de Rathe Scoto die lune[5] ante octabas apostolorum Petri et Pauli, cujus bursa nichil.

1. 25 *Maii.*
2. *Alio charactere.*
3. 2 *Junii.*
4. 26 *Junii.*
5. 5 *Julii.*

1339

Tempus procuracionis magistri Werneri Wolfram.

Anno Domini 1339, die veneris[1] post festum sancti Bartholomei, apud Sanctum Maturinum omnibus magistris actu regentibus in nacione Anglicana convocatis ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer ab omnibus magister Wernerus Wolfram in procuratorem dicte nacionis, nullo penitus reclamante.

Tempore cujus acta sunt que secuntur.

Die sabbati[2] post Nativitatem beate Virginis apud Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine facta fuit congregacio magistrorum regentium in facultate arcium, et in terciis congregacio generalis sive Universitatis.

Ibidem ad predictam horam convocati fuerunt ad congregacionem nacionis Anglicane scilicet in primis Nostre Domine omnes magistri regentes ejusdem nacionis ad ordinandum et despensandum seu statuendum et pro supplicacionibus, in qua congregacione hec sunt acta.

Primo enim tractabatur de quibusdam discordiis totaliter sedandis in nacione ortis inde, quod magister Suno de Svecia, qui anno preterito fuit receptor pecunie nacionis, ut patet in alio latere hujus folii[3], et recessit de villa Parisiensi, et non refundebat pecuniam, quam debuisset nacioni refudisse; et magister Mathias de Svecia dicebat, quod magister Suno intimasset sibi, quod sepedictus magister Suno vellet retinere quadraginta solidos parisiens. pro laboribus suis, et supposito quod hoc placeret nacioni, predictus magister Mathias libenter de residuo computaret et pro possibilitate nacioni refunderet; sed quia magna dampna illo anno in multis sustulerit et valde dampnificatus esset, supplicavit, ut fieret bona concordia super hiis. Et concordatum fuit in hoc, quod magister Suno non haberet illam pecuniam, scilicet 40 solidos, sed essent pro magistro Mathia, et hoc quia magister Suno nuncquam pro hiis supplicavit, nec poterat sibi ipsi remuneracionem facere de pecunia nacionis, et quod magister Mathias refunderet pro magistro Sunone quadraginta solidos parisiens., et tunc nacio quitaret magistrum Sunonem in absencia sui nec aliquid plus contra ipsum faceret super hiis. Adjecto tamen quod si contingeret magistrum Sunonem cum fortuna pinguiori redire Parisius, quod plenius refunderet nacioni; et super hiis magister Mathias haberet litteram sigillo nacionis sigillatam. Dicebat eciam, et pluries, magister Mathias, quod adhuc essent plures, qui tenerentur nacioni.

Item tunc ibidem per procuratorem erat propositum, quod sciret unum scolarem de nacione nostra intelligentem et discretum, qui multum desideraret ut esset reputatus determinans solutis solvendis, et dicebat magister Mathias, quod alias deliberatum fuit, quod quelibet nacio haberet unum, et omnes habuerunt excepta nacione nostra, unde adhuc deberet habere illum. Et supplicatum fuit per prenominatum procuratorem, si ita esset, de quo tamen vellet plenius informari, quod haberet illum. Quod concessum fuit ab omnibus multum benigne.

Item in vigilia[4] beati Mathei convocatis omnibus magistris regentibus in primis Nostre Domine apud Sanctum Julianum pauperem ad congregacionem nacionis Anglicane ad ordinandum etc. ut supra : petitum erat a bedellis ambobus, scilicet Conrado et Gillekino, utrum constaret eis quod nacio deberet habere unum reputatum determinantem solutis solvendis. Dicebat quilibet quod utique constaret sibi, quod sic, et supplicatum fuit iterato per predictum procuratorem, quod posset illum habere, et iterato benigne concessum fuit. Item tunc ibidem supplicavit nacio predicto Conrado principali bedello, ut responderet Harrico principali bedello pro quibusdam scolis, scilicet duabus *ad longum introitum*, pro quibus nacio litigavit[5] et obtinuit, et promisit Conradum reddere indempnem, et quod super hoc ipse haberet litteram signatam sigillo seu signeto rectoris[6].

1. 27 *Augusti.*
2. 11 *Septembris.*
3. *Fol.* 37.
4. 20 *Septembris.*
5. *Hae scholae non erant proprietas nationis, sed conducebantur a natione.*
6. *Alio charactere, jam evanido, sed coaevo, hi versus in margine inferiori annotati sunt :*

Jure magistratus
Quidam fungens titulatus
In tali cura
Dabat hic non nomina plura,
Sed solum nomen
Proprium. Post corruit omen,
Annis bis denis
Transactis, hoc quoque penis
Multis inbuto,
Rogitans tutamine tuto
Tunc suffragari,
Non ullo fertur amari
Causa tibi detur :
Omnis nescire fatetur,
Unde fuit natus
Nec patre ve matre vocatus.
Principiis obsta, sero medicina paratur.

Supra vocem cura (*lin.* 3) *scriptum est :* id est procuratoris. *In ea procuratione nec licentiati, nec determinantes nominantur; neque ipse Wernerus Wolfram qua regione natus sit sciri potest. Ceterum mediocri sensu contentus fuit is poeta, cujus versus in duas partes divisimus.*

1339

[Tempus procurationis magistri Mathie de Suecia.]

(*Fol. 38*)[1] Anno Domini M°.CCC°.XXXIX, die veneris[2] post [festum] Mathei apostoli, convocatis ad Sanctum Julianum pauperem omnibus magistris actu regentibus in nacione Anglicana ad faciendum procuratorem, electus fuit concorditer ab omnibus in procuratorem nacionis predicte magister Mathias de Svecia, in cujus tempore acta sunt que sequuntur.

In primis post reditum nunciorum de curia vacuis manibus — in presencia enim summi pontificis nullam penitus graciam propter ejus duriciam poterant optinere[3] — decretum fuit per magistros et scolares in quadam congregacione generali, quod originalia privilegiorum, que papa videre voluit[4], sibi mitterentur, et fiebat contribucio per singulas facultates pro pecunia danda nuncio. Et tunc dictus procurator solvit contribucionem ex parte nacionis Anglicane.

Duo statuta facta in facultate et approbata quatuor nacionum sigillis et signeto rectoris fecit copiari in *libro nacionis* per manum pubplicam[5]. Solvit autem contribucionem et pro dicta copia de pecunia, in qua nacioni tenebatur, et residuum pecunie, in qua obligatus fuit, indulgebat sibi nacio, cum[6] semel super hoc fecit congregacionem nacionis. Et in eadem congregacione dedit nacio magistro Nicholao de Gothfeldia unum determinantem, qui in facultate fuit concessus nacioni nostre solutis solvendis.

Item reputatus fuit determinans dominus Johannes[7] sub magistro Vernero, cujus bursa 5 solidi.

Item electus fuit in rectorem concorditer magister Philippus Scotus.

1339

Tempus procuracionis magistri Andree Freouati de Smalandia.

Anno Domino millesimo CCC°XXX° nono, XI kalendas Novembris[8], convocatis omnibus magistris actu regentibus in nacione Anglicana apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, ut moris est, electus fuit concorditer ab omnibus magister Andreas Freouati de Smalandia in Swecia in procuratorem predicte nacionis Anglicane simpliciter et penitus nullo reclamante.

Pauca fuerunt in hoc tempore facta notanda, preterquam quod Universitas semel congregata quandam litteram de Avinione recepit[9] destinatam, nichilominus et tunc decretum erat, residuum contribucionis non collecte pro negocio, ad quod prius deputabatur dicta contribucio, ab hiis qui non satisfecerunt colligi et extorqueri, et cetera..., nisi[10] quod rector et Universitas tota citata fuit ad curiam Romanam causa cujusdam litis vergentis inter Universitatem et juratos suos in capitulo Parisiensi prebendatos[11].

Item computavit magister Philippus Scotus de rectoria sua, et computacione facta et per facultatem approbata tenebatur sibi facultas in 28 solidis, quam pecuniam magistri facultatis pro tunc perpotabant, et illam pecuniam rector subsequens prestavit facultati.

1339

(*Fol. 38 b*) Tempus procuracionis magistri Andree Freouati.

Anno Domini 1339, 16 kalendas Januarii[12], convocatis omnibus magistris actu regentibus in nacione Anglicana apud Sanctum Julianum ad faciendum procuratorem dicte nacionis, electus fuit concorditer in procuratorem magister Andreas Freouati, nullo penitus reclamante. Et eleccione facta hii magistri simul potaverunt, qui secuntur : magister Philippus Scotus, magister Conradus de Monte Puellarum, magister Vernerus, et ipse procurator.

Item pertransito illo mense in anno Domini 1340 secundum curiam Romanam, die scilicet 19 kalendas Februarii[13], convocatis iterum magistris ut prius ad faciendum procuratorem, continuatus fuit predictus magister ex communi consensu omnium.

In cujus tempore acta sunt hec :

Primo convocatis omnibus magistris dicte nacionis ad faciendum officiales, electus fuit magister Conradus de Monte Puellarum in examinatorem primi mensis apud Sanctam Genovefam, magister Andreas pro 2°, magister Mathias pro 3°, et iidem[14] tres

1. *In margine superiori* Quartus sexternus.
2. 24 *Septembris.*
3. *Cf.* Chartul. Univ. Paris., II, n^um 1013, *not.* 2.
4. *An.* 1339, *Julii* 1. *Cf.* Chartul., II, n^um 1021.
5. *Sunt ea* (*Septembris* 25 *et* 27), *quae in* Chartul. *n^is* 1023 *et* 1024 *edidimus.*
6. *Forte legi debet* tamen.
7. *Postea spatium.*
8. 22 *Octobris.*
9. *Vix esse potest epistola Benedicti XII, de qua infra.*
10. *Quae sequuntur, scripta sunt alio charactere.*
11. *Cf.* Chartul. Univers. Paris., II, n° 1826, *notam.*
12. 17 *Decembris.*
13. 14 *Januarii.*
14. *Ms.* eidem.

in examinatores determinancium consequenter sunt electi.

Item venit quedam littera de Avinione de inibicione, ne per Universitatem aliquid contra canonicos juratos suos in ecclesia Parisiensi prebendatos attemptetur vel innovetur, lite dumtaxat pendente inter illas partes de solucione contribucionis, quam predicti jurati persolvere refutabant[1].

Item modicum post alia littera de procuratoribus Universitatis in Avinione percunctantibus fuit destinata[2], in qua cavebatur quod Universitas pariter duas contumacias per procuraciones predictorum juratorum et ad eorum instancias incurrebat. Qui quidem jurati prolongacionem diei et continuacionem totius litis usque ad festum Paschatis in presencia regis Francie prius promittebant. Quibus non obstantibus continue in Avinione in causa acriter procedebant et plurimis congregacionibus generalibus necnon etiam accessibus ad regem per deputatos, semel etiam per omnes scolares universaliter et alios super hoc factis, in nullam concordiam super hiis predicti jurati concordari [potuerunt], nec propter vacaciones Universitatis a leccionibus nec propter supplicaciones vel requestras regis.

1340

Tempus procuracionis magistri Conradi de Monte Puellarum.

Anno Domini M°CCC° 40, convocatis magistris nacionis Anglicane ad Sanctum Maturinum super defectu procuratoris, electus fuit eodem scilicet anno die proxima[3] post kathedram sancti Petri magister Conradus de Monte Puellarum in procuratorem ejusdem nacionis, in cujus tempore acta sunt que sequuntur.

In primis dominus Normannus Scotus dictus de Lessely determinavit sub magistro Johanne de Ratthe[4] Scoto, cujus bursa 5 solidi.

Item dominus Thomas de Kynnenmont Scotus sub eodem, cujus burse 5 solidi.

Item dominus Galtherus de Sancto Claro Scotus sub eodem, cujus bursa 5 solidi.

Item Galtherus de Wardlach Scotus sub eodem, cujus bursa...

Item Johannes Sybbald Scotus sub eodem, cujus bursa nichil.

Item dominus Suno de Swecia dictus Karoli sub ipso procuratore, cujus bursa 4^{or} solidi cum dimidio.

Item dominus Nycolaus Gossek de Polonia sub eodem, cujus bursa nichil.

Item dominus Thomas de Caliga Rubea dictus et de Treveris sub eodem, cujus bursa 5 solidi.

Item dominus Petrus de Swecia dictus Alendensis sub magistro Mathya de Swecia, cujus burse 4^{or} solidi cum dimidio.

Item dominus Conradus Conradi de Swecia sub eodem, cujus bursa 4^{or} solidi cum dimidio[5].

(*Fol. 39*) Item mense predicte procuracionis finito magister Conradus predictus continuatus fuit in procuratorem dicte nacionis[6], et facta sunt que secuntur.

Inprimis datus est actus determinandi, diu est, nacioni Anglicane per hunc modum, quia cuilibet nacioni in facultate arcium datus est unus determinans solutis solvendis, quem nacio Anglicana dedit magistro Andree de Swecia, et idem actus determinandi tandem datus est venerabili viro domino Roryco de Sternberg sive de Monte Stellarum, bachalario licenciato, presentibus annis duobus.

Item finito mense jam dicto, iterum continuatus est magister Conradus predictus in procuratorem[7], et facta sunt, que sequuntur.

In primis dominus Nycolaus Drukken de Dacia licenciatus fuit aput Nostram Dominam sub magistro Johanne de Rathe Scoto, cujus burse nichil, die lune[8] proxima post festum translacionis beati Nycolai.

Item dominus Petrus de Trajecto superiori licenciatus fuit eadem die et in eodem loco sub magistro Ulrico de Augusta, cujus burse 3 solidi cum 9 denariis.

1340

Procuracio magistri Ulrici de Augusta.

Anno Domini M°CCC°XL[9] convocatis omnibus magistris de nacione Anglicana actu regentibus apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem hora prime, electus fuit in procurato-

1. *Epistola Benedicti XII an.* 1339, *Octob.* 6, *in* Chartul. Univers. Paris., II, n° 1026.
2. *Cf. epist. Benedicti XII an.* 1340, *Febr.* 20, *in* Chartul., II, n° 1033.
3. 23 *Februarii.*
4. *Ad marginem :* dedit scutum tantum.
5. *In margine inferiori :* ultimi 2 obligaverunt 5 libros juris in solidum.
6. *Circa vel post* 10 *Martii.*
7. *Circa vel post* 7 *Aprilis.*
8. 15 *Maii.*
9. *Ms.* : MCCCLX.

rem magister Ulricus de Augusta die lune[1] in die Rogationum, in cujus procuracione facta sunt, que secuntur.

Item dominus Suno Karoli de Svecia licenciatus fuit apud Nostram Dominam sub magistro Chonrado de Monte Puellarum, cujus bursa IIII solidi cum dimidio.

Item eodem tempore licenciatus fuit apud Nostram [Dominam] Galtherus de Wardlach sub magistro Johanne de Rathe Scoto, cujus bursa nichil[2].

1340

[Procuratio magistri Conradi de Monte Puellarum.]

Anno Domini M° etc. sicut prius, in fine mensis[3] procuracionis magistri predicti magistri Ulrici de Augusta electus fuit iterato magister Conradus de Monte Puellarum in procuratorem nacionis Anglicane, in cujus tempore sunt acta que secuntur.

In primis licenciatus fuit dominus Gwillelmus de Cupir in Ffif Scotus aput Nostram Dominam sub magistro Johanne de Rathe Scoto, cujus bursa 3 sol.

Item licenciatus fuit ibidem dominus Bero de Trinello Swecus sub magistro Mathya de Swecia, cujus burse nichil.

Item computatum fuit per eundem magistrum Conradum de receptis per eum ex parte nacionis ejusdem anni proxima die dominica[4] post translacionem beati Martini, et fuit summa per ipsum recepta 21 libre cum 16 solidis et 3 denariis, excepta pecunia cujusdam baccalarii, scilicet domini Roryci superius scripti.

Item solutis bedellis nacionis et Nostra Domina ut moris est et datis de gracia nacionis utrique bedellorum X solidis, similiter solutis scolis, scilicet scola *ad septem artes* super terram[5] quantum ad 50 solidos, et duabus scolis *ad longum introitum* quantum ad 40 solidos, et defalcatis aliis per predictum receptorem solutis summa relicta fuit undecim libre et 3 denarii, excepta semper pecunia domini Roryci.

Item in die beati Oswaldi regis[6], id est in die sabbati post [festum] Petri ad Vincula, dominus Ro̊ricus predictus solvit nacioni, cujus burse octo solidi. Qui dominus Ro̊ricus impetravit eodem die a nacione litteras testimoniales de gracia sibi facta quantum ad actum determinacionis sue, ut superius est expressum, et concesse sunt ei facta congregacione nacionis ad Sanctam Genovefam.

Item in tempore procuracionis predicte ordinatum fuit per facultatem arcium, ut unusquisque magistrorum actu regencium in facultate arcium in actibus publicis portaret bonetum sive byrretum in capite suo.

Item quod haberentur scampna in scolis artistarum.

Summa per scolares determinantes recepta : centum solidi.

Item XXV solidi a magistro Sunone de Svecia in sua incepcione.

Item XVI solidi de magistro Mathia in quo tenebatur nacioni pro luminari Nostre Domine. Et sic summa prima, scilicet undecim libre et tres denarii, cum istis particulis summa totalis est XVIII libre et XV denarii.

De qua summa totali defalcanda sunt, que sequntur :

Primo XLVII solidi pro scamnis.

Item ballivo XVI solidi cum dimidio.

In taberna III solidi cum dimidio.

Item XVI denarii post fu[sionem] domini Rorici.

Item IIII solidi in presentia magistri Philippi.

Item pro refusione V solidi.

Item Gilkino IIII solidi, scilicet dimidium burse domini Rorici.

Item Cunrado bedello VIIII solidi.

Item IIII solidi pro luminari Nostre Domine.

Item II solidi cum dimidio Gilkino pro bursis magistri Sunonis.

Alteri bedello V solidi.

Item luminari II solidi cum dimidio[7].

(*Fol. 40*) Unde facto compoto finali cum magistro Cunrado receptore nacionis Anglicane anni etc. XL^{mi}, computatis omnibus computandis et defalcandis defalcatis in presencia totius nacionis, videlicet magistrorum regencium ad computandum vocatorum, predictus magister Cunradus tenebatur dicte nacioni in XII libris, XVII solidis et XI denariis.

Item idem magister Cunradus tenetur nacioni in 4^{or} solidis et VIII denariis pro Cunrado bedello principali.

1. 22 *Maii.*
2. Nichil *deletum est.*
3. *Circa* 30 *Junii.*
4. 9 *Julii.*
5. *Has scholas natio Anglicana, ut infra ad an.* 1370, 14 *septemb. narratur, « a longis et magnis retroactis temporibus, ipsas locando, competentem pensionem et sallarium solvendo pro eisdem » possidebat. An.* 1370 *venditioni erant expositae. Vid. infra.*
6. 5 Augusti.
7. *Postea sequitur :* Transferendum usque ibi Θ. *Revera in principio fol.* 40 *occurrit hoc signum cum his quae sequuntur.*

(*Fol. 39*) Summa defalcanda : V libre, III solidi, IIII denarii.

1340

(*Fol. 39* [b]) Procuracio magistri Ulrici de Augusta.

Anno Domini M°CCC°XL., proxima die sabbati [1] post festum sancti Bartholomei, hora prime vocatis omnibus magistris de nacione Anglicana actu regentibus apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, ut moris, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Ulricus de Augusta, in cujus procuracione facta sunt que secuntur.

Primo venerabilis vir magister Petrus de Croso in theologia, provisor tunc domus magistrorum de Sorbona, red[d]idit compotum pro se et pro predecessoribus suis quasi de quinque annis de expensis et omnibus bonis factis et receptis pro predicta domo. Recipientes compotum ab eodem magistro Petro predicto fuerunt magistri Symo de Lombardia, substitutus domini rectoris Johannis de Bononya, venerabilis vir magister Johannes Idergen, magister theo[logie], quidam medicus [2], Alanus de Villacollis, Johannes Moredas, Grunerus Bonifacii, Ulricus de Augusta, procuratores quatuor nacionum, Nicolaus de Chesin pedellus Gallicorum, Heinricus pedellus Normannorum, Chunradus et Giliginus Anglicorum pedelli etc.

Item dominus Suno Karoli de Svecia incepit in artibus sub magistro Chonrado de Monte Puellarum, cujus bursa V solidi.

Ulricus.

Anno Domini ut supra etc. vocatis omnibus magistris de nacione Anglicana ad faciendum procuratorem, die sabbati [3] proxima post [festum] Mathei, ut moris, hora prime apud Sanctum Julianum pauperem continuatus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Ulricus de Augusta nullo reclamante.

In cujus procuracione facta sunt que secuntur, videlicet magister Johannes Brudan (*sic*) de nacione Picardorum electus fuit in rectorem Universitatis Parisiensis.

1340

Procuracio magistri Johannis de Kynhard Scoti.

Anno Domini eodem, die sabbati [4] proxima post festum sancti Luce evangeliste, vocatis omnibus magistris de nacione Anglicana hora prima apud sanctum Julianum pauperem et ibidem existentibus omnibus regentibus ad eligendum procuratorem, ut moris est, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Johannes de Kynhard Scotus nullo reclamante, in cujus procuracione facta sunt que sequuntur.

Primo facta congregacione generali 4[or] facultatum apud Sanctum Matulinum die veneris [5] in vigilia sanctorum Symonis et Jude dabantur deputati concorditer in omni facultate ad conferendum quamdam capellaniam tunc vacantem per mortem magistri Willelmi Hottok, pie memorie canonici Nostre Domine Parisiensis, ad voluntatem domini rectoris vocandi super hoc.

Secundo quod viderentur articuli alias per deputatos super hoc electi ad dominum regem mittendi, si essent sufficientes et edonei; si sic, mitterentur, si non, novi per deputatos ordinarentur.

3° Quod nuntius [6] mitteretur ad curiam super privilegiis innovandis vel aliis impetrandis.

4° Quod inquireretur deligenter de petentibus pecuniam de Prato nostro juxta Sanctum Germanum pro animalibus ibidem pascentibus inconsulta domina Universitate.

Item vocatis procuratoribus 4 nacionum in facultate arcium una cum deputatis aliarum trium facultatum apud Sanctum Maturinum hora prima conferebatur dicta capellania magistro Grunero [7] Bonifacii nacionis Normannorum in die sabbati [8] proxima ante festum Omnium Sanctorum.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Matulinum dominica sequenti [9] magister Cunradus de Monte Puellarum computavit cum nacione de pecunia recepta anni etc. XL, sic quod omnibus computatis computandis et defalcatis defalcandis predictus magister Cunradus debet refundere nacioni XII libras XVII solidos et XI denarios, preter bursam domini Rorici.

1. 26 *Augusti*.
2. *Postea spatium in ms.*
3. 23 *Septembris*.
4. 21 *Octobris*.
5. 27 *Octobris*.
6. *Ms.* nō mitteretur.
7. *Ms.* Giennero.
8. 28 *Octobris*.
9. 29 *Octobris*.

Item eodem die electus fuit in receptorem pecunie nacionis magister Ulricus de Augusta.

Item in receptorem luminaris Beate Virginis magister Suno de Swecia.

4° In eodem die concessus fuit quidam determinans solutis solvendis magistro Johanni de Kynhard.

Item in die lune[1] proximo post festum Omnium Sanctorum computavit magister Johannes de Bolonia de tempore rectorie sue sic, quod tenebatur in IIII solidis parisiens., quos refudit inmediate ad potandum una cum residuo XI solid.

Item facta congregacione apud Sanctum Maturinum ad supplicandum supplicavit magister Cunradus de Monte Puellarum, quatinus recomendetur duci Austrie et comunitati ville de Wyenna[2], cujus supplicatio concessa fuit modo specialiori quo poposcit in vigilia[3] sancti Martini hora vesperarum.

Item facta congregacione apud Sanctum Maturinum ad statuendum et ordinandum ordinatum fuit, quod haberemus unam cistam communem cum tribus clavibus, in qua ponatur pecunia nacionis recepta per receptorem nacionis[4]. (*Fol. 40.*)

Item[5] facta congregacione apud Sanctum Maturinum super statuendo statutum fuit, quod in die eleccionis procuratoris in nacione procurator precedens debet apportare librum et papirum, sigillum cum clavibus, non (?) proponendo obstantia[6], ne successor in alico valeat prejudicari[7].

Item confirmatum fuit per magistros regentes dicte nacionis illud statutum factum tempore magistri Johannis de Scenighen procuratoris anno etc. XXXIIII°[8], videlicet quod mense retroacto cujuslibet procuratoris vocaretur in presencia magistrorum nacionis et legeretur papirus de omnibus actis temporis sue procuracionis, et hoc fuit statutum, ut irrevocabiliter in posterum servaretur incorruptum.

1340

Procuracio magistri Sunonis Karoli de Swecia.

Anno Domini M°CCC°XL°, die sabati[9] proximo ante festum Eadmundi regis et martyris, convocatis magistris universis nacionis Anglicane hora prima apud Sanctum Julianum pauperem ad procuratorem eligendum, ut moris est, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Suno Karoli de Swecia nullo contradicente, in cujus procuracione facta sunt que sequuntur.

Scilicet quod ex deliberacione nacionis et consensu deleta est a papiro illa inscriptio domini Beronis de Swecia, que inscriptio facta fuit per magistrum Andream Freouati, obligans ipsum ad scribendum pro nacione, quando fieret requisitus[10].

Item in congregacione facultatis arcium concessum est predicto magistro Sunoni legere speram in domo sua diebus festivis, et pro tunc erat congregacio facultatis apud Sanctum Maturinum.

Item dominus Laurentius de Dacia, qui determinavit sub magistro Henrico de Dacia secunda dominica[11] adventus, fecit juramentum suum dicto procuratori in domo ipsius.

1340

Procuracio magistri Conradi de Monte Puellarum.

Anno Domini 1000.300.40, die sabbati[12] ante Nativitatem Domini nostri Jhesu Christi, convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane hora prime ad Sanctum Julianum pauperem propter eligendum rectorem Universitatis et procuratorem dicte nacionis, electus fuit magister Conradus de Monte Puellarum in procuratorem dicte nacionis, et illo die fuit electus magister Alanus de Villa Collis in rectorem Universitatis. In cujus tempore nichil est factum, quod perfecte ad actum duceretur.

1341

(*Fol. 40 b*) Tempus procuracionis magistri Henrici de Unna Daci.

Anno Domini millesimo CCC.XL., in octava Epiphanie[13] Domini, convocatis magistris ut moris est, electus fuit in procuratorem nacionis Anglicane magister Henricus dictus de Unna, Dacus, cujus procuracionis tempore,

incepit mag. Nicholaus de Dacia sub eodem, et dom. Laurencius de Dacia determinavit sub eodem.

Item tempore procuracionis ejusdem sigillatum

1. 6 *Novembris.*
2. *In Austria, ut ibi scholam apud* S. Stephanum *regeret. Vid.* Indicem.
3. 10 *Novembris.*
4. *In ms. nunc, quae supra,* p. 40, 37-46, *exscripta sunt.*
5. *In margine* Statutum.
6. *Verba in ms. vacillantibus litteris scripta.*
7. *Ms.* prejudicare.
8. *I. e. an.* 1334.
9. 18 *Novembris.*
10. *Vid. supra,* p. 27, 45 *et not.* 2.
11. 10 *Decembris.*
12. 23 *Decembris.*
13. 13 *Januarii.*

fuit statutum facultatis contra novas opiniones quorundam, qui vocantur Occhaniste, in domo dicti procuratoris, et puplicatum fuit idem statutum coram Universitate apud Predicatores in sermone [1].

Item determinavit dominus Hermannus de Rostok, qui transivit, solutis solvendis, ratione magistri Laurencii de domo Navarre, cujus bursa V solidi.

1341

Procuracio magistri Ulrici de Augusta.

Anno Domini M°CCC°XL., in die sancte Scolastice [2], convocatis magistris nacionis Anglicane ut moris est apud Sanctum Julianum pauperem hora prime, electus fuit concorditer in procuratorem magister Ulricus de Augusta, in cujus procuracione acta sunt que secuntur.

Primo magister Chonradus de Monte Puellarum solvit XXXV solidos parisiens. pro privilegiis regalibus [3], et magister Ulricus de Augusta solvit X solidos parisiens. pro eisdem.

Item die lune [4] proxima post *Invocavit* vocatis magistris nacionis [5] apud Sanctum Julianum pauperem ad ordinandum et supplicandum etc., nacio dicta dedit, concessit et defalcavit magistro Chunrado de Monte Puellarum, nuncio dicte nacionis, pro via ad curiam Romanam omnem pecuniam, in qua tunc temporis dictus magister seu nuncius prefate nacioni tenebatur. Ulterius dicte nacionis magistri ordinaverunt, quod pro subsidio et sublevamine dicti nuncii quilibet magister, qui vellet irrotulari, traderet sibi duos florenos de Florencia. In hoc omnes magistri, qui tunc presentes fuerunt, simpliciter consenserunt, exceptis dumtaxat magistris, videlicet Gera[r]do Pelegrini de Marten, qui dicebat, quod pecuniam ad presens non haberet, sed sperabat in brevi pecuniam de partibus habiturus, qua habita promittebat satisfacere eidem, et finaliter dicebat infra festum Pentechostes dicto nuncio dictos florenos, vel si infra posset habere, simpliciter persolvendo; et Nicholaus dictus Drukken de Dacia dicebat, quod ad presens etiam non haberet, sed si de partibus habuerit, ut sperabat, graciose solvere nullatenus recusabat, sed in dictis florenis nolebat obligari. Insuper fuit ordinatum, quod si contingerit, uni soli vel pluribus provideri, quod ex tunc ille solus vel plures provisi restituerent suos duos florenos cuilibet non proviso, quod si autem accideret, quod nulli provideretur quod quilibet sui ipsius dampnum et incommodum deploraret, et nullus ulli teneretur quidquam resarcire. In hoc omnes magistri consenserunt excepto dicto magistro Nicholao. Ex tunc dictum fuit, quod de omnibus istis ordinacionibus fieret litera sub sigillo nacionis vel publicum instrumentum.

Determinantes.

Primo dominus Johannes de Misna Alamannus sub magistro Ulrico de Augusta, tunc procuratore, cujus bursa nichil.

Item dominus Henricus de Boemia, cujus bursa nichil.

Item dominus Franco de Turtraco [6] sub magistro Gerardo Pelegrini de Marten, cujus bursa III solidi.

Item dominus Johannes Arneri de Svecia sub magistro Chonrado de Monte Puellarum, cujus bursa II solidi — nondum solvit.

Item dominus Burchardus de Constancia sub eodem, cujus bursa II solidi et dimid., pignus posuit, solvit XX solidos.

Item dominus Henricus de Pluscardi Scotus sub eodem, cujus bursa III solidi.

Item dominus Wilhe[l]mus de Scotia sub magistro Johanne de Kyenhard Scoto, cujus bursa III solidi. Nondum solvit, sed promisit coram nacione, quod vellet ponere fidejussorem infra octo dies, et nacio dedit sibi tantum usque ad Pasca.

Item dominus Laurencius de Dacia sub magistro Henrico de Dacia, cujus bursa V soldi — solvit.

Item magister Johannes de Kinard Scotus electus fuit in examinatorem superius [7] pro primo mense, et magister Suno Karoli de Suecia pro secundo mense.

Item magister Chunradus de Monte Puellarum electus fuit pro nuncio ad curiam Romanam.

Item magister Richardus de Rocha Scotus incepit in artibus sub magistro Johanne Kinardo, cujus bursa VIII solidi.

1. *Statutum an.* 1340, *Decemb.* 27 *in* Chartul. Univers. Paris., II, n° 1042.

2. 10 *Februarii.*

3. *Duo privilegia Philippi VI regis Francorum in* Chartul. Univers. Paris., II, nis 1043, 1044. *Verba superius relata* mag. Chonradus..... pro eisdem *inferius inter* Determinantes *repeuntur, ubi postea deleta sunt.*

4. 26 *Februarii.*

5. *Ms.* ad nacionem.

6. *Fortasse legendum* Curtraco, *sed hic et infra*, p. 47, 45, *clare* Turtraco *in ms. scribitur.*

7. *I. e.* ad S. Genovefam.

1341

(*Fol. 41*) Procuracio magistri Ulrici de Augusta.

Anno Domini etc. ut supra convocatis magistris ad congregacionem dicte nacionis apud Sanctum Maturinum hora prime, die sabbati[1] proxima ante *Oculi mei*, ad faciendum procuratorem continuatus fuit magister Ulricus de Augusta in procuratorem dicte nacionis, in cujus procuracione facta sunt que secuntur.

Primo licenciatus fuit apud Sanctam Jenovefam dominus Heinricus de Colonia sub magistro Ulrico de Augusta, cujus bursa VII solidi.

Item ibidem licenciatus fuit dominus Johannes de Wittenberg sub magistro Conrado de Monte Puellarum, cujus bursa V solidi.

Item electus fuit in rectorem Universitatis magister Johannes Moradas Pycardus.

Item electus fuit pro tercio mense ad examinandum superius[2] magister Johannes de Kinnarde Scotus.

Item dicta nacio dedit et concessit magistro Ulrico de Augusta quendam determinantem solutis solvendis, qui per nacionem dictam in facultate arcium fuerat tunc obtentus.

1341

Procuracio magistri Johannis de Kynnard Scoti.

Anno Domini M°CCC^{mo} quatragesimo primo, convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, in vigilia[3] Pasche hora prima, ad faciendum procuratorem, electus fuit magister Johannes de Kynnard Scotus in procuratorem dicte nacionis, nullo penitus reclamante, in cujus procuratione facta sunt que sequntur.

Primo licenciatus fuit apud Nostram Dominam in prima addicione et in prima expedicione dominus Normannus de Lesly Scotus sub magistro Claro Lumbardo, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus fuit apud Sanctam Genovefam dominus Franco de Turtraco in 4^{a} addicione sub magistro Geirardo Pelegrini, cujus bursa III solidi.

Item reconciliatus fuit magister Symon de Mynellys, decanus in theologia, et reunitus facultati arcium ad graciam, si privacio ejus fuerit justa, et ad justiciam, si fuerit injusta[4].

Anno eodem in vigilia[5] sancti Johannis ante portam Latinam, convocatis omnibus nacionis Anglicane magistris in artium facultate regentibus apud Sanctum Julianum pauperem ad faciendum procuratorem, continuatus est magister J. de Kynnard Scotus in procuratorem dicte nacionis, nullo penitus reclamante. Et facta sunt que secuntur ipso procuratore.

Primo[6] vocatis omnibus magistris regentibus in nacione ad audiendum compotum receptoris, scilicet magistri Ulrici de Augusta, hora prima apud Sanctum Julianum, computavit dictus magister in presentia tocius nacionis ad hoc vocate de omnibus receptis suis et expensis quibuscunque, sic quod omnibus computandis computatis et defalcatis defalcandis in hoc modo, videlicet quod dictus magister recepit in pecunia numerata XVII libras cum quinque solidis; item in vadiatis et plegiatis VI libras, VII solidos cum dimidio.

Summa totalis XXIII libre cum XII solidis et VI denariis, [a] qua quidem summa jam dicta defalcande sunt VII libre minus II solidi, quas dictus receptor exposuit in negociis communibus nacionis, videlicet in redemptione privilegiorum regalium et in expensis factis eundo ad regem per vices, et in XX solidis quos dedit Henrico bedello Normannorum pro scolis.

Item defalcande de eadem summa totali V libre cum XVII solidis pro bedellis et luminari Beate Virginis.

Item defalcande sunt de summa sepedicta VII libre, in quibus dicta nacio tenebatur dicto magistro Ulrico receptori de anno etc. XXXIX°[7] in itinere suo ad curiam pro factis communibus nacionis. Dictus magister itaque Ulricus receptor debet nacioni III libras et XVII solidos cum dimidio, pro quibus refudit vadia immediate que recepit a quibusdam determinantibus et bacalariis. Et hoc est factum et confirmatum die mercurii[8] in vigilia Ascensionis Domini anni etc. XLI, presentibus magistris Johanne de Kynnard Scoto, procuratore, Ulrico de Augusta receptore, magistro Sunone Karoli de Suecia, et bedellis Cunrado et Gilkyno.

(*Fol. 41 b*) Recepta magistri Ulrici de Augusta tempore receptionis sue.

1. 10 *Martii.*
2. *I. e., apud S. Genovefam.*
3. 7 *Aprilis.*
4. *Cf.* Chartul., I, *Introductio*, p. XXV *sq.*, *et* II, n° 1051.
5. 5 *Maii.*
6. *Quae sequuntur usque ad* Recepta, *in ms. sunt deleta.*
7. *I. e. anno* 1339.
8. 16 *Maii.*

Johannes Peny, bursa IIII sol. Laurencius, V solidi. Hermannus, V solidi. Henricus de Pluscardi, III sol. Item Franco, III solidi.	determinantes solventes pecuniam. Summa XII libr.[1]
Item Burchardus, III solidi. Item Johannes Arneri, II solidi. Item magister Ricardus VIII. Willermus Scotus III solidi.	ponentes vadia. Summa VI libr. et VII solid. et dimidium.
Item dominus Henricus VII sol. Dominus Normannus VIII sol. Johannes Wythinbech V solid.	lecenciati. Summa V libr. et V sol.

Summa totalis XXIII libr. et XII solid. et VI denar.

Expense ejusdem, primo in redemptione privilegiorum regalium de novo impetratorum et in expensis eundo ad regem per vices VI libre. Item pro scolis XX solidi Henrico bedello. Item nacio satisfecit sibi de VII libris parisiens., quas debebat sibi pro itinere suo ad curiam pro negociis communibus nacionis, unde habuit publicum instrumentum, quod inmediate dedit nacioni. Item X solidi pro rotulis missis ad curiam. Item majori bedello XXX solidos. Item minori bedello XV solidos. Item refudit nacioni unum librum magistri Ricardi Scoti, videlicet pro XL solidis. Item refudit dominum Willelmum Scotum pro XXXV solidis.

Summa XX libre et X solidi, et sic remanent III libre et II solidi et VI denarii, de qua summa dedit magistro Sunoni Karoli XX solidos, et magistro Johanni de Kynnard XX solidos, et retinuit sibi XX solidos per modum distribucionis. Facto compoto II solidos et sex denarios potaverunt.

Et iste compotus fuit factus apud Sanctum Julianum die veneris[2] ante Pentecosten, in presentia omnium magistrorum actu regencium in dicta nacione ad hoc specialiter vocatorum, videlicet magistri Johannis de Kynnard Scoti, magistri Ulrici de Augusta, magistri Sunonis Karoli de Suecia, presentibus bedello majori et minori, et ratificatus est iste compotus per eosdem, nullo reclamante.

Item incepit dominus Franco de Turtraco sub magistro Geirardo de Marten, cujus bursa IIII solidi.

Item lecenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus Thomas de Treverry sub magistro Hulrico de Augusta, cujus bursa IIII solidi.

Item facto compoto cum receptore substitutus fuit magister Johannes de Kynnard in receptorem nacionis per dictum receptorem, per consensum magistrorum nacionis. Item empta fuit una cappa pro rectore de scarleto, pro qua quelibet nacio contribuebat III libras parisiens., et rector exposuit residuum.

Item lecenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus Hermannus de Rostok sub magistro Johanne de Bolonia, cujus bursa VI solidi.

Item lecenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus Johannes de Boemia sub magistro Hulrico de Augusta, cujus bursa IIII solidi.

Item lecenciatus fuit apud Nostram Dominam Johannes Peny sub magistro Johanne de Kynnard Scoto, cujus bursa VI solidi.

Item dominus Thomas de Kynninmund sub eodem magistro, cujus bursa VI solidi.

(*Fol. 42*) Item lecenciatus fuit dominus Laurencius de Dacia sub eodem, cujus bursa VI solidi.

Item dominus Henricus de Pluscardi Scotus sub eodem, cujus bursa IIII solidi et dimidium.

Item lecenciatus fuit idem dominus Galterus de Sancto Claro sub magistro Michaele Lumbardo, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Kero de Suesia sub magistro Sunone, cujus bursa IIII solidi.

Item incepit dominus Galterus de Wardlave Scotus sub magistro Johanne de Kynnard, cujus bursa nichil.

Summa XIII libre cum II solidis et VI denariis.

Item continuatus est magister Johannes in procuratorem nationis die sabbati[3] ante festum Trinitatis apud Sanctum Julianum, et facta sunt que secuntur.

Primo exposuit XL solidos pro cappa rectoris.

Item XV solidos pro furrura.

Item Henrico bedello XX solidos pro scolis.

Item in potacione semel *apud cavam* IIII solidos.

Item Cunrado bedello XX solidos.

Item pro refusionibus VIII solidos.

Item pro uno protocollo V solidos.

Item IIII solidos et dimidium computavit sibi quos nacio debebat sibi.

Item pro scolis L solidos.

Item X solidos pro scolis magistri Johannis.

Item VI solidos *apud tabulas* in potatione post compotum.

Item lecenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus Burchardus de Constancia sub magistro Cunrado de Monte Puellarum, cujus bursa III solidi.

Item dominus Johannes de Missena sub magistro Warnero, cujus bursa nichil.

1. *Primo scriptum erat* lib., *sed postea deletum et scriptum* sol. *Nihilominus recte ponitur* libr., *ut e summa totali apparet.*

2. 25 *Maii.*

3. 2 *Junii.*

Summa expensarum IX libre cum XVI solidis cum VI denariis, et sic debeo nacioni III libras, quas solvam bedellis secundum deliberacionem nacionis.

Summa defalcanda de summa totali pro bedellis et luminari V libre cum VI solidis.

Item monendum, quod nacio debet bedello principali de compoto magistri Ulrici X solidos.

Item Gylkyno bedello XV solidos.

Item de compoto magistri J[ohannis] LIII solidos Cunrado bedello.

Item Gylkino XXVI solidos et VI denarios.

Summa totalis pro Cunrado LXIII solidos; summa totalis pro Gilkyno XLI solidos et VI denarios.

Monendum quod facto compoto finali de omnibus receptis et expensis magistri Johannis de Kynnard Scoti tempore receptionis sue die jovis[1] ante festum beate Magdalene et quod omnibus computatis computandis et etiam defalcatis defalcandis, predictus magister J. tenetur refundere nacioni III libras parisiens., quas magistri nacionis tunc existentes assignaverunt bedellis in partem solucionis pecunie debite bedellis, ut superius apparet. Et iste compotus fuit ratificatus per magistros memoratos.

1341

(*Fol.* 42 [b]) Tempus procuracionis magistri Henrici de Unna Daci.

Anno Domini M̊.CCC.XLI, in vigilia[2] apostolorum Petri et Pauli, convocatis magistris nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer magister H. de Unna in procuratorem dicte nacionis.

Cujus tempore acta sunt que secuntur.

Primo vocatis magistris regentibus ad Sanctum Maturinum ad eligendum receptores, electus fuit magister Suno de Suecia in receptorem pecunie dicte nacionis, et magister Kinhard in receptorem luminaris.

Item in eadem congregatione deliberatum fuit, quod quicunque fieret receptor, juraret fideliter quod de prima pecunia quam reciperet faceret fieri cistam pro nacione cum tribus clavibus, in qua reponeretur sigillum nacionis et pecunia ejusdem cum aliis rebus, que omnia dictus magister Suno juravit fideliter adimplere.

Item licenciati fuerunt apud Dominam Nostram dominus Burchardus de Constancia, scolaris magistri Conradi de Monte Puellarum, cujus bursa III solidi.

Item Johannes de Missna, cujus bursa nichil.

1341

Galterus de Wardlave Scotus procurator[3].

In cujus procuracione actum erat nichil.

1341

Tempus procuracionis magistri Henrici de Unna.

Anno Domini M̊.CCC.XLI, in die sancti Mauricii sociorumque ejus[4], convocatis magistris nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer magister Henricus de Unna Dacus in procuratorem dicte nacionis, cujus tempore acta sunt que secuntur.

Primo vocatis magistris ad ordinandum etc., quia sigillum procuratoris dicte nacionis fuerat perditum et per dictum procuratorem unum novum factum in forma consimili sicut prius fuit, mutatum tamen in aliquo, quia apposita erat una stella, dictus procurator posuit in deliberacione utrum placeret magistris dicta mutacio. Qui omnes concorditer deliberaverunt quod placeret eis, quod ibi esset in honorem beate Virginis maris stelle.

Item vocatis magistris regentibus et non regentibus dicte nacionis ad ordinandum etc. prout moris est, quia littera quedam habebatur sigillata sigillo nacionis predicte, in qua continebatur, magistrum Conradum teneri nacioni in aliqua summa pecunie, cujus contrarium habebatur in registro dicte nacionis, et etiam plures magistri deposuerunt in juramentis suis dictum magistrum Conradum in dicta pecunia non teneri, super hoc habita deliberacione magistrorum omnes declaraverunt ipsum a dicta pecunia quittum, liberum et solutum. Et sic predicta littera per procuratorem in presencia nacionis rupta fuit. Summa vero pecunie erat XVII librarum parisiens.

Item[5] in eadem congregatione ordinatum fuit, quod nullus de cetero admitteretur ad aliquos actus legitimos in dicta nacione, nisi prius juraret quod revelaret, si sciret aliquos de secta Occanica ad invicem conspirasse de secta vel opinionibus erroneis fovendis, vel etiam conjuratos esse vel conventicula habere occulta, aliter nisi jure diceret si

1. 19 *Julii.*
2. 28 *Junii.*
3. *Inter* 28 *Julii et* 22 *Septemb.*
4. 22 *Septembris.*
5. *In margine* Statutum. *Totum postea deletum est.*

sciret, ex tunc penam perjurii incurreret. Et hanc ordinacionem voluerunt equivalere statuto. Facta autem est hec congregatio apud Sanctum Maturinum anno Domini supradicto, die veneris proxima[1] post diem sancti Luce ewangeliste hora none Beate Virginis, presentibus magistris Hugone de Duclas, Wernero Wolfram, Johanne Kinhard, Nicholao de Cosfeldia, Gerardo de Marten, Andrea de Swecia, Conrado de Monte Puellarum, Nicholao Drukken de Dacia, et Richardo Scoto.

Item electus fuit in rectorem Universitatis magister Lambertus de Summavera, Gallicus.

1341

Tempus procuracionis magistri Gerardi de Marten.

Anno Domini M.CCC.XLI, sabbato[2] post festum Luce ewangeliste, convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane actu regentibus apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem nacionis electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Gerardus de Marten, in cujus procuratorio magister Johannes Kinhard Scotus computavit in presencia facultatis de tempore sue rectorie.

1341

(*Fol. 43*) Tempus procuracionis magistri Johannis de Kynnard Scoti.

Anno Domini 1341, in vigilia[3] sancti Martini, convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane regentibus apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem magister Johannes de Kynnard, sancti Andree dyocesis in Scocia, in cujus tempore facta sunt, que sequuntur.

Primo magister J. de Kynnard refudit successori suo de tempore rectorie sue 18 solidos.

Item in via ad regem pro expensis apud Sanctum Dyonisium, VI solidos.

Item III solidos in die sequenti ibidem. Item pro equo VI solidos.

Item pro ferratura equi XVI denarios.

1341

Tempus procuracionis magistri Roberti Ffyf Scoti.

Anno Domini 1341, die sabbati proxima[4] ante festum beati Thome apostoli, convocatis omnibus magistris nationis Anglicane regentibus apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem magister Robertus de Ffyf, sancti Andree dyocesis in Scocia.

In cujus tempore facta fuerunt ea que sequuntur.

In primo determinans fuit[5] dominus Johannes Todde Scotus, cujus bursa IIII solidi, sub magistro Galtero Scoto.

1342

Tempus procuracionis magistri Gerardi de Marten.

Anno Domini M.CCC.XLII, sabbato[6] post festum Epiphanie, electus fuit in procuratorem Anglicane nacionis magister Gerardus de Marten, magistris ad hoc specialiter vocatis, in cujus procuratorio nichil fuit actum quod oporteat memorie commendari.

1342

Procuratio magistri Zunonis Karoli de Swecia.

Anno Domini M.CCC.XLII, die sabbati[7], que fuit octava Purificationis beate Virginis, electus est magister Zuno Karoli de Swecia in procuratorem nacionis Anglicane, convocatis ad hoc magistris nacionis antedicte, in cujus procuratorio facta sunt que secuntur.

Primo quidem concordatum est per nacionem quod predictus magister Zuno scolas haberet *ad septem artes* super terram vacantes post recessum magistri Conradi de Monte Puellarum, condicione hujusmodi presupposita, quod cum contingeret dictum magistrum Sunonem dictas scolas resignare, resignaret eas alicui magistrorum qui protunc erant supposita sepedicte nacionis, ut puta magistri Gerardus, Galterus et Robertus Scotus. Duo vero tandem, scilicet magistri Gerardus et Robertus, resignacionem predictam faciendam magistro Galtero concorditer annuerunt.

Determinantes examinati sunt dominus Eghno, cujus bursa VII solidi, sub magistro Conrado.

Dominus Johannes Swavus, cujus bursa V solidi, sub magistro Conrado determinavit.

1. 19 *Octobris.*
2. 20 *Octobris.*
3. 10 *Novembris.*
4. 15 *Decembris.*
5. *Inter lineas :* reputatus solutis solvendis. *Rubrica deleta est.*
6. 12 *Januarii.*
7. 9 *Februarii.*

Dominus Bertoldus Swavus sub magistro Conrado, cujus bursa V solidi.

Dominus Henricus de Constancia sub magistro Conrado, cujus bursa nichil.

Dominus Ulpho de Swecia, cujus bursa VI solidi, sub magistro Sunone de Swecia.

Dominus Johannes de Triveris, sub magistro Conrado, cujus bursa VI solidi.

Dominus Ulricus de Saxonia sub magistro Conrado, cujus bursa VI solidi.

Dominus Jacobus Mennembode, cujus bursa VII solidi. Non[1] determinavit, tamen juratus est nacioni.

Dominus Johannes Todde Scotus reputatus fuit determinans, cujus bursa V solidi, sub magistro Galtero Scoto.

Item incepit dominus Galterus Alemannus sub magistro Zunone Karoli de Swecia, et dispensatum fuit cum eo per nacionem, ne bursas solveret idem Galterus, donec fortuna sibi melior arrideret.

(*Fol. 43* b) Item dominus Borchardus de Constancia incepit sub magistro Sunone, cujus bursa 4 solidi. Quintam bursam[2] solvit pro rectore, sed de 4 bursis nacio fecit secum graciam ut solvantur infra festum beati Johannis Baptiste[3] pro quibus fidejussit Ricchgerus Alamannus tabernarius.

1342

Tempus procuracionis magistri Gerardi de Marten.

Anno Domini ut supra, sabbato[4] post dominicam qua cantantur *Oculi mei*, convocatis magistris nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Gerardus de Marten, in cujus tempore acta sunt que secuntur.

Primo namque convocatis magistris omnibus regentibus ad congregationem nacionis ad eligendum nuntium ad curiam Romanam destinandum, predictus procurator fuit electus ex concordia omnium magistrorum nullo penitus reclamante, die mercurii[5] post *Letare*.

Item incepit dominus Galterus de Sancto Claro Scotus sub magistro Michaele Lumbardo, cujus bursa VI solidi parisiens.

Item incepit dominus Tomas de Kynninmond Scotus sub magistro Galtero de Wardlaw Scoto, cujus bursa VI solidi.

Item licenciatus fuit dominus Petrus Vinandie de Suecia sub magistro Sunone Karuli de Suecia, cujus bursa V solidi.

Item facta congregacione nacionis die veneris[6] post *Letare* in completoriis, ad ordinandum de pecunia nacionis, predicto magistro Gerardo nuncio ad curiam Romanam data fuit in subsidium itineris illa pecunia, que solutis pedellis et scolis et computatis expensis in nacione factis pro archa communi emenda et ceteris superfuerit in nacione, nullo penitus reclamante. Item quod quilibet magister, qui vellet inrotulari in rotulo nacionis[7], solveret, predicto magistro nuncio duos florenos, de quibus constaret nacioni quod sufficeret, quod iterum omnes benigne concesserunt, excepto duntaxat magistro Roberto Scoto. Et istud ultimum maxime deberet ligare illos qui graciose admittentur in rotulo predicto, scilicet de novo resumentes et de novo incipientes. Et in hoc omnes unanimiter concordarunt sub tali condicione, quod si contingeret aliquibus provideri et aliquibus non, quod illi quibus provideret[ur[8]] solverent non provisis suos florenos; et si nulli provideretur, quod unusquisque dampnum proprium deploraret.

Item incepit dominus Johannes dictus Moer sub magistro Sunone de Suecia, cujus bursa VI solidi.

Item incepit dominus Hermannus dictus Bokel, cujus bursa VIII, solvit unam, et pro aliis posuit pingnus apud receptorem ex deliberacione nacionis, sub magistro Nicholao de Cosfeldia.

Item dominus Rûricus de Sterenberg incepit sub magistro Sunone de Suecia, cujus bursa X solidi.

1342

(*Fol. 44*) Tempus procuracionis magistri Rorici de Monte Stellarum.

Anno Domini M.CCC.XLII, die sabbati[9] post festum Pasce, convocatis omnibus magistris apud Sanctum Julianum pauperem, quorum intererat, exstitit electus in procuratorem nacionis Anglicane magister Roricus de Sterenberg, idest de Monte

1. Non... nacioni *inter lineas.*
2. *Quinque bursas solvere debebant. Vid. juramentum in* Chartul. Univers., II, p. 673 (4).
3. *Infra posterius scriptum est* : solvit.
4. 9 *Martii.*
5. 13 *Martii.*
6. 15 *Martii.*
7. *Rotulus iste sicut et Rotuli aliarum nationum et facultatum desiderantur. Cf.* Chartul. Univers. Paris., II, n° 1062, *not. Superest Rotulus decem nuntiorum* (l. c.), *inter quos tamen non legitur nomen* Gerardi de Marten, *sed* Ulrici de Augusta.
8. *Inter lineas :* et si nuncio soli.
9. 6 *Aprilis.*

Stellarum, nullo penitus reclamante, in cujus procuracione facta sunt que secuntur.

Primo licenciatus fuit dominus Bertoldus de Constancia ad Sanctam Genovefam sub magistro Bŭrchardo de Constancia, cujus bursa fuit V solidi.

Item licenciatus fuit dominus Jacobus de Turdraco ad Dominam Nostram sub magistro Nycolao de Kŭistfeldia, cujus bursa VII solidi.

Item magister Burchardus de Constancia persolvit XVI solidos, in quibus tenebatur nacioni racione bursarum non solutarum in inceptione sua.

Item licenciatus fuit dominus Gobelinus de Treveris apud Dominam Nostram sub magistro Gerhardo de Marten, bursa cujus erat VI solidi et dimid.

Item incepit dominus Bertoldus de Constancia sub magistro Ulrico de Augusta, bursa cujus V solidi.

Item quia contingebat predictum procuratorem repatriare, convocata nacione apud Sanctum Julianum substituit magistrum Gerardum de Maerten procuratorem in presencia nacionis, tempore cujus acta sunt hec.

Primo namque convocata nacione apud Sanctum Maturinum, reputatus fuit determinans dominus Johannes de Campis sub magistro Gerardo tunc procuratore, virtute cujusdam gratie concesse magistro Johanni de Vineta tempore sue rectorie, quam in presencia nacionis magistro Gerardo jam dicto ad usum dicti domini Johannis resignavit, cujus bursa VII solidi parisiens.

Item licenciatus fuit dominus Petrus Laurencii de Suecia sub magistro Gerardo tunc procuratore, cujus bursa nichil.

Item incepit dominus Johannes de Sarbugo sub magistro Ulrico de Augusta, cujus bursa III solidi, pro quibus ponet pignus in nacione.

Item dominus Johannes de Missna sub magistro Ulrico jam dicto, cujus bursa nichil.

Item incepit in artibus dominus Gobelinus de Treveri, cujus bursa VII solidi, sub magistro Gerardo de Marten tunc temporis procuratore substituto.

Item convocata nacione apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem nacionis, discencio fuit exorta in electione, et tandem pace reformata predictus magister Gerardus mansit procurator pacifice, tempore cujus acta sunt que sequuntur.

Primo incepit dominus magister Normannus Scotus de Lessely, cujus bursa X solidi, sub magistro Galtero de Wardlaw Scoto.

Item incepit dominus Wilhelmus de Grinlaw sub magistro Normanno de Lesseley Scoto, cujus bursa X solidi.

Item licenciatus fuit dominus Egno[1] cujus bursa VII solidi, sub magistro Ulrico de Augusta.

Item congregatis ordinatoribus rotuli cum procuratore in palacio *de Termis* ibidem expenderunt XVIII solidos parisiens. de pecunia nacionis.

Item pro ingrossacione rotuli apud scriptorem XVIII solidos.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Treveri sub magistro Nicolao Drucken, cujus bursa VII sol.

(*Fol. 44* b) Item licenciatus fuit dominus Nicholaus de Hoculem sub magistro Gerardo de Maerten tunc temporis procuratore, cujus bursa VIII solidi.

1342

Tempus procuracionis magistri Walteri de Sancto Claro, Scoti.

Anno Domini millesimo CCC̊.XL secundo, die lune proxima[2] post festum Pentecostes[3] convocatis omnibus magistris, quorum intererat, apud Sanctum Maturinum substitutus fuit magister Walterus de Sancto Claro in procuratorem nacionis Anglicane per magistrum Gerardum de Marten pro tunc procuratorem existentem, qui quidem magister Gerardus arripuit iter suum versus curiam Romanam una cum nunciis Universitatis[4].

In cujus substituti procuracione acta fuerunt que secuntur.

In primis licentiatus fuit apud Sanctam Genovefam dominus Ulricus de Saxsonia sub magistro Bertoldo de Constancia, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus Hermannus de Frankynhusen sub magistro Johanne dicto More de Saxsonia, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus Johannes Tenger de Oberndorf sub magistro Ulrico de Augusta, cujus bursa V solidi.

1. *Postea spatium.*
2. 20 *Maii.*
3. *In margine figura juvenis.*
4. *Vid. supra* p. 56, *not.* 7.

1342

Tempus procuracionis magistri Willelmi de Grinlaw Scoti[1].

Anno Dominy millesimo trecentesimo XL. secundo, primo die mensis Junii, convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane quorum intererat ad eligendum procuratorem apud Sanctum Julianum pauperem, electus fuit in procuratorem predicte nacionis ex unanimi consensu omnium magister Willelmus de Grinlaw, nullo penitus reclamante.

In cujus procuracione acta fuerunt ea que secuntur.

In primis licenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus Henricus de Constancia sub magistro Waltero de Wardlaw, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit ibidem dominus Willelmus de Dunfermelyn sub magistro Willelmo de Grinlaw tunc existente procuratore, cujus bursa III solidi in dimid.

Item incepit dominus Ulricus de Saxonia sub magistro Johanne dicto More, cujus bursa septem solidi[2].

1342

(*Fol. 45*) Tempus procuracionis magistri Walteri de Wardlaw Scoti.

Anno Domini millesimo trecentesimo XL secundo, penultima die mensis Junii[3] convocatis omnibus magistris quorum intererat apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem nacionis Anglicane magister Galterus de Wardlaw Scotus, nullo penitus reclamante, in cujus procuracione acta fuerunt ea que secuntur etc.

1342

Tempus procuracionis magistri Walteri de Wardlaw Scoti.

Item anno predicto electus erat concorditer apud Sanctum Julianum pauperem predictus magister Galterus de Wardlaw Scotus in procuratorem nacionis Anglicane pro mense sequente, die lune[4] post festum sancti Mathei apostoli, in cujus procuracione acta fuerunt, que sequuntur etc.

1342

Tempus procuracionis magistri Nicholai Drukken de Dacia.

Anno Domini M̊.CC̊C.XLII, die lune proxima[5] post festum Martini, ymo in octava ejusdem, convocatis omnibus magistris de nacione Anglicana actu regentibus in facultate artium apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem dicte nacionis ut moris est, electus fuit in procuratorem predicte nacionis magister Nicholaus Drukken de Dacia, nullo penitus reclamante, in cujus procuracionis tempore acta fuerunt hec que sequuntur etc.

1343

Tempus procuracionis magistri Nicholai Drukken de Dacia.

Anno Domini M̊.CC̊C.XLII, XVII die Februarii, convocatis omnibus magistris de nacione Anglicana actu regentibus in facultate artium apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem dicte nacionis, ut moris est, electus fuit in procuratorem predicte nacionis magister Nicholaus Drukken de Dacia, nullo penitus reclamante, in cujus procuracionis tempore acta fuerunt que sequuntur.

Primo dominus Robertus de Drungle habuit determinacionem a magistro Johanne de Byvire, tunc rectore, cujus Roberti bursa 16 solidi, et pro scolis 60 solidi.

Item dominus Thomas de Wedaile Scotus et frater suus Alanus determinaverunt sub magistro Galtero Scoto, quorum burse 14 solidi, et pro scolis 4 libras.

Item dominus Cunradus de Marchia determinavit sub magistro Ulrico de Saxonia, cujus bursa nichil.

Item dominus Petrus de Prucia determinavit sub magistro Ulrico de Saxonia, cujus bursa nichil.

Item dominus Albertus de Spiria determinavit sub magistro Johanne de Sarburgo, cujus bursa nichil.

Item dominus Nicholaus de Gorinchem determinavit sub magistro Hermanno Bucchel, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes de Constantia determinavit sub magistro Johanne de Sarburgo, cujus bursa nichil.

Item dominus [Rolandus[6]] de Norwegia determi-

1. *Postea charactere diverso* : In quo tempore acta fuerunt que sequuntur. *In margine depictus est Gilkinus bedellus nationis, poculum exhauriens. Desuper legitur* : Gilkynus potator.

2. *Hic referri debent ordinationes nat. Anglicanae publicatae in* Chartul. Univers., II, n° 1061, *an.* 1342, *Junii* 14.

3. 29 *Junii.*

4. 23 *Septembris.*

5. 18 *Novembris.*

6. *Folium laceratum.*

navit sub magistro Nicholao Drukken de Dacia, cujus bursa XII solidi.

Item dominus[1]..... [sub magistro Hermanno Buc]chel, cujus bursa IX solidi.

(*Fol. 45 b*) Item dominus Benedictus de Swecia determinavit sub magistro Sunone de Swecia, cujus bursa XII solidi.

Item dominus Petrus Arnoldi de Swecia determinavit sub magistro Sunone de Swecia, cujus bursa XII solidi.

Item dominus Petrus Mathie de Swecia determinavit sub magistro Sunone de Swecia, cujus bursa nichil.

Item dominus Sygerus de Grůsberg determinavit sub magistro Hermanno Bochel, cujus bursa IX sol.

Item dominus Henricus de Os, determinavit sub magistro Hermanno Bochel, cujus bursa XI solidi.

Item dominus Robertus de Drungle lycenciatus fuit sub magistro Roricho, cujus bursa XII solidi.

1343

Tempus procuracionis Walteri de Grinlaw Scoti.

Anno Domini millesimo trecentessimo XL tertio, primo die mensis Marcii convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane actu regentibus ad Sanctum Julianum pauperem, electus fuit magister Willelmus de Grinlaw Scotus, in cujus procuracione acta fuerunt illa que secuntur.

Primo incepit in artibus dominus Wilhelmus de Dunfermelyne sub predicto procuratore, cujus bursa VI solidi.

Item licenciatus fuit dominus Curadus de Seynenhůsen Alemannus apud Sanctam Genewefam sub magistro Galtero de Wardelaw Scoto, cujus bursa nichil.

1343

Tempus procuracionis magistri Gerardi de Gore Alamanni.

Anno Domini millesimo CCC^mo XLII^do, die octavo Aprilis, post Annunciationem dominicam, convocatis omnibus magistris actu regentibus nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, electus est magister Gerardus de Gore nullo penitus reclamante in procuratorem dicte nacionis, in cujus procuracionis tempore peracta fuerunt hec que immediate sequuntur.

Primo incepit dominus Donaldus de Mor Scotus sub magistro Philippo Scoto, cujus bursa octo sol.

1343

Tempus procuracionis magistri Henrici de Ghoyre.

Anno Domini M̊.CCC̊.XLIII, die lune videlicet quinta die mensis Maii, convocatis omnibus et singulis magistris nacionis Anglicane actu regentibus, qui commode interesse poterant, apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, electus est ex unanimi consensu omnium tunc presentium in procuratorem dicte nacionis magister Henricus de Ghore Alamannus. In cujus procuracione acta fuerunt ea que secuntur.

I[tem facta cong]regatione.....[2] in crastino.....[3] theologorum..... super (*fol. 46*) certis articulis criminalibus non sufficienter coram deputatis super hoc probatis, sibi objectis causa dicte procuracionis in curia Romana per duos magistros sue nacionis, scilicet magistros Lambertum Flamingum et Petrum, nescio unde.

Item[4] exstitit ibidem concordatum pro statuto et instrumento publico vallatum per tres facultates concorditer et majori parte quarte facultatis, ut omnes religiosi, cujuscunque fuerint religionis, qui alios juratos vel non juratos Universitatis convenire volunt coram rectore et quatuor procuratoribus super injuriis sibi factis, quorum cognitio ad predictos rectorem et procuratores spectare videtur, et sibi competentem emendam fieri de omnibus petentibus, cum tamen ipsi super consimilibus injuriis coram predictis rectore et procuratoribus trahantur, dicunt se jurisdictioni eorum non subjacere, nec volunt respondere coram predictis : tales inquam, ut concordatum fuit, ex nunc prout ex tunc habeantur pro resecatis et[5] privatis, si fuerint jurati. Alia autem pars quarte facultatis dixit, ut rector cum procuratoribus et aliquibus deputatis adiret priores dictorum religiosorum, quatinus ipsi suos confratres cogerent ut consuetudini hactenus observate, cujus memoria

1. *Folium laceratum in margine inferiore.*
2. *Tres lineae laceratae. Fortasse agebatur de mag.* Guillelmo de Lumbris, *mag. in theologia, qui erat nuntius Universitatis, et cui Universitas propter procurationem in curia molestias inferebat. Cf.* Chartul. Univ. Paris., II, n° 1080.
3. *Utique suppleri debet :* translationis s. Nicolai. *Vid. infra* p. 63, 5-7. *In crastino est* 10 *Maii.*
4. *In margine* : Statutum Universitatis.
5. et... jurati *inter lineas.*

non obstat in contrarium, se conformarent et dictis rectori et procuratoribus secundum exigentiam cause, salvo jure cujuslibet, obedirent; alias[1] tamen cum aliis consenserunt.

Item die altera immediate sequenti[2] facta congregacione generali apud dictum Sanctum Maturinum hora immediate post sermonem diei dominice, dati fuerunt deputati super exactione pedagii vicecomitis Suessionensis, qui audirent objectiones partium et excusationes dicti vicecomitis, et sibi offensa (quia humiliter supplicavit, et etiam contemplatione domini Symonis de Bucheriis) dimitteretur.

Item absoluti sunt concorditer ab omnibus facultatibus quidam de familia domini regis Navarre causa pedagii[3] ad requestam cujusdam doctoris decretorum, cui facta fuerat predicta offensa, qui etiam offensores juraverunt in animam et ad sancta Dei [evangelia], se inperpetuum non venturos certa scientia contra privilegia nec non aliquas dicte Universitatis Parisiensis personas.

Item ibidem exstitit concordatum, ut cum deputatis adiretur prepositus mercatorum super remedio oportuno tante karistie victualium, quatenus se nobiscum uniret, ut fieret articulus ad dominum regem cum aliis articulis.

Item ibidem admissus est promotor curie domini conservatoris quidam magister arcium, qui coram Universitate juravit, se fideliter officium exercere etiam sub pena alias taxata.

Item incepit dominus Laurencius Petrus de Dacia sub magistro Nycholao Drunkken de Dacia, cujus bursa XX solidi, in die beati Servatii episcopi et confessoris[4].

Item die beatorum Nerey et Acillei[5] facta congregacione generali apud Sanctum Matulinum hora consueta, audita relacione deputatorum super facto vicecomitis Swessionensis ob reverentiam dominorum supplicantium pro eo, et attenta ejus humilitate, absolutus est ex toto sub condicione quod satisfaceret partibus et juraret se in futurum nec scienter per se nec per alium directe vel indirecte aliquid attemptare contra privilegia Universitatis, nec gravare aliquod suppositorum Universitatis. Quod si faceret, pena debita pro dimisso delicto sibi servaretur et una cum pena debita novi delicti requireretur.

Item ibidem admissus est ad jurandum pro officio sigillatoris in curia domini conservatoris magister Thomas ad requestam domini Silvanectensis [episcopi] et conservatoris. Item ibi admissus est et juravit magister Michael, licenciatus in legibus, ad officium advocacie in dicta curia sub pena taxata alias, videlicet centum librarum et privacionis officii et ab Universitate.

Item in die Potentiane[6] virginis sigillate fuerunt per quatuor naciones quatuor littere directe quatuor cardinalibus, videlicet domino G. de Bolonia[7], domino P. Gometii[8], domino J. de Columpna[9], domino P. Penestrino[10].

Item in crastino[11] Ascensionis Domini hora vesperarum ad Sanctam Genovefam per rectorem convocatis [procuratoribus], sigillate fuerunt tres littere sigillo Universitatis, una pro curato ecclesie sancti Jacobi ultra pontes, sacre pagine doctore, altera pro magistro Johanne de Kuciacho, magistro in medicina, alia pro magistro Willermo Comitis, procuratore nacionis Normannorum, et fuerunt omnes littere supplicatorie ad eorum dyocesanos.

Item dati fuerunt in nacione nostra quatuor antiquiores magistri tunc temporis in nacione nostra una cum procuratore ad ordinandum et reformandum *librum procuratoris*, ad addendum, diminuendum et declarandum statuta et ordinaciones nacionis predicte. Magistri deputati fuerunt magister Ulricus de Augusta, Zuno de Swecia, Wilhermus de Grinlaw, Nicholaus Drunken de Dacia, quibus quatuor vicibus per procuratorem convocatis nichil terminatum fuit, sed solum collatio aliqualis habita est. Ideo tempore dicti procuratoris exspirante concludere non potuit, sed subsequenti commisit.

Item penultimo die Maii[12] licenciati fuerunt dominus Thomas de Wedel Scotus apud Sanctam Genovefam sub magistro Willermo Grinlav, cujus bursa VIII solidi parisiens., et dominus Alanus frater ejus sub magistro H[enrico] de Gore, tunc temporis procuratore, cujus bursa etiam VIII solidi parisiens.

(*Fol. 46b*) Item convocatis quatuor procuratoribus apud Sanctam Genovefam tribus vicibus sigillate fuerunt VII littere, quatuor Universitatis : una pape, altera magistro Wilhermo de Lumbris[13] due alie

1. alias *etc. inter lineas.*
2. 11 *Maii, quae erat dominica.*
3. *Ms.* pedii.
4. 13 *Maii.*
5. 12 *Maii.*
6. 19 *Maii.*
7. Guidoni de Bolonia, presb. Card. S. Caeciliae.
8. Petro Gometii, presb. Card., tit. S. Praxedis.
9. Johanni de Columna, diac. Card. S. Angeli.
10. Petro de Prato.
11. 23 *Maii.*
12. 30 *Maii.*
13. *Cf. supra* p. 61, *not.* 2.

duobus cardinalibus; tres alie littere erant supplicatorie pro quisbusdam magistris ad suos dyocesanos.

1343

Tempus procuracionis magistri Laurencii Petri de Dacia.

Anno Domini M°CCC°XLIII°, secunda die[1] Penthecostes, que erat secunda die mensis Junii, convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane tunc actu regentibus ad Sanctum Julianum pauperem, electus fuit in procuratorem dicte nacionis per viam spiritus sancti nullo penitus reclamante magister Laurencius Petri de Dacia, in cujus procuracionis tempore acta sunt que inferius annotantur.

Primo facto computo per magistrum Ulricum de Augusta, tunc receptorem nacionis, de omnibus receptis tempore procuracionis magistri Henrici procuratoris inmediate precedentis, remansit sibi nacio obligata in 3us [2] solidis cum dimidio.

Item incepit dominus Nicholaus de Godrian sub magistro Gerardo de Marten, cujus bursa X solidi.

Item sigillata fuit una littera supplicatoria pro quodam scolare ad suum dyocesanum, qui dicto scolari aliquas injurias intulisset.

Item licenciatus fuit dominus Theoricus de Hoesden ad Nostram Dominam sub magistro Hermanno Bokel, cujus bursa X solidi.

Item licenciatus fuit dominus Benedictus Benedicti de Suethia sub magistro Sunone de Suethia, cujus bursa XIIII solidi.

Item incepit Conradus de Munda domo, in volgari suo de Reynehusen, sub magistro Sunone de Suethia, cujus bursa nichil. Promisit tamen per juramentum suum quod cum sufficiens fuerit bursas Parisius ponere, solvet ad requisicionem procuratoris quantum tenebitur per statuta nacionis.

Item licenciatus fuit dominus Nicholaus de Gorinken sub magistro Hermanno Bokel, cujus bursa nichil.

Item licenciatus fuit dominus Galterus de Dun, Scotus, sub magistro G. Scoto, cujus bursa nichil. Promiserunt tamen isti per juramenta sua in presencia nacionis sufficienter bursas suas solvere, cum ad fortunam pervenerint meliorem, et ad majorem caucionem promiserunt similiter pro eis magister Guillermus Scotus et Hermannus Bokel.

Item licenciatus fuit dominus Alexander Scotus sub magistro G. Scoto, cujus bursa XII solidi.

Item licenciatus fuit dominus Henricus de Hos sub magistro Gerardo de Marthen, cujus bursa X solidi.

Item die tercia mensis Julii facta congregacione nacionis ad Sanctum Maturinum, computavit magister Holricus[3] tunc receptor nacionis de omnibus receptis in mense precedenti, et facto compoto de omnibus remansit ipse nacioni obligatus in IX sol. parisiens.

Item ibidem et eodem die soluti fuerunt ambo pedelli de omnibus toto tempore precedenti.

Item sigillata fuit una littera Universitatis et alia capituli Beate Marie sigillo Universitatis super prorogacione termini inter Universitatem et capitulum de festo beati Johannis jam transacto usque ad festum proximum Nativitatis Domini[4].

Item sigillata fuit pro me una littera testimonialis de magisterio et regencia[5].

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Constancia sub magistro Ulrico de Augusta, cujus bursa nichil. Promisit tamen per juramentum suum sufficienter solvere bursas suas cum ad fortunam venerit meliorem.

Item licenciatus fuit dominus Petrus de Pruscia sub magistro Ulrico de Augusta, cujus bursa nichil. Promisit tamen per juramentum suum sufficienter bursas suas solvere secundum statuta nacionis, cum ad fortunam devenerit meliorem.

Item in profesto[6] beate Margarete virginis facta congregacione facultatis ad Sanctum Maturinum ad audiendum compotum magistri Oudardi rectoris immediate precedentis, concessus fuit unus determinans solutis solvendis dicto magistro Oudardo; item unus rectori pro tunc existenti[7]; item unus cuilibet quatuor nacionum.

1343

Tempus procuracionis magistri Nicholai Drukken de Dacia.

Anno Domini M°CCC°XLIII°, die lune proxima[8] post [festum] Bartholomei, convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane tunc actu regentibus ad Sanctum Julianum pauperem, concorditer electus fuit magister Nicholaus Drukken de Dacia in procurato-

1. 2 *Junii*.
2. *Numerus posset etiam legi* « 39 ».
3. Ulricus de Augusta.
4. *Vid.* Chartul. Univers. Paris., II, n° 1049, *not*.

5. *Similem « litteram » vid. in* Chartul., II, n° 1045, *pro* Ulrico de Ueberlingen.
6. 19 *Julii*.
7. Jacobo Loude. *Vid.* 68, 16.
8. 25 *Augusti*.

rem dicte nacionis, in cujus procuracionis tempore sunt acta que sequuntur.

Primo eidem magistro Nicholao procuratori fuit concorditer ex consensu tocius nacionis concessus ille determinans solutis solvendis, qui in procuratorio precedenti, congregacione facultatis apud Sanctum Maturinum in profesto Margarete virginis facta, concessus fuit toti nacioni. Ad cujus procuratoris supplicationem in nacione concessam presentes fuerunt magistri predicte nacionis, scilicet magister Laurencius Petri de Dacia, magister Johannes de Sarburgo, magister Curadus Almannus, et ambo bedelli nacionis supradicte.

1343

(*Fol.* 47) Tempus procuracionis magistri Laurencii Petri de Dacia.

Anno Domini M°CCC°XLIII°, vicesima prima die mensis Octobris, convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane tunc acta regentibus ad Sanctum Julianum pauperem, electus fuit in procuratorem dicte nacionis nullo penitus reclamante per viam spiritus sancti magister Laurencius Petri de Dacia, in cujus procuracionis tempore acta sunt que sequuntur.

1343

Tempus procuracionis magistri Waltheri de Wardlaw Scoti, etc.

Anno Domini M°CCC°XLIII°, xvij kal. Januarii[1] convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane tunc actu regentibus ad Sanctum Julianum pauperem, electus fuit in procuratorem dicte nacionis nullo penitus reclamante per viam sancti spiritus magister Waltherus de Wardlaw Scotus, in cujus procuracionis tempore sunt acta que secuntur.

Primo[2] convocatis omnibus magistris, ut moris est, ad Sanctum Julianum pauperem, concessa fuit supplicacio magistri Conradi de Reynehusen super eo, quod predictus magister inrotuletur in proximo rotulo Universitatis loco et ordine suo penitus observato tamquam esset actu regens, non obstante quod idem magister Conradus presens in villa Parisius vel in actu regendi non fuerit, quia predictus magister in actu regendi existens recessit evidenti necessitate coactus.

1344

Tempus procuracionis magistri Henrici de Gore.

Anno Domini 1344 convocatis magistris nacionis Anglicane apud Sanctum Matulinum hora consueta[3] ad eligendum procuratorem dicte nacionis, electus est via spiritus sancti magister Henricus de Gore in procuratorem dicte nacionis, in cujus procuracione acta fuerunt hec.

Primo facta congregacione facultatis die veneris proxima[4] ante diem Conversionis beati Pauli, per quatuor procuratores electus est magister Nicholaus de Dacia in rectorem Universitatis.

Item in die octava beate Agnetis virginis[5] computavit magister Jacobus Loude dicto rectori de tempore rectorie sue in presentia facultatis, cui omnibus computatis et solutis remansit eidem facultas obligata in VII solidis VI denariis. Item eadem die resumpserunt lectiones suas ordinarias magistri Christianus de Alen et Suno de Suecia in manu procuratoris, presente nacione.

1344

(*Fol.* 47[b]) Tempus procuracionis magistri Johannis de Sarburgo.

Anno Domini M°CCC°XLIIII°, die martis[6] post festum sancte Agathe virginis, convocatis omnibus magistris nationis Anglicane tunc actu regentibus et cum hiis quibusdam aliis apud Sanctum Julianum pauperem hora consueta ad eligendum procuratorem, electus fuit et conclusus debite magister Johannes de Sarburgo in procuratorem dicte nationis.

In cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

In die sabati[7] ante brandones hora prime convocatis omnibus magistris nationis Anglicane, qui consueverunt vocari, ad Sanctum Julianum pauperem ad supplicandum, ordinandum et dispensandum et super injuriis et ad faciendum jurare examinatores determinantium, requisivit predictus procurator ab omnibus magistris per juramenta ipsorum, non attendendo ad personam ipsius procuratoris, sed solum ad honorem et libertatem officii procuratorie et ad consuetudinem observatam per memoriam ipsorum et magni bedelli (qui dixit se semper vidisse procu-

1. 16 *Decembris.*
2. *Sequens bis in ms. scriptum sed postea deletum est. Incipit ibid. :* Anno Dom. M.CCC.XLIII, xvj kal. Januarii (*Decemb.* 17) hora prima vel citra in congregacione nostre nacionis concessa fuit supplicacio, *etc.*
3. *Circa* 13 *Januarii.*
4. 23 *Januarii.*
5. 28 *Januarii.*
6. 10 *Februarii.*
7. 21 *Februarii.*

ratorem ad examinandum determinantes una cum duobus examinatoribus determinantium) : utrum procurator etiam teneretur esse cum examinatoribus determinantium ad examinandum ipsos determinantes. Et major pars magistrorum, scilicet magister Nicholaus de Dacia dictus Drunken, rector Universitatis pro tunc, magister Ulricus de Augusta, Walterus de Wardela, Laurencius de Dacia, deposuerunt per juramenta ipsorum, attentis predictis, quod non de rigore sed solum de gratia. Et postea dixit tota natio quod erat in plena potestate duorum examinatorum determinantium admittere cum ipsis procuratorem et expellere ipsum, et quod ita erat in ipsorum potestate de aliis magistris.

1. Item dominus Gerardus de Prusia determinavit sub magistro Conrado de Munda domo, quo magistro recedente predictus dominus Gera[r]dus acceptavit pro magisterio suo magistrum Johannem de Sarburgo, cujus bursa IIII solidi.

2. Item dominus Rudolphus Stukki de Constancia determinavit sub magistro Ulrico de Augusta, cujus bursa IIII solidi.

3. Item dominus Menricus de Susato determinavit sub magistro Michahele, cujus bursa V solidi et dimid., sed [1] super hoc nacio dispensavit secum ad supplicationem magistri Michahelis.

4. Item dominus Laurencius Arosiensis de Suecia determinavit sub magistro Sunone Karoli, cujus bursa VI solidi.

5. Item dominus Johannes de Wesalia determinavit sub magistro Ulrico de Augusta, cujus bursa nichil.

6. Item dominus Johannes de Lychtim determinavit sub magistro Galtero Scoto, cujus bursa III solidi et dimid.

7. Item dominus Johannes de Ketenys determinavit sub magistro Galtero Scoto, cujus bursa IIII sol.

8. 9. Item dominus Esgerus Lagonis et Johannes Bund de Dacia determinaverunt sub magistro Nicholao Drukken de Dacia, et cujuslibet illorum bursa V solidi.

10. Item dominus Goswinus Storm determinavit sub magistro Galtero Scoto, cujus bursa IIII solidi.

11. Item dominus Robertus Crispini Scotus determinavit sub magistro Galtero Scoto, cujus bursa III solidi.

12. Item Alexander de Abirerumbi[2] Scotus determinavit sub magistro Galtero Scoto, cujus bursa IIII solidi.

13. Item dominus Adam de Kyninmund Scotus determinavit sub magistro Galtero Scoto, cujus bursa IIII^or solidi.

14. Item dominus Guillermus Scotus de Sancto Claro determinavit sub magistro Galtero Scoto, cujus bursa V solidi.

15. Item dominus Conradus de Gelenhusen determinavit sub magistro Ulrico, cujus bursa IIII solidi.

16. Item dominus Macolinus Scotus determinavit sub magistro Galtero Scoto, cujus bursa nichil.

17. Item dominus Johannes de Prusia determinavit sub magistro Ulrico de Augusta, cujus bursa IIII solidi.

18. Item dominus Suthernus Sunonis de Suecia determinavit sub magistro Sunone, cujus bursa III solidi.

19. Item dominus Wilhermus de Novomagio determinavit
20. Item dominus Theodricus de Grusebeth determinavit
} sub magistro Cristiano, quorum bursa IIII sol.

21. Item dominus Alexander de Novomagio determinavit sub magistro Galtero Scoto, cujus bursa IIII solidi.

19. Item dominus Rimarus de Brula
23. Item dominus Lubertus Bolle
24. Item dominus Gerardus de Attenderna
} determinavit sub magistro Hermanno Bokel, quorum bursa IIII sol.

(*Fol. 48* [3]) Item dominus Henricus de Pulkardyn incepit sub magistro Galtero de Wardlawe, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Laurencius Thrugoti de Dacia licenciatus fuit sub magistro Nicolao Drukken de Dacia, cujus bursa V solidi et VI denarii. Et idem Laurencius habuit determinationem a predicto magistro Nicolao, que alias ei concessa fuerat solutis solvendis.

1344

Tempus magistri David de Mair Scoti.

Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo tertio, die martis [4] proxima [ante] festum beati Gregorii pape et confessoris, convocatis omnibus magistris actu regentibus nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum, electus est magister David de Mair nullo penitus reclamante in procuratorem dicte

1. *Quae sequuntur, inter lineas.*
2. *Ms.* Abirtrumbi.
3. *In margine superiori :* Quintus sexternus.
4. 9 *Martii.*

nacionis, in cujus procuracionis tempore peracta fuerunt que secuntur.

In primis Laurencius Trugoti de Dacia licenciatus ad Sanctam Genovefam, cujus bursa V solidi cum dimidio, sub magistro Nicholao de Dacia.

Item magister Henricus de Pluscardy sub magistro Galtero de Wardelau, cujus bursa IIII solidi.

Item Rolandus de Norwegia licenciatus sub magistro Johanne de Sarburgo [1], cujus bursa V solidi.

Item Alardus de Lunna subdeterminans Gerardi de Attenderna, cujus bursa nichil.

Item dominus Sifridus [2] Cymdrus de Muebertis licenciatus sub magistro Ulrico de Augusta, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes de Prussia sub eodem, cujus bursa IIII solidi.

Compoto facto a magistro Ulrico de Augusta receptore nacionis in crastino [3] Pasche anno supradicto apud Sanctum Matulinum hora prime de omnibus determinantibus, licenciatis et magistris a tempore brandonum : Summa LVI libre cum dimidia.

Summa totalis receptorum usque in dictum diem LVI libre cum dimidia. Summa misiarum omnibus computatis XLII libre cum XVIII solidis, et sic receptor tenetur nacioni in XIII libris XII solidis, defalcatis omnibus defalcandis.

Monendum quod scole non taxantur in dicto compoto.

1344

Tempus procuracionis magistri Walteri de Wardlau Scoti.

Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quarto, die martis [4] proxima post festum Pasche convocatis omnibus magistris actu regentibus nacionis Anglicane apud Sanctum Matulinum, electus fuit magister Galterus de Wardlau Scotus in procuratorem nacionis predicte per viam sancti spiritus, in cujus procuracionis tempore acta fuerunt que sequuntur.

In primis concessa erat quedam supplicatio magistri Johannis Peny, scilicet quod poneretur in rotulo nacionis, si aliquis rotulus mitteretur pro magistris ad curiam Romanam, non obstante absencia sua.

Item magister Nicholaus de Dacia computavit de receptis in tempore rectorie sue, cujus compotus admissus fuit et approbatus a tota facultate.

Item dominus Gerardus de Attenderna licenciatus fuit apud Sanctam Genovefam sub magistro Hermanno Bochel, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Gothfridus de Silvagrifis licenciatus fuit apud Nostram Dominam sub magistro Ulrico de Augusta, cujus bursa VIII solidi IIII denarii.

Item dominus Johannes de Wesalia licenciatus fuit apud Nostram Dominam sub magistro Ulrico de Augusta, cujus bursa nichil, etc.

Item licenciatus fuit dominus Manricus de Susato apud Nostram Dominam sub magistro Waltero de Wardlau Scoto, cujus bursa VIII solidi.

(*Fol. 48*[b]) Item licenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus Conradus de Geilenhusen sub magistro Ulrico de Augusta, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit dominus Willermus de Sancto Claro Scotus apud Nostram Dominam sub magistro Waltero de Wardlau Scoto, cujus bursa VI solidi.

Item magister Menricus incepit in artibus sub magistro Waltero de Wardlau Scoto, cujus bursa VIII s.

Item licenciatus fuit dominus Lubertus de Trajecto sub magistro Hermanno Bokel apud Sanctam Genovefam, cujus bursa V solidi et VI denarii.

Item licenciatus fuit dominus Conradus de Berlyn apud Nostram Dominam sub magistro Waltero de Wardlau Scoto, cujus bursa nichil.

1344

Tempus continuacionis magistri Walteri de Wardlau [5].

Item anno predicto pro mense immediate sequenti [6] continuatus fui in procuratorem predicte nacionis, in cujus procuracionis tempore acta fuerunt que sequuntur.

In primis dominus Alexander de Abircrumbi solvit V florenos, in quibus tenebatur nacioni pro determinacione sua.

Item magister Ulricus reddidit compotum suum finalem in presencia nacionis apud Sanctum Maturinum, qui scriptus est prope finem papiri etc. [7]

Item licenciatus fuit dominus Gossvynus dictus Storm de Bomel apud Sanctam Genevefam sub magistro Henrico cognato magistri Gerardi, cujus bursa V solidi, 9 denarii.

1. *Primo :* Salisburgo.
2. *Inter lineas.*
3. 5 *Aprilis.*
4. 6 *Aprilis.*
5. *Rubrica scripta in margine.*
6. *Circa* 5 *Maii.*
7. *Postea spatium* 6 *linearum. Vid.* 73, 8.

Item incepit magister Gosvinus de Bomel sub magistro Ulrico de Augusta, cujus bursa V solidi, 9 denarii.

Item licenciatus fuit dominus Hernestus de parva Tremonia apud Nostram Dominam sub magistro Johanne de Saburgo, cujus bursa V solidi.

Hic incipit compotus magistri Ulrici receptoris nostri [1].

(*Fol. 65 b*) Anno domini M°CCC° quadragesimo 4°[2], magister Ulricus, receptor tunc nacionis nostre, vocatus ex parte procuratoris ad reddendum ultimum compotum in recessu suo, computavit in presentia nacionis apud Sanctum Maturinum presentibus procuratore nacionis, scilicet magistro Waltero de Wardlau Scoto, magistro Roberto de Cupir in Fiff, magistro Gerardo Gore, magistro Henrico Gore, magistro Thedrico et magistro Nicholao de Goudria, ita quod defalcatis defalcandis remansit predictus Ulricus nacioni debens decem et novem libras et VI solidos parisiens., de qua summa nacio tenetur expedire scol[as et] luminaria beate Marie, et II florenos magistro Willelmo Scoto de Dunfermelyn, et ad satisfaciendum nacioni de predicta summa, scilicet de X et IX libris et VI solidis parisiens., dictus Ulricus refudit primo d[ominum] Engelbertum Almannum hospitem comorantem ex opposito Sancti Maturini pro IX libris.

Item sutorem magistri Johannis Peny, scilicet Johannem Penne, comorantem in vico Anglicorum, refudit pro V libris.

Item Ricardum Anglicum sartorem, comorantem in vico Garlandie, refudit pro V libris et VI solidis.

Item notandum quod dominus Johannes de Prucia tenetur nacioni in V florenis, XII denariis [ad] minus, pro quibus V florenis solvendis ante festum sancti Michaelis proximo futurum obligabat se per juramentum suum, quod prestitit nacioni, et sub pena privacionis a dicta nacione, trina monicione premissa, quam tempore contracte obligacionis premisimus, quod si in predicte pecunie solucione deficeret, ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc, pro privato et perjuro reputaretur, et nos ipsum pro privato reputaremus. Presentibus magistro Waltero de Wardlau Scoto, tunc procuratore, magistro Ulrico de Augusta, magistro Christiano, magistro Gerardo Gore, et multis aliis. Hec omnia acta [sunt] die lune proxima[3] post festum Ascencionis Domini apud Sanctum Maturinum.

Item magister Ulricus habet adhuc XXXVII solidos 9 denarios de domino Gosvino pro licencia sua, quos tenetur refundere nacioni.

1344

(*Fol. 49*) Tempus procuracionis magistri Christiani de Elst.

Anno Domini M°CCC°XLIIII°, die martis[4] post festum sancte Trinitatis, convocatis omnibus magistris tunc actu regentibus nacionis Anglicane ad eligendum procuratorem apud Sanctum Julianum pauperem, electus fuit magister Christianus de Elst in procuratorem dicte nacionis, in cujus procuratione acta sunt hec que sequuntur.

In die sabbati[5] post festum Sancti Sacramenti licenciatus fuit dominus Esgerus de Dacia sub magistro Nicolao de Dacia, cujus bursa VI solidi.

Item incepit in artibus dominus Godefridus de Silvagrifis sub[6] magistro Waltero de Wardlau Scoto, cujus bursa X solidi cum dimidio.

Item licenciatus fuit dominus Gerardus de Prusia apud Sanctam Genovevam sub magistro Johanne de Saburgo, cujus bursa IIII solidi.

Item incepit in artibus dominus Halquinus de Succia, cujus bursa X solidi.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Hoesden apud Dominam Nostram sub magistro Galtero de Wardelau, cujus bursa VI sol.

Item incepit in artibus dominus Th[eoricus] de Hoesden sub magistro Christiano de Elst, tunc procuratore existente, cujus bursa VI solidi.

Item die lune[7] ante festum sancti Johannis Baptiste facta congregacione nacionis ad ordinandum, ad dispensandum et pro supplicacionibus et ad sedandum quoddam debattum sive discordiam, quod fuit inter nacionem Anglicanam ex una parte, et magistrum Christianum de Elst parte ex altera, super quadam pecunie summa, scilicet XXII florenorum de Florencia, quam idem Christianus a dicta nacione petit ratione quarundam expensarum, quas alias fecit in curia Romana pro negociis dicte nacionis impe-

1. *Haec scripta sunt in margine inferiori alio charactere. Nomen* Ulrici *conjicimus tantum. Computum qui replet ultimam paginam hujus libri manuscripti, hic reponendum duximus.*
2. *Ms.* primo.
3. 17 *Maii.*
4. 1 *Junii.*
5. 5 *Junii.*
6. sub..... Scoto *inter lineas.*
7. 21 *Junii.*

trandis, ratione quorum nacio predicto Christiano in dicta summa fuit obligata, ut dicebat in instrumento publico super hoc confecto plenius contineri, ita quod finaliter dicte partes, tam nacio ex parte una, quam magister Christianus parte ex altera, de dicta pecunia in judices compromissarios seu amicabiles compositores compromiserunt, scilicet in discretos viros et honestos dominos et magistros Th[eodoricum][1] de Brinen, canonicum Aquensem, Walterum de Wardelau Scotum, canonicum Glassuensem, Gerardum de Gore, canonicum Leodiensem, et H[enricum] de Gore, Sancti Dionisii ac Rutten. ecclesiarum canonicum, ita quod quidquid dicti compromisarii vel major pars ipsorum inter dictas partes de dicta pecunia infra mensem pronunciarent, quod hoc a dictis partibus sub pena XXII florenorum ex parte nacionis et sub pena querele ex parte Christiani inviolabiliter observaretur.

Item decima die mensis Julii, que fuit dies sabbati post festum apostolorum Petri et Pauli, facta congregacione nacionis per procuratorem ad ordinandum, ad dispensandum et pro supplicacionibus et ad audiendum pronunciacionem arbitralem seu amicabilem composicionem compromissariorum sive amicabilium compositorum inter nacionem ex una parte, et magistrum Christianum de Elst parte ex altera, super quadam pecunie summa, scilicet XXII florenorum, quos idem Christianus a dicta nacione petivit modo superius expresso, dicti compromissarii, scilicet Gualterus de Wardelau, canonicus Glassuensis, Th[eodericus] de Brinen, canonicus Aquensis, Gerardus de Gore, canonicus Leodiensis et H[enricus] de Gore, canonicus Sancti Dyonisii Leodiensis, magistri in dicta nacione, nostra tota nacione ad hoc specialiter vocata et congregata, arbitraliter pronunciaverunt, per hunc modum, scilicet quod quia sufficienter sunt informati tam per testes vivos, quam per instrumenta, quam etiam per *registrum nacionis*, quod dicta nacio dicto Christiano in XXII florenis tenetur et ex certa causa est obligata, ideo dicti compromissarii predictam pecuniam dicto Christiano adjudicabant arbitrando, ut quitancia de dicta querela et pertinentiis una cum instrumento obligationis nacionis in premissa congregacione magistris restitueretur, per juramenti obligationem predictis silentium in perpetuum imponendo. Et ulterius pronunciaverunt, ut dictus Christianus reciperet XI florenos supra Rikardum Anglicum institorem pannorum, in quibus tenebatur nacioni, et reciperet quinque florenos supra Johannem Penne sutorem commorantem in vico Anglicorum, et residuum scilicet sex florenos daret sibi receptor nacionis.

(*Fol. 49*[b]) Item in die lune[2] post festum sancti Jacobi facta congregacione nacionis per procuratorem nacionis ad ordinandum, ad dispensandum et pro supplicacionibus et audiendum compotum receptoris, in qua congregacione receptor computavit per hunc modum, videlicet quod omnibus computandis computatis et omnibus solvendis solutis usque ad istum diem remansit dictus receptor nacioni debens nichil[3], et Engelbertus tenetur nacioni in quatuor libris, et magister Th[eodoricus] receptor tenetur solvere bedellis, et[4].

Item facta congregacione facultatis in vigilia[5] sancti Jacobi, que fuit dies sabbati, per dominum rectorem ad eligendum nuncios mittendos ad curiam Romanam pro factis Universitatis expediendis, quatuor magistri de quatuor nacionibus intraverunt ad unum locum, in quo rector solet elegi, et eligerunt concorditer magistrum Johannem dictum Mercurel de nacione Gallicana, et magistrum Christianum de Elst de nacione Anglicana, quod sive que eleccio quatuor nacionibus placuit. Sed postmodum diu nacio Piccardorum, cui primo placuit eleccio, inpugnabat eleccionem magistri Christiani et appellabat ad Universitatem, et tunc postea in prima congregacione generali magister Johannes de Vineta nomine procuratoris nacionis sue opposuit quosdam articulos contra magistrum Christianum, impedientes et destruentes eleccionem magistri Christiani. Ad quos articulos magister Christianus respondit, ut in instrumento super hoc confecto plenius continetur. Quibus responsionibus auditis rector posuit in deliberacione quid esset super hoc agendum. Decrevit tota Universitas concorditer, excepta nacione Piccardorum, quod audita responcione magistri Christiani eleccionem ejus esse bonam et canonicam, et quod ipse magister Christianus esset mittendus ad curiam Romanam, non obstantibus illis articulis sibi oppositis per procuratorem Piccardorum, qui nulli fuerunt et sunt, et fuit hec de[liberatio]...[6] A qua quidem sententia Universitatis procurator Piccardo-

1. *Vid. infra p.* 81, 28; 83, 32; 84, 44, *etc.*
2. 26 *Julii.*
3. *Inter lineas, in textu, sed deletum :* XXVIII sol. cum IX den., intelligendo quod dictus receptor tenetur expedire luminaria beate Marie virginis pro tempore receptoris et de II bedellis.
4. *Dimidia linea post erasa est.*
5. 24 *Julii.*
6. *Circiter quinque vel sex verba erasa.*

rum appellavit ad sedem apostolicam; sed non sunt prosequuti, ut de jure debebant[1].

In crastino[2] beati Bartolomei facta congregacione nacionis per procuratorem ad eligendum procuratorem et ad supplicandum, antequam eleccio novi procuratoris celebraretur, dominus Walterus de Dun Scotus et dominus Johannes de Wesalia volentes incipere in artibus nacioni supplicabant, et primo dominus Walterus, cum ipse ad presens non haberet pecuniam, unde posset solvere bursas nacioni solvere consuetas per bacalarios in artibus incepturos, nec haberet pignus ponendum[3] pro eis, supplicavit quod nacio vel[l]et sibi credere usque ad festum Pasche. Quam supplicacionem nacio dicto domino Waltero concessit sub talibus modo et forma, videlicet quod dictus dominus Gualterus solveret rectori illam bursam quam ipse debet habere; de aliis IIII bursis dedit nacio inducias dicto domino Waltero usque ad festum Pasche, dummodo juraret ad sacra Dei evangelia, infra dictum terminum, scilicet Pasche, dictas bursas solvere. Quod juramentum in presentia totius nacionis prestitit de solvendo[4]. Dominus vero Johannes de Wesalia supplicavit, cum ipse esset pauper, quod sibi ille burse dimitterentur. Cui nacio concessit quod si rectori juraret quod nullam bursam poneret, et rector ipsum quitaret, tunc nacio ipsum ex toto quitaret de dictis bursis; si autem rectori juraret aliquam bursam, tunc solveret rectori unam bursam, et residuum nacioni.

Dominus Walterus Scotus incepit in artibus die jovis[5] post festum Bartolomei, cujus bursa V solidi.

Dominus Johannes de Wesalia incepit in artibus die jovis post festum Bartolomei, cujus bursa (*sic*), sub[6] magistro Galtero de Wardlau Scoto.

1344

[Tempus procuracionis magistri Gualteri de Wardlau.]

Tempore procuracionis[7] magistri Walteri de Wardlau Scoti facta fuerunt que sequuntur.

Primo incepit sub eodem dominus Walterus Scotus de Dun, cujus bursa V solidi.

Item dominus Johannes de Wessalia sub eodem, cujus bursa nichil, ut dixit.

Item incepit dominus Thomas de Wedal Scotus sub eodem, cujus bursa V solidi.

1344

[Tempus procurationis magistri Gotfridi de Silvagrifis.]

(*Fol. 50*) Anno Domini M°CCC°XLIIII° in crastino[8] Mathei apostoli et ewangeliste, convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane tunc actu regentibus ad Sanctum Julianum pauperem, concorditer electus fuit magister Gotfridus de Silvagrifis in procuratorem dicte nacionis, in cujus procuratorii tempore acta sunt hec que sequuntur.

Primo computacione facta per magistrum Theodericum receptorem ejusdem nacionis, admissa fuit ejus computacio sic, quod remansit nacioni obligatus in novem solidis cum dimidio, convocatis magistris omnibus regentibus ejusdem nacionis apud Sanctum Julianum pauperem die jovis[9] proxima festo[10] Mathei apostoli et ewangeliste.

Item infra tempus procurarie sue incepit dominus Conradus de Berlin, cujus bursa nichil.

Item convocatis omnibus magistris nacionis ejusdem ad sanctum Julianum pauperem, concessi erant magistro Nycholao de Dacia XX solidi monete parysiens. ex parte nacionis in subsiduum solucionis cujusdam scole nacionis Galicane.

Item tempore procurarie sue incepit dominus Ulfo de Suecia, cujus bursa VII solidi.

1344

Tempus procuracionis magistri Nicholai Drukken de Dacia.

In cujus procuratorio acta sunt que sequuntur.

Primo computavit magister Theodoricus receptor ejusdem nacionis infra tres dies post electionem dicti procuratoris, et reputatus fuit computus suus bonus de omnibus perceptis et erogatis de peconia nacionis, ita quod omnibus diffalcatis tenebatur dictus receptor nacioni in II solidis parysiens.

Acta fuerunt hec in crastino sancti Martini[11].

1. *Christianus cum aliis septem iter arripuit ad sanctam sedem, ut liquet e* Chartul. Univers. Paris., II, n° 1104.
2. 25 *Augusti.*
3. *In ms. postea* apud.
4. *In margine :* Nota quod dominus Galterus de Dun fuit postea quitatus de dicta solutione, scilicet post inceptionem suam, per nationem.
5. 26 *Augusti.*
6. sub... Scoto *sunt addita alia manu.*
7. *Post* 25 *Augusti.*
8. 22 *Septembris.*
9. 23 *Septembris.*
10. *I. e.* post festum.
11. 12 *Novembris.*

1344—1345

Tempus procuracionis magistri Walteri de Wardlau Scoti.

In cujus procuratorio[1] acta sunt que sequuntur.

Primo computavit magister Theodericus receptor nacionis Anglicane, et facto compoto nacio tenebatur sibi in VII solidis.

Item nacio concessit et dedit magistro Cristiano de Elst, nuntio dicte nacionis, XII florenos de Florencia.

Item nacio promisit sibi solvere unum scutum pro magistro Johanne de Saburgo.

Item nacio quitavit magistrum Walterum de Dun Scotum de II florenis, in quibus tenebatur nacioni pro bursis suis tempore sue incepcionis.

1345

(*Fol. 50*[b]) Tempus procuracionis magistri Guillermi de Grinlaw sive de Viridi Monte Scoti.

Electus fuit magister Willermus de Grinlaw sive de Viride Monte in procuratorem, octavo die mensis Februarii anno Domini M°CCCXLIIII, ad Sanctum Julianum, per magistros nacionis Anglicane. In cujus procuratorio acta fuerunt ea que sequntur.

Primo electus fuit magister Cristianus de Helste nuncius Universitatis et ex parte dicte nacionis missus ad curiam pro promocionibus[2] magistrorum.

Item dominus Mychael Pauli de Dacia determinavit sub magistro Nicolayo de Dacya, cujus bursa III solidi.

Item dominus Ornoldus de Gruthus determinavit sub magistro Johanne de Saburgo, cujus bursa V solidi.

Item dominus Johannes de Helmestad determinavit sub magistro Waltero de Wardelaw, cujus bursa V solidi.

Item dominus Theodericus de Foro determinavit sub magistro Nicolayo de Dacya, cujus bursa V solidi.

Item dominus Henricus de Dordraco determinavit sub magistro Galtero de Wardelaw, cujus bursa V solidi.

Item dominus Johannes de Rossi determinavit sub eodem, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Johannes de Frebourgo determinavit sub magistro Johanne de Wessalya, cujus bursa nichil.

Item dominus Willermus de Los determinavit sub eodem, cujus bursa nichil.

Item dominus Albertus de Boemya determinavit sub eodem, cujus bursa nichil.

Item dominus Theodericus de De[l]ff determinavit sub magistro Curado de Berlyn, cujus bursa nichil.

Item dominus Henricus de Menda determinavit sub eodem, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes de Gamerri determinavit sub magistro Waltero de Wardelaw, cujus bursa nichil.

Item in eodem procuratorio dictus procurator factus fuit rector Universitatis Parisiensis, et substituit loco sui in procuratorem magistrum Galterum de Wardelaw Scotum.

1345

Tempus procuracionis magistri Nicholai Drukken de Dacia.

Anno Domini M CCC XLV, 6ª die mensis Aprilis, convocata nacione Anglicana apud Sanctum Maturinum ad eligendum dicte nacionis procuratorem electus fuit concorditer magister Nicholaus dictus Drukken de Dacia in procuratorem ejusdem nacionis. In cujus procuratorii tempore acta sunt hec que sequuntur.

Primo licenciatus fuit dominus Johannes Ketnes Scotus sub magistro Galtero Wardelau, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit Wilhelmus de Los sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item XVIIII die Aprilis computavit magister Theodoricus dicte nacionis receptor, licet prius ad computandum vocatus, et omnibus diffalcatis remansit obligatus dicte nacioni in XXIIII solidis parysiens. cum 4 denariis, et libros Ingelberti habet impignoratos pro 9 florenis.

Item magister Galterus de Dun Scotus tenetur nacioni 1 floren[3].

Item in quadam congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum celebrata magister Gillelmus de Grinlau (*Fol. 51*) Scotus, tunc temporis rector Universitatis Parisiensis, proposuit contra magistrum Johannem de Sarburgo Almannum, quod sibi magister Johannes predictus multa intulerat verba

1. *Mense Decembri vel Januario.*

2. *I e.* pro provisionibus. *Desideratur hic rotulus, cujus mentio fit in* Chartul. Univers. Paris., II, n° 1104, *not.*

3. *Haec deleta sunt, et scriptor adjecit :* solvit ; nota.

obprobria et injuriosa sine causa, qui magister Johannes respondit aliqua concedendo, aliqua eciam denegando. Auditis replicacionibus et responsionibus hinc inde, posuit procurator in deliberacione quid esset super hiis agendum, ipsis trahentibus se ad partem, videlicet domino rectore et dicto magistro Johanne de Sarburgo. Nacio super propositis deliberavit in hunc modum, quod in primis et ante omnia prefatus magister Johannes a dicto domino rectore veniam et misericordiam peteret de commissis; dein sub pena privacionis per dimidium annum a dicta nacione et ab omnibus emolumentis, honoribus, officiis seu obvencionibus mediate seu immediate dictam nacionem interim tangentibus et sub bona fide in manu procuratoris prestanda se spontanee obligaret, quod nunquam de cetero alicui magistro dicte nacionis verba injuriosa seu opprobria in nacione seu extra nacionem inferre temptaret, nec aliquem supradictum verbis nec quibuscunque aliis signis apud aliquam personam mundi diffamaret; et si per duos testes fide dignos oppositum probari posset, dictam penam incurreret ipso facto. Qui magister Johannes ad nacionem vocatus, et deliberacionem predictam audiens omnia supradicta modo et forma quibus supra spontanee confirmavit, fide in manu sepedicti procuratoris prestita corporali, presentibus magistris videlicet dicto domino rectore, magistro Theodorico, canonico Aquensi, magistro Galtero Vardelau Scoto, magistro Henrico de Colonia, magistro Thoma de Wedayle Scoto, II bedellis et pluribus aliis magistris dicte nacionis super supplicacionibus et injuriis specialiter ad congregacionem nacionis convocatis.

1345

Tempus procuracionis magistri Thome de Wedayl Scoti.

Anno Domini M°CCC°XLV°, 4 die mensis Maii, convocata nacione Anglicana apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum dicte nacionis procuratorem, electus fuit magister Thomas de Wedayl Scotus in procuratorem ejusdem nacionis, in cujus procuratorii tempore acta fuerunt hec que secuntur.

Primo licenciatus fuit Johannes de Lythona Scotus apud Nostram Dominam sub magistro Galtero de Wardlaw Scoto, cujus bursa sex solidi cum dimidio.

Item licenciatus fuit dominus Alexander de Abircrumby Scotus apud Nostram Dominam sub magistro Galtero de Wardlaw Scoto, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit dominus Robertus Crispyn Scotus apud Nostram Dominam sub magistro Galtero de Wardlaw Scoto, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit dominus Thomas Semere Anglicus apud Nostram Dominam sub magistro Galtero de Wardlaw Scoto, cujus bursa X solidi.

Item licenciatus fuit dominus Robertus Garnovn Anglicus apud Nostram Dominam sub magistro Galtero de Wardlaw Scoto, cujus bursa X solidi.

Item licenciatus fuit dominus Robertus Semere Anglicus apud Nostram Dominam sub magistro Galtero de Wardlaw Scoto, cujus bursa X solidi.

Item[1] licenciatus fuit apud Sanctam Genovefam dominus Alardus Almannus de domo Almannorum pauperum scolarium, sub magistro Nicholao de Dacia ut spero, et non presentavit se procuratori ad jurandum ante licentiam suam, et ideo hoc non scripsit procurator pro illo tempore, sed pro tempore sequente. De illa tamen ignota dispensavit secum nacio in tempore procuracionis magistri Galteri de Dun.

(*Fol. 51*[b]) Item incepit dominus Thomas Semere Anglicus sub magistro Galtero de Wardlaw Scoto, cujus bursa decem solidi monete tunc currentis.

Item incepit dominus Robe[r]tus Garnovn Anglicus sub magistro Galtero de Wardlaw Scoto, cujus bursa decem solidi.

Item incepit dominus Robertus Semere Anglicus sub magistro Guillermo de Grinlaw sive de Viridi Monte Scoto, tunc tempore rectore, cujus bursa X solidi.

Item licenciatus fuit dominus Laurencius de Suecia sub magistro Godefrido de Silvagrefis, cujus bursa VI solidi.

Item XXVIII die Maii computavit magister Theodoricus dicte nacionis tunc tempore receptor, licet prius ad computandum vocatus, et defalcatis omnibus defalcandis et solutis solvendis remansit dicta nacio sibi obligata in XXVI solidis, et ipse tenebatur solvere bedellis, scolis nacionis et pro luminaribus beate Marie virginis et omnibus aliis usque ad illum diem.

Item idem receptor tenebatur effundere nacioni predicte IX florenos de Florencia, vel vadia bona et sufficientia pro eisdem.

Item die veneris sequenti[2] in congregacione nacionis facta apud Sanctum Maturinum ordinatum fuit concorditer quod Theodoricus receptor solveret

1. *Quae sequuntur usque* de Dun, *alio charactere.*

2. 27 *Maii. Jam* 1 *Junii fit novus procurator.*

XL solidos pro scolis magistri Johannis de Wesalia, et decem florenos de Florencia mittendos magistro Christiano de Elst, nuncio tunc temporis Universitatis, de bursa sua propria, quia tunc non fuit pecunia in nacione, quamvis fuerint vadia, quos reciperet de primis incepturis vel licenciaturis. Et ideo ad requestam dicti receptoris positum fuit per procuratorem in deliberacione utrum expediens esset, quod cum nullo licenciaturo vel incepturo dispensaretur super delacione solucionum bursarum suarum, quousque persolutum esset receptori predicto de solucionibus predictis. Et deliberatum fuit per singulos magistros ibidem existentes et per procuratorem conclusum, quod cum nullo esset expediens dispensare, quousque persolutum esset eidem receptori, et concorditer ordinatum.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Friburgo Allemanus sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

1345

Tempus procuracionis magistri Galteri de Dun Scoti.

Anno Domini M° CCC° XLV°, prima die Junii, convocata nacione Anglicana apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem dicte nacionis, electus fuit magister Galterus de Dun Scotus in procuratorem nullo contradicente, in cujus procuracione acta fuerunt hec que sequntur.

Primo licenciatus fuit apud Sanctam Genofefam dominus Arnoldus de Gruthus [1] sub magistro Theodorico Brinen, tunc temporis dicte nacionis receptore, cujus bursa V solidi.

Item [2] incepit dominus Laurencius de Swecia sub magistro Halquino de Swecia, cujus bursa VI solidi.

Item dominus Johannes de Purcia supplicavit nacioni, cum ipse alias fuerat obbligatus per juramentum suum et sub pena privacionis a dicta nacione, quod infra certum terminum dicte nacioni redderet XLIX solidos parisiens., in quibus tenebatur pro bursis suis in tempore licencie sue, et in solucione defecerat termino predicto adveniente, preterquam quod unum scutum miserat nacioni, quod recepit magister Galterus de Wardlau : quod nacio ipsum quitaret de omnibus que erga ipsum occasione defectus solucionis predicte pecunie in termino statuto habere posset, et quod sibi veniam et indulgenciam de omnibus commissis tangentibus predictum juramentum suum et solucionem illam graciose concederet. Quam quidem supplicacionem ipso trahente se ad partem, nacio sicut fieri postulavit gratiose [3] concessit, dum tamen residuum illorum quinque florenorum indilate solveret receptori. Et sic ipsum quitavit, illa tamen condicione interposita. Una cum hoc dicta nacio sibi de juramento prestito et omnibus (*Fol.* 52) aliis commissis ob defectum solucionis dicte pecunie misericorditer indulgebat. Et hoc factum fuit prima die procuracionis mee.

Statutum [4] de incipientibus et de solucione floreni per quemque [5] eorundem.

Item in die sancte Barnabe apostoli [6] convocata nacione apud Sanctum Maturinum, unanimi consensu tocius nacionis concessum fuit, et per procuratorem, qui in deliberacione hoc posuit, conclusum, quod ab illo tempore in futurum perpetuo tempore observaretur, quod quilibet magister de novo incipiens in dicta nacione, nisi juramento prestito impotenciam solvendi et paupertatem allegaret, pro bejania [7] sua dicte nacioni unum florenum de Florencia solvere teneatur ad minus, ad requestam procuratoris, sine hoc quod super hoc nacio vocaretur ; et si in hoc faciendo procurator, qui pro tempore fuerit, necligens fuerit aut remissus, quod ipse procurator ad requestam minimi suppositi nacionis, majoris aut tocius, tantum nacioni solvat indilate. Et si hoc tenere aut facere recuset, tanquam perjuratum ipsum licite puniat procurator succedens, nacionem tamen super hoc prius convocando, cum quilibet procurator in principio sue procuracionis nacioni est juratus, quod statuta, privilegia et consuetudines nacionis observabit. In istius statuti seu consuetudinis ratificatione presentes fuerunt magister Willelmus de Viridi Monte, Scotus, tunc temporis rector Universitatis, magister Walterus de Wardlau, magister Johannes de Salburgo, magister Godfridus de Silvagrifis, magister Johannes de Wesalia, magister Theodoricus de Br[in]en, et magister Galterus de Dun, Scotus, procurator tunc temporis. Et in die lune sequenti [8] confirmatum fuit istud statutum,

1. *Hoc nomen in margine etiam scriptum est.*
2. *Alio charactere.*
3. *Ea vox repetitur.*
4. *Ante rubricam alio charactere :* Notandum.
5. *Ms potius* : partium.
6. 11 *Junii.*
7. *Cf. statutum de bejaunis in* Chartul. Univers. Paris., II, n^is 1032, 1057.
8. 13 *Junii.*

lectum et ratificatum et approbatum in presencia omnium magistrorum suprascriptorum, nacione inter cetera convocata ad statuendum.

Item dominus Theodoricus de Foro fuit[1] licentiatus ad Nostram Dominam sub magistro Galtero de Wardlau Scoto, cujus bursa VI solidi.

Item dominus Robertus de Ketenis licenciatus fuit ad[2] Nostram Dominam sub magistro Galtero de Wardlau, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Theodoricus de Foro incepit sub magistro Galtero de Wardelau, cujus bursa VI sol.

Item dominus Petrus de Polonia incepit sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa V solidi.

Item dominus Johannes de Purcia incepit sub magistro Godfrido de Silvagrifis, cujus bursa V sol.

Item dominus Gerardus de Purcia incepit sub magistro Johanne de Sarburgo, cujus bursa V solidi.

Item Rimarus de Colonia sub magistro Guillermo de Viridi Monte, cujus bursa X solidi.

Item dominus Henricus de Tordraco sub[3] magistro Galtero de Wardlau, cujus bursa VI solidi cum dimidio.

Item dominus Johannes de Rossi sub magistro Waltero de Wardlau, cujus bursa IIII solidi.

Item fuit licenciatus dominus Johannes Elmrstat sub eodem, cujus bursa V solidi.

Item die sancti Benedicti[4] computavit magister Theodoricus receptor, licet prius ad computandum vocatus, et defalcatis omnibus defalcandis et solutis solvendis et computatis etiam omnibus luminaribus pro toto anno preterito usque ad illum diem, nacio tenebatur sibi in XL solidis, et ipse tenebatur solvere bedellis et omnibus magistris qui prius supplicaverant pro pecunia in nacione, sic quod nacio amplius nulli homini tenebatur in aliqua pecunia, nisi solum quod sibi in illis XL solidis, et etiam ad refundendum luminaria, si necesse fuerit, vel unam summam ad festum Purificacionis. Et nacio illa die habuit compoto facto pignora de IX florenis, de quibus pignoribus placuit nacioni quod solveret receptori de summa sibi debita, si aliunde non posset provenire, cujus compotum placuit nacioni.

Item licenciatus fuit dominus Radulphus de Constancia sub magistro Johanne de Purcia, cujus bursa III solidi.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Picus de Saxonia sub magistro de Wardlau, cujus bursa V solidi.

Item idem dominus Johannes sub eodem magistro Galtero determinavit.

(*Fol.* 52^b^) Item die lune proximo[5] ante festum sancti Laurencii convocata nacione apud Sanctum Maturinum ad audiendum compotum receptoris et ad eligendum receptorem, si necesse fuerat, computavit magister Theodoricus tunc receptor nacionis, sic quod omnibus computatis computandis et defalcatis defalcandis tenebatur nacioni in duobus scutis aureis, que duo scuta magister Guillelmus de Viridi Monte, quem idem receptor ex consensu nacionis substituit in procuratorem, obligabat se solvere nacioni, presentibus procuratore magistro Galtero de Dun, magistro Galtero de Wardlau, magistro Godfrido de Silvagrifys, magistro Johanne de Wesalia, magistro Johanne de Purcia, magistro Girardo de Purcia, magistro Theodorico de Foro, magistro Alquino, tunc receptore, magistro Theodorico de Breynen, suo substituto.

1345

Tempus procuracionis magistri Johannis de Wesalia.

Anno Domini M°CCC°XLV°, prima die[6] parvi ordinarii, convocata nacione Anglicana sufficienter ad eligendum procuratorem et ad supplicandum et ad ordinandum et dispensandum, electus fuit magister Johannes de Wesalia in procuratorem dicte nacionis, nullo contradicente. In cujus procuratione acta fuerunt hec que sequuntur.

Primo magistro Johanni de Sarburgo concessa fuit talis supplicacio, scilicet quod primus determinans qui daretur predicte nacioni in anno tunc incipiente solutis solvendis esset ejusdem magistri Johannis de Saburgo.

1. fuit... Dominam *inter lineas, alio charactere.*
2. ad... Dominam *inter lineas, alio charactere.*
3. sub... Wardlau *inter lineas.*
4. Translatio, 11 *Julii.*
5. 8 *Augusti.*
6. Utique 26 *Augusti, i. e. crastinum s. Ludovici, ubi resumebantur lectiones ordinariae in vico Straminis* (*vid. kalend. in principio hujus vol. ad* 26 *Junii et* 26 *Augusti*), *ut apparet etiam infra ad an.* 1351, 27 *Augusti, quanquam in kalendario quodam legitur* : Notandum quod doctores incipiunt legere in parvo ordinario prima die legibili post festum Exaltationis sancte crucis, vel prout videbitur facultati expedire (*Cf.* Chartul. Univers. Paris., II, p. 716, *not.* 30), *nam hoc valet tantum pro theologis et decretistis, pro quibus* parvum Ordinarium *in crastino Exaltationis incipiebat.*

1345

Tempus procuracionis magistri Johannis de Sarburgo.

Anno Domini M°CCCXLV°, in crastino[1] Mathei apostoli, convocata natione Anglicana apud Sanctum Julianum pauperem more consueto ad eligendum procuratorem nationis, electus fuit concorditer nullo contradicente magister Johannes de Sarburgo in procuratorem predicte nationis. In cujus procuratione acta etc.

Primo concessum fuit concorditer in tota natione magistro Theoderico de Foro quod reputaretur regens omnino sicut quicunque de natione sua.

Item domino Engarammo Scoto supplicanti ut prolongaretur terminus solvendi L solidos parisiens. pro domino Johanne Scoto de Rossi, cujus fidejussor fuit ille idem Engarammus vel frater ejus, scilicet dominus Johannes de Ketenis, sub pena XXV solidorum ad solvendum in festo Michahelis, concessa fuit prolongatio usque ad Nativitatem Domini.

Item dominus Alardus de Lunna incepit sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item electus fuit sine discordia in rectorem Universitatis magister Walterus de Wardela (*sic*) Scotus.

Item dominus Arnoldus de Gruthus Alamannus incepit sub magistro Gerardo de Prusia, cujus bursa III solidi.

Item in die veneris post inceptionem magni ordinarii[2] convocatis sufficienter per bedellum nationis nostre, ex parte procuratoris, magistris ejusdem nationis nostre apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum receptorem predicte nationis, legitime et per viam sancti spiritus electus fuit in receptorem predicte nationis magister Willelmus de Viridi Monte, Scotus.

1345

(*Fol. 53*) Tempus procuracionis magistri Gerardi Dulmen de Prusia.

Anno Domini M°CCC°XLV°, die jovis proxima[3] post [festum] beati Luce ewangeliste, convocatis omnibus magistris actu regentibus sufficienter in nacione Anglicana ad Sanctum Maturinum ad ordinandum et supplicandum, dispensandum et ad eligendum procuratorem dicte nacionis, electus fuit magister Gerardus Dulmen de Prusia concorditer in procuratorem ab omnibus magistris nacionis predicte, nullo penitus reclamante.

In cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

Primo convocata nacione ad Sanctum Maturinum ad audiendum compotum receptoris, magister Guillelmus de Grinlaw receptor computavit, et ab omnibus magistris compotus suus est reputatus bonus, et mansit debitus nacioni de bursis magistri Arnoldi Gruthus XII solidos, rectore persoluto, pedellis vero et luminaribus insolutis.

Item computavit antiquus rector et placuit sua computatio nacioni.

Item congregacione facultatis facta ad Sanctum Julianum pauperem, omnes naciones concesserunt Jacobo[4] pedello Gallicorum in curia apud nuncios manendi licenciam, quousque negocia magistrorum essent expedita, quibus nacio nostra consenciens de omnibus laboribus et expensis predicto Jacobo, quantum eam tangeret, satisfacere cum aliis III^{us} nacionibus compromisit.

Item convocata nacione ad Sanctum Maturinum nacio concessit IIII^{or} magistris, videlicet magistro Gerhardo de Dulmie, tunc procuratori nacionis, magistro Thyderico de Foro, magistro Johanni de Prusia, magistro Arnoldo Gruthus, magistro Christiano[5] scribere ad curiam quasdam litteras supplicatorias pro promocionibus eorum sub sigillo nacionis, in quibus litteris supplicaciones dictorum magistrorum contentas predictus magister Christianus domino summo pontifici presentaret ex parte nacionis, dummodo dicti magistri magistro Christiano pro suis laboribus quilibet tantam pecuniam, videlicet XV solidos, solverent, quantam quilibet aliorum magistrorum existentium in rotulo, hic Parysius vel ad curiam cuidam honesto homini eis noto transmitterent magistro Christiano tradendam, in casu in quo constaret ei et bene certificatus esset, magistrum Christianum pro negociis dictorum magistrorum sicut aliorum existencium in rotulo fideliter laborare, et aliter nullo modo.

Item dominus Johannes de Helmestat incepit sub magistro Galtero de Wardelaw Scoto, tunc rectore, cujus bursa IIII solidi.

Magistro[6] Gerardo Dulmen existente procuratore computavit receptor, computavit antiquus rector, et

1. 22 *Septembris*.
2. *Quod in crastino S. Dionysii, die* 10 *Octob., incipiebat. Dies veneris* 14 *Octob. fuit*.
3. 20 *Octobris*.
4. De Pavillione.
5. *In curia*.
6. *Quae sequantur, in ms. scripta sunt alio charactere, in fine fol.* 52^b *post procurationem Johannis de Sarburgo*.

concessit nacio licentiam pedello Jacobo nacionis Gallicane manendi in curia apud nuncios Universitatis.

1345

Tempus procuracionis magistri Gerardi dicti Dulmen de Prusia.

Anno Domini M°CCC°XLV°, die jovis proxima[1] post festum beati Martini, convocata nacione Anglicana apud collegium Cluniacensium nigrorum monachorum, super negocio domini episcopi Silvanectensis[2] et ad eligendum procuratorem, canonice electus fuit magister Gerardus Dulmen de Prusia ab omnibus magistris nullo contradicente.

In cujus procuratorii tempore acta sunt hec.

Primo convocata nacione die lune[3] post festum Katerine proxima ad audiendum computum receptoris, magister Willermus de Viridi Monte computavit, quod solutis omnibus solvendis et defalcatis defalcandis nichil omnino mansit debitus nacioni, et iste computus ab omnibus magistris fuit approbatus.

Item dominus Lubertus Bolle de Trajecto incepit in artibus sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII solidi.

Item nacio concessit supplicacionem domini Johannis de Dacia, videlicet ut posset sub magistro Michahele determinare.

Item facultas dedit domino rectori, magistro Galtero Scoto, determinantem solutis solvendis.

1345

Tempus procuracionis magistri Johannis de Sarburgo.

Anno Domini MCCCXLV°, die jovis[4] ante diem electionis rectoris, convocata nacione apud Sanctum Bernardum ad faciendum procuratorem, electus fuit concorditer magister Johannes de Sarburgo in procuratorem nacionis. In cujus tempore acta sunt hec.

Primo in die veneris[5] post valde concorditer electus fuit in rectorem Universitatis magister Gerardus de domo Navarre.

Item in nacione nostra concessa fuit supplicacio trium fratrum de Ketenis Scotorum, quia ipsi fuerant obligati nacioni ad solvendum in Nativitate Domini 50 solidos parisiens. sub pena 25 solidorum[6], et pro tunc non potuerunt solvere, ideo supplicabant ut eis relaxaretur pena et prolongaretur terminus solucionis usque ad Pasca, si prius non possent solvere, quia si possent prius solvere, in bona fide hoc ipsi facerent. Tunc per hunc modum concedebatur eis supplicacio, scilicet quod si ad Pasca vel interim solverent, remitteretur eis omnis pena, si vero nec tunc nec interim solverent, tunc una cum principali obligarentur nacioni in predicta pena duplicata, et tota summa, scilicet 50 solidi pro principali et 50 pro pena duplicata ascenderet usque ad centum solidos parisiens. Et predicti fratres, scilicet dominus Engaramus, dominus Johannes et dominus Robertus[7] fuerunt contenti de tali gratia et placuit eis satis.

Item in vigilia[8] Circumcisionis Domini convocatis magistris nacionis nostre apud Sanctum Julianum pauperem ad audiendum compotum receptoris nostri, computatum fuit quod usque ad illam diem receptor debebat satisfacere rectori, bedellis et pro luminaribus Beate Marie, et natio nostra remansit eidem receptori debens XII solidos et I denarium.

Item incepit dominus Johannes de Friburgo sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa III solidi.

Item incepit dominus Esigerus de Dacia sub magistro Galtero de Wardela, cujus bursa IIII solidi.

1346

(*Fol. 53*[b]) Tempus procuracionis magistri Johannis de Helmestad.

Anno Domini M°CCCXLV°, die jovis[9] post Ephiphaniam Domini, convocata nacione Anglicana apud Sanctum Julianum pauperem ad faciendum procuratorem, electus fuit concorditer magister Johannes de Helmestad ejusdem nationis, in cujus procuracionis tempore facta sunt ea que sequuntur.

Primo supplicavit natio nostra domno apostolico pro quinque suis suppositis rotulo Universitatis non insertis, quatenus ipsis de benignitate sedis apostolice de beneficiis ecclesiasticis juxta formam supplicationum suarum dignaretur misericorditer providere, quam supplicacionem vel quas dirigat, presen-

1. 17 *Novembris.*
2. *Vid. instrum. an.* 1346, *Jul.* 21, *in* Chartul. Univ., II, 1129.
3. 28 *Novembris.*
4. *Die ultima legibili ordinarie ante Nativitatem Rector eligebatur, scilicet* 16 *Decembris.* Dies jovis *antea erat* 15 *Decembris.*
5. 16 *Decembris.*
6. *Vid. supra* p. 87, 16.
7. *Pro* Johanne Scoto.
8. 31 *Decembris.*
9. 12 *Januarii.*

tet et conducat pius pater et misericors Deus, ut ad finem perveniat salutarem.

Tunc temporis etiam receptor predicte nacionis nichil pecunie a noviciis sustulit, ideo ab ipso predictus procurator computacionem nullam postulavit, sed sustentatus fuit super computacione mensis precedentis.

Notandum quod illo tempore facta congregacione facultatis multotiens super eo, et nunquam voluit concedere facultas, quod scolares post Purificationem virginis possent respondere de una questione, determinando ipsam post Natale [1].

Item natio concessit supplicationem magistri Galteri de Doun Schoti, dando sibi litteram recommendatoriam ad episcopum Silvanectensem.

Item rector cum quatuor procuratoribus et tribus magistris aliarum facultatum ex parte Universitatis missi erant ad regem pro quibusdam articulis super libertate et privilegiis. Et rex gratiose concessit ipsorum supplicationes [2].

1346

Tempus procuracionis magistri Johannis de Helmestad.

Anno Domini M°.CCC°.XL°V°, nono die mensis Februarii, convocatis omnibus magistris nationis Anglicane actu regentibus in facultate artium apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem dicte nationis, ut moris est, electus fuit in procuratorem magister Johannes de Helmestad concorditer ab omnibus.

In cujus procurationis tempore acta fuerant que sequuntur.

Primo die lune immediate sequente [3] convocatis magistris nationis predicte apud Sanctum Julianum ad audiendum compotum receptoris, computatum fuit quod natio teneretur receptori jam dicto in quatuor solidis secund. sol. parisiens. denariorum.

Item incepit dominus Theodericus de Hammone sub magistro Gerardo dicto de Dulmen de Prussia, cujus bursa IIII^or solidi.

Item facta congregatione generali apud Sanctum Maturinum die lune [4] post dominicam *Invocavit* super quibusdam injuriis illatis Universitati per episcopum Parisiensem, magister Gerhardus dictus de Dulmen supplicavit omnibus magistris nostre nationis specialiter ibidem ad supplicandum et ordinandum vocatis, quatenus eum post ipsius recessum vellent pro actu regente reputare, in casu si contingeret rotulum super impetrationibus ad domnum apostolicum ordinari, vel in casu consimili. Quod nacio nostra concessit sibi graciose.

Item die martis [5] post dominicam *Invocavit* facta congregatione omnium magistrorum nationis predicte ad Sanctum Maturinum ad ordinandum etc., hora completorii, ordinatum fuit ibidem per magistros supradictos quod determinantes, qui bursas suas et scholas nationi persolvere tenerentur, si pro illa pecunia vadia ponerent, quod illa vadia deberent reponi ad arcam nationis et non deberent diutius teneri ibidem, nisi usque ad festum Pasche proxime venturum. Et si dicta vadia a supradictis determinantibus in termino jam dicto non redimerentur, quod tunc vadia vendi deberent sine dilatione qualicunque. Et quod nullus magistrorum dilationem in nacione quereret per juramentum suum super vadiis memoratis.

(*Fol. 54* [6]) Item determinavit dominus Johannes dictus Wale de Trajecto inferiori sub magistro Lulberto Bollen, cujus bursa IIII^or solidi.

Item dominus Guydo de Weyda determinavit sub magistro Arnoldo van den Gruthus, cujus bursa IIII^or solidi.

Item dominus Hinricus de Arnhem sub eodem magistro Arnoldo, cujus bursa nichil.

Item dominus Bernhardus de Loghem sub eodem magistro Arnoldo, cujus bursa nichil.

Item dominus Nycolaus Mortunowanus sub magistro Gerardo de Prussia, cujus bursa nichil.

Item dominus Wilhelmus Bosuil de Schotia sub magistro Galtero de Wardelav, cujus bursa III sol.

Item dominus Wilhelmus Talifer sub magistro... [7], cujus bursa III solidi cum dimidio.

Item dominus Bartoldus de Eymbeke sub magistro Johanne de Prussia, cujus bursa nichil.

Item dominus Petrus de Brisacho sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item dominus Erpo de Lunna sub magistro eodem Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item dominus Nycolaus de Rodelinghe sub magistro Johanne de Prussia, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes et dominus Cunradus de

1. *Haec rubrica, a parte scripta, postea cancellata est.*
2. *Exstat privilegium Philippi VI, 13 Febr., in* Chartul. Univers. Paris., II, n° 1179.
3. 13 *Februarii.*
4. 6 *Martii.*
5. 7 *Martii.*
6. *In margine superiori :* sextus sexternus.
7. *Spatium vacuum in ms.*

Mincenbergh sub magistro Johanne de Wesalia, quorum bursa nichil.

Item dominus Stephanus de Cleve sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item dominus Helgo de Suecia sub magistro Byrghert, cujus bursa nichil.

Item dominus Reynerus de Ghelria sub magistro Johanne de Sarburgo, cujus bursa nichil.

Item dominus Albertus de Bohemia sub magistro Cunrado de Meydeburgh, cujus bursa nichil.

Item dominus Egkhardus de Louenborgh sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item dominus Arnoldus de Schalkwik sub magistro Gerardo de Prusia, cujus bursa nichil.

Item dominus Robertus de Anstorp sub magistro Galtero de Don, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes de Kynnemunt sub magistro Galtero de Wardela, cujus bursa IIII^or solidi cum dimidio.

Item dominus Wilhelmus de Brinuet sub magistro Galtero de Wardelay, cujus bursa nichil.

Item dominus Hinricus de Smalham sub magistro Galtero de Wardela, cujus bursa nichil.

Item dominus Robertus de Kethenis sub magistro Galtero de Wardelaw, cujus bursa III solidi cum dimidio.

Item dominus Walterus de Stoltenbergh sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item dominus Nycolaus de Dalem sub magistro eodem Johanne, cujus bursa nichil.

Item dominus Jacobus de Waterlandia sub eodem, cujus bursa nichil.

1346

Tempus procuracionis magistri Galteri de Dun.

Anno Domini MCCCXLV, die jovis qui fuit nonus dies Martii, convocata nacione Anglicana apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, sicut moris est, electus fuit magister Galterus de Dun ad pluralitatem vocum regencium in dicta nacione, voluntate alicujus non obstante.

In cujus procuracione facta fuerunt que subscripta sunt.

In primis determinavit Bernardus Johannis de Haerderwic, sub magistro Arnaldo de Gruthus; dedit nacioni I florenum pro toto.

Item determinavit dominus Johannes de Huesden sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa III solidi cum dimidio.

Item determinavit dominus Arnoldus Uncus sub magistro Johanne de Wesalia, qui pro bursa dedit XX solidos, nacione tamen prius super hoc vocata.

Item dominus Thomas de Hartars determinavit sub magistro Galtero de Wardlau, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Johannes de Dacia determinavit sub magistro Michaele de Monte Calvario, cujus bursa IIII solidi.

(*Fol. 54*^b) Item die Martii XXIX^a, magister Willelmus de Grenlau receptor nacionis ad computandum vocatus coram nacione computavit, ita quod computatis omnibus computandis et defalcatis defalcandis et solutis bedellis et luminaribus ipse remansit debens nacioni III libras et III solidos, uno scuto minus, non computatis bursis neque scolis trium determinancium, scilicet domini Thome Arthars, domini Johannis de Kynnynmond, et domini Johannis de Dacia, pro quorum bursis et scolis dictus procurator una cum III libris prescriptis et III solidis tenebatur reddere vadia sufficiencia, ut ponerentur ad cistam nacionis.

Item sciendum quod in computando illa die de X solidis quos habuit nacio a Bernardo Johannis, computatum fuit pro bedellis et luminaribus quod haberent inter se VI de illis X; etiam de XX solidis alterius, scilicet Arnoldi Uncus, computatum fuit quod bedelli et luminaria haberent VIII. Hec facta fuerunt nacione vocata sufficienter predicta die per unum bedellum coram procuratore.

Notandum quod in procuracione superius scripta Universitas adivit regem propter vulneracionem magistri Roberti Normanni, a quo Universitas gratum responsum obtinuit, scilicet quod daret brachium pro brachio, manum pro manu, vitam pro vita, et Universitas protestata fuit de non capiendo vindictam sanguinis, etc.

1346

Tempus procuracionis magistri Galteri de Dun.

Anno Domini millesimo CCC°XLVI°, vj° die Aprilis, convocata nacione Anglicana apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem, continuatus fuit et electus in procuratorem magister Galterus de Dun, nullo reclamante.

In cujus procuracionis tempore acta fuerunt hec que sequuntur.

Primo fuit licenciatus apud Sanctam Genovefam

dominus Theodoricus de Olandia sub magistro Galtero de Wardlau, cujus bursa nichil.

Item XVII[a] die Aprilis, scilicet in crastino Pasce, convocata nacione apud Sanctum Maturinum, deliberatum fuit et per procuratorem, qui in deliberacione hoc posuit, conclusum quod quilibet inrotulatus mitteret nuncio unum scutum in subsidio expensarum suarum ad curiam Romanam, qui in predicta curia stabat pro negociis Universitatis et nacionis.

Item eadem die supplicavit Ingeramus de Ketenys quod prolongaretur terminus solutionis L solidorum parisiens., in quibus predictus Ingeramus vel frater suus dominus Johannes de Ketenis tenebatur nacioni fide media pro domino Johanne de Rossi usque ad festum Pentecostes, et quod integrum solveret si posset. Et sibi concessa fuit ista supplicacio.

Item licenciatus fuit dominus Petrus de Brisaco sub magistro Theodorico de Saxonia, cujus bursa nichil.

Ultimo[1] computabamus et tenebamur receptori in quadraginta 3 solidis.

(*Fol. 55*) Item prima die Maii convocata nacione apud Sanctum Maturinum in nonis Nostre Domine, supplicavit magister Johannes [de] Elmstadt Almannus, cum ipse fuerat recessurus ad partes, quod placeret nacioni in casu quo mitteretur rotulus ad curiam infra tempus quo contingeret ipsum esse absentem seu propter mortem pape, cujus vitam conservet Altissimus, seu alias, ipsum inscribere pro regente, et suum procuratorem constituit magistrum Theodoricum de Foro de Sorbona, quod ipse faceret pro ipso facienda nacioni, quam supplicacionem nacio nullo contradicente concessit.

1346

Tempus procuracionis magistri Johannis de Wesalia.

Anno Domini M°.CCC°.XLVI°, 6[a] die Maii, convocata nacione Anglicana apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, sicut moris est, electus fuit magister Johannes de Wesalia ex unanimi consensu magistrorum.

In cujus procuracione acta fuerunt hec que sequuntur.

Primo undecima die ejusdem mensis concessum fuit in nacione apud Sanctum Julianum, ubi pro tunc fuerat congregacio facultatis, quod omnes anglicandi vocati cederent magistro Christiano nuncio nostro existenti in curia ex parte nostrum in profectum, si qui procederent ad Sanctam Genovefam.

Item licenciati fuerunt in prima audicione ad Nostram Dominam dominus Johannes Thome de Huesden et dominus Arnoldus Haec de Huesden sub magistro Johanne de Wesalia, quorum bursa IIII solidi. Vicesima quinta die Maii[2], sancti Urbani.

Item in crastino[3] Ascensionis apud Sanctum Maturinum computavit dominus receptor magister Gwilhelmus de Grinlau, cui tenebamur facta computacione in 13 solidis.

Item idem magister Gwilhelmus in eadem congregacione supplicavit predicte nacioni, quod in casu, ubi fieret distribucio pecunie Universitatis existentis apud Sanctum Victorem, pro qua multos labores habuit tempore sue rectorie[4], quod haberet partem suam de eadem.

Item supplicavit quod si contingeret fieri rotulum nacionis tempore quo fuerit absens, quod inscribatur rotulo. Et has supplicaciones modo et forma propositas nacio concessit gratiose.

Item dominus Nycholaus Mortunowanus fuit licenciatus apud Sanctam Genovefam sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

1346

Tempus procuracionis magistri Gotfridi de Parchym Gripeswalden.

Anno incarnationis Christi MCCC°XLVI°, prima die Junii, sufficienter convocata nascione Anglicana ad eligendum procuratorem apud Sanctum Julianum pauperem, nullo reclamante electus fuit magister Gotfridus de Parchym Gripeswalden.

In cujus procuracione acta fuerunt hec que subsequuntur.

Primo celebrata congregacione prima, quarta die Junii apud Sanctum Maturinum sufficienter vocatis omnibus magistris deliberatum concorditer exstiterat in hunc modum, quod super majori declaracione computacionis receptorie magistri Wilhelmi de Viridi Monte littera quedam sibi mitteretur juxta modum et formam deliberacionis predicte nascionis, que dum legebatur, sufficienter vocandis vocatis placuit singulis, nullo reclamante.

Item eadem die Junii convocatis sufficienter omnibus magistris nascionis Anglicane ad receptorem eli-

1. *Alio charactere.*
2. *Erat festum Ascensionis.*
3. 26 *Maii.*
4. *Vid. instrum. an.* 1345, *Jun.* 22, *in* Chartul. Univ., II n° 1110.

gendum nec non statuendum, concorditer et unanimi consensu eligebatur receptor magister Theodericus de Foro nascionis supradicte, qui etiam corporali prestito juramento asseruit se semper velle ad profectum et honorem nascionis Anglicane officium receptorie tempore suo juxta ultimum sui posse fideliter exercere.

(*Fol. 55b*) Item[1] die et congregacione eadem unanimi consensu totius nascionis concessum fuit et per procuratorem, qui in deliberacione hoc posuit conclusum, quod ab illo tunc in futurum perpetuo tempore juxta receptorie officium observaretur, puta quod quicunque pro tempore receptor exstiterit, pecuniam seu vadia, que infra mensem procuratoris cujuslibet collegerit, ante finem mensis ejusdem personaliter presentibus magistris claves arche gerentibus nec non sufficienter vocatis ad minus magistris regentibus reponat in archam, fide prestita nascionis Anglicane, ita quod si dictus receptor existens pro tempore aliquod predictorum obmiserit, fidei transgressor reputetur.

Item die et congregacione eadem statutum fuit quod quicunque receptor pro tempore exstiterit, nullam pecuniam neque vadia de dicta archa recipiat seu disponat, nisi presentibus et vocatis magistris supradictis, que omnia inviolabiliter observare receptor electus fide prestita roboravit, sicuti quilibet receptorum auctoritate dicti statuti in prima creacione sui eadem data fide tenebitur confirmare.

Item die et congregacione eadem, dicto injungebantur receptori fide prestita, prout supra, unanimi concensu magistrorum, ne aliqua vadia quoquo modo reciperet etiam a quocunque, nisi speciali super hoc prehabita dispensacione nascionis.

Item fide prestita nulla recipiat vadia, nisi sufficienta omniquaque.

Item injunctum erat sibi ut budellis (*sic*) in hiis, que ad ipsos spectaverint, in fine mensis satisfacere non obmittat.

Item die et congregacione eadem statutum fuit unanimi consensu magistrorum, ne aliquis, quibuscunque vel quocunque sibi adveniente officio, duas claves spectantes ad archam sibi valeat usurpare, sed statim altera adveniente clave dicte nascionis deliberacione prehabita non desinat resignare, juxta tamen consuetudinem hucusque plenius observatam.

Item sufficienter convocata nascione Anglicana 7a die ejusdem mensis, concessum fuit concorditer in nascione magistro Johanni de Zyberch littera nascionis ad magistrum Kerstianum[2], ut dimitteret transire bullas ejusdem omni impedimento amoto, qui magister Johannes in recompensam illius bona fide promisit dicte nascioni, quod magistro Kerstiano pro labore suo et pena satisfacere non obmitteret sub pena etiam qualicunque, veluti in nascione rationabiliter fuerit ordinatum.

Item 9 die ejusdem mensis prolongatus erat ultimate terminus persolvendi pecuniam illorum fratrum de Kathnes ex parte cujusdam Johannis de Ros, in qua diu solvere tenebantur, ita quod eadem die ejusdem mensis unus fratrum illorum prestita fide in nascione promissione debita confirmavit quod ipsi dictam pecuniam, si interim eam habere non possent, in festo Assumpcionis Marie nunc adventuro dicte nascioni solverent indilate, ita quod eadem prestita fide nec per se nec per alium aut per alios, nec directe nec indirecte, aut quoquo alio modo solucionis antedicte ulteriorem terminum procurabunt, sed simpliciter et absolute ad longius dictam persolverent pecuniam, prout superius est expressum.

Item in crastino[3] Trinitatis incepit dominus Nicolaus Mortunowanus sub magistro Joanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item[4] incepit dominus Henricus de Os, cujus bursa sex solidi.

Item[5] licenciatus fuit in Nostra Domina dominus Wilhelmus Surmunt, cujus bursa 3 solidi et VI denarii.

Item dominus Thomas licenciatus fuit in Nostra Domina, cujus bursa V solidi.

Item dominus Albertus de Bohemia, cujus bursa nichil.

Item in crastino[6] sancti Bernardi soluta fuit pecunia, in qua tenebantur fratres dicti de Catnes[7] Scoti magistro Theodrico de Foro, dicte nacionis receptori.

Item licenciatus fuit in Nostra Domina dominus Bertoldus scolaris magistri Theoderici de Foro, cujus bursa nichil.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Kinnemont apud Nostram Dominam sub magistro Galtero de Wardelau, cujus bursa quinque solidi. Nacio habet pignera pro determinacione et licencia.

(*Fol. 56*) Item convocata quidem nacione sufficienter, cujus interest in hac parte, in octava[8] Assum-

1. *In margine* statutum.
2. Christianum de Elst, *in Rom. curia.*
3. 12 *Junii.*
4. *In margine add.* : solvit receptori.
5. *In margine add.* : solvit receptori.
6. 21 *Augusti.*
7. Ketenis.
8. 22 *Augusti.*

pcionis beate virginis Marie apud Sanctum Maturinum, hora prime, super refusionibus expensarum factarum per magistrum Cristianum de Elst in legatione Romane curie nacionis supradicte, de hujusmodi sumptibus deliberacione sufficienti prehabita, concorditer in hunc modum exstiterat ordinatum, nullo penitus reclamante.

Primo quod magistri, qui presentes fuerant tempore longiori et ex nunc non regentes, puta magister Johannes de Zibergh, magister Alquinus de Suecia et magister Nicolaus de Hokelem, quilibet ipsorum magistro Cristiano pro omnimoda persolucione in quatuor florenis Florencie ponderis justi satisfacere tenebitur in futurum. Secundo ordinaverunt dicti magistri quod quilibet magistrorum absencium de villa Parysiensi, qui in dicto rotulo in Romana curia in dicta legacione signati exstiterant, septem florenos de Florencia aut valorem sibi solveret expedite, defalcato tamen uno scuto pro magistro Meyrico, qui istud scutum magistro Cristiano legavit alias cum legacione pecunie, que sibi ad Romanam curiam nuperrime mittebatur. Tercio in predicta nacione, sicuti et alias, erat ordinatum quod omnem pecuniam baculariorum licenciatorum hoc anno in Sancta Ghenofefa, quam sibi nacio reservavit huc usque pro satisfaccione magistrorum regencium, predicto magistro Cristiano in jocundo suo adventu nacio presentaret. Quarto ordinabatur concorditer, prout supra, quod pro procuratore magistro Gotfrido de Parchym de quatuor florenis Florencie parvis tamquam de solucione omnimoda, nacio magistro Cristiano satisfaceret omniquaque, quandocunque per eundem magistrum Cristianum fuerit requisita [1].

Super hiis itaque ordinatis ac factis nacio petiit sibi fieri publicum instrumentum magistro Cristiano dirigendum, quo quidem publico instrumento, ut huic ordinacioni parere non desinat, per juramentum quod in recessu suo predicte nacioni fideliter prestitit, et nichilominus per juramentum generale quo obedire astringitur nacioni supradicte, ipsum sepedictum magistrum Cristianum requirit ac semper requiret in futurum, ne aliquid seu aliqua per se vel per alium directe vel indirecte contra dictam ordinacionem facere curet vel attemptet [2]. Huic item ordinacioni, si dictus magister Cristianus, quod absit, non paruerit, omni fraude procul mota, contra eundem [2] dicta nacio decrevit ex nunc sicut ex tunc, et ex tunc sicut ex nunc in omnibus irrevocabiliter fore procedendum. Actum in octava Assumpcionis beate Virginis, presentibus magistris Gotfrido de Parchim procuratore, magistro Theoderico de Foro receptore, Johanne de Zybergh, Johanne de Werburgho [3], Thoma de Wedayle, et Ghylekino bydello.

Item convocata nacione Anglicana in vigilia [4] Bartholomei sufficienter ad ordinandum et pro supplicacionibus apud Sanctum Maturinum, concessa fuit supplicacio magistri Thiderici de Foro in hunc modum, quod si pecunie distribuende hujus anni et distribute sibi recompensa facta non fuerit infra tempus examinis Sancte Genophefe, quo primo aperietur examen supradictum, ex tunc sicut ex nunc nacio sibi primum solventem vel secundum licenciandorum in Sancta Genophefa, quem nacio sibi deputaverit, concessit magistro supradicto.

1346

Tempus procuracionis magistri Henrici de Os, vel [5] sic : Osche

Anno Domini M° CCC° XLVI°, crastino beati Bartholomei apostoli [6], convocata nacione Anglicana ad eligendum procuratorem, electus fuit magister Henricus de Os apud Sanctum Maturinum consensu omnium magistrorum uniformi, nulloque penitus reclamante, tempore cujus acta fuerunt hec que sequentur.

Primo facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum super pecunia Balgino vici Straminis ad usus communes sive solvenda sive prestanda, deliberatum fuit et uniformiter admissum, nullo magistro pro tunc quoque [7] penitus contradicente, quod procurator supranotatus una cum bedello ad receptorem dicte nacionis foret iturus sibique ex parte dicte nacionis nunciaturus, quod pecuniam dicto Balgino, si qua esset in nacione, vacaret se soluturum, aut dictam pecuniam, si nacio non haberet eam, si paternitati sue placeret, id est discretioni sue occurreret [8], ad nacionis instantiam, dictaque nacione sic supplicante diligenter, prout erat deliberatum, dicto Balgino manciparet.

1. *Nuntii, inter quos Christianus, alium modum sibi satisfaciendi proposuerant, ut e doc. an.* 1346, *Maii* 25 *in* Chartul. Univers., II, n° 1126, *liquet. — Post* attemptet *in ms. plura verba sunt eliminata.*
2. *Postea quaedam verba erasa.*
3. *I. e.* de Wittenberg.

4. 23 *Augusti.*
5. Vel sic Osche *alia manu addita sunt.*
6. 25 *Augusti.*
7. *Ms. potius* que.
8. *In margine quaedam verba, quorum sensum eruere non possumus.*

Item incepit dominus Henricus de Dordraco sub magistro Waltero de Wardalay Scoto, cujus bursa IIII solidi[1], qua inceptione in vico Straminis celebrata predictus procurator presentibus magistro Galtero predicto et magistro Johanne de Wezalia dictum magistrum Henricum de Dordraco de floreno, quem erat nacioni daturus, informavit, sic quod libenter faceret sibi modo dic[to], qui postmodum floreno nacioni more solito non soluto recessit.

1346

(*Fol.* 56 b) Tempus procuracionis magistri Johannis de Wesalia.

Anno Domini M° CCC XLVI°, convocata nacione Anglicana sufficienter apud Sanctum Julianum, electus fuit magister Johannes de Wesalia, in cujus procuracione fuerunt acta que sequuntur.

Primo, magister Galterus de Warderlay magistro Johanni de Wesalia scolas suas resignaverat sub hac forma, quod scilicet ea non obstante resignacione repetere posset easdem ad utilitatem sui. Ad quod firmiter observandum magister Johannes de Wesalia in presencia nacionis se plenius obligavit. Ceterum magister Johannes de Wesalia magistro Johanni de Friburgo scolas quas habuit juxta modum consimilem deputavit. In[2] cujus procuracione nichil notabile erat factum.

1346

(*Fol.* 57)[3] Tempus procuracionis magistri Johannis de Friburgo.

Anno Domini M° CC°C XLVI, proxima die veneris[4] ante festum Crispini et Crispiniani, convocata nacione Anglicana sufficienter aput Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer penitus nullo reclamante magister Johannes de Friburgo in procuratorem dicte nacionis.

In cujus procuracione fuerunt acta que secuntur.

Primo convocatis omnibus magistris computatum fuit et concessum, nullo contradicente, quod nacio predicta teneretur in uno floreno cum octo solidis parysiens. magistro Gôtfrido de Gripeswalda. Cui de predicta pecunia promisit nacio satisfacere de proxima peccunia per nacionem habitura.

Item concessa fuit predicto magistro Gôtfrido quedam philosophia nacioni obligata quod posset in domo sua ipsa uti, sic tamen quod predictam phylosophiam reddat nacioni, quandocunque eum requisierit ipsam ad reddendum.

Item eadem die deliberatum fuit et concessum concorditer per magistros ut libri seu vadia predicte nacioni obligata venderentur propter scolarum persolutionem nec non aliorum debitorum, in quibus nacio tenebatur.

Item incepit dominus Johannes Picus de Saxonia sub magistro Walthero Walderlau, cujus bursa IIII solidi.

Item die jovis[5] post [festum] Simonis et Jude facta fuit congregacio facultatis ad audiendum compotum antiqui rectoris; quo audito supererant octo solidi cum dimidio. Tunc deliberatum fuit et concessum quod quilibet procurator vel receptor quatuor nacionum concederet quinque vel sex solidos novo rectori super proximis refusionibus magistris ad potandum. Sed quia in predicta potacione ultra summam jam concessam fuerat aliqua pecunia tunc consumpta, quam procuratores promiserunt solvere sicut precedentem; sed quia de nacione Anglicana dubium erat ne essent incipientes, promiserunt tres alii procuratores, videlicet Gallicorum, Pycardorum et Normannorum bona fide procuratori nacionis Anglicane, quod in casu, ubi predicta nacio Anglicana deficeret in refundentibus, quod ipsi vellent vel per se vel per rectorem predictam nacionem Anglicanam reddere indempnem de omnibus expositis ultra prius concessa. Et sic quilibet procuratorum tunc ibidem solvit 6 solidos cum dimidio, quos solvit receptor nacionis nostre tunc ibidem.

Item sufficienter vocata nacione Anglicana ad ordinandum de scolis et pro supplicacionibus die jovis[6] ante [festum] Martini, ordinatum fuerat quod nacio non resignaret aliquas suas scolas, et preceptum fuit bedello nacionis Normannorum quatenus ipse procuraret sedes, scampna et hostia serata scolis nostris *ad longum introitum*, et balivo claves traderet ad portandum, quod ipse promisit se velle citissime adimplere.

Item eadem congregacione durante concessa fuit supplicacio magistri Johannis de Friburgo nullo contradicente, quod nacio ipsum reputaret pro actu regente per totum istum annum.

1. *In margine* solvit.
2. *Alio charactere diversoque atramento verba* In... factum *scripta sunt.*
3. *Omnia sequentia usque ad* Item incepit *scripta sunt jam fol.* 56b, *sed deleta et postea exscripta fol.* 57. *Fol.* 56b *congregatio erat assignata ad* diem veneris ante festum Symonis et Jude, *hoc est ad* 27 *Octob.*
4. 20 *Octobris.*
5. 2 *Novembris.*
6. 9 *Novembris.*

1346

[Procuratio magistri Gotfridi de Parchym.]

Anno Domini M̊ CC̊C XLVI̊, die veneris[1] post festum Martini, electus fuit magister Godfridus de Parchym in procuratorem nacionis et continuatus per mensem sequentem[2], in cujus procuracionibus nulla scribenda facta sunt, excepto quod dominus Bertoldus de Halmestat per dispensacionem solvit nacioni unam libram pro determinacione et scolis.

1347

[Procuratio magistri Johannis de Wesalia.]

Anno Domini M̊ CCC XLVII̊, in vigilia[3] sancti Firmini, convocata nacione Anglicana sufficienter apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer nullo penitus reclamante magister Johannes de Wesalia in procuratorem dicte nacionis, in cujus procuracione acta fuerunt que sequuntur.

Primo convocatis magistris ad eligendum officiales, scilicet pro examine Sancte Genovefe, examinatores electi fuerunt concorditer magister Johannes de Wesalia predictus pro primo mense, magister Godefridus de Silvagrifis pro secundo mense, magister Johannes de Friburgo pro tercio mense.

Item examinatores determinancium magister Galterus de Wardelau et predictus magister Johannes de Wesalia ex unanimi consensu predicte nacionis fuerunt deputati.

Item dominus Bertoldus de Helmestat determinavit sub magistro Theoderico de Foro, qui satisfecit receptori de bursis et de scolis sicut tunc placuit nacioni.

(*Fol.* 57 b) Item determinavit dominus Henricus de Bavaria sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item dominus Conrardus de Minda sub magistro Theoderico de Foro, cujus bursa nichil; promisit tamen quam cito esset potens ad solvendum nacioni de bursis et de scolis satisfaceret.

Item dominus Henricus dictus Voes de Lubeke sub magistro Johanne de Witinbergh, cujus bursa V sol.

Item dominus Anselmus de Duren sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Theodericus de Hildensem sub magistro Theoderico de Foro, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes de Arnem sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item dominus Wilhelmus de Montfoert sub magistro predicto, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes de Nese de Trajecto superiori sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item dominus Henricus de Elten sub magistro Johanne de Wesalia, qui satisfecit receptori pro bursis et scolis.

Item dominus Wilhelmus de Kukenborgh dictus Zuermont sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII solidi, et promisit remittere nacioni infra festum sancti Johannis Baptiste.

Item dominus Ricoldus de Haeften sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Henricus de Swecia sub magistro Andrea de Swecia, cujus bursa duos sol. cum dimidio.

Item convocata nacione Anglicana sufficienter ad computandum apud Sanctum Maturinum in die Augustini[4] computavit magister Theodericus de Foro receptor nacionis predicte, cui nacio tenebatur in quatuor libris et V solidis et 7 denariis.

Hic continetur intus copia instrumenti missi illi bono homini Cristiano[5].

1347

[Procuratio magistri Gotfridi de Parchym.]

(*Fol.* 2)[6] Anno Domini M° CCCXLVII convocata nacione Anglicana sufficienter apud Sanctum... ad eligendum procuratorem, electus fuit[7] concorditer magister Gotfridus de [Par]chym in procuratorem nullo reclamante, in cujus procuraria acta fuerunt que secuntur.

Primo licenciatus fuit dominus Bertoldus de Helmstat, cujus bursa sex solidi.

Item quidam dictus de Grusbeke (?), cujus bursa sex solidi.

Item inventarium quarundam rerum nacionis reper-

1. 17 *Novembris.*
2. *I. e. per Decembrem.*
3. 12 *Januarii.*
4. *Translatio S. Augustini,* 28 *Februarii.*
5. *De hoc instrumento supra,* p. 99, *agebatur, sed desideratur in ms. In fol.* 58-75 *sequitur* Fragmentum Computi receptarum bursarum *a nobis publicatum in* Chartul. Univers. Paris, II, p. 661-670, *qui verisimiliter ad ultimos annos Johannis XXII pertinet.*
6. *Arch. Univers. Paris. Reg. de l'Université,* n° 3. *Primum fol. desideratur, in quo descriptae erant procurationes mensis Februarii usque ad initium Martii, et Martii usque ad principium Aprilis.*
7. *Utique principio Aprilis.*

tarum in cista ejusdem apud Sanctum Cosmam sub manu publica factum in arcam nacionis reponebatur apud Sanctum Maturinum.

Item dictus procurator XX cathedras receptas a Jaketo [1] bedello Gallicorum ex parte Universitatis nomine nacionis in arcam reposuit antedictam.

Item VI scuta a rectore recepta nomine nacionis ex parte abbatis sancti Germani in arcam reposuit supradictam.

Item XII die mensis Aprilis convocata eadem nacione ordinata fuerant juramenta bacalariorum in artibus, licenciandorum et determinancium in hujusmodi facultate [2],

Item [3] in eadem congregacione fuerat deliberatum quod omnes bacalarij qui vadia sua vellent redimere, receptori darent tantam summam et consimilis valoris referendo ad florenos vel ad antiquos grossos, quantus erat valor in florenis illius pecunie debite tempore quo vadia illorum recipiebantur aut dari promittebantur, ita quod si florenus tunc XII solidos valuit, et XII sol. florenum, quod nunc florenum pro XII solidis reddant, et si florenus tunc valuit XL solid., quod eciam pro XL solidis reddant, et consimiliter de qualibet alia moneta judicando. Hanc eciam ordinacionem in dicta congregacione statuerunt et pro statuto limitaverunt in futurum observandam.

Item admissa fuit computacio dicti procuratoris de pecunia in alio anno a bacalariis in sancta Genophefa licenciatis recepta nomine nacionis, sic quod solum dicte nacioni in uno grosso turonensi, quem in arcam reposuit, obligabatur dicte nacioni.

Item VI floreni Jaketo bedello pro labore suo facto in curia Romana per nacionem concedebantur.

Item magistro Theoderico de Foro receptori pro pena et labore suo XL solidi concedebantur.

Item quia clavis ciste nacionis apud Sanctum Cosmam situate, in qua res et jocalia cultui divino preparata claudebantur, sufficienti diligencia prehabita minime poterat reperiri, deliberavit dicta nacio ad finem, ne putrescerent res ille et ne frustrarentur a fine debito, seram antiquam illius arce fore disrumpendam, et quod fierent due nove sere quibus firmaretur dicta cista, pro quibus nacio exposuit XIX solidos, floreno XVII solidos tunc valente, ita quod ad majorem custodiam rerum illarum exstiterat deliberatum quod curatus ecclesie sanctorum Cosmi et Damiani, non tamen tanquam alicujus possessor rerum in arca contentarum, set tanquam majoris custodii adjutor, unam clavem gereret ad arcam supradictam, quam eciam nacio sibi propria voluntate tradidit forma supradicta.

Item magistro Johanni de Wesalia XXX solidi concedebantur.

Item magistro Galtero de Dun XX, et XX magistro Johanni de Friburgo, sic tamen quod primitus magistro Gotfrido IIII floreni ab antiquo sibi concessi ante omnia libere solverentur.

Item in eadem congregacione vocato Jaketo bedello ad computandum de pecunia sibi tradita nomine nacionis, compotum reddidit in hunc modum, primo sex florenos pro redimendo privilegio Universitatis computavit; item unam cathedram pro magistro Cristiano exposuit ad solvendum expensas pro parte sua in prandio quod fecerant in hac sublevanda pecunia deputati; item florenum exposuit pro bulla nunciorum et antiquum grossum; et residuum se dixit in quodam gentaculo nunciorum Universitatis et quorundam deputatorum totaliter expendisse, sic quod precise sibi remanserant sex scuta et XX cathedre, de quibus procuratori nacionis nomine ejusdem totaliter et libere satisfecit.

Item ordinavit dicta nacio quod quilibet receptor pro tempore bacalariis licenciandis seu eciam determinare vel incipere volentibus, de modo ponendi vadia hoc narret statutum prenarratum, et nichilominus procuratori jurent hujusmodi bacalarii, si contingat quod vadia posuerint, huic statuto penitus obedire.

Item computacione facta de pecunia bacalariorum in alio anno licenciatorum in Sancta Genofefa magister Galterus de Warderlay unum scutum de hujusmodi pecunia tenebatur refundere nacioni.

Item licenciatus fuit ad Nostram Dominam dominus Henricus de Minda Almannus sub magistro Waltero de Wardelau, cujus bursa IIII solidi.

Item licenciatus fuit ad Nostram Dominam dominus Conrardus de Swecia sub magistro Andrea, cujus bursa VII solidi.

Item ordinavit nacio, quod de pecunia magistri Christiani nacio nullam potestatem haberet ab illa die eam alienandi, seu quovis alio modo de predicta cista transferendi, et super hoc statuto potestatem dispensandi abnegavit, nullo magistro penitus reclamante.

(*Fol.* 2 [b]) Item licenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus Henricus de Arnhem sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

1. *I. e. Jacobo de Pavillione.*
2. *Vid. hoec juramenta in* Chartul. Univers. II, p. 672-699.
3. *In margine* : Statutum.

Item licenciatus fuit dominus Jacobus filius Jacobi de Hollandia sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

1347

[Procuratio magistri Walteri de Wardelau.]

Anno Domini M° CCC° quadragesimo septimo, die veneris proxima[1] post festum Inventionis sancte Crucis, electus fuit magister Walterus de Wardelau in procuratorem nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, in cujus procuraria acta fuerunt que sequuntur.

Nomina licenciatorum.

Licenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus Nicholaus Michaelis de Upsalia sub magistro Waltero de Wardelau, cujus bursa IIII solidi cum dimidio.

Item dominus Anselmus de Duren, sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII solidi cum dimidio.

Item dominus Ingeramus de Ketenys Scotus licenciatus fuit apud Nostram Dominam sub magistro Waltero de Wardelau Scoto, cujus bursa VI solidi.

Item licenciatus fuit dominus Henricus de Smalham apud Nostram Dominam sub magistro Waltero de Wardelaw, cujus bursa nichil.

Item licenciatus fuit dominus Ricoldus de Haeften sub magistro Henrico de Oes, cujus bursa V sol.

Item licenciatus fuit Michael de Dacia apud Nostram Dominam, cujus bursa V solidi.

Nomina incipientium in natione Anglicana.

Primo incepit dominus Johannes Thome de Huesden sub magistro Johanne de Vesalia, cujus bursa IIII solidi cum dimidio.

Item dominus Michael de Dacia sub magistro Laurentio Daco, cujus bursa V solidi.

(*Fol. 3*) Item dominus Johannes de Dacia sub magistro Laurentio de Dacia, cujus bursa XII solidi, licenciatus fuit.

Item licenciatus fuit dominus Willermus Brinueth Scotus sub magistro Waltero de Wardelau, cujus bursa nichil; apud Dominam Nostram sub predicto magistro fuit licenciatus.

Item licenciatus fuit dominus Wicboldus de Prusia sub magistro Theodrico de Foro, cujus bursa sex sol.

Item licenciatus fuit dominus Ricardus de Fogou apud Nostram Dominam sub magistro Galtero de Wardelau, cujus bursa decem solidi.

Item licenciatus fuit dominus Herpo de Lunna sub magistro Thedrico de Foro, cujus bursa nichil.

Item anno Domini M° CCC° quadragesimo septimo, die sabati[2] post festum Corporis Christi, continuatus fuit magister Walterus de Wardlau in procuratorem nacionis Anglicane, in cujus procuraria acta fuerunt que sequuntur.

Item incepit dominus Conrardus de Swecia sub magistro Andrea de Swecia, cujus bursa octo solidi.

Item licenciatus fuit dominus Henricus Thome de Swecia apud Nostram Dominam sub magistro Andrea Freuati de Swecia, cujus bursa IIII solidi.

Item licenciatus fuit dominus Nycholaus de Rudlinghen sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item incepit Michael de Dacia sub magistro Laurentio Daco, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Henricus de Minda sub magistro Waltero de Wardelau, cujus bursa III solidi 9 denarii.

Item incepit dominus Nicholaus de Rudlinghen sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Anno Domini M°CCC.XL septimo, secundo kalendas Julii[3] hora tertia, apud Julianum pauperem congregacione magistrorum nacionis Anglicane facta per procuratorem ad supplicandum et ad compotum receptoris audiendum, magister Thidericus receptor nacionis distributis receptis ad usus nacionis ejusdem et defalcatis expositis computavit in hunc modum.

Summa omnium receptorum XLVII libre et XVIII solidi.

Summa omnium expositorum XL quinque libre, II solidi et quinque denarii.

Quibus defalcatis a summa receptorum remanent II libre XV solidi et septem denarii.

(*Fol. 3b*) Item receptor nacionis reservavit LXI solidos IX denarios ad luminaria Beate Virginis et ornamenta nacionis reparanda.

Item nacio retinebit sibi libros domini Johannis Kinnemoth Scoti obligatos pro quinquaginta solidis de forti moneta, quos reponet in arcam nacionis pro tribus scutis receptis ex eadem archa de pecunia magistri Cristiani de Elst.

1. 4 *Maii.*
2. 2 *Junii.*
3. 30 *Junii.*

Item dominus Johannes de Dacia tenetur nacioni solvere in Nativitate beate Virginis LX solidos.

Item dominus Wilhelmus Surmonth tenetur solvere nacioni XX solidos de forti moneta.

Item dominus Johannes Kinnemoth tenetur solvere nacioni IX solidos fortis monete, quia tenebatur XXV solidis fortis monete, de quibus dominus Alexander solvit nacioni I scutum cum uno solido.

Item die et hora eisdem nacio predicta dederat magistro Galtero de Wardelau XX solidos juxta formam statuti.

Item dedit magistro Johanni de Wesalia XX solidos ex gratia.

Item magistro Thiderico receptori dedit quinquaginta solidos, scilicet XL secundum formam statuti, et X ex gratia.

Item[1] XX die Junii facta congregacione magistrorum nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad ordinandum, dispensandum et pro supplicacionibus, concessit magister Galterus de Wardelaw domino Injeramo de Ketenes, quod posset esse et reputari determinans actu, solutis solvendis nacioni, quam quidem gratiam fecerant sibi magistri de facultate arcium, et eum nacioni presentavit supplicans, quia recessurus erat ad partes, quod nacio ipsum vellet determinantem reputare, quam supplicacionem concessit sibi nacio. Voluit tamen quod prius, quam posset juribus, privilegiis et actibus determinantis uti, solveret nacioni solvenda, quod p[l]acuit supplicanti.

Item die sequenti[2] facta ibidem congregacione eorundem ad requestam et supplicacionem magistri Galteri predicti, tunc procuratoris, ad partes tamen recessuri, substitutus fuit procurator loco sui magister Thomas de Wedayle magistris omnibus et eo consencientibus, cujus substitucione acta sunt que sequuntur.

Primo factis quibusdam congregacionibus facultatis artium ad Sanctum Julianum pauperem vocati fuerunt V magistri in t[h]eologia ad respondendum illis que rector vellet eis proponere in presencia magistrorum de facultate[3]. Qui quinque licet comparuerint, noluerunt debite propositis respondere, set contumaciter recesserunt, appellaciones frivolas emittentes. Quos V magistros ob contumaciam illam et alia proposita contra eos, quibus noluerunt respondere, rector et omnes alii magistri de dicta facultate concorditer a dicta facultate privaverunt, eos infames et perjuros reputantes[4].

Item facta congregacione facultatis artium die sabati proxima[5] ante festum Assumpcionis beate Marie apud Sanctum Maturinum ad ordinandum et supplicandum et pro supplicacionibus, supplicaverunt IIII procuratores pro IIII determinantibus, et rector pro uno, et etiam posuit in deliberacione utrum expediret quod unaqueque nacio haberet unum solutis solvendis cum supplicacionibus predictis. Quas supplicaciones omnes et singulas consessit (*sic*) facultas predicta, dans supplicantibus facultatem presentandi illos, pro quibus supplicaverunt, quandocunque vellent rectori et procuratori sue nacionis, de quorum procuratorum numero magister Thomas de Wedayle tunc temporis exstitit quartus. Et per consequens procuratoribus vel rectori potest unum presentare qui determinans est reputandus.

1347

[Procuratio magistri Conradi de Swecia.]

(*Fol. 4*) Anno Domini M° CCC XLVII, die beati Lodovici regis Francie[6] electus fuit magister Conradus de Suecia in procuratorem nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, in cujus procuracione acta sunt que sequntur.

1347

[Procuratio magistri Michaelis de Dacia.]

Anno Domini M° CCC° XLVII, die beati Mauricii[7], facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Michael de Dacia.

In cujus procuracione acta sunt ea que sequntur.

In fine sue procuracionis citati fuerunt ad curiam Romanam rector, quatuor procuratores et tota facultas artium ad instanciam theologorum, ut comparerent infra triginta dies[8]. Quapropter ordinata fuit contributio generalis super totam facultatem, ut quilibet tam magistrorum quam scolarium

1. *Alio charactere.*
2. 21 *Junii.*
3. *Agebatur de praepositione nominis* « Rectoris » *in publicis actis Universitatis, scilicet* : Rector et Universitas magistrorum Universitatis Paris.; *theologi voluerunt vocabulum* Rector *deponi. Cf.* Chartul. Uuivers., II, n° 1143.
4. *Inter illos quinque mag.* Guillelmus de Exclusa, *qui rem totam enarrat. V.* Chart. *l. c. et* III, n° 1217.
5. 11 *Augusti.*
6 25 *Augusti.*
7. 22 *Septembris.*
8. *Vid.* Chartul. *l. c.*

predicte facultatis daret dimidiam bursam. Et deputati fuerunt quatuor collectores, unus de qualibet nacione, ad finem, ut de dicta contribucione irent ad curiam nuncii facultatis. Alleluia.

1347

[Procuratio magistri Henrici de Os.]

Anno Domini M.CCC.XLVII, crastino[1] beati Luce ewangeliste, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum, electus fuit in procuratorem predicte nacionis concorditer nulloque penitus reclamante Henricus de Os, in cujus procuracione acta fuerunt hec que sequuntur.

Primo determinaverunt solutis solvendis nobiles viri domini Otto et Everardus de Horne confratres sub predicto procuratore Henrico de Os, quorum cujuslibet bursa X solidi.

1347

[Procuratio magistri Laurentii de Swecia.]

Anno Domini M°CCC°XLVII, xvij^a die mensis Novembris, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis concorditer magister Laurencius de Suecia.

In cujus procuracione fuerunt acta que sequuntur.

Primo, die sancti Edmundi[2] scilicet in festo nacionis Anglicane, fuit facta congregacio Universitatis, scilicet regencium et non regencium, apud Sanctum Maturinum ad audiendum literas papales et processus super quibusdam articulis, quos magister Nicholaus de U[l]tricuria, bachalarius in theologia, die sancte Katarine proximo sequente[3] in sermone apud Predicatores publice revocavit, aliquos tanquam falsos, et aliquos tanquam falsos, erroneos et hereticos. Et ibidem in sermone ipsos articulos una cum uno tractatu suo secundum mandatum apostolicum idem magister Nicolaus comburebat[4].

Item vigilia[5] sancte Katarine facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, electus fuit concorditer in procuratorem et nuncium ad curiam ex parte et in expensis rectoris et facultatis artium ad litigandum contra dominos theologos magister Conradus de Suecia, canonicus Aboensis.

1. 19 *Octobris.*
2. 20 *Novembris.*
3. 25 *Novembris.*
4. *Vid.* Chartul. Univers. Paris., II, n° 1124, *et not.* p. 526 *sq. Cf. etiam n^um* 1125.
5. 24 *Novembris.*

(*Fol. 4^b*) Item in crastino[6] sancte Katerine facta congregacione facultatis ad Sanctum Maturinum ad dandum deputatos pro determinandis articulis, quos jurare deberent nuncii ad curiam[7], et ad ordinandum, quomodo puniri et cogi debeant non solventes contribucionem impositam, nuncii predicti supplicaverunt facultati, quod quilibet eorum possit habere unum bachalarium in primo examine ad primam audicionem ad Sanctam Genofefam, que supplicaciones eis concesse fuerunt ab omnibus nullo reclamante.

In die lune proximo[8] post Concepcionem beate Virginis supplicabat magister Johannes de Wesalia, convocata nacione apud Sanctum Maturinum ad ordinandum et supplicandum, quod in casu, quo bulla seu gratia ipsi magistro Johanni facta occasione electionis nuncii ad curiam per nacionem, ut premittebatur, facte in curia impediri seu retardari contingeret (quod absit!), seu eciam si ipsum magistrum Johannem dampna et expensas occasionibus predictis incurrere contingeret (quod absit!), quod dictum magistrum Johannem ab hujusmodi dampnis, expensis et interesse nacio vellet, quantum in ea esset et in quantum sufficeret, reddere indempnem et pro eo respondere tanquam tutor et verus responsabilis. Que supplicacio tanquam rigorosa, cum propter factum nacionis non magis unum suppositum quam alterum dampnificari debeat, fuit per nacionem sibi concessa et admissa.

Item die mercurii proximo sequenti[9], quo nuncii facultatis recesserunt de Parisius ad curiam[10], facta congregacione nacionis ad Sanctum Maturinum ad ordinandum et supplicandum, concessit magister Conradus de Suecia, canonicus Aboensis, domino Roberto de Extravillam gratiam, quam magistri ut superius premittebatur sibi fecerant, quod ipse Robertus possit recipi apud Sanctam Genofefam ad primam auditionem, et eum nacioni recommendavit et presentavit supplicans, cum recessurus erat, quod nacio vellet eum ad hujusmodi auditionem optinendam favorabiliter promovere tempore absencie sue et in nullo impedire; quam supplicacionem nacio sibi concessit.

Item dominus Thidericus de Hollandia incepit sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII sol.

Item dominus Johannes Litle Dacus determinavit sub magistro Laurencio de Dacia, cujus bursa X s.

6. 26 *Novembris.*
7. *Vid.* Chartul. Univers., II, p. 682.
8. 10 *Decembris.*
9. 12 *Decembris.*
10. *Propter factum theologorum.*

1347

[Procuratio magistri Johannis de Huesden.]

Anno Domini millesimo CCC^{mo} quadragesimo septimo, decimo sexto kalendas Januarii [1] facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Johannes de Huesden nullo penitus reclamante, in cujus procuracione facta sunt que sequuntur.

In primis congregacione facta apud Sanctum Maturinum 18 die Decembris ad audiendum compotum receptoris, computavit idem receptor, quod deductis et defalcatis expositis a receptis remansit ei nacio debens in 15 solidis 9 denariis, sed reservavit idem receptor 13 solidos et 1 denarium ad luminaria.

Insuper ad supplicacionem dicti receptoris pro solutione IIII florenorum, in quibus nacio tenebatur ei, decrevit nacio quod solutis scolis et candelis idem receptor de pecunia nacionis illos 4 florenos sublevaret.

Item convocatis magistris deliberavit tota nacio quod pecunia recepta ad opus magistri Cristiani, quod ei vel procuratori suo deliberaret, habita bona quitacione a procuratore predicti magistri Cristiani, et ad majorem certitudinem habendam super futuris inpeticionibus, quibus magister Cristianus occasione dicte pecunie posset nacionem nostram vel aliquod suppositum nacionis impedire, vexare seu quovis alio modo molestare, arrestavit nacio predicta libros seu res alias quascunque magistri Cristiani, quos vel quas sub custodia magistri Godefridi in archa reposuerat, et idem magister Godefridus obligavit se coram nacione ad reservandum libros et res predictas, quod si nacionem seu aliquod suppositum nacionis exinde dampna incurrere contingeret, quod dampna et expensas hujusmodi in rebus et in libris predicti magistri Cristiani recuperaret.

1348

[Procuratio magistri Henrici de Minda.]

(*Fol. 5*) Anno Domini M°CCC°XLVIII°, in octava [2] Epyphanie facta congregacione generali et nacionis Anglicane apud Jacobitas, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Henricus de Minda nullo penitus reclamante. In cujus procuracione facta sunt hec que secuntur.

Primo determinavit dominus Theodoricus Borre sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa V solidos (*sic*).

Item dominus Wilhelmus de Marre determinavit sub magistro Waltero de Dune, cujus bursa IIII sol.

Item dominus Henricus dictus Heymo de Wyla	determinaverunt sub magistro Johanne de Friburgo, quorum cujuslibet bursa sex solidi.
Item dominus Conradus dictus Gigas de Ezzelinghen	
Item dominus Marquardus dictus Krönlin de Ezzelinghen	

Item reputatus fuit determinans solutis solvendis dominus Richardus de Porterstona [3] Scotus, sub magistro Thoma de Wedal, cujus bursa IIII solidi.

Item convocatis magistris dicte nacionis sufficienter apud Sanctum Bernhardum, deliberavit tota nacio, quod pecunia ad usus magistri Cristiani deputata traderetur suis procuratoribus in presencia nacionis. Et sic factum fuit, et ipsi presente publico notario receperunt a nacione sedecim catedras et sex scuta aurea, quitanciam super dicta receptione promittentes sub manu publica roboratam, quam nacio de facto habet sub manu magistri Gotfridi reservatam.

1348

[Procuratio magistri Theodorici de Delf.]

Anno Domini M CCC quadragesimo octavo, in die sancte Scolastice virginis [4], facta congregatione facultatis et nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Theodoricus de Delf Hollandrinus, nullo penitus reclamante.

In cujus procuracione facta sunt hec que sequuntur.

Primo domino rectori, scilicet magistro Johanni de Wesalia, IIII libre concedebantur a natione, nunquam persolvende, quia date fuerunt.

1348

[Procuratio magistri Henrici de Minda.]

Anno Domini M° CCC° quadragesimo octavo, in sabbato [5] ante brandones, facta congregacione facul-

1. 17 *Decembris.*
2. 13 *Januarii.*
3. De Porterstona *inter lineas et alio charactere.*
4. 10 *Februarii.*
5. 8 *Martii.*

tatis et nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Henricus de Minda nullo penitus reclamante.

In cujus procuracione facta sunt hec que sequuntur.

Primo determinavit dominus Nicholaus Michaelis sub magistro Mathia de Swecia, cujus bursa IIII sol.

Item dominus Johannes de Lovanio Hollandrinus sub magistro Theodorico de Delf Hollandrino, cujus bursa III solidi.

Item dominus Henricus de Wismaria sub magistro Theodorico de Foro, cujus bursa nichil.

Item dominus Dechardus de Minda sub eodem magistro, cujus bursa nichil.

Item dominus Zebrandus de Delf sub magistro Johanne Thome, cujus bursa nichil.

Item dominus Petrus de Brizacho incipiet sub magistro Theodorico de Foro, cujus bursa nichil.

Item dominus Robertus de Asperen sub magistro Nicholao de Hoeculem, cujus bursa III sol.

Item dominus Johannes Rede Scotus sub magistro Ghaltero de Wardelaw, cujus bursa III solidi.

Item dominus Wilhelmus de Claphame sub eodem magistro, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Remboldus de Venle sub magistro Theodorico de Foro, cujus bursa nichil.

Item dominus Remboldus de Lenepe sub magistro Andrea de Suecia, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes Petri de Dacia sub magistro Laurencio de Dacia, cujus bursa V sol.

Item dominus Ludowicus Quattermaret sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII solidi cum dimidio.

Item dominus Antonius de Dulken sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII solidi cum dimidio.

Item dominus Nicolaus de Grünenberch sub magistro Johanne de Friburgo, cujus bursa VI solidi cum VI denariis.

determinaverunt.

(*Fol.* 5[b]) Item in die mercurii proxima[1] post dominicam *Reminiscere*, facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad audiendum compotum receptoris, scilicet magistri Theodorici de Foro, pro tunc ad curiam Romanam ituri, compotavit idem receptor modo isto qui sequitur.

Primo eidem receptori XL solidi concedebantur. Postea defalcatis omnibus et deductis a receptis supermanserunt nacioni LV solidi parysiens. bone monete, pro quibus sunt pignora.

Item nacio tenetur magistro Thome de Wedal Scoto XL[ta] solidis de bona moneta ex parte contribucionum, quos concessit in mutuo nacioni ad mittendum procuratoribus in curia Romana pro facultate consiliantibus.

Item missa fuit pecunia recepta a determinantibus nunciis in curia Romana.

Anno Domini M. CCC°. XLVIII°, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem in sabbato quo cantatur *Sicientes*[2] ad eligendum procuratorem, continuatus fuit dictus procurator, scillicet magister Henricus de Minda de provincia Saxonie. In cujus procuracione facta sunt que sequuntur.

Primo licenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus Johannes de Dacia dictus Litle sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa VI solidi.

Anno Domini M° CCC° XLVIII° facta congregacione generali et nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem in festo Invencionis sancte Crucis[3], continuatus fuit dictus procurator, scilicet magister Henricus de Minda de provincia Saxonie. In cujus procuracione facta sunt hec que secuntur.

Primo incepit dominus Johannes de Dacia dictus Litle sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa VI solidi.

Item licenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus Henricus Vos de Lubeke sub magistro Gotfrido de Parchim, cujus bursa VIII solidi.

Item dominus Bernhardus de Lochem licenciatus fuit apud Nostram Dominam sub magistro Andrea Freuati de Suecia, cujus bursa nichil, et promisit remittere quando posset unam bursam pro nunciis in curia Romana existentibus, et fecit.

Item[4] facta congregacione generali apud Sanctum Maturinum in die martis proxima[5] post Invencionem Crucis sancte, deliberaverunt concorditer tres facultates, scillicet decretistarum, medicorum, et artistarum, per modum expedientis quod scriberetur pape pro provisionibus magistrorum Parysius actu regen-

1. 19 *Martii.*
2. Sabbatum ante *Judica*, 5 *Aprilis.*
3. 3 *Maii.*
4. *In ms. quae sequuntur usque ad* protestari (117, 15) *scripta sunt in fine fol.* 5[b]. *In margine quaedam signa ad rectum ordinem restituendum facta esse videntur.*
5. 6 *Maii.*

cium, ita quod sicut consuetum est mitteretur rotulus ad papam. Et similiter deliberaverunt per modum expedientis quod omnes officiarii Universitatis pro tunc existentes, scillicet rector, decani et procuratores, inscriberentur in rotulo sub nomine officiariorum quandocunque rotulus mitteretur, ad evitandum lites et discordias, que propter mutacionem officiariorum sepe inter naciones et similiter facultates orte fuerunt. Et immediate sequenti die [1] facta congregacione generali ibidem, facultas quarta, scillicet theologorum, predictis deliberacionibus unanimiter se adjunxit sicud alie facultates declaraverunt de jure fore faciendum.

Hec omnia acta fuerunt horis et loco dictis, prout per publicum instrumentum potest protestari [2].

Item facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad supplicandum in crastino [3] translacionis sancti Nicolay, supplicavit magister Rodolfus de Constancia, ut inscriberetur in rotulo mittendo ad papam, cum tunc temporis verus fuisset regens, quod sibi concorditer in nacione concedebatur nullo penitus reclamante.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad audiendum compotum receptoris in die dominica [4] post festum sancti Johannis ante Portam Latinam, compotavit idem receptor modo qui sequitur, videlicet quod defalcatis et deductis a receptis supermanserunt nacioni XIX solidi parysiens.

Item repositi fuerunt in archa nacionis libri qui pro pigneribus fuerunt obligati cum quadam litera nacionis sigillo Universitatis sigillata.

Item incepit dominus Nicolaus Michaelis sub magistro Mathia de Succia, cujus bursa IIII solidi cum III denariis.

Item magister Johannes de Wesalia promisit nacioni pignera dare pro bursis sex domini Henrici de Lubeke, quorum quelibet est VIII solidi.

(*Fol. 6*) Item facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad supplicandum in die mercurii [5] ante festum sancti Urbani, supplicavit magister Johannes de Friburgo, qui tunc fuit ad suas partes revocatus, et cum tunc fuisset verus regens, quatenus sibi in sua absencia locus in rotulo sibi debitus tanquam presenti daretur, quam supplicacionem nacio sibi concorditer concessit, nullo penitus reclamante. Et pro tunc substituit in procuratorem pro se et pro magistro Rodolfo de Constancia in presencia nacionis nobilem virum dominum Alexandrum, pro tunc scolarium de Alemannia [6] provisorem, dando eciam sibi plenarium suum consensum substituendi alium si necesse fuerit et secundum voluntatem sui beneplaciti ordinandi.

1348

[Procuratio magistri Johannis Litle de Dacia.]

Anno Domini M°CCC°XLVIII congregata nacione Anglicana sufficienter apud Sanctum Bernardum ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer magister Johannes Litle de Dacia in procuratorem, in cujus procuratione acta sunt que sequuntur.

Primo electus fuit magister Gotfridus de Parchim in nuncium ad papam super expeditione rotuli [7].

Item licenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus Johannes de Arnem sub magistro Johanne de Vesalia, cujus bursa nichil.

Item licenciatus fuit dominus Theodericus de Borre apud Nostram Dominam sub magistro Johanne de Vesalia, cujus bursa 4 solidi.

Item licenciatus fuit dominus Henricus de Herne de Unna apud Nostram Dominam sub magistro Andrea de Swechia, cujus bursa 4 solidi.

Item licenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus Ingemarus de Helsingia de Swechia sub predicto magistro Andrea, cujus bursa 4 solidi.

Item licenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus Guillelmus de Clappam Scotus sub magistro Galtero Varderlay, cujus bursa 4 solidi.

Item incepit dominus Henricus Thome de Swechia sub magistro Andrea de Swechia, cujus bursa 4 sol.

Item incepit dominus Rikardus de Fogov Scotus sub magistro Galtero Varderlay Scoto, cujus bursa 5 solidi.

Item dominus Guillelmus de Brenueth Scotus incepit sub eodem magistro Galtero, cujus bursa nichil.

Item determinavit dominus Henricus de Herne de Unna solutis solvendis sub magistro Johanne de Vesalia, et remisit sibi nacio totum, preter 3 bursas, scilicet bursam debitam bidellis, aliam luminaribus

1. 7 *Maii.*
2. *Hi rotuli inveniuntur in* Chartul. Univ. Paris., II, n^{is} 1162-1165, *an.* 1349, *Maii* 19-22. *Sed in curia jam an.* 1348, *Novemb.* 29, *praesentati sunt. De nuntiis vid.* n^{um} 1152, *not.*
3. 10 *Maii.*
4. 11 *Maii.*
5. 21 *Maii.*
6. *I. e.* domus Alemannorum, *de qua jam supra* p. 82, 16.
7. *Sed renuntiavit. Vid.* p. 119, 10; 120, 13.

Nostre Domine, et terciam nunciis de curia Romana.

Item incepit dominus Theodericus de Borre sub magistro Johanne de Vesalia, cujus bursa 4 solidi.

Item incepit dominus Henricus de Herne sub magistro Andrea de Swechia, cujus bursa 4 solidi.

Item magister Nicholaus de Swechia supplicavit nacioni quod esset in rotulo, et reputaretur regens; et nacio concessit sibi, et in procuratorem suum substituit magistrum Laurencium de Swechia.

(*Fol.* 6^{b}) Item magister Gotfridus de Parchim propter multa impedimenta renunciavit esse nuncius ad curiam Romanam, et placuit nacioni; et similiter renunciavit esse receptor, et in hoc etiam concordavit nacio in Sancto Maturino.

Item magister Johannes de Syberg electus fuit in receptorem ad ordinandum luminaria Nostre Domine et extorquendum a receptore nacionis per juramentum suum.

Item anno Domini M° CCC° XLVIII°, in vigilia[1] Corporis Christi, apud Sanctum Maturinum receptore computante Gotfrido de Parchim, remansit idem receptor nacioni obligatus in XII solidis magistro Henrico de Minda deputatis.

Item magistro Johanni de Vesalia etiam dimittebatur pecunia, in qua tenebatur nacioni ex parte Henrici de Lubec.

Item computacione sic facta remansit nacio obligata Nostre Domine pro luminaribus Nostre Domine XXVII solidis, XIX valente scuto.

Item eodem die dictus Gotfridus cum omni gratiarum actione, prepeditus aliis, officium receptorie resignavit, et nacio suis volens respondere laboribus XL solidos fortis monete, puta computando florenos ad XII solidos, in quibus nacioni magister Theodericus de Foro antiquus receptor obligatur, eidem dedit Gotfrido supradicto.

Item scole magistri Johannis de Vesalia etc. fuerunt solute.

Item pro aliis scolis solvendis, scilicet magistri Henrici de Minda, debet media pars summe ad debilem monetam computari, videlicet computando scutum pro XXX solidis, et reliquum tradatur in forciori moneta.

Item hiis sic computatis hinc inde dominus Antonius de Dulken adhuc solvere tenetur nacioni sex antiquos grossos, et habet in sista nacionis textum Methaphisice, textum Phisicorum, et textum de Anima.

Item dominus Ludovicus Quatremart tenetur solvere quatuor grossos, et habet in sista nacionis unam Philosophiam naturalem, et scriptum Thome super Methaphisicam.

Item dominus Guillelmus Clappam tenetur solvere nacioni tria scuta cum II solidis pro determinacione sua, et in quatuor solidis etiam obligatur nacioni, qui sunt soluti pro ipso facultati.

Item tenetur in XXXIIII solidis idem Guillelmus de licencia sua, valente scuto XIX solidos, de quibus bursis sic de licentia danda satisfactum est facultati in 4 solidis, et credo, sicut videlicet dicit receptor, quod satisfactum est pro ipso bidellis.

Item eodem die ut supra, idem Gotfridus, cum esset electus in nuncium rotuli Universitatis, protestatus fuit quod libenter libentius et libentissime ivisset ad curiam, nisi bonis sumptibus et tribulationibus multum excedentibus per quendam Conradum Papenhaghen fuisset enormiter aggravatus, et asseruit idem dictus Gotfridus bona fide quod, nisi fuissent dicta gravamina ad valorem centum marcharum puri argenti, dictam iteneracionem sibi reputasset utilem atque gratam, super qua eciam protestacione sic facta ad supplicacionem ejusdem nacio literas certi tenoris concessit eidem.

Item eodem die et ibidem concorditer fuit electus magister Johannes Thome in nuncium rotuli deportandi ad curiam Romanam.

Item eodem die concessum erat per nacionem quod dominus Johannes Red Scotus, licenciatus in artibus, poneret unum librum pro bursis suis, quousque de eiisdem nacioni fuerit satisfactum.

1348

[Procuratio magistri Ricardi de Fogow.]

(*Fol.* 7) Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, die sabati proximi[2] ante festum sancti Johannis convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane ad eligendum procuratorem apud Sanctum Julianum pauperem, concorditer electus erat magister Ricardus de Fogow Scotus in procuratorem, in cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

Primo ibidem substitutus erat magister Conradus de Suecia in receptorem.

Item concessum erat domino Willelmo Clappam, quod reciperet Decretales suas positas in sista nationis, vendendo[3] alium librum sufficientem pro illis

1. 18 *Junii.*
2. 21 *Junii.*
3. Vendendo... illis *inter lineas.*

pro III scutis et II solidis et IIII solidis et XXIIII solidis, computando scutum pro XIX solidis.

Item concessum erat magistro Johanni Thome electo in nuncium ad curiam Romanam, quod haberet a quocunque posito in rotulo Universitatis unum pavilionem.

Item concessum erat predicto magistro Conrado de Suecia, quod haberet quinque libras pro uno bachelario sibi alias ad Sanctam Genevefam concesso, cum nacio habuerit pecuniam solutis solvendis.

Item licenciatus est ad Nostram Dominam dominus Malcolinus de Dumbrec Scotus sub magistro Waltero de Wardelaw Scoto, cujus bursa V solidi.

Item licentiatus est ad Nostram Dominam Johannes Red Scotus sub magistro Waltero de Wardelaw, cujus bursa IIII solidi.

Item licentiatus est ad Nostram Dominam dominus Conradus de Minda sub magistro Henrico de Minda fratre suo, cujus bursa IIII sol.

Item facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem die mercurii proxima [1] post festum beati Johannis Baptiste ad supplicandum, supplicavit dominus Cunradus de Minda pro dilacione bursarum suarum tam pro licencia sua quam pro incepcione, et nacio sibi concessit graciam usque ad festum Nativitatis Domini, et quod tunc solveret duos parvos florenos pro illis 4 bursis suis.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Nesse de Trajecto apud Nostram Dominam sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item facta congregacione nacionis Anglicane die sabati proxima [2] post festum apostolorum Petri et Pauli, electus fuit magister Cunradus de Swecia in receptorem.

Item concessum fuit magistro Johanni Thome nuncio ad curiam Romanam quod potuit transire ad partes suas, et quod haberet VI scuta de pecunia sibi debita pro rotulo, et si contingat ipsum quod non posset transire ad curiam, ipse refundet dicta VI scuta nacioni, ad cujus securitatem demittet bona vadia in cista nacionis.

1348

[Procuratio substituti magistri Willelmi de Brenueth.]

Anno [3] Domini M°. CCC° quadragesimo octavo, die lune proxima [4] post festum beati Jacobi apostoli et beati Cristofori, convocatis omnibus magistris nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem, electus fuit magister Willelmus de Brenueth in procuratorem, in cujus procuracione acta sunt hec.

Item ex consensu nacionis substitutus erat magister Willelmus de Brenueth Scotus in procuratorem nacionis Anglicane ad exercendum officium procuratorie per totum tempus vacacionum, ob hoc quod magister Ricardus de Fogow in procuratorem electus se dicebat non posse hujusmodi officio intendere propter alia negocia que Aurilianis peragere habebat.

Acta fuerunt hec die lune proxima post festum sancti Jacobi apostoli et beati Cristofori apud Sanctum Maturinum, nona Sancti Jacobi post prandium.

Item concessum fuit eidem magistro Ricardo, quod non obstante quacunque absencia ejus inrotuletur in rotulo (*Fol.* 7 [b]) mittendo ad sedem apostolicam, cum tempus ejus missionis advenerit, posito quod non esset actu regens in arcium facultate.

Item licenciatus fuit dominus Renerus de Ecka sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil, tempore [5] procuracionis magistri Willelmi de Brenueth Scoti.

Item licenciatus fuit dominus Benedictus de Boemia ad Nostram Dominam sub magistro Johanne de Dacia, cujus bursa nichil, tempore [6] ejusdem procuratorie.

Item monendum quod tempore procuracionis magistri Ricardi Fogow quedam lis mota erat inter magistrum Lambertum de Summa Vera et Conradum bidellum super vendicione unius Biblie, quam Bibleam una cum aliis libris Lambertus et aliqui alii magistri nacionis Gallicane quibusdam magistris nacionis Anglicane nomine nacionis sub certa forma in solidum impignorabant, videlicet quod si deficerint in nacione sua in dando intrantem, quod, certo tempore inter ipsos statuto (qui intrans totis viribus suis pro nacione Anglicana et nulla alia laboraret) sexdecim libras gravis monete perderent, quas si non solverent, immediate dicti libri ipso facto nobis acquirerentur. Et quia in hujusmodi promissionis implesione sepe et sepius defecerunt, nec non et pecuniam in qua tenebantur, requisiti tamen sufficienter, solvere neglexerunt, ideo magister Godfridus de Parchim, qui pro factis nacionis sex florenos

1. 25 *Junii.*
2. 5 *Julii.*
3. *Quae sequuntur usque ad* Item *in ms. alio charactere inter lineas scripta sunt. In margine :* Willelmus de Brenueth.
4. 28 *Julii.*
5. *Inter lineas usque ad* Scoti, *charactere eodem quo initium Rubricae scriptum.*
6. *Item ut in nota praecedenti.*

exposuerat, dictos libros sibi assumpsit et unum illorum, scilicet Bibleam, pro novem florenis vendidit, quorum sex retinuit pro pecunia in qua nacio sibi tenebatur, et tres remanentes nacioni refudit. Alios libros, scilicet Philosophiam naturalem, magistro Johanni Gourre tradidit, et unum Avicennam magistro Johanni Mercurol De hiis omnibus sic recitatis nacio sufficienter informata litem istam tamquam suam propriam assumpsit sibi, et manucepit Conradum bidellum penes quoscunque homines seu quascunque personas indempnem observare, et super hoc sibi quocienscunque sibi oportunum videretur literas conficere. Item[1] dictus Conradus fecit sibi literam super hoc, et fecit illam sigillari sigillo nacionis apud Sanctum Maturinum in vigilia[2] Assumptionis beate Marie et scripsit copiam litere sue in *libro parvo nacionis in pergameno* in duobus foliis.

Item capiebantur aliqui libri de sista nacionis qui erant scolarium magistri Johannis de Wesalia, qui scolares tenentur nacioni in sex grossis antiquis, et alter in quatuor grossis.

Item dominus receptor solvit duo scuta pro scolis magistri Henrici de Minda, et restant adhuc viginti solidi.

Item receptor habet librum unum, qui non est in sista nacionis, pro bursa Johannis Redde.

Item facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad suplicandum in festo sancti Bernardi[3], suplicavit magister Petrus Blenkini de Brisacho, qui tunc fuit ad suas partes revocatus, et cum tunc fuisset verus regens, quatinus sibi in sua absencia locus in rotulo ad sedem apostolicam mittendo sibi debitus tanquam presenti daretur, quam suplicacionem nacio sibi concorditer concessit, nullo penitus reclamante. Et pro tunc substituit procuratorem pro se in presencia mei, procuratoris nacionis Anglicane, magistrum Henricum de Minda actu regentem in facultate arcium Parisius, et magister Henricus de Colonia dando sibi plenarium[4] (*Fol. 8*) suum consensum et suam potestatem substituendi alium, si necesse fuerit, et secundum voluntatem sui beneplaciti ordinandi, michi dedit suam suplicacionem et duos solidos pro ordinatoribus rotuli. Et hec suplicacio fuit concessa solutis solvendis.

1348

[Procuratio magistri Theodorici Borre.]

Anno Domini M° CCC. XLVIII°, facta congregacione Anglicana apud Sanctum Julianum pauperem, 3ª die[5] post festum sancti Bartholomei, ad eligendum procuratorem, electus fuit unanimiter magister Theodericus Borre ejusdem nacionis in procuratorem, in cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

Primo incepit dominus Albertus de Boemia de Alto Castro sub magistro Galtero Warderlay Scoto, cujus bursa 4 solidi.

Item facta congregacione nacionis Anglicane 2ª die Septembris apud Sanctum Maturinum ad supplicandum, supplicavit magister Johannes Thome pro duobus magistris, scilicet pro magistro Arnoldo Unco, et pro Goswino Storme non actu tunc temporis Parisius regentibus, quatinus eisdem locus in rotulo ad sedem apostolicam mittendo tanquam presentibus daretur, quod sibi tota nacio Anglicana concorditer concessit solutis solvendis, et non obstante aliquo prejudicio vel impedimento magistris actu Parisius tunc temporis regentibus.

Item supplicavit magister Wilhelmus Scotus nacioni pro 20 solidis, qui tenebantur procuratori in vacacionibus, quos sibi nacio concorditer concessit vel promisit solutis solvendis, et cum fuerit potens ad solvendum predicta nacio Anglicana.

Item incepit dominus Heinricus Muleman de Elten sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa quatuor solidi.

Item incepit dominus Wilhelmus de Los sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa 4 solidi.

Item incepit dominus Heinricus Vos de Lubeke sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa quinque solidi cum dimidio.

Item incepit dominus Heinricus de Aernem[6] sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa 4 solidi.

Item supplicavit literatorie magister Meynricus rector scolarium in Sosato nacioni Anglicane, quatinus eidem locus in rotulo ad sedem apostolicam mittendo tanquam presentibus daretur, quod sibi tota nacio Anglicana concorditer concessit solutis solvendis et sine prejudicio magistrorum actu Parisius regencium.

Item supplicaverunt magister Theodericus Bor tunc temporis procurator et magister Wilhelmus

1. *Quae sequuntur usque ad finem eodem charactere quo initium Rubricae scripta sunt.*
2. 14 *Augusti.*
3. 20 *Augusti.*
4. *In margine inferiori scripta sunt :* Weld yr gůt gheselle syn.
5. 27 *Augusti.*
6. Arnheim.

Scotus nacioni pro duabus scolis, in quarum una vendebantur stramina, et alia parva que est ei contigua, quas eis nacio concorditer concessit.

Item incepit dominus Reynerus de Ecka sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item supplicavit magister Theodericus Bor, cum fuerit procurator in nacione Anglicana, quatinus nacio eidem magistro vellet concedere primum locum in rotulo ad curiam Romanam mittendo post ordinatores rotuli, quod sibi nacio concorditer concessit, nullo penitus reclamante [1].

Item supplicavit magister Arnoldus de Grutehuus nacioni Anglicane quatinus sibi locus in rotulo ad sedem apostolicam mittendo daretur, quod eidem magistro nullo penitus reclamante concorditer fuerat concessum sine prejudicio magistrorum actu Parisius regencium.

Item congregata nacione Anglicana sufficienter *ad crucem auream* infra pontes, solvit ibi magister Conradus de Swecia receptor ejusdem nacionis unum florenum ex parte nacionis, quem nacio ibidem consumpsit una cum sex florenis, quos magistri solverunt qui de novo inceperunt.

1348

[Procuratio magistri Johannis Nicolai.]

(*Fol. 8*b) Anno Domini M° CCC° XLVIII°, facta congregacione apud Sanctum Julianum pauperem in crastino [2] beati Mauritii martyris ad faciendum procuratorem nacionis Anglicane, electus fuit concorditer in procuratorem ejusdem nacionis magister Johannes Nicholai de Dacia, in cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

Primo eodem die facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, supplicavit magister Nicholaus de Swechia, ut magister Halquinus de Swechia esset in rotulo, et hoc nacio concessit sibi solutis solvendis et quod non esset in prejudicium aliorum.

Item tunc concessit nacio domino Macolino de Scocia, quod poneret pignera sua in sistam nacionis pro quadam pecunia, in qua tenetur nacioni racione sue incepcionis, et dedit terminum solvendi duos menses, et nisi tunc solverit, nacio debet habere potestatem ordinandi de illis pigneribus secundum voluntatem suam.

Item incepit dominus Macolinus de Scocia sub magistro Galtero de Wardelay, cujus bursa V solidi.

Item die sabbati [3] ante festum beati Michaelis convocata nacione super computo receptoris, videlicet magistri Conradi de Swechia, solutis solvendis videlicet refusionibus, bedillis, pro scolis de alio anno, et pro luminaribus Nostre Domine, tenebatur nacio sibi in 7 solidis.

Item tenebantur nacioni pro bursis magister Macolinus de Scocia, Guillelmus Clappam et Johannes Red, et impignerabant libros nacioni et quicquid illi tenebantur nacioni, que nacio dedit magistro Johanni Thome nuncio ad curiam, ita quod solvat bedellis, refundat rectori et solvat pro luminaribus Nostre Domine.

Item dominus Henricus de Smalham incepit sub magistro Galtero de Wardelay, cujus bursa nichil, sed promisit infra Pasca solvere si poterit arce mee.

Item Conradus de Minda tenetur 2 florenis solvendis infra Natale Domini proximum.

Item magister Conradus facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum resignavit officium suum, scilicet quod [non] esset amplius receptor, et tunc nacio tenebatur et adhuc tenetur sibi in sex libris parysiens. solvendis de prima pecunia nacionis, nisi nimis fuerit in aliis inpedita vel obligata, et constituit dictus Conradus procuratores suos magistros Mathiam et Nicholaum Michaelis de Swechia pro levanda pecunia sua.

Item in die beati Luce [4] ewangeliste facta congregacione nacionis in Sancto Maturino pro eligendo receptore, electus est concorditer magister Nicholaus Michaelis de Swechia in receptorem nacionis Anglicane.

1348

[Procuratio magistri Henrici de Herne.]

(*Fol. 9*) Anno Domini M° CCC° XLVIIIvo facta congregacione apud Sanctum Julianum pauperem ipsa feria tercia [5] post festum sancti Luce apostoli ad faciendum procuratorem nacionis Anglicane, electus fuit concorditer in procuratorem ejusdem nacionis magister Henricus de Herne Westphalus, in cujus procuracione acta sunt hec que sequuntur.

Primo congregata nacione super expediendo

1. *Primum locum in Rotulo tenet Henricus de Minda ; Theodoricus est quintus. Vid.* Chartul. Univers., II, p. 646, *Rotulum Nat. Anglic.*
2. 23 *Septembris.*
3. 27 *Septembris.*
4. 18 *Octobris.*
5. 21 *Octobris.*

bedello, ne retardaretur via ad curiam per nacionem, concessit nacioni magister Nicholaus de Svecia pro tunc receptor nacionis duo scuta pro bedello, cum pro tunc nullam pecuniam, que pro ipso scilicet bedello sufficeret, haberet de nacione.

Item die crastina post diem congregacionis ejusdem, scilicet feria quinta[1] ante festum Omnium Sanctorum, facta congregatione facultatis apud Sanctum Julianum pauperem super eadem expedicione bedelli, deliberatum fuit ut quelibet nacio daret quinque scuta bedello, sic quod pro tunc idem procurator eisdem duobus scutis addens tria pro nacione illa quinque scuta exposuit.

Item die martis[2] post festum Omnium Sanctorum facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, concessit magister Nycolaus receptor sepedictus nacioni duo scuta pro magistro Johanne de Hoesden nuncio, scilicet pro expensis factis in itinere pro habendis litteris regiis.

Item facta computacione rectoris antiqui, solvit *apud grangyam* tres solidos, ex parte nacionis ibidem consumptos.

Item quando nacio fieret similiter *apud grangyam* in cena, solvit idem receptor 24 solidos.

Item quatuor solidos cum IIII denariis bedello.

1348

[Procuratio magistri Henrici Thome de Swecia.]

Anno Domini M°. CCC°. XLVIII facta congregacione apud Sanctum Julianum pauperem in octava[3] sancti Martini episcopi et confessoris ad faciendum procuratorem nacionis Anglicane, electus fuit concorditer in procuratorem nacionis ejusdem magister Hinricus Thome de Swecia, in cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

Primo facta congregacione nacionis die sancti Brictii episcopi[4] apud Sanctum Maturinum, supplicabat magister Conradus de Minda, quod terminus solucionis duorum florenorum de Florentia, in quibus tenebatur satisfacere nacioni infra Natale Domini, sibi prolongaretur usque ad festum Pasche proximum, et hoc sibi concorditer est concessum, tali tamen adhibita condicione, quod si contigerit ipsum aliquo modo pro tunc deficere in solucione predictorum florenorum, frater suus magister Hinricus de Minda satisfaciat pro eodem, qui ad hoc faciendum se nacioni sponte et personaliter obligavit.

Item presens fui cum aliis nacionis nostre magistris in die sancti Edmundi regis[5], quando dominus Conradus bedellus noster ad cistam nacionis reposuit omnia ornamenta et indumenta, que sibi tradita fuerunt tam ad solem ponendum quam ad lavandum, que omnia singulariter et nominatim scripta fuerunt in quadam papiro, quam ad cistam reposuit supradictam, pro quorum locione dominus receptor exposuit duos solidos parisiens.

Item in die sancti Nicholai episcopi et confessoris[6] dominus receptor exposuit quinque solidos parisiens. pro distribucionibus magistrorum presencium in missa apud Sanctos Cosmam et Damianum.

Item incepit in artibus dominus Johannes Nese de Trajecto sub magistro Johanne de Vesalia, cujus bursa nichil.

1348

[Procuratio magistri Johannis Walteri de Arnheim.]

Anno Domini M. CCC°. XLVIII facta congregacione facultatis apud Sanctum Julianum pauperem in feria tertia[7] post festum Lucie, electus est in rectorem Universitatis magister Johannes Nicolai de Dacia de nacione Anglicana, et eodem die facta congregacione nacionis Anglicane ad faciendum procuratorem, electus fuit concorditer in procuratorem nacionis ejusdem magister Johannes Walteri de Arnhem, in cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

Primo incepit dominus Jacobus de Hollandia, oriundus[8] de Waterlandia, sub magistro Johanne de Wezalia, cujus bursa nichil.

Item substitutus fuit magister Henricus de Minda in recessu procuratoris, scilicet magistri Johannis de Arnhem.

In cujus substitucione incepit dominus Robertus de Dronghelen sub magistro Galtero de Warderlay, cujus bursa X solidi, in vico Straminis sub magistro predicto in scolis suis die XII mensis Januarii post horam prime, etc.

1. 30 *Octobris.*
2. 4 *Novembris.*
3. *Non debet intelligi* dies octava (*18 Novembris*), *sed infra octavam, cum congregatio subsequens facta sit* 13 *Nov. Verisimiliter prima congregatio erat 12 Novemb.*
4. 13 *Novembris.*
5. 20 *Novembris.*
6. 6 *Decembris.*
7. 16 *Decembris.*
8. Oriundus de Waterlandia *alio charactere inter lineas.*

1349

[Procuratio magistri Roberti de Dronghelen.]

(*Fol. 9 b*) Anno Domini M°.CCC°.XLIX°, die XIII^{a} mensis Januarii facta fuit congregatio nationis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem nationis, et in illa congregatione magister Henricus de Mynden, qui pro tunc procurator fuit substitutus pro magistro Johanne Walteri de Aernhem una cum domino rectore, qui pro tunc fuit ejusdem nationis, et cum aliis magistris omnibus ejusdem nationis ibidem existentibus, fuit electus per viam scrutinii concorditer et nullo reclamante in procuratorem magister Robbertus de Dronghelen, ejusdem nationis, in cujus procuratione acta sunt que sequuntur.

In primis fuerunt congregati eadem die omnes magistri nationis predicte ad simul cenandum, et consumpserunt LXV solidos, de quibus solvit dominus procurator XXX solidos, et residuum, scilicet XXXV solidos, solvit dominus receptor ex parte nationis.

Item solvit Henricus de Porteghael bejauniam suam, XIX° die Januarii, presentibus domino procuratore, magistro Johanne de Wesalia et magistro Theoderico de Hollandia.

In[1] cujus procuracione magister Johannes de Wesalia concorditer in recessu ejusdem substitutus, in cujus substitucione predicto magistro Johanni nacio concessit unum bachalarium in prima audicione ad Sanctam Genovefam.

Item concessit nuncio, scilicet magistro Johanni Thome, unum bachalarium, cujus predictus magister Johannes de Wesalia est procurator in promovendo.

1349

[Procuratio magistri Henrici de Minda.]

Anno Domini M°.CCC°.XLIX°, die martis[2] proxima ante festum sancti Valentini, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis Anglicane magister Henricus de Minda nullo penitus reclamante, in cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

Primo determinaverunt solutis solvendis isti IIII^{or}, scilicet dominus Cyfridus de Monasterio dictus Lof sub magistro Henrico de Minda, tunc procuratore, cujus bursa VI solidi.

Item dominus Wilhelmus de Novomagio sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa quinque solidi.

Item dominus Johannes de Colonia Scotus, sub magistro Galtero de Dun, cujus bursa IIII solidi et dimid.

Item dominus Florencius Hugonis Span[3] sub magistro Theodorico Borre, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Hermannus de Wesalia sub magistro Johanne de Wesalia suo fratre, cujus bursa nichil.

Item dominus Hermannus de Clivis, sub eodem magistro, cujus bursa nichil

Item dominus Cristianus Wrede de Monasterio sub magistro Henrico de Minda

Item dominus Johannes de Minda sub eodem magistro Henrico de Minda

Item dominus Nicolaus de Colonia de Aqueductu sub eodem magistro

Item dominus Hermannus de Rotwil sub eodem magistro

Item dominus Hermannus Piscator de Wousterhusen sub eodem magistro

Item dominus Theodericus [de] Nelling, filius Nicholai, sub magistro Regnero de Ecka

Item dominus Henricus Albus de Linden sub eodem magistro

quorum cujuslibet bursa nichil.

Item dominus Martinus, filius Nicolai de Bomale, sub magistro Henrico de Arnem, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes Odini de Suecia sub magistro Mathia de Suecia, cujus bursa quinque solidi.

Item dominus Thomas de Dunz Scotus sub magistro Henrico de Smalhem, cujus bursa quatuor solidi.

Item dominus Themo et dominus Nicolaus fratres de Monasterio dicti Judei, sub magistro Henrico van Herne de Unna, quorum cujuslibet bursa quinque solidi.

(*Fol. 10*) Item dominus Stephanus de Langlandys Scotus sub magistro Galtero de Wardelaw, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Wilhelmus de Treveris dictus de Boyedwilre sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa V solidi.

1. *Alio charactere.*
2. 10 *Februarii.*
3. *Infra*, p. 132, 31 et 39 *clare* Spaen.

Item dominus Hilgherus de Campo de Colonia sub eodem magistro, cujus bursa V solidi.

Item dominus Theodoricus de Alcmaria sub magistro Theodorico Borre, cujus bursa V solidi.

Item prima die jovis[1] in Quadragesima facta congregacione facultatis et nacionis pro supplicacionibus, supplicavit nacioni magister Johannes de Wesalia pro primo bacelario concedendo a facultate, quem sibi nacio concorditer concessit.

Item facta congregacione nacionis die lune[2] pro supplicationibus, supplicaverunt magister Galterus de Warderlau pro Stephano Langlandis, et magister Johannes de Wesalia pro Wilhelmo de Treveris et pro Hilghero de Colonia, quod nacio reciperet pignera pro bursis pro determinacionibus, quod eis nacio concorditer concessit.

Item supplicavit dominus Theodoricus de Alcmaria in alia congregacione pro induciis suarum bursarum pro determinacione, que se extendebant ad tria scuta, quas inducias nacio sibi concessit usque ad dominicam *Letare*, prius habito fidejussore, sillicet Henrico tonsore pannorum, qui fide prestita procuratori et nacioni pro tribus scutis fidejussit.

Item supplicaverunt dominus Cyfridus Lof de Monasterio et dominus Henricus de Wila pro induciis bursarum de licencia et magisterio, quas sibi nacio sub caucione et quadam condicione apposita, scilicet quod quilibet eorum 4^{or} bursas in prompto solveret usque ad festum Pentecostes sine ulteriori dilacione, concessit.

Item licenciatus fuit dominus Cyfridus de Monasterio dictus Lof sub magistro Johanne de Dacia, tunc rectore, cujus bursa...

Item licenciatus fuit dominus Henricus de Wila sub magistro Gherhardo de Bosseyo, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Lovanio sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa ..

Item licenciatus fuit dominus Wilhelmus de Novomagio sub eodem magistro, cujus bursa V solidi.

Item dominus Henricus de Wila incepit sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa V solidi.

Item dominus Remboldus de Leuepe licenciatus fuit sub magistro Conrado de Suecia, cujus bursa V solidi.

Item dominus Cyfridus Lof de Monasterio incepit sub magistro Johanne de Dacia, tunc rectore, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Sulco de Praga sub magistro Alberto de Yeschow, cujus bursa VI solidi.

Item in quodam prandio in domo rectoris dominus receptor exposuit pro nacione XXVI solidos.

1349

[Procuratio magistri Henrici de Minda.]

Anno Domini M°CCC°XLIX°, die martis[3] ante festum sancti Gregorii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis et continuatus fuit magister Henricus de Minda de provincia Saxonie nullo penitus reclamante.

Primo determinavit dominus Gherhardus Lenghe sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Henricus de Colonia sub magistro Henrico de Minda, cujus bursa quinque solidi.

Item facta congregacione generali et nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum pro supplicacionibus, supplicaverunt magister Cyfridus de Monasterio dictus Lof et magister Henricus de Wila, quod si contingeret aliquem rotulum mitti ad summum pontificem pro supplicacionibus provisionum magistrorum, quod ipsi interponerentur solutis solvendis, quod eis nacio concorditer concessit nullo penitus reclamante.

Item licenciatus fuit dominus Florencius Hugonis Spaen sub magistro Johanne de Dacia, tunc rectore, cujus bursa IIII solidi.

Item supplicavit dominus Hilgherus de Colonia, cum ipse esset recessurus ad partes, quatenus sibi redderentur pignera pro bursis obligata nacioni, promittens quod quando primo illas bursas haberet, per suum juramentum nacioni destinaret, quod sibi nacio concorditer concessit.

Item incepit dominus Florencius Hugonis Spaen sub magistro Johanne de Dacia, tunc rectore, cujus bursa IIII solidi.

Item in quodam prandio in *Cokelterio* exposuit dominus receptor pro nacione XXXII solidos.

Item in quadam congregacione apud Sanctum Julianum deliberavit nacio quod florenus datus nacioni per magistrum Florencium in missa in die festo Annunciacionis beate Marie virginis magistris presentibus distribueretur.

1. 26 *Februarii.*
2. 2 *Martii.*
3. 10 *Martii.*

(*Fol. 10* b) Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem ad ordinandum, nacio pro magistro Johanne de Huesden, nuncio in curia pro expedicione rotuli, quinque scuta de prompta pecunia nacionis concorditer ordinavit, que sibi magister Galterus de Dun Scotus ad curiam Romanam iturus promisit velle apportare.

Item supplicavit magister Galterus de Warderlay Scotus pro induciis de quodam scuto, quod tenebatur pro bursis domini Stephani Scoti ad solvendum, quando primo sibi pecunia veniret, quod sibi nacio concorditer concessit.

1349

Procuracio magistri Guillelmi de Brenueth Scoti, de diocesi Moraviensi oriundi.

Anno Domini M°CCC^mo^XLIX°, die martis[1] post Ramos palmarum, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer magister Gillelmus de Brenueth Scotus in procuratorem dicte nacionis Anglicane nullo penitus reclamante, in cujus procuracione acta sunt ista omnia que sequuntur.

Primo licenciatus fuit apud Sanctam Genueffam dominus Johannes de Colonia sub magistro Galtero Dun, cujus bursa IIII solidi.

Item ibidem licenciatus fuit dominus Zibrandus de Hollandia sub magistro Henrico de Minda, cujus bursa IIII solidi.

Item ibidem licenciatus fuit dominus Theodoricus de Alcmaria sub magistro Johanne de Dacia, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Ingeramus de Ketnes Scotus incepit sub magistro Galtero de Wardelau, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit apud Sanctam Genueffam dominus Stephanus de Langland sub magistro Galtero de Wardelaw, cujus bursa IIII solidi.

Item licenciatus fuit ibidem dominus Robertus de Pontefracto sub magistro Henrico de Minda, cujus bursa nichil.

1349

(*Fol. 11*)[2] Procuracio magistri Henrici de Smalham Scoti, de dyocesi Sancti Andree in Scocia oriundi.

Anno Domini M.CCC.XLIX°, die martis[3] proxima ante festum sancti Johannis ante Portam Latinam, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Matelinum ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer in procuratorem ejusdem nacionis Anglicane magister Henricus de Smalham Scotus, de dyocesi sancti Andree oriundus, nullo penitus reclamante, in cujus procuraria acta sunt que sequuntur.

Primo Cristianus de Monasterio licenciatus fuit sub magistro Henrico de Mynda apud Sanctam Genovefam, cujus bursa nichil.

Item ad reparandum seram super cista stante in ecclesia Sancte Jenovefe, in qua custoditur sigillum commune Universitatis, dedit receptor II solidos Currado bedallo principali nacionis nostre.

Item in crastino[4] translacionis sancti Nicolai juravit prepositus Parisiensis[5] rectori et Universitati Parisiens. apud Sanctum Maturinum quod fideliter observabit privilegia Universitatis et libertates, et hoc facta congregacione generali scilicet regencium et non regencium et scolarium.

Item facta congregacione dicte nacionis apud Sanctum Maturinum decimo die mensis Maii, dedit dominus receptor compotum suum, ita quod omnibus computatis et solutis solvendis remanent nacioni XI libre paris.

Item concessit nacio magistro Henrico de Mynda II florenos parvos, in quibus tenebatur nacioni pro fratre suo.

Item dati fuerunt XX solidi principali bedallo et XVI subedallo.

Item licenciatus fuit dominus Recardus Perteristona apud Sanctam Genovefam sub magistro Gillelmo de Brenuecht, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit dominus Themo apud Sanctam Jenovefam sub magistro Galtero de Wardelaw, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit dominus Teudericus Fortis sub magistro Henrico de Minda, cujus bursa nichil.

Item die martis[6] proximo ante festum Pentecostes convocata nacione Anglicana, electus fuit concorditer

1. 7 *Aprilis.*
2. *Quae sequuntur usque ad* Primo *legebantur etiam in fol.* 10 b, *sed postea deleta sunt.*
3. 5 *Maii.*
4. 10 *Maii.*
5. Alexander de Crevecoeur, *praepositus ab anno* 1349, 6 *April.*
6. 26 *Maii. In margine* Eleccio receptoris.

magister Tedericus de Hollandia in receptorem dicte nacionis, nullo penitus reclamante.

Item in cena in *vico plastrie*, ubi congregati erant omnes magistri nacionis Anglicane, exposuit dominus receptor viginti duos solidos, excepto floreno quem dedit more solito in sua eleccione.

Item concessit nacio nostra magistro Tederico de Hollandia unum baccalarium, qui debet poni in quocumque mense fuerit.

Item posuit dominus Recardus Perterstuna Scotus unam logicam Occam in pignore nacioni nostre pro XXX sol. in quibus tenebatur dicte nationi pro bursis suis in sua licencia.

1349

Procuracio magistri Gillelmi de Brenuecht Scoti, de dyocesi Moraviensi oriundi.

Anno Domini M° CCC^mo^ XLIX°, die martis[1] proxima post festum Pentecostes, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer magister Gillelmus de Brenuecht Scotus de dyocesi Moraviensi oriundus in procuratorem dicte nacionis Anglicane, nullo penitus reclamante.

In cujus procuracione acta sunt omnia ista que sequuntur.

Primo[2] facta congregacione dicte nacionis apud Sanctum Maturinum feci vocari exequtores magistri Nicholai de Suecia die jovis post Pentecosten[3] ad computandum nobiscum de pecunia nacionis, qui computabant in hunc modum : omnibus deductis et solutis solvendis, scilicet scolis, Beata Maria et bidellis et omnibus aliis, exceptis refucione bursarum domini Ingerami de Ketnes Scoti et VI solidis pro solucione camere ballivi vici Straminis (*Fol. 11 b*), quam quidem pecunie summam solvit magister Gillelmus de Brenueth nomine nacionis domino rectori et predicto ballivo vici Straminis, et tenebantur predicte nacioni in XIII libris paris., quam pecunie summam sic solvebant : primo ponebant nos ad unum scutum, in quo obligatur magister Galterus de Wardelaw ad solvendum, cum pecunia sua venerit. Item ponebant nos ad duo scuta cum X solidis, in quibus est obligatus magister Renerus de Ecka ad solvendum. Item dederunt nobis duas litteras obligatorias, que erant concesse ex consensu nacionis pro IIII scutis.

Item dederunt nobis III libros pro vadio III scutorum. Item assignabant nobis dominum Themonem solvere V solid. parisiens. Et sic satisfecerunt nobis dicti exequtores de predicta summa pecunie penitus et expresse.

Item finita congregacione adivimus palacium *de Terminis*, et ibi dominus receptor exposuit pro nacione VI solidos cum VI denariis.

Item eadem die in dicto palacio *de Terminis* dedit dominus receptor bidello I florenum de Florencia pro XX solidis pro bursis domini Themonis et domini Ricardi Perterstona et pro Beata Maria.

Item facta congregacione nacionis Anglicane ad habendum pecuniam ab exequtoribus magistri N[icolai] de Suecia pro scolis nostris et pro Beata Maria, solverunt dicti exequtores 1 scutum pro scolis *ad septem artes* super terram.

Item in eadem congregacione solverunt pro scolis magistri Henrici de Minda LX solidos parisiens.

Item eadem die in dicta congregacione dederunt pro luminari Beate Marie, in quo tenebantur pro dicto magistro Nicholao, XXVIII solidos III denarios.

Item dicti exequtores eadem die in eadem congregacione, scilicet die veneris[4] post Sacramentum Christi, satisfecerunt bidellis omnibus, scilicet tam principali quam subbidello, totum in quo eis tenebantur, et ibi nacio concessit subbedello pecuniam Gilkyni, scilicet XXXII solidos cum VI [den.], nullo penitus reclamante, et sic illa die veneris post festum Trinitatis neutri bidellorum nacio tenetur in obolo pro quocunque vadio credencium[5] vel alico alio. Et per ista patet quod exequtores fuerunt a nobis omnino quitati, ut patet.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem die veneris post festum Trinitatis pro suplicacionibus, suplicaverunt exequtores predicti pro una quitacione a nacione, pro illis que dederunt nacioni, quam concorditer nacio eis concessit.

Item eadem die supplicavit magister Theodoricus de Holandia quod nacio haberet ipsum recommendatum. Quam supplicacionem nacio concessit benevole et graciose, ipsum bene recommendatum habendo.

Item[6] in dicta congregacione dictus magister Theodoricus tunc receptor recessurus ad curiam substituebat magistrum Galterum de Wardelaw in receptorem dicte nacionis usque ad adventum suum, et dictus magister Galterus de W[ardelaw] de talibus nolens intromittere ad presens, substituebat magi-

1. 2 *Junii.*
2. *Quae sequuntur alio charactere.*
3. *Ms.* Ascensionem. *Dies jovis post Pentec. erat 4 Junii.*
4. 12 *Junii, quae etiam dies veneris post festum Trinitatis.*
5. *Ms.* credenciam.
6. *In margine* Substitucio receptoris nacionis nostre.

strum Gillelmum de Brenuecht loco sui usque ad adventum alterius, nullo penitus reclamante, et dictus magister Theodoricus tunc receptor pro nacione exposuit in palacio *de Terminis* XV solidos paris.

Item computavit dicta die in eadem congregacione dictus magister Theodoricus ad curiam recessurus in presencia magistrorum Galteri de Wardelaw et Galteri de Dun et procuratoris nacionis et bidellorum amborum, quod exceptis vadiis, scilicet tribus libris qui sunt impignorati pro III scutis, et una logica Ockam pro XXX solidis, et una littera pro II scutis, et I scuto in quo tenetur magister Galterus de W[ardelaw], et II scutis et X solidis in quibus tenetur magister Renerus de Ecka, que omnia vadia deveniunt ad nacionem, quod nacio sibi tenebatur omnibus computatis computandis et defalcatis defalcandis in XL solidis parisiens. Tamen quia nacio multum pauper de pecunia nullam habens pecuniam nisi pecuniam pro luminari Beate Marie, scilicet XXVIII solidos paris. cum tribus denariis, refudit dictam pecuniam dicto receptori recessuro, pecunia multum indigenti, et XII solidos parisiens. quos mutuavit nacioni magister Gillelmus de Brenueth pro tunc locum tenens receptoris, et sic predictus magister Theodoricus de Holandia tunc receptor est totaliter solutus de suis XL solidis penitus et expresse. Set nacio obligatur de prima pecunia quam habuerit Beate Virgini pro suo luminari in XXVIII solidis parisiens. et III denariis parisiens. et magistro Guillelmo de Brenuecht Scoto, procuratori nacionis, in XII solidis parisiens. ex causa puri mutui facti nacioni.

Item facta congregacione nacionis pro suplicationibus, suplicavit ballivus vici Straminis apud Sanctum Julianum quod solveretur de VI solidis, in quibus nacio tenebatur pro solucione camere sue pro anno Domini M°.CCC°XL octavo, quam supplicacionem concessit concorditer nacio predicta ad satisfaciendum predicto ballivo, quando sibi placeret dictam pecuniam habere.

Item facta congregacione apud Sanctum Maturinum ad habendum duos florenos a duobus magistris de novo incipientibus, ordinavit nacio nostra quod cenaret dicta nacio ad *Coccatorium*, et ibi ultra dictam summam exposuit locum tenens receptoris XII solidos parisiens. nomine nacionis predicte die dominica[1] ante festum beati Johannis Baptiste.

Item facta congregacione apud Sanctum Julianum die beati Eligii[2] ad audiendum compotum receptoris luminarium Beate Marie virginis, computavit dictus receptor, scilicet magister Henricus de Minda, et computatis computandis nacio tenebatur sibi in XXX solidis parisiens., quam quidem pecunie summam nacio sibi promisit solvere quando posset.

(*Fol. 12*) Item incepit in artibus dominus Themo Jůde de Monasterio sub magistro Dominico de Clavagio, cujus bursa quinque solidi.

Item dominus Cristianus Wrede de Monasterio sub magistro Henrico de Minda, cujus bursa III sol.

Item dominus Theodoricus de Alcmaria incepit in artibus sub magistro Renero de Ecka, cujus bursa IIII solidi.

Item exposui ad *Pomum Spine* in civitate pro magistris nacionis XIIII solidos parisiens., quando incepit magister Theodoricus de Alcmaria.

Item solvi magistro Henrico de Minda pro luminari Beate Marie virginis XXX solidos.

1349

[Procuratio magistri Walteri de Dun.]

Anno Domini M°.CCC°.XLIX, die veneris[3] ante festum beate Marie Magdalene, convocata nacione Anglicana coram rectore, qui mortuo procuratore[4] habuit vices procuratoris, positum erat per rectorem in deliberacione nacionis predicte, si placeret quod magister Walterus de Dun esset procurator, omnibus placuit, et sic concorditer electus est in procuratorem nullo contradicente, in cujus procuracionis tempore hec acta sunt que sequuntur.

In primis eadem die in nonis Nostre Domine in nacione renunciavit magister Theodoricus de Alcmaria substitucioni officii receptoris pecunie nacionis, quia dixit se nolle officium pro alio exercere. Nacio consentiens se non posse carere receptore, eundem elegit in receptorem secundum formam electionis, et juratus remansit receptor.

Item incepit in artibus magister Johannes de Lovanio cujus bursa IIII solidi.

1349

[Procuratio magistri Johannis de Lovanio.]

Anno Domini M°.CCC°.XLIX, die mercurii[5] post [festum] Bartholomei facta congregacione nacionis

1. 21 *Junii.*
2. 25 *Junii.*
3. 17 *Julii.*
4. Guillelmio Brenueth.
5. 26 *Augusti.*

Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super electione procuratoris facienda, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Jhoannes de Lovanio Hollandrinus, nullo penitus reclamante, in cujus procuratura acta sunt que sequntur.

Primo facta congregacione nacionis apud Augustinenses super electione subbedelli, electus fuit concorditer Willelmus Scotus in subbedellum. Secundo, nichil, quia non diu mansit procurator, videlicet nisi per duos dies, pro [1] uno floreno.

1349

[Procuratio magistri Thiderici de Hamme.]

Anno Domini M°.CCC°.XLIX° in festo beati Augustini [2] confessoris facta congregacione nacionis Anglicane post sermonem in loco capitulari Augustinencium, regencium et non regencium, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Thidericus de Hamme concorditer ab omnibus, in cujus procuracione subbedellus eodem die et ibidem electus paucis diebus elapsis diem clausit extremum.

Item facta congregacione apud Sanctum Maturinum die jovis [3] post festum Nativitatis beate Marie electus fuit concorditer Menfridus Almannus in subbedellum dicte nacionis.

1349

[Procuratio magistri Alberti Boemi.]

(*Fol. 12* b) Anno Domini millesimo trecentesimo XLIX°, die veneris [4] ante festum sancti Michaelis, facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum, magistrorum tam regencium quam non regencium, electus fuit concorditer ab omnibus magistris ejusdem nacionis magister Albertus Boemus de Praga, familiaris clericus serenissimi principis et domini domini Karoli Romanorum regis semper augusti et Boemie regis, in procuratorem nacionis superius nominate. Facta sunt autem in sua procuracione ista que secuntur.

Primo immediate sequenti die fuerunt quedam nova de Curia Avinionensi per nunctium sive bedellum Imbertum [5] apportata de pecunia mittenda nunctiis, et bedello iterum ad curiam expediendo.

1349

[Procuratio magistri Johannis de Lovanio.]

Anno Domini M° CCC XLIX°, die veneris [6] ante festum sanctorum Symonis et Jude apostolorum facta congregatione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum pauperem super electione procuratoris facienda, electus est concorditer in procuratorem nacionis ejusdem magister Johannes de Lovanio Hollandrinus, nullo penitus reclamante, in cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

Primo, die martis [7] post [festum] Omnium Sanctorum data fuit diffinitio contra flagellatores per dominum rectorem et tunc deputatos et a tota Universitate in congregatione generali examinata et concessa.

Item XIIII die mensis Novembris facta congregatione procuratorum et receptorum facultatis per dominum rectorem super computatione sextarum bursarum a tempore quo ultimo anno fuerat facta computatio super eodem, computavit magister Theodoricus de Alcmaria, tunc temporis nacionis predicte receptor, primo pro bursis determinantium in summa XLIIII solidos VI denarios; item licentiatorum in summa LV [I] solidos; item incipientium in summa XVII solidos. Summa totalis : V libre XVII solidi, VI denarii.

(*Fol. 13*) Anno Domini millesimo CCC XLIX, feria VI ante festum [8].

1350

Anno Domini [9] M.CCC quinquagesimo, XVI die mensis Februarii, juraverunt determinantes in nacione Anglicana qui sequuntur.

Primo Albertus de Huesen sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item Hubertus de Colonia sub eodem, cujus bursa nichil.

Item Bernardus de Monasterio sub eodem, cujus bursa nichil.

Item Henricus de Hallis sub eodem, cujus bursa nichil.

Item Johannes de Swecia sub eodem, cujus bursa nichil.

1. *Alio charactere.*
2. 28 *Augusti.*
3. 10 *Septembris.*
4. 25 *Septembris.*
5. Burgundi. *Fuit subbedellus nat. Gallic.*
6. 23 *Octobris.*
7. 3 *Novembris. De definitione arium vid.* Chartul. Univ. Paris., II, n^{um} 1176.
8. *Postea spatium 7 vel 8 linearum.*
9. *Nescimus quisnam fuerit procurator.*

Item Leo de Arnheem sub eodem, cujus bursa nichil. Solvit [1] anno 62 mense Octobri.

Item dominus Gherardus Wilde sub magistro Theoderico de Hollandia, cujus bursa quinque sol.

Item dominus Wilhelmus dictus Cogman sub eodem, cujus bursa quinque solidi.

Item idem dominus Wilhelmus supplicavit in nacione quatenus de solucione predictarum bursarum nacio concederet sibi terminum, infra quem posset solvere tali condicione adjecta, quod si infra predictum terminum non satisfaceret, determinacio sua nulla esset reputata. Et magistri concorditer nullo reclamante terminum usque ad quindenam post festum Pasche eidem concesserunt.

Item dominus Brixius de Dumfriis de Scocia sub magistro Galtero Wardelau, cujus bursa nichil.

Item nomina licenciandorum.

Primo fuit licenciatus dominus Wilhelmus dictus Cogman sub magistro Theoderico de Hollandia, cujus bursa quinque solidi.

Item dominus Nycholaus dictus Roede licenciatus fuit sub magistro Dominico, cujus bursa VIII solidi.

Item dominus Willhelmus dictus Cogman satisfecit receptori de pecunia, de qua nacio pro determinacione sibi concessit dilacionem.

Item dominus Hilgerus de Colonia licenciatus fuit sub magistro Johanne de Colonia, cujus bursa VI solidi.

Item dominus Hilgerus predictus de Colonia incepit sub eodem magistro Johanne de Colonia, cujus bursa VI solidi.

1350

[Procuratio magistri Hilgeri de Colonia.]

(*Fol. 13* [b]) Anno Domini M° CCC quinquagesimo, die veneris [2] ante festum Palmarum, facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum pauperem super electione procuratoris ordinanda, electus est concorditer in procuratorem dicte nacionis magister Hilgerus de Colonia nullo penitus reclamante, in cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

Primo incepit dominus Johannes de Kathenes sub magistro Galtero de Wardelay, cujus bursa VIII solidi.

Item dominus Thomas de Duns fuit licenciatus sub eodem magistro, cujus bursa VI solidi.

Item dominus Hermannus de Vesalia fuit licenciatus sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item dominus Henricus de Hallis licenciatus fuit sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item dominus Dechardus de Minden fuit licenciatus sub magistro Henrico de Minden.

Item idem dominus Dechardus promisit nacioni sue unum florenum infra hinc et festum beati Remigii solvendo (*sic*).

1350

[Procuratio magistri Malcolini de Dunbrek.]

Anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo, die veneris [3] proximo post festum Tyburtini et Valeriani, facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum pauperem super electione procuratoris facienda, electus est in procuratorem magister Malcolinus de Dunbrek Scotus a magistris omnibus concorditer, in cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

In primis magister Henricus de Smalham Scotus satisfecit de bursis suis, in quibus tenebatur nacioni racione sui principii.

Item dominus Johannes Red Scotus incepit sub magistro Waltero de Wardelaw, cujus bursa VII s.

Item dominus Recoldus de Hastal incepit sub magistro Johanne de Vesalia, cujus bursa VI solidi.

Item die sabati [4] in festo apostolorum Philippi et Jacobi congregacione nacionis facta apud Sanctum Matulinum immediate post sermonem, magister Theodricus de Alemaria receptor nacionis reddidit computum suum de omnibus receptis suis, qui allocatis omnibus allocandis et diffalcatis diffalcandis tam pro bursis rectoris, luminari Beate Virginis, pro bedellis et scolis, idem magister Theodricus tenebatur nacioni in LVI solidis et octo denariis.

Item dominus Bricius Ker Scotus licenciatus fuit ad Nostram Dominam sub magistro Galtero de Wardelaw Scoto, cujus bursa nichil.

Item dominus Gerardus Wyld de Buscoducis licenciatus fuit sub magistro Theoderico de Alemaria, cujus bursa VI solidi.

Anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo, die veneris [5] proxima post festum Nerei et

1. *Charactere recentiori.*
2. 19 *Martii.*
3. 16 *Aprilis.*
4. 1 *Maii.*
5. 14 *Maii.*

Achillei convocata nacione Anglicana ad Sanctum Julianum pauperem pro procuratore eligendo, continuatus fuit prefatus magister Malcolinus de Drunbrek, in cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

In primis Hermannus de Vesalia incepit sub magistro Johanne de Vesalia, cujus bursa nichil.

1350

[Procuratio magistri Johannis Red.]

Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo, facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum die veneris [1] proximo ante festum beati Barnabe apostoli, electus concorditer fuit in procuratorem magister Johannes Red Scotus, in cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

(*Fol. 14*) In primis illo eodem die receptor solvit nomine nacionis apud *Crucem* [2] *auream* nacione ibidem existente in prandio XV solidos, scilicet unum scutum, qui de debili moneta valet et valuit XXX s.

Item die dominica [3] proxima post festum beati Barnabe apostoli facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum super electione receptoris facienda, electus fuit in receptorem magister Johannes [de] Vesalia concorditer ab omnibus una voce.

Item eodem die suplicavit magister Theodricus de Alcmaria nacioni ut remitteret sibi pecuniam de ultimo computo sue receptorie debitam, cujus pecunie summa se extendit ad XXVI solidos et VIII denarios, quam pecuniam remisit sibi nacio pro labore suo in officio receptoris.

Item dominus Johannes de Monasterio incepit sub magistro Henrico de Menden, cujus bursa V solidi et VI denarii, scuto valente XV solidos.

Item dominus Johannes de Lyttona Scotus incepit sub magistro Malcolino de Drunbrek Scoto, cujus bursa VII solidi, scuto valente XV solidos.

Item in vigilia [4] beati Johannis, ad *Coketerium*, quando prefati duo magistri solverunt duos florenos pro bejania, in prandio natione ibidem existente, III solidos. Item in diversis transitibus versus regem pro negociis Universitatis cum deputatis ejusdem VI solidos et IIII denarios in potationibus.

Item die mercurii, XIIII die mensis Julii, facta congregacione procuratorum et receptorum facultatis artium per dominum rectorem ad Sanctum Julianum super computacione sextarum bursarum, a tempore quo ultimo facta fuerat computacio super eisdem, computatum fuit tam pro incipientibus, licentiatis et determinantibus, quod III libre de debili moneta, item de forti moneta XV solidi et [I] den. debebantur, preter V libras, XVII solidos et VI denarios de ultima computacione precedenti, que V libre, XVII solidi et VI denarii additis duabus summis precedentibus faciunt....

Item die jovis [5] proxima ante festum sancti Petri quod dicitur a[d] Vincula, facta congregacione nacionis ad Sanctum Julianum, suplicavit dominus Dechardus de Mindan quod nacio prorogaret sibi terminum de solucione bursarum usque ad festum beati Martini proxime sequentis, quam suplicacionem concessit sibi nacio de IIII bursis, positis tamen apud receptorem nacionis pignoribus competentibus pro eisdem; de II bursis residuis, scilicet de bursa rectoris et sexta bursa ad curiam mittenda, idem dominus satisfecit receptori.

Item dominus Decardus de Mindan incepit sub magistro Henrico de Mindan, cujus bursa VI solidi.

Item die lune [6] in vigilia beati Laurencii facta congregacione nacionis ad substituendum procuratorem loco magistri Johannis Red, substitutus est magister Malcolinus de Drunbrek Scotus ab omnibus magistris concorditer una voce.

(*Fol. 14 b*) Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo, facta congregacione super suplicacionibus vocatis vocandis die veneris [7] proxima ante festum beati Mathei apostoli apud Sanctum Matellinum, suplicavit magister Johannes de Vesalia ut sibi remitterentur duo floreni ad scutum, quos habuit de pecunia nacionis, qui sibi non ex toto remittebantur, sed differebantur ad tempus, quo die dictus Johannes tunc receptor nacionis Anglicane substituit magistrum Johannem de Collonia in receptorem, qui fuit admissus ex unanimi concensu omnium magistrorum ibidem existencium.

1350

[Procuratio magistri Alberti de Bohemia.]

In anno Domini M° CCC° L°, in mea procuracione ad quam ego magister Albertus de Bohemia fui unanimiter ad Sanctum Julianum electus, videlicet ante

1. 4 *Junii.*
2. *Ms. potius* cratem.
3. 13 *Junii.*
4. 23 *Junii.*
5. 29 *Julii.*
6. 9 *Augusti.*
7. 17 *Septembris.*

festum Omnium Sanctorum[1], facta fuerunt ea que secuntur.

Primo omnium fuit orta briga inter Universitatem ex una parte, et canonicos Nostre Domine ex alia parte in processione ad funeralia regis[2], scilicet de prioritate Universitatis et capituli.

Item in quadam generali congregacione fuit concorditer per facultatem deliberatum de missione rotuli[3] ad curiam Romanam propter jocundum adventum novi regis Francie[4].

Item Universitas conquesta fuit domino regi, ubi ego presens fui, de injectione violenta manuum in rectorem Universitatis et procuratorem ejusdem.

Item quod rex deputavit III personas ad cognoscendum de causa inter canonicos et Universitatem, scilicet abbatem Sancti Dyonisii[5], magistrum Michaelem et Stephanum[6] canonicum ecclesie Nostre Domine.

Item sunt facti magistri isti qui secuntur sub magistro Johanne de Vesalia :

Primo Wilhelmus, cujus bursa 5 solidi.

Item Henricus de Hallis, cujus bursa nichil.

Item Theodericus, cujus bursa nichil.

Item Gerardus[7], cujus bursa 6 solidi.

1350

[Procuratio magistri Heinrici de Os.]

Anno Domini M° CCC° L^mo^, die lune[8] proximo post festum beati Martini episcopi convocata nacione Anglicana ad eligendum procuratorem dicte nacionis, electus fuit in procuratorem magister Heinricus de Os concorditer nulloque penitus reclamante, in cujus procuracione acta sunt hec que sequentur.

Primo dominus Ingimarus de Zuccia incepit sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa VI solidi.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Minda sub magistro Heinrico de Minda, et eodem die ipso licenciato incepit predictus dominus Johannes sub prefato magistro Heinrico, cujus bursa nichil.

Item facta congregatione generali apud Predicatores omnibusque magistris tam regentibus quam non regentibus convocatis, necnon scolaribus diversarum facultatum tam magnis quam parvis ibidem congregatis, facta fuit concordia inter Universitatem et canonicos Parisienses, ipsisque canonicis in capitulo fratrum Predicatorum coram Universitate presente comparentibus, necnon ibidem super illis de quibus fuerant accusati fide prestita ac tactis quasi sacrosanctis [evangeliis], se penitus excusabant canonici prefati[9].

Preterea facta congregacione nacionis Anglicane supplicavit magister Johannes de Wezalia, pro tunc nuncius ad curiam Romanam, predicte nacionis singulis presentibus magistris, quatenus, cum pauca essent supposita in dicta nacione presentia pro tunc, sibi solutis solvendis semperque super (*sic*) nacioni incumbentibus defalcatis defalcandis, fraude et dolo penitus exclusis, de communi pecunia dicte nacionis triginta scuta sive scudata in suarum expensarum nomine nacionis faciendarum sibi manciparentur. Que supplicacio eidem concessa fuit nullo vocetenus penitus reclamante.

Preterea idem magister Johannes convocatis magistris ad Sanctum Julianum supplicavit ut haberet determinantem solutis solvendis, ad finem ut bedello ituro cum nunciis de pecunia ei promissa commodius et melius satisfieri valeret sive posset predicta nostra nacio Anglicana, et ut eo minus pecuniam a nacione sibi concessam superius repetere celeriter attemptaret. Que supplicacio eidem J[ohanni] concessa fuit, nullo penitus reclamante.

Preterea facta congregacione generali apud Sanctum Matulinum dominus rector nomine Merchuardus, S[c]otus, nuntiis ad curiam Romanam ituris negocia omnia singulasque litteras Universitatis summo pontifici dirigendas presentibus magistris porrexit, ipsisque singula facere que oportuit sive debuit commisit. In qua congregacione procurator predictus, scilicet Heinricus de Os, toti Universitati conquestus fuit de uno flamingo, qui vocabatur magister Lambertus de Hostende, ob hoc quod in supplicacione sua in rotulo posita, scilicet Xanctis, etc., concurrens fuit, non obstante quod dictus magister Lambertus multis temporibus retroactis Parisius non rexit, sed solum suam supplicacionem cuidam amico suo magistro Parisius transeundo duntaxat dimisit, qui tamen procurator predictus regendo actusque

1. *Ante* 1 *Novemb.*
2. Philippi VI *regis Francorum.*
3. *Iste rotulus non est conservatus.*
4. Johannis II.
5. Aegydium Rigaud.
6. Michaelem de Brachia, *et* Stephanum, *qui postea fuit episcopus Paris.*
7. Wylde de Buscoducis. *Jam in fine procuratoriae praecedentis legitur :* In procuratoria mag. Alberti de Boemia facta sunt que secuntur : Primo incepit dom. Gerardus Wylde de Buscoducis sub. mag. Johanne de Wesalia, cujus bursa VI sol. *Sed omnia linea deleta sunt, et supra scriptum legitur :* Incepit postea.
8. 15 *Novemb.*
9. *Anno* 1364, *in funere regis Johannis II, de eadem re in capitulo canonicorum agebatur. Vid.* Chartul. III, n° 1293.

scolasticos faciendo tam ante quam post ista tempora actu Parisius exstitit. Quo facto quorumque magistrorum habita deliberacione, Universitas decrevit quod dictus procurator dicto magistro Lamberto sue supplicacionis promocione foret preferendus, et quod dictus magister Lambertus in dicto rotulo Universitatis causis predictis in prejudicium aliquod sive dampnum dicti procuratoris nundum foret admittendus nec secum concurrere nequaquam permittendus. In cujus rei testimonium, etc.

1350

[Procuratio magistri Henrici de Smalham.]

(*Fol. 15*) Anno Domini M° CCC̊ L°, in festo Lucie virginis [1], nacione Anglicana sufficienter convocata ad Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem dicte nacionis, electus fuit concorditer in procuratorem magister Henricus de Smalham Scotus nullo reclamante, in cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

In primis statutum erat per dictam nacionem quod receptor dicte nacionis quolibet mense redderet suum compotum.

1351

[Procuratio magistri Jacobi Hollandrini.]

Anno Domini M̊.CCC̊.L^{mo} primo, die sancti Wilhelmi Bituri[c]ensis [2] sive die lune post [festum] Ephiphanie, convocata nacione Anglicana ad Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem dicte nacionis, fuit electus in procuratorem magister Jacobus Hollandrinus nulloque penitus reclamante. In cujus procuracione acta sunt hec que sequuntur.

Primo dominus Wilhelmus Cogman incepit sub magistro Johanne Hollandrino de Lovanio, qui promisit satisfacere de bursis sub suo prestito juramento, cum facultas suppeteret.

Item incepit dominus Bernardus de Lochem sub magistro Jacobo Hollandrino, tunc procuratore, cujus bursa quinque solidos (*sic*).

1351

[Procuratio magistri Alberti de Boemia.]

(*Fol. 15*[b]) Anno Domini 1000.300.50, electus fuit [3] magister Albertus de Boemia, clericus familiaris domini Karoli regis Romanorum et Boemie regis, in cujus procuracione facta sunt que sequuntur.

Primo fuit deliberatum de liberatione cujusdam monachi [4] de carcere domini cardinalis Sancti Dyonisii [5].

Item Universitas fuit ad regem pro confirmatione privilegiorum, que fuit concessa.

Item determinavit dominus Henricus de Clivis sub magistro Johanne de Wesalia, solvit bursas 8 solid.

Item fuit licenciatus Hermannus de Rotvil sub magistro Silvestro Fornerii, qui promisit solvere bursam fortuna grata sibi arridente, que est 4 solid.

Item licenciatus fuit Humbertus de Colonia sub rectore Juliano de Muris, cujus bursa nichil.

Item Theodricus [de] Nellinc, filius Nycolai, sub magistro Henrico de Minda, qui similiter promisit solvere bursam si quando habuerit.

Item determinavit Johannes de Gronighen sub magistro Jacobo de Holandia.

Item Benedictus sub eodem de eodem loco.

Item Hermannus Civis sub eodem.

Henricus de Rutling sub eodem.

Item Conradus de Minczinberg sub eodem.

Item Conradus de Hamurstat sub eodem.

Harnoldus de Bisdal sub eodem.

1351

[Procuratio magistri Bernardi de Lochem.]

Anno Domini 1000.300.51, in die sanctarum Perpetue scilicet et Felicitatis, sive in die sancti Thome de Aquino [6], facta congregacione nacionis Anglicane apud fratres Minores, electus fuit in procuratorem nacionis ejusdem magister Barnardus de Lochem Alemannus nullo penitus reclamante, in cujus procuracione acta sunt hec que secuntur.

Primo multis deliberacionibus et etiam vacacionibus precedentibus, liberatus fuit de carcere quidam scolaris Parysiensis, scilicet monachus [7], qui fuit detentus contra privilegia Universitatis, ita quod

1. 13 *Decembris.*
2. 10 *Januarii.*
3. *Mense Februarii.*
4. Petri Berehorii, *O. S. B.*
5. Aegydii Rigaud, *abbatis S. Dionysii, card. S. Praxedis ab an.* 1350, 17 *Decemb., minime* Petri de la Forest, *episc. Paris., ut Bulaeus et Jourdain contendunt.*
6. 7 *Martii.*
7. Petrus Berehorii, *de quo supra.*

illustrissimus Francorum rex ordinavit emendam condignam fieri Universitati Parysiensi, nam episcopus Parys.[1] promisit fide digna coram domino rege et V deputatis ab Universitate nunquam facere contra privilegia Universitatis; officialis[2] vero juravit ad sancta Dei ewangelia, quod nescivit si clericus fuit tormentatus vel[3] inhoneste detentus; commissarius officialis[4] fatebatur se prebuisse assensum, qui dabat Universitati CC libras parysiens., quas tamen libras Universitas resignavit domino regi ob ejusdem principis reverentiam[5].

Isti sunt determinantes.

Primo dominus Johannes de Botis de Colonia sub magistro Henrico de Minda, cujus bursa VII solidi.

Dominus Bartoldus de Ruenhove sub magistro Alberto Bohemo, cujus bursa VI solidi.

Dominus Sybaldus de Nurenberghe sub magistro Alberto de Bohemia, qui dedit litteram domino receptori, in qua promisit se satisfacturum de bursis VI, qualibet bursa computata pro VII solidis, infra hinc et festum Pentecostes proximo futurum, scudato aureo computato pro XXIIII solidis.

Item dominus Bero de Swecia[6], cujus bursa 6 solidi, juravit coram nacione se satisfacturum sub pena privacionis, cum primitus facultas suffic[er]et.

Item dominus Wiskinus Wenslay sub magistro Henrico de Minda.

Item dominus Albertus de Helmstede sub magistro Alberto de Bohemia.

Dominus Johannes Meynardi sub magistro Jacobo de Hollandia[7].

} Dederunt litteram domino receptori in qua promiserunt se satisfacturos sub pena privacionis de omnibus bursis de scolis tam de determinacione quam de licencia infra hinc et festum Penthecostes, quorum bursa V solidi.

(*Fol. 16*) Item determinavit dominus Johannes de Peblis Scotus sub magistro Marcolino, qui juravit se satisfacturum cum primitus facultas sufficeret.

Item dominus David Scotus sub magistro Henrico Scoto de Smalhem, cujus bursa V solidi, promisit se satisfacturum infra hinc et festum Pentecostes. Solvit[8] sicut promisit.

Item dominus Richardus sub magistro Henrico Scoto de Smalhem, cujus bursa V solidi.

Item dominus Gerhardus de Saxonia sub magistro de Minda, cujus bursa XII solidi parisiens.

Item dominus Gerlacus de Glatbach sub magistro Henrico de Minda, cujus bursa 5 solidi parisiens. Nacio etiam secum dispensavit ita quod non dedit nisi 10 solid. paris. pro scolis.

Item eodem tempore licentiatus fuit dominus Henricus de Clivis sub mag. Johanne de Wesalia, cujus bursa VIII sol. paris.

Item eodem tempore licenciatus fuit dominus Gerhardus Leo sub magistro Juliano de Muris[9], cujus bursa II solidi.

Item licenciatus fuit dominus Winskinus Wenslay sub magistro Henrico de Minda, qui satisfecit eo modo quo supra dictum est.

Item licenciatus fuit dominus Albertus de Helmstede sub magistro Alberto de Bohemia, qui eodem modo promisit.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Peblis Scotus, eo modo quo predictum est.

Item licenciatus fuit dominus Sybaldus de Nurenberghe sub magistro Alberto de Bohemia, cujus bursa VII solidi parisiens.

Item incepit in artibus dominus Henricus de Clivis sub magistro Henrico de Minda, cujus bursa VIII solidi paris.

Item licenciatus fuit dominus Bartoldus de Ruenhove apud Dominam Nostram sub mag. Henrico de Minda, cujus bursa VI sol. paris.

Item electus fuit[10] in rectorem magister Johannes de Remis, nacionis Gallicane.

1351

[Procuratio magistri Jacobi Hollandrini.]

Anno Domini M° CCC° L° primo, die martis[11] post [festum] Ambrosii, facta congregacione nacionis Anglicane super electione procuratoris facienda apud Sanctum Julianum pauperem, electus fuit magister Jacobus Hollandrinus in procuratorem nullo penitus reclamante. In cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

Primo licenciatus fuit dominus Gherardus de Molendino de Ludersen sub magistro Henrico de Minda, cujus bursa 4 solidi.

1. Petrus de Foresta, *ab. an.* 1350, *Decemb.* 20, *cum prius fuisset episc. Tornac.*
2. Mag. Guillelmus Charlot.
3. Vel... detentus *postea deletum.*
4. Johannes Le Royer.
5. *Vid. documenta in* Chartul. Univers. III, n^is 1220-1223, *ad an.* 1351, 5, 18, 27, 31 *Martii.*
6. *Postea spatium quatuor vel quinque verborum.*
7. *Deletum, et in margine scriptum :* dominus Johannes satisfecit, et ergo est transfixio facta.
8. *Charactere recentiori.*
9. *Fuit nationis Normannorum.*
10. *Circa* 24 *Martii.*
11. 5 *Aprilis.*

Item incepit dominus Theodericus Nellinc, filius Nicolai, sub magistro Henrico de Minda, tunc temporis receptore, cujus bursa nichil.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Meynardi sub magistro Jacobo, tunc temporis procuratore, cujus bursa V solidi, scuto valente XX, qui per litteram sub sigillo officialis corroboratam in festo Pentecostes obligavit se satisfacturum.

Item licenciatus fuit dominus Hermanus sub magistro Henrico de Minda, cujus bursa VI solidi, scuto valente XX, qui promisit fide prestita satisfacere, cum facultas primo suppeteret.

Item licenciatus fuit dominus Sulco sub magistro Alberto de Bohemia, cujus bursa 8 solidi, qui promisit dare infra festum Nativitatis per litteram obligatoriam, et si prius habuerit, fide prestita dabit.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Suecia, dyocesis Strengenensis, cujus bursa nichil et fide prestita dabit quantocius habuerit [1].

Anno Domini M°CCC° LI°, facta congregacione nacionis predicte super electione procuratoris apud Sanctum Maturinum, continuatus fuit magister Jacobus predictus die Invencionis sancte crucis [2] nullo penitus reclamante, in cujus continuacione acta sunt hec que sequuntur.

Primo licenciatus fuit dominus Henricus [de] Ruteling cujus bursa sex solidi, scuto valente XX, qui promisit satisfacere fide prestita cum facultas primo suppeteret.

Item licenciatus fuit dominus Gherlacus, filius Johannis de Ghabach sub magistro Henrico de Minda vice procuratoris, qui promisit per litteram sigillo officialis corrob[or]atam in festo Remigii satisfacere de V solidis, scuto valente XX.

Item licenciatus fuit Bero [3] de Suecia sub magistro Henrico de Minda, cujus bursa VII sol. scuto valente XX, qui promisit satisfacere infra festum Johannis Baptiste, sub pena privacionis, proxime futurum; sigillo officialis corroboravit.

1351

[Procuratio magistri Barnaerdi Lochem.]

(*Fol. 16 b*) Anno Domini M° CCC° LI°, in vigilia [4] beati Urbani pape facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Barnaerdum super electione procuratoris facienda, electus fuit concorditer in procuratorem dicte nacionis magister Barnaerdus Lochem Alemannus, nullo penitus reclamante, in cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

Unde primo incepit dominus Conradus de Colonia sub magistro Henrico de Minda, cujus bursa V sol.

Secundo incepit dominus Bertoldus de Ruenhove sub magistro Henrico de Minda, cujus bursa V sol.

Item incepit dominus Johannes Meynaerdi de Hollandia sub magistro Jacobo de Hollandia, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Wiskinus sub magistro Henrico de Minda, tunc receptore, et canonico Mindensi, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Albertus de Helmstede sub magistro Alberto de Bohemia, cujus bursa VI solidi.

1351

[Procuratio magistri Heinrici de Hallis.]

Anno Domini M°.CCC°.LI°, in die translationis sancti Benedicti [5], facta congregatione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum super electione procuratoris facienda, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Heinricus de Hallis nullo penitus reclamante, in cujus procuratoria facta sunt que secuntur.

Primo facta congregatione ejusdem nacionis apud Sanctum Maturinum proxima die mercurii [6] post festum sancti Jacobi apostoli, deliberatum fuit et concessum quod magister Johannes de Wesalia pro labore suo, quem habuit in curia, a quolibet supposito nacionis in rottulo signato haberet tria scuta aurea, et hoc ab illis qui erant presentes, et [a] non presentibus haberet quatuor. Et concessus fuit sibi eadem vice unus bacularius.

1351

[Procuratio magistri Wizkini Venslai.]

Anno Domini M°CCC°LI°, sabato proximo [7] post festum sancti Bartholomei in principio parvi ordinarii, facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Julianum super electione procuratoris facienda, electus fuit concorditer in procuratorem dicte nationis magister Wizkinus Venslai de Důbbrovia, clericus diocesis Kaminensis, nullo penitus

1. *Postea una et dimidia linea deleta est.*
2. 3 *Maii.*
3. *In margine* a[lias] Odbernus.
4. 24 *Maii.*
5. 11 *Julii.*
6. 27 *Julii.*
7. 27 *Augusti.*

reclamante. In cujus procuratoria facta sunt hec que secuntur.

Primo incepit dominus Hermannus [de] Rotwil de Swevia sub magistro Alberto de Bohemia.

Item facta congregacione nacionis in die veneris proxima [1] ante festum Michaelis, supplicavit dominus Zebaldus de Nůrenbergha pro induciis usque ad festum Nativitatis Christi super aliquibus bursis solvendis nacioni, que concesse sunt sibi concorditer ab omnibus congregatis, data littera obligacionis sub pena resecacionis, si non solverit in tempore prenarrato.

Item facta congregacione nacionis predicte apud Sanctum Julianum pauperem sabato proximo [2] ante festum Michaelis super electione procuratoris ordinanda, continuatus fuit predictus magister Wizkinus concorditer nullo renitente. In cujus continuacionis tempore acta sunt hec que sequuntur.

Primo incepit dominus Zebaldus de Norenbergha sub magistro Alberto de Bohemia die martis proxima [3] post festum Michaelis, qui satisfecit modo suprascripto.

Item in die jovis et in vigilia [4] sancti Luce ewangeliste solvit quilibet subscriptorum unum florenum pro principio magisterii : primo magister Henricus de Clivis; magister Albertus de Helmstede; magister Zebaldus de Norembergh; magister Hermannus [de] Rotwil et ego magister Wizkinus, de qua summa fecimus solacium singulis magistris reverendis tunc presentibus nacionis Anglicane.

1351

[Procuratio magistri Sebaldi de Nurenberga.]

Anno Domini 1351°, proxima die dominica [5] ante festum Symonis et Jude, facta congregacione nacionis Anglicane apud Predicatores super electione procuratoris facienda, electus fuit concorditer in procuratorem dicte nacionis magister Sebaldus de Nůrenberga nullo penitus reclamante, in cujus procuratoria nullus determinavit nec magistratus fuit; igitur per eum nullus registratus(?) fuit.

1351

[Procuratio magistri Alberti de Helmestede.]

(*Fol. 17*) Anno Domini M°CCC°51°, in vigilia [6] Eadmundi, in cujus die est festum Anglicorum, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum super electione procuratoris facienda, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Albertus de Helmestede concorditer nullo penitus reclamante, in cujus procuracionis [tempore], in vigilia [Nativitatis ?] Christi [7] concessus fuit magistro Johanni de Wezalia unus bacularius.

Item facta congregacione una apud Sanctum Julianum mense prime procuratorie exspirato super electione procuratoris, continuatus fuit predictus magister concorditer nullo contradicente.

1352

[Procuratio magistri Henrici de Clivis.]

Anno Domini M°CCC°52°, in crastino [8] sancti Firmini, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem omnibus magistris et singulis ejusdem nacionis convocatis super electione procuratoris facienda, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Henricus de Clivis concorditer nullo penitus reclamante, in cujus procuracionis officio acta sunt que sequuntur.

In primis, die sancti Sebastiani [9], hora tertiarum facta congregacione nacionis super compotu magistri Henrici de Minda vicereceptoris faciendo apud Sanctum Maturinum, computacione perfecta de receptis et expositis defalcatis, nacio tenebatur eidem magistro Henrico in quatuor scutis, acceptis quibus damlitteris obligatoriis, quibus adhuc aliqui predicte nacioni debitis obligantur.

Incepit eodem tempore dominus Thomas de Duns sub magistro Galtero Wardelaywe, quo nacio dispensavit in solvendis, exceptis XXXI solidis de quibus solvebatur rectori et bedellis etc.

Item incepit dominus Johannes de Peblis Scotus sub magistro Galtero Wardelaywe, cujus bursa II solidi, cui nacio facta congregacione apud Sanctum Maturinum terminum solucionis usque ad festum Pasche inclusive prolongavit.

1. 23 *Septembris.*
2. 24 *Septembris.*
3. 4 *Octobris.*
4. 6 *et* 17 *Octobris.*
5. 23 *Octobris.*
6. 19 *Novembris.*
7. *Fortasse legi debet* Catherine (25 *Nov.*)
8. 12 *Januarii.*
9. 20 *Januarii.*

Item incepit dominus Henricus de Ruthelingen sub magistro Harmanno de Rothewielle, cujus bursa nichil.

1352

[Procuratio magistri Johannis de Peblis.]

(*Fol. 17* b) Anno Domini millesimo CCC^{mo} quinquagesimo secundo, nona die mensis Februarii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione procuratoris facienda, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Johannes de Peblis Scotus concorditer nullo penitus reclamante, in cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

In primis die sabbati proxima[1] sequenti facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione examinatorum determinancium facienda, electi fuerunt magister Johannes de Wesalia pro tunc receptor ejusdem nacionis, magister Henricus de Clivis unacum predicto procuratore, nullo penitus reclamante.

Isti sunt determinantes.

In primis dominus Conrardus de Ghesike determinavit sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII solidi, scuto ad. 12 solidos.

Item dominus Hermannus de Zunnenbergh sub magistro Wiskyno Wenslay, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Henninghus Pamyn, sub eodem magistro Wiskino, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Lambertus de Dordraco[2] sub magistro Johanne de Lovanio, cujus bursa 4 solidi.

Item dominus Gerardus de Suecia sub eodem, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Johannes de Rodde sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Johannes de Aquis sub magistro Jacobo de Olandia, cujus bursa nichil.

Item dominus Bertoldus de Gamundia sub magistro Teodorico de Olandia, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes de Harnhem sub eodem, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes de Waspiic[3] sub eodem, cujus bursa nichil.

Item dominus Arnaldus de Haestelberch sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes de Reymbach sub eodem, cujus bursa nichil.

Item licenciatus fuit sub magistro Johanne de Wesalia in prima audicione apud Sanctam Genovefam dominus Bernardus de Gruninghen, cujus bursa nichil.

Item determinavit dominus Johannes de Havenslo sub magistro Johanne de Lovanio, cujus bursa 4 solidi.

Item dominus Eghelinus Bos sub magistro Henrico de Minda, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Bertoldus de Drispensted sub magistro Jacobo de Olandia, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes Beissel sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII solidi.

Item licenciatus fuit dominus Eghelinus Bos sub magistro Henrico de Minda, cujus bursa 4 solidi.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Aquis sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item dominus Conrardus de Menzenbergh sub magistro Hermanno de Roetwil, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes de Hardewost licenciatus fuit sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Johannes de Minzenbergh determinavit sub magistro Hermanno de Roetwil, cujus bursa nichil.

Item dominus Gobelinus de Kempen determinavit sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa nichil.

Item concessum fuerat in congregacione, quod dominus Tilmannus de Heyk determinaret solutis solvendis, cujus bursa IIII solidi.

Item idem dominus Tilmannus licenciatus fuit apud Sanctam Genovefam sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa 4 solidi.

Item licenciatus fuit et determinavit dominus Theodoricus de Sithart[4] sub magistro Hermanno de Rotwel, cujus bursa IIII solidi.

Item dominus Martinus de Bomel licenciatus fuit sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes de Ubach determinavit sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa nichil.

Item determinavit dominus Theodoricus de Confluencia sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa IIII solidi.

(*Fol. 18*) Anno Domini millesimo trescentesimo quinquagesimo secundo, die veneris[5] ante festum beati Gregorii pape, facta congregacione nacionis

1. 11 *Februarii.*
2. *In margine* Dordracum.
3. *In margine* Waspiic.
4. *Utique* Sittart.
5. 9 *Martii.*

Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione procuratoris facienda, continuatus fuit idem magister Johannes de Peblis Scotus in procuratorem ejusdem nacionis nullo penitus reclamante, in cujus procuratoria acta sunt que secuntur.

In primis incepit dominus Martinus de Bomel sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa nichil.

Item determinavit dominus Henricus Scriptoris de Clivis sub magistro Henrico de Clivis, cujus bursa nichil, quia licencia determinandi concessa fuit in facultate.

Item determinavit dominus Arnaldus de Stokhem sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa nichil.

Item licenciatus fuit et incepit dominus Remboldus dictus Berchua (Berchem?) sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII sol., qui juravit se satisfacturum quam cicius sibi successerit prospera fortuna.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem, concessum erat ab omnibus unanimiter, quod si contingeret rotulum mitti ad curiam Romanam, quod magister Remboldus inscriberetur, dato quod esset absens, dum tamen procurator suus nomine sui satisfaceret nuncio nacionis.

Item licenciatus fuit dominus Theodoricus de Confluencia apud Nostram Dominam sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII solidi.

Item incepit dominus Johannes de Aquis sub eodem, cujus bursa nichil.

Item licenciatus fuit apud Nostram Dominam et incepit dominus Johannes de Rode [1] sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII solidi.

Item licenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus David de Cuiners [2] Scotus, cujus bursa IIII sol.

1352

[Procuratio magistri Henrici de Clivis.]

Anno Domini M° CCC° 52°, die jovis [3] post festum Pasche, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione procuratoris facienda, electus fuit concorditer magister Henricus de Clivis in procuratorem ejusdem nacionis, in cujus procuratorio acta sunt hec que sequuntur.

Primo licentiatus fuit apud Nostram Dominam dominus Conradus de Gesekem sub magistro Henrico de Minda, cujus bursa IIII sol.

1. *Ms. potius* Bode.
2. *Qui infra vocatur* de Coygners, Cugnerys.
3. 12 *Aprilis.*
4. 30 *Aprilis.*

Item licenciatus fuit apud Nostram Dominam dominus Rubertus de Foulis Scotus sub magistro Galtero de Wardelaw, cujus bursa 6 solidi.

Item incepit dominus Conradus de Gesekem sub magistro Henrico de Mynda, cujus bursa IIII solidi.

Anno Domini M° CCC° quinquagesimo secundo, vigilia [4] Philippi et Jacobi facta congregacione nacionis Anglicane super eleccione procuratoris facienda, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis et continuatus magister Henricus de Clivis.

Anno Domini M°CCC°52°, die sancti Germani episcopi [5], facta congregacione nacionis Anglicane super electione procuratoris facienda, continuatus fuit idem magister Henricus de Clivis nullo penitus reclamante, in cujus procuratorio facta sunt hec que sequuntur.

In primis facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem, supplicavit magister Johannes de Wesalia, quod postquam nuncius fuit nacionis Anglicane ad curiam Romanam cum rotulo Universitatis, et multos labores sustinuit et magnas expensas, ut pecunia sibi a nacione missa et data ad curiam eo tempore quo fuit nuncius computaretur et defalcaretur sibi pro regentibus inrotulatis, et non de triginta scutis illis [6] que nacio sibi concessit postmodum graciose. Et concessum fuit sibi concorditer nullo penitus reclamante.

Item eodem tempore concessum fuit magistro Alberto de Saxonia et magistro Wesekino, quod littere ab eis habite et tradite super his que tenebantur nacioni, redderentur eis, et solverent nacioni quanto cicius potuerit expedite.

Item incepit dominus Reymarus de Brula sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa IIII sol.

Item incepit dominus Harmannus Civis de Swevia sub magistro Hermanno de Rotwiel, cujus bursa nichil.

1352

[Procuratio magistri Hermanni de Rotwil.]

(*Fol. 18* b) Anno Domini 1352, die dominica in festo beati Johannis Baptiste [7], facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum super electione procuratoris facienda, electus fuit in pro-

5. 28 *Maii.*
6. *Vid. supra*, p. 146, 15.
7. 24 *Junii.*

curatorem ejusdem nacionis magister Hermannus de Rotwil, nullo penitus reclamante.

In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

In primis incepit dominus Tilmannus de Heyk sub magistro Johanne de Vesalia, cujus bursa IIII sol.

Item incepit dominus David de Cuiners Scotus sub magistro Galthero de Wardelawe Scoto, cujus bursa IIII solidi.

Item facta congregacione nacionis ejusdem in die beati Bartholomei [1] apud Sanctum Maturinum convocatisque omnibus et singulis magistris, supplicavit magister Johannes de Peblis Scotus, ut burse per eum predicte nacioni debite, quas propter defectum pecunie nullo modo solvere potuerat, remitterentur. Et concessum fuit concorditer per omnes magistros nullo penitus reclamante, hoc excepto quod salarium pedellorum expediret.

Item eadem die et hora, scilicet in nonis Nostre Domine, facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad audiendum compotum receptoris, computavit magister Johannes de Vesalia pro tunc receptor ejusdem nacionis, quod omnibus receptis et expositis per eum hinc inde computatis nacio remansit sibi obligata in duobus scutis, sed omnia alia debita, quibus nacio tenebatur, plene fuerunt expedita, ita quod in nullis debitis remansit. Computavit etiam prefatus magister Johannes de Vesalia sextam bursam nacioni, que si peteretur, nacio ipsam teneretur solvere.

Anno Domini 1352, die lune [2] post festum beati Bartholomei proxima, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione procuratoris facienda, continuatus fuit idem magister Hermannus de Rotwil in procuratorem ejusdem nacionis nullo penitus reclamante, in cujus procuratoria facta sunt que sequuntur.

1352

[Procuratio magistri Gerhardi de Dulmen.]

Anno Domini M.CCC.LII°, xxiiij^a die Octobris, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super electione procuratoris, electus fuit in procuratorem magister Gerhardus [de] Dulmen de Pruzia ejusdem nacionis, nullo reclamante. In cujus procuratoria facta sunt que sequuntur.

Primo computavit antiquus rector Universitatis, et fuit suus compotus in facultate approbatus.

Item facultas dedit magistro Wiskino rectori Universitatis unum determinantem, et iiii^or determinantes magistris presentibus iiii^or nacionum, solutis solvendis, presentibus magistris nacionis nostre, domino rectore, procuratore, magistro Alberto, magistro Hermanno [de] Rotwoil.

Item in vigilia [3] Katherine dictus magister Gerhardus continuatus fuit in procuratorem, congregacione facta nacionis apud Sanctum Julianum, in cujus procuratoria facta sunt que sequntur.

Primo supplicavit dominus Eghelinus Bos quatenus traderentur ei burse, quas pro incepcione solvere deberet super festum Johannis Baptiste, quas promisit solvere per fidem et juramentum suum infra hinc et terminum antedictum. Quam supplicacionem magistri nacionis concesserunt.

Item supplicavit magister Wiskinus rector Universitatis, quatenus darentur ei V scuta de prima pecunia nacionis, quod etiam concessum fuit sine omni contradictione.

(*Fol. 19*) [4] Postea dominus Eghelinus Bos incepit sub magistro Hinrico de Mynda, cujus bursa VIII solidi.

Deinde dominus Gerhardus de Molendino incepit sub eodem magistro Hinrico de Mynda, cujus bursa VIII solidi.

Item in vigilia [5] Lucie congregacione facta magistrorum nacionis per juramenta singulorum apud Sanctum Julianum, dederunt magistri singuli magistro Viskino V scuta ad V alia priora sibi data, et hec nunctio nacionis, bedello et rotulo Universitatis prius totaliter expeditis.

Item [6] statuerunt magistri inviolabiliter observari, quod in rotulo transmittendo ad curiam primo ponerentur magistri actu existentes Parisius secundum sue etatis ordinem a seniore incipiendo usque ad juniorem; deinde qui supervenirent omnibus presentibus postponerentur. Presentes pro tunc fuerunt Parisius magister Galterus de Wardelav, magister Johannes de Wesalia, magister Gerhardus de Pruzia, magister Johannes [de] Helmestat, magister Hinricus de Mynda, magister Mathias de Swecia, magister Wis-

1. 24 *Augusti.*
2. 27 *Augusti.*
3. 24 *Novembris.*
4. *In margine alio charactere add.* : Deinde incepit.
5. 12 *Decembris.*
6. *In margine alio charactere* : Statutum de rotulo.

kinus, magister Albertus de Helmestat, magister Johannes de Lovonio, magister Johannes Scotus, magister David Scotus, magister Hinricus de Clivis, magister Hermannus [de] Rotwil, magister Johannes de Aquis, magister Tylemannus, magister Egghelinus, magister Gerhardus de Molendino, magister Thomas Scotus, magister Johannes de Mynda.

Postea incepit dominus Thomas de Harkars[1] sub magistro Galtero de Wardelav Scoto, cujus bursa XV solidi.

Item incepit dominus Theodericus de Confluencia sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa XII solidi.

Item incepit dominus Theodericus de Sitthert sub eodem, cujus bursa VIII solidi.

Item congregacione facta apud Sanctum Maturinum super eleccione nuncii Universitatis et componencium rotulum, electi fuerunt magistri compositores rotuli magister Johannes de Wesalia, magister Hinricus de Mynda, magister Johannes de Lowonio, magister Albertus et magister Johannes Scotus.

Anno Domini M°.CCC°.LII°, die sabati[2] proxima ante festum Nativitatis Christi, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum super eleccione procuratoris, magister Gerhardus [de] Dulmen de Pruzia continuatus fuit in procuratorem nullo penitus reclamante, in cujus procuratoria facta sunt que sequuntur.

Primo electus fuit concorditer in nuncium Universitatis ex parte nacionis magister Hinricus de Mynda, cui quilibet magister rotulo Universitatis insertus tradidit pro presenti II scuta.

Item incepit dominus Adolphus de Angermont sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa 4 solidi.

Item incepit dominus Johannes Hardewost, dictus de Bothen, sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa XII solidi.

Item concessit nacio magistro Adolpho quod posset solvere bursas suas pro incepcione sua a festo Pasche usque ad annum inclusive, excepta bursa que debet refundi rectori et sallario bedellorum.

Item incepit dominus Wilhelmus Zwrmont sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa VIII sol.

Item incepit dominus Gerardus Leo sub eodem, cujus bursa nichil.

1353

[Procuratio magistri David de Coygners.]

Anno Domini M°.CCC^{mo}. quinquagesimo secundo, die XVIII mensis Januarii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super electione procuratoris, ibidem electus fuit concorditer in procuratorem ejusdem nacionis magister David de Coygners Scotus, in cujus procuratoria gesta sunt hec que sequuntur.

In primis magister Wyskynus, nuper ante rector ultimus, eodem dicto XVIII die reddidit compotum suum super omnibus et singulis tempore rectorie receptis et expensis, et satisfecit ex toto facultati.

Item eodem die facta congregacione nacionis ibidem, concessa fuit una littera sub sigillo nacionis dirigenda domino cardinali de Capuccio[3] pro magistro Bernardo Alamanno, eo quod non prevenit rotulum, et cavit michi, presentibus magistris qui interfuerunt sigillationi et bedellis, quod si littera consequatur effectum, gratificabit nuncium.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, XX° die dicti mensis, supplicavit nacioni magister Bertoldus Alamannus pro consimili littera dicto cardinali, et concessa fuit. Cavit ut supra pro nuntio.

Item XXVII die dicti mensis apud Sanctum Maturinum post congregacionem generalem ibidem tentam facta congregacione nacionis super eleccione examinatorum determinancium nacionis nostre, electi fuerunt assensu unanimi magistrorum omnium, qui interfuerunt, magister Wyskinus, magister Albertus una cum prefato procuratore.

(*Fol. 19*^{b})[4] Anno Domini millesimo CCC^{mo} quinquagesimo tercio.

Item X die mensis Februarii facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum super eleccione examinatorum in examine Sancte Genovephe pro anno presenti, electus concorditer magister Hermannus de Rotwyl.

Item XIII die Februarii apud Sanctum Maturinum post audicionem litterarum destinatarum Universitati a nunciis de Avinione, facta ibidem congregacione nacionis, supplicavit magister Albertus pro una littera sub sigillo nacionis dirigenda domino cardinali Autisiodorensi[5], ut provideat eidem magistro

1. *Inter lineas add.* Scotus.
2. 22 *Decembris.*
3. Nicoloo Capocci, *card. S. Vitalis ab an.* 1350, 17 *Decemb., qui antea fuit episc. Urgellens.*
4. *In margine superiori legitur* Emanuel. — *Verba* Anno... tertio *deleta sunt.*
5. Petro de Croso, *qui fuit provisor Sorbonae. Vid. de ipso in* Chartul., II, 556, *not.* 2.

Alberto quod possit recipi tanquam socius in domo Sorbone. Et concessum fuit unanimiter nemine reclamante.

Item XVI die mensis Februarii in congregacione nacionis apud Sanctum Julianum, continuatus est magister David in procuratorem unanimi concensu omnium magistrorum.

Isti sunt determinantes.

Primo dominus Alexander de Karonna Scotus, cujus bursa VIII solidi.

Item dominus Johannes de Karonna, frater ejusdem, cujus bursa VIII solidi.

Item dominus Symon Scotus, cujus eciam bursa VIII solidi.

} Omnes tres sub magistro Waltero de Wardlaw Scoto.

Item dominus Arnoldus de Composit[el], cujus bursa XII solidi, determinans [1] reputatus, sub magistro Johanne de Vaselya.

Item dominus Johannes de Katthone reputatus et a nacione approbatus determinans, cujus bursa nichil, nichil, id est ditabitur Deo volente.

Item facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem XVI die Februarii super eleccione procuratoris, vocatis vocandis, in congregacione omnium magistrorum nacionis comparencium unanimi consensu continuatus fuit magister David de Cugnerys antedictus.

In cujus procur[atoria] acta sunt que sequuntur.

Primo in congregacione facultatis apud Sanctum Julianum pauperem concessa est nacioni cuilibet unus bachellarius in examine Sancte Jenovephe, et licet procuratores aliarum nacionum habuerint pro se medietatem cujuslibet sic expediti, partem tamen talem nacioni renuncio, et parciali porcione contentor per hoc scriptum [2].

1353

[Procuratio magistri Tilmanni de Eyke.]

(*Fol. 20*) Anno Domini millesimo CCC^{mo} quinquagesimo tercio, die sextadecima mensis Marcii, videlicet in vigilia Palmarum, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione procuratoris facienda, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Tilmannus de Eyke Almannus concorditer, nullo penitus reclamante. In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

In proxima die sequente, videlicet die Palmarum, juravit procuratori predicto et die lune licenciatus fuit apud Sanctam Genovefam in prima audicione dominus Johannes de Caron Scotus sub magistro Galtero de Wardelau Scoto, cujus bursa VIII solidi.

Item facta congregacione nacionis ejusdem apud Sanctum Julianum in die sancti Ambrosii [3] convocatisque omnibus et singulis magistris, supplicaverunt domini Bertoldus de Camundia et Johannes de Calchoven, ut burse eorum dicte nacioni ex parte licencie eorum debite, quas propter defectum pecunie nullo modo solvere potuerant, remitterentur. Et concessum fuit eis nullo penitus reclamante, hoc excepto quod bedellis satisfacerent.

Item ibidem eodem tempore supplicavit dictus dominus Bertoldus de Camundia ut burse pro incepcione in artibus sibi remitterentur, et similiter concessum fuit nullo penitus reclamante, similiter excluso precio bedellorum.

Item die sequente [4] dicti Bertoldus de Camundia et Johannes de Calchoven fuerunt apud Sanctam Genofevam licenciati in secunda audicione, quorum bursa nichil.

Item licenciatus fuit similiter in secunda audicione apud Sanctam Genofevam dominus Arnoldus de Conpostel, cujus bursa XII solidi.

Item in eadem audicione licenciatus fuit dominus Alexander de Caron Scotus, cujus bursa VIII solidi.

Item die lune [5] post diem beati Ambrosii, incepit dominus Bertoldus de Camundia sub magistro Hermanno de Rotwil, cujus bursa nichil, nichil.

1353

[Procuratio magistri Eglinghi Bos.]

Anno Domini 1353 currente, 13^{a} die Aprilis, scilicet in vigilia [6] sancti Tiburtii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem et omnium magistrorum sigillatim, electus fuit concorditer nullo penitus reclamante magister Eglinghus Bos de Brûnswich, clericus Hildensiemmensis dyocesis, in procuratorem dicte nacionis, in cujus procuratoria facta sunt hec que sequuntur.

1. *Ms. potius* determinatus.
2. *Id ultimum verbum, coopertum atramento, pro certo dare non possumus.*
3. 4 *Aprilis.*
4. 5 *Aprilis.*
5. 8 *Aprilis.*
6. 13 *Aprilis.*

Primo, proxima die sequenti congregacione facta ejusdem nacionis ad audiendum compotum magistri Johannis de Wesalia tunc receptore predicte nacionis, defalcatis expositis a receptis et omnibus computatis, remansit dictus magister Johannes predicte nacioni in 62 solidis obligatus, excepto quod 5 scuta exposuerat pro scriptura et ordinacione rotuli, de quibus sibi dixit non fuisse satisfactum per ordinatores rotuli, quorum aliqui pecuniam adhuc retinuerant ex parte inrotulandorum recepta, similiter remansit precium scolarum solvendum et procuracio luminarium sancte Marie, et etiam sexta bursa erat exposita et computata pro nacione.

Item facta congregacione omnium magistrorum dicte nacionis apud Sanctum Maturinum super eleccione receptoris, electus fuit concorditer nullo reclamante in receptorem dicte nacionis magister Wissekinus Venslai.

1353

(*Fol. 20* [b]) Thomas de Harkars.

Anno Domini millessimo CCC^{mo} quinquagesimo tercio, undecima die mensis Maii, videlicet in vigilia Pentecostes, facta fuit congregatio nationis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem. In qua congregatione magistris presentibus et sigillatim et consencientibus, electus fuit concorditer nullo penitus contradicente magister Thomas de Harkars, Sancti Andree dyocesis, in procuratorem predicte nacionis, in cujus procuratoria facta sunt hec.

Dominus [1] Hinricus de Kempen determinavit sub magistro Hinrico de Clivis, cujus bursa 7 solidi.

Item Johannes [de] Sanctis sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa 8 solidi.

1353

[Johannes dictus Resdail.]

Anno Domini M°.CCC°.LIII, octava die mensis Julii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione procuratoris facienda, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Johannes dictus Resdail de Aquis concorditer nullo magistrorum penitus contradicente. In cujus procuratoria acta sunt hec que sequuntur.

Anno Domini M°.CCC°.LIII, in die beate Margarete virginis [2], facta congregacione facultatis apud Sanctum Julianum pauperem, computavit antiquus rector et fuit compotus suus ab omnibus approbatus, et concessus fuit domino rectori pro tunc existenti unus determinans solutis solvendis, et cuilibet procuratori cujuslibet nacionis unus. Rector pro tunc erat magister Albertus de Saxonia.

Item anno Domini 1353, octava die mensis Augusti, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, supplicavit magister Heinricus de Minda, quod viginti octo floreni, quos predicta nacio sibi promiserat quando electus fuerat in nuncium nationis, darentur sive solverentur de prima pecunia veniente nacioni, et concessum fuit sibi nullo magistrorum penitus contradicente; addito tamen isto quod debita nacionis pro tunc prius fuissent soluta vel solvi deberent.

1353

[Themo Judeus.]

Anno Domini 1353, die 26 mensis Augusti, facta congregacione magistrorum nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione procuratoris facienda, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Themo Judeus clericus civitatis Monasteriensis concorditer, nullo magistrorum penitus contradicente. In cujus procuratoria acta sunt illa que sequuntur.

1353

[Theodricus de Havert.]

Anno Domini M°.CCC^{mo} quinquagesimo tercio, mense Septembris die vicesima tertia, facta congregacione magistrorum nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione procuratoris facienda, electus fuit concorditer nullo magistrorum penitus contradicente magister Theodricus de Havert, alias vocatus de Sittert, in procuratorem ejusdem nacionis, in cujus procuratoria acta sunt hec que sequuntur.

1353

[Bero de Swecia.]

Anno Domini M°.CCC°.L tertio, in octava [3] Martini, electus fuit magister Bero de Swecia in procu-

1. *Quae sequuntur usque ad sequentem procuratorem alio charactere.*

2. 20 *Julii.*

3. 18 *Novembris.*

ratorem nacionis Anglicane, in cujus procuratoria inceptum est litigium per Universitatem contra prepositum Parisiensem[1] super atemptatis contra privilegia et pluribus injuriis magistris et scolaribus per ipsum irrogatis.

Et determinavit[2] Bernardus de Dacia sub magistro Wesekino.

1353

[Eglingus Bos.]

Anno Domini 1353, mensis Decembris die 16ª, facta congregacione magistrorum nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum super eleccione procuratoris, electus fuit concorditer in procuratorem dicte nacionis magister Eglinghus Bos, clericus Hildensemensis dyocesis, nullo penitus reclamante, in cujus procuratoria acta sunt que sequuntur etc.

Primo concessum fuit magistro Johanni de Lovanio in congregacione nacionis ut pro uno bachalario, quem a nacione habere debebat, unum haberet determinantem.

1354

(*Fol. 21*) Johannes de Aquis.

Anno Domini M°.CCC°.LIIII, octava[3] Epiphanie Domini, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum super eleccione procuratoris facienda, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Johannes dictus Resdail de Aquis concorditer, nullo magistrorum penitus reclamante. In cujus procuratoria facta sunt hec [que] sequuntur.

Item facta congregacione magistrorum nacionis predicte in die Agnetis virginis[4] apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione examinancium apud Sanctam Genofefam facienda, electus fuit magister Wiskinus nullo magistrorum penitus reclamante.

Item facta congregacione generali apud Sanctum Maturinum in die Brisce virginis[5] super missione et sigillacione littere, quam Universitas debebat mittere regi Navarre super responsione supplicacionis, quam Universitas debuit facere coram rege Francie super interfectione constabularii[6] ejusdem regis Francie, deliberaverunt omnes facultates quod placeret eis sigillacio et missio, dummodo hoc vocabulum « rector » deponeretur[7]. Et in isto facultas teologorum et decretistarum concordabat, sed alie due de opposito. Item eadem die facta congregacione facultatis arcium ibidem super posicione hujus vocabuli « rectoris » in predicta littera, deliberatum fuit a 4or procuratoribus concorditer quod nunquam sigillaretur predicta littera, quin predictum verbum apponeretur. Item facta congregacione in die sequenti facultatis arcium apud Sanctam Genofefam hora vesperarum super predicta sigillacione littere regi Navarre mittende et de preposicione hujus vocabuli « rector », deliberatum fuit concorditer quod sigillaretur eodem vespere et cum apposicione hujus vocabuli « rector ». Et ita factum fuit. Et propter absenciam medicorum fuit eorum sera de parva cista fracta.

Item juravit dominus Conradus quondam Thome dicti Ranspuic de Aquis qui reputatus fuit actu determinans magistri Johannis de Wesalia, cujus bursa VIII sol., et suas bursas predictus magister Johannes computavit nacioni me presente, magistro Engelino pro tunc procuratore nacionis existente.

Item anno Domini M°.CCC°LIIII, facta congregacione facultatis apud Sanctum Julianum pauperem super computacione antiqui rectoris facienda, computavit predictus, rector et fuit compotus ejus ab omnibus approbatus.

1354

[Englingus Bos.]

Anno Domini 1354, mensis Februarii die 10ª, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione procuratoris facienda, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Eglinghus Bos de Brunswich, clericus Hildensummensis dyocesis, in cujus procuratoria facta sunt hec que sequuntur.

Primo licenciatus fuit dominus Hinricus de Kempen sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa 4 solidi cum dimidio.

Item dominus Johannes Beyssel sub magistro Johanne de Wesalia fuit licenciatus, cujus bursa VI solidi.

Item dominus Bernardus Vreden de Dacia Ottoniensis dyocesis licenciatus fuit sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa VI solidi.

1. Alexandrum de Crevecœur.
2. *Verba quae sequuntur deleta sunt.*
3. 13 *Januarii.*
4. 21 *Januarii.*
5. 18 *Januarii.*
6. Caroli de la Cerda, comitis Montisfortis. *Vid. de hoc facto* Les Grand. Chroniques de France, *ed. P. Paris*, VI, 7 sqq.
7. *I. e. facultatibus theologorum et decretorum non placuit inscriptio* : Nos rector et Universitas magistrorum, *etc. Vid.* Chartul., *ad an.* 1347, n° 1143, *et infra ad an.* 1359.

Item licenciatus fuit dominus Gobelinus de Kempen sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa nichil.

Item licenciatus fuit dominus Wilhelmus de Cheshelme[1] sub magistro Galtero de Wardelaw, cujus bursa V sol.

Item facta congregatione nacionis apud Sanctum Maturinum in die sancti Petri[2], electi fuerunt in examinatores determinancium illius anni magister Wyskinus, magister Johannes de Aquis una cum procuratore tunc temporis.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, placuit nacioni ut determinantes illius anni qui juramento vel testimonio docerent sufficienter se in presenti non habere peccuniam, obligarent receptori bona pignora, quibus nacio de predicta peccunia, quando indiguerit, posset se munire.

Isti sunt determinantes istius anni.

Primo determinavit dominus Johannes de Velstede sub magistro Eglingho dicto Bos, cujus bursa 5 sol.

Item dominus Thomas Kolarst sub magistro Themone Judei, cujus bursa 5 solidi.

Item dominus Nicolaus Hemminghi de Dacia sub magistro Themone Judei, cujus bursa 5 solidi.

Item dominus Otto Punt de Daventria sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa 5 solidi.

Item dominus Arnoldus de Essendia dictus Aldendorp sub magistro Themone Judei, cujus bursa nichil.

Item dominus Arnoldus de Clivis dictus Coci magistro Eadmundo Oxoniis respondit questioni, quam responsionem magistri nacionis sue, scilicet Anglicane, Parisius approbaverunt, qui et residuum actuum determinacionis sue de consensu nacionis complevit Parisius sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa 6 solidi.

Item dominus Robertus Monipeni Scotus sub magistro Galtero de Wardelaw, cujus bursa 4 solidi cum dimidio.

Item dominus Wishelmus de Cheshelme[3] sub magistro Galtero de Wardelaw, cujus bursa 5 sol.

Item dominus Wilhelmus de Dalghernoch sub magistro Galtero de Wardelaw, cujus bursa 5 sol.

Item dominus Johannes Wilhelmi[4] sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa 5 solidi.

Item dominus Johannes Uter Spiic sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa 5 solidi.

(*Fol. 21* b) Item determinavit dominus Johannes de Bohemia sub magistro Hermanno de Rotwil, cujus bursa nichil.

Item determinavit sub eodem magistro Hermanno dominus Conradus de Rotwil, cujus bursa nichil.

Item determinavit dominus Mathias de Lincze sub magistro Johanne de Aquis, cujus bursa nichil.

Item dominus Nycolaus de Almenkerken[5] sub eodem, cujus bursa nichil.

Item dominus Gherardus de Ratinghen sub magistro Themone Judeo, cujus bursa nichil.

Item dominus Henricus de Almenkerken[5] sub magistro Johannes de Aquis, cujus bursa 4 sol.

Item determinavit dominus Adolphus de Werda sub magistro Themone Judei, cujus bursa 3 solidi cum dimidio.

Item determinavit dominus Henricus de Goch sub magistro Johanne de Aquis, cujus bursa 4 sol.

Item determinavit dominus Jacobus de Goch sub eodem magistro Johanne de Aquis, cujus bursa 4 s.

Item determinavit dominus Johannes de Sittart sub magfstro Alberto de Saxonia cujus bursa nichil, sed juravit quod si infra unum annum unquam habere posset, solveret nacioni.

Item dominus Conradus de Goch sub magistro Johanne de Aquis, cujus bursa nichil.

Item dominus Ernestus de Wulven sub magistro Johanne de Lovanio, cujus bursa nichil.

Item dominus Bertoldus apotecarius de Stetin sub magistro Wiskino Venslai, cujus bursa 4 sol.

Item dominus Hermannus Consul sub magistro Wyskino Venslai, cujus bursa 4 solidi.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Vastrardi de Waspiic[6] sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa nichil.

Item facta congregacione nacionis ad supplicandum apud Sanctum Maturinum, supplicavit dominus Johannes de Constancia pro induciis bursarum, quas deberet pro incepcione, cui concesse fuerunt inducie a festo Pasche proximo ad proximum Pascha sequens, qui juravit in presencia nacionis ibidem, quod infra tempus illud bursas illas solveret, nec ante prius a Parisius recederet, nisi satisfecerit prius receptori nacionis de bursis cum prompta peccunia vel pigneribus.

1. *Sed infra, lin. 41, ut determinans affertur.*
2. *In cathedra, 22 Februarii.*
3. *Ms.* thesbelme.
4. *In margine* Trajectum superius.
5. *Repetitur ea vox in margine.*
6. *Id nomen repetitur in margine.*

1354

[Eglinghus Bos.]

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum super eleccione procuratoris facienda die 10ª mensis Marcii, electus fuit in procuratorem nacionis et continuatus concorditer magister Eglinghus Bos de Brunswich, cujus procuracionis acta sunt que sequuntur.

Primo licenciatus fuit dominus Nicolaus Hemminghi de Dacia, Lundensis dyocesis, sub magistro Berone, cujus bursa 5 solidi.

Item incepit dominus Johannes de Kalchofen sub magistro Hermanno de Rotwil, cujus bursa 5 solidi. Satisfecit ut predicitur.

Item licenciatus fuit dominus Lambertus de Dordraco sub magistro Johanne de Lovanio, cujus bursa 6 solidi.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Xantis sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa V s.

Item licenciatus fuit dominus Hermannus de Monte Solis sub magistro Wiskino, cujus bursa 5 solidi.

Item licenciatus fuit dominus Otto Punt sub magistro Themone Judei, cujus bursa 5 solidi.

Item incepit dominus Hermannus de Monte Solis sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa 5 sol.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Wyk sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa 5 solidi.

Item dominus Thomas Kolarst sub magistro Themone Judei, cujus bursa 5 solidi.

Item dominus Arnoldus Coci sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa 5 solidi.

Item dominus Hinricus de Almenkerken [1] sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes Wilhelmi [2] sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa 5 solidi.

1354

Hermannus de Monte Solis de Bruneswich.

Anno Domini M°.CCC°.LIIII°, die septima mensis Aprilis, facta congregacione magistrorum nacionis Anglicanae apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione procuratoris facienda, electus fuit concorditer nullo magistrorum penitus contradicente magister Hermannus de Monte Solis sive de Sunnenberghe, quod idem est, de civitate Brnůswich, clericus Hildensemensis diocesis, in procuratorem nacionis ejusdem. In cujus procuratoria facta fuerunt hec que sequuntur.

Primo, die sabati [3] proxima post festum Pasche facta congregacione omnium magistrorum nacionis Anglicanae apud Sanctum Julianum, supplicavit magister Galterus de Wardelaw, quod nacio prorogaret domino Wilhelmo de Cheshelme [4] terminum de solucione bursarum, quas deberet pro licentia, quam supplicacionem concessit sibi nacio, positis tamen apud receptorem nacionis pignoribus competentibus pro eisdem, quibus nacio de predicta pecunia quando indiguerit posset se munire.

Item eodem die sabati solvit magister Bero de Swecia unum florenum pro procuratoria.

Item magister Johannes de Kalchofen solvit unum florenum pro principio magisterii.

Et ego magister Hermannus de Monte Solis, pro tunc procurator nacionis, solvi duos florenos, unum pro principio magisterii, reliquum vero pro procuratoria, de qua pecunia fecimus unum prandium omnibus magistris nacionis Anglicane, et erat convivium ad palacium *in Terminis* [5].

Item supplicavit magister [Johannes] de Aquis pro solucione unius libre denariorum parisiens. in qua nacio sibi tenetur, et fuit sibi concessum, dum tamen alia in quibus nacio tenetur, essent prius persoluta. Solutum est sibi totaliter.

(*Fol.* 22) Item incepit dominus Hinricus de Kempen sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Johannes de Zanctis sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa quinque s.

Item incepit dominus Arnoldus Coci de Clivis sub magistro Johanne de Wesalia, cujus bursa 5 sol.

Item incepit dominus Gobelinus de Kempen sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa nichil.

Item incepit dominus Hinricus de Almenkerken sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa nichil. Juraverunt tamen dominus Gobelinus ac dominus Hinricus quod quam cito ipsos tantum habere contingeret, quod solvere possent, vellent libenter satisfacere nacioni.

Item licenciatus fuit dominus Wilhelmus de Dalghernoch sub magistro Galtero de Wardelaw cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Fine sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa V sol.

1. *Repetitur nomen in margine.*
2. *In margine* Trajectum superius.
3. 19 *Aprilis.*
4. *An.* 1363 *tantum incepit.*
5. *Seu potius* in Termis

Item licenciatus fuit dominus Symon Scotus sub magistro Galtero de Wardelaw, cujus bursa VI sol.

Item facta congregacione nacionis die dominica[1] ante festum Philippi et Jacobi apud Sanctum Maturinum, supplicaverunt magister Hinricus de Kempen, magister Johannes de Zanctis et magister Arnoldus Coci de Clivis pro induciis pecunie, quam deberent nacioni, pro qua bona pignora nacioni fuerunt obligata, quibus concesse fuerunt inducie usque ad festum sancti Michahelis proxime affuturum, qui et promiserunt in presencia nacionis ibidem quod nunquam pro remissione illius pecunie nacioni vellent supplicare.

Item ibidem eodem tempore supplicavit magister Gobelinus de Kempen, ut burse quas deberet pro incepcione in artibus sibi remitterentur, et concessum fuit sibi nullo penitus reclamante.

Item eodem tempore solvit magister Hinricus de Kempen unum florenum, magister Johannes de Zanctis unum florenum, magister Arnoldus Coci de Clivis unum florenum pro principio magisterii ipsorum, de qua pecunia factum fuit unum convivium magistris nacionis Anglicane in domo ubi supra[2].

Item die quinta mensis May in profesto sancti Johannis ante Portam latinam, facta congregacione magistrorum nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione procuratoris facienda, electus fuit in procuratorem nacionis ejusdem et continuatus concorditer nullo magistrorum penitus contradicente magister Hermannus de Monte Solis de Brunswich, Hildensemensis diocesis. In cujus procuratoria facta fuerunt hec que subsequuntur.

Primo, die eadem facta congregacione facultatis apud Sanctum Julianum pauperem super computacione antiqui rectoris facienda, computavit predictus rector, et fuit compotus ejus ab omnibus magistris approbatus. Item ibidem concessus fuit rectori pro tunc unus determinans de nacione sua, solutis solvendis.

Item die nona mensis ejusdem facta congregacione nacionis ad supplicandum apud Sanctum Julianum pauperem, supplicavit dominus Otto Punt pro remissione omnium bursarum vel saltem aliquarum, quas deberet nacioni pro determinacione, licencia et magisterio; quod si nacio facere non vellet, supplicavit idem pro induciis bursarum earundem. Cui concesse fuerunt inducie, dum tamen pro bursis illis, quas deberet, pignora traderet receptori.

Item[3] supplicavit dominus Nicolaus Hemminghi de Dacia pro induciis pecunie, quam deberet nacioni, pro qua sua obligavit pignora receptori cui nichil erat concessum.

Item facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum pro adhibendo remedium, ne divites scolares nacionis ejusdem de remissione bursarum suarum per graciam pauperum scolarium se juvarent, deliberatum fuit concorditer a magistris dicte nacionis, ut ad hoc malum amovendum per nacionem unum statutum fieret, per quod ea que in prejudicium dicte nacionis cederent, tollerentur.

Item in vigilia[4] Ascensionis Domini facta congregacione magistrorum nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione magistrorum, qui supradictum statutum ordinarent, electi fuerunt ordinatores statuti magister Johannes de Lovanio, magister Hinricus de Clivis, magister Wiskinus Wenslay, magister Albertus de Saxonia, magister Johannes de Aquis, una cum procuratore nacionis ejusdem.

Item incepit dominus Otto Punt sub magistro Themone Judei, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Thomas Kolarst sub magistro Themone Judei, cujus bursa VII solidi.

1354

[Hermannus de Rotwil.]

Anno Domini 1354, die secunda mensis Junii, facta congregacione magistrorum nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione procuratoris facienda, electus fuit concorditer nullo magistrorum penitus reclamante magister Hermannus de Rotwil, dyocesis Constanciensis, in procuratorem. In cujus procuratoria facta sunt hec que sequuntur.

Primo, die mensis Junii predicta, supplicavit dominus Otto Punt de Daventria pro remissione bursarum, in quibus dicte nacioni fuerat obligatus, et facta fuit sibi gracia sic, quod nacio contenta fuit de duobus florenis, quos ipse tunc nacioni obtulit.

Item incepit dominus Bernhardus Vreden de Dacia, Ottoniensis dyocesis, sub magistro Wiczkino, cujus bursa 8 solidi.

Item incepit dominus Willelmus Scotus de Dalghernoch, cujus bursa 6 solidi.

Item dominus Robertus de Fouls Scotus, cujus bursa 6 solidi.

1. 27 *Aprilis.*
2. Ad palatium de Termis.
3. *Quae sequuntur cancellata sunt.*
4. 21 *Maii.*

Item Symon de Kettenis Scotus, cujus bursa 6 s.

Omnes isti 3 sub magistro Galtero de Wardelaw.

Item incepit dominus Johannes de Fine junior sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa 6 sol.

Item die 22ª mensis Julii facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum super compoto receptoris audiendo, computavit magister Wiczkinus, pro tunc dicte nacionis receptor, et computatis omnibus tam expositis quam receptis remansit obligatus nacioni in 40 scutis, de quibus solvere debet pedellis et beate Marie.

Item incepit dominus Arnoldus Conpistel, dyocesis Trajectensis, sub magistro Hinrico de Clivis, cujus bursa 8 solidi, scuto valente 26 solidos.

Item incepit dominus Johannes Beissel de Aquis sub magistro Johanne de Aquis, cujus bursa 8 sol., floreno valente 26 solidos.

Item incepit dominus Johannes de Waspiic [1] sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa nichil, qui idem facta congregacione ad Sanctum Julianum pauperem supplicavit pro remissione bursarum, quod sibi concedebatur concorditer.

1354

[Bernardus Vreden.]

(*Fol.* 23) Anno Domini 1354, die 21ª mensis Octobris, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione procuratoris facienda, electus fuit concorditer nullo magistrorum penitus reclamante magister Bernardus Frethe de Dacia, Ottoniensis dyocesis, in procuratorem nacionis ejusdem. In cujus procuratoria facta sunt hec que sequuntur.

Primo, facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum die mercurii [2] post [festum] undecim milium virginum, computavit magister Wiczikinus, pro tunc receptor nacionis, et computatis omnibus tam expositis quam receptis remansit obligatus nacioni 24 scuta, pedellis solutis, parte Nostre Domine non soluta, sed remanente cum pecunia nacionis, et tunc ipse receptor posuit ad cistam nacionis duos libros ex parte Arnoldi Coci de Clivis pro 5 scutis cum dimidio, et 3 solidis cum dimidio, scuto valente 15 solidos. Item unum librum ex parte magistri Wilhelmi Dalgarnoch pro tribus scutis.

Item incepit dominus Bricius Kere, Scotus, sub magistro Galtero Scoto, cujus bursa VIII solidi, scuto valente XXXVIII solidos.

1354

[Simon de Ketenys.]

(*Fol.* 23ᵇ) Anno Domini M° CCC° quinquagesimo 4°, decima octava die mensis Novembris, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione procuratoris facienda, electus fuit concorditer nullo magistrorum penitus reclamante magister Symon de Ketenys Scotus, Sancti Andree diocesis, in procuratorem nacionis ejusdem, in cujus procuratoria facta sunt hec que secuntur.

Primo, eadem die dedit nacio magistro Johanni de Fine scutum cum quinta pro suplemento expensarum suarum.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum vicessima nona die mensis Novembris computavit magister Wiscinus, pro tunc receptor, ita quod omnibus computatis tenebatur nacioni in XX scutis. Hec sunt que facta fuerunt.

1355

[Henricus de Kempen.]

Anno Domini M° CCC° quinquagesimo quinto, tredecima die Januarii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Matulinum super eleccione procuratoris facienda, electus fuit concorditer nullo magistrorum penitus reclamante magister Henricus de Kempen Almannus, Coloniensis dyocesis, in procuratorem nacionis ejusdem. In cujus procuratoria facta sunt hec que sequuntur.

Primo facta congregacione nacionis ad Sanctum Maturinum die vicessima sexta [3] mensis Januarii, computavit magister Wiskinus, pro tunc receptor, ita quod pro omnibus computatis tenebatur nacioni XVI scuta cum tribus solidis, etc.

1355

[Johannes de Peblis.]

(*Fol.* 24) Anno Domini millesimo CCC^{mo}.LIIII°, decima die mensis Februarii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super electione procuratoris facienda, electus fuit in

1. *In margine* Waspiic citra Mosam.
2. 22 *Octobris.*
3. *Prima manu* nona.

procuratorem ejusdem nacionis nullo penitus reclamante magister Johannes de Peblis Scotus. In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

In primis facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem, electi fuerunt examinatores determinancium magister Eghelinus Bos, magister Thomas Kolarst de Bruniswyk una cum dicto procuratore, nullo penitus reclamante.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad ordinandum, dispensandum et ad supplicandum, ordinatum fuit in favorem determinancium de consensu omnium magistrorum, quod determinaturus impotens satisfacere de bursis suis pro presenti, prestito juramento receptori quod pro nunc est impotens, poneret pignera sufficiencia apud receptorem, que si non redimeret infra festum Pentecostes, liceret nacioni vendere aut alio modo alienare predicta pignera, nullo privilegio aut statuto obstante in contrarium.

Isti sunt determinantes.

Primo Johannes [de] Wantisberg sub magistro Alberto, cujus bursa 5 solidi, scuto valente 14 solid.

Item Ewerardus de Wardes, cujus bursa nichil, sub magistro Alberto.

Item Johannes de Brandburg de Aquis sub magistro Johanne de Aquis, cujus bursa 5 solidi.

Item Hermannus de Wesalia sub magistro Henrico de Clivis, cujus bursa nichil.

Item Johannes dictus Mast [1] sub magistro Johanne de Fine, cujus bursa 4 solidi cum dimidio.

Item Henricus de Lindin de Essendia sub magistro Henrico de Clivis, cujus bursa 4 solidi cum dimidio.

Item sub eodem Henricus de Essendia, cujus bursa 4 solidi cum dimidio.

Item Arnoldus de Beverhen sub magistro Alberto, cujus bursa 4 solidi cum dimidio.

Arnoldus de Bevere de Embeke, Maghentenensis [2] dyocesis clericus, cujus bursa sicud prius.

Item Christianus de Specke sub magistro Thoma, cujus bursa nichil, sed prestito juramento solvet quamcicius poterit.

Item Johannes Gladiator de Wiic sub magistro Theodorico de Zithard, cujus bursa 5 solidi. Cum quo facta congregacione nacionis extitit dispensatum de omnibus bursis, exceptis duabus solvendis pro lumine Beate Marie et pro bedellis.

Item Willelmus de Spyny sub magistro Johanne de Peblis, cujus bursa 4 solidi cum dimidio.

Item Nicholaus Kanuti de Dacia sub magistro Wizekino, cujus bursa 5 solidi.

Item dominus Stacius sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa 5 solidi.

Item Petrus de Gellenkirken sub magistro Johanne de Aquis, cujus bursa nichil, juravit tamen satisfacere quamcicius posset.

Item Henricus de Kalker sub magistro Henrico de Clivis, cujus bursa nichil.

Item Goswynus de Dutyngham sub magistro Alberto, cujus bursa 5 solidi.

1355

[Thomas Kolarst de Brunswich.]

(*Fol. 24* ^{b}) Anno Domini millesimo tricentesimo LV°, decima die mensis Marcii, facta congregacione nacionis Anglicane tam regencium quam non regencium apud Sanctum Bernardum super electione procuratoris, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis concorditer nullo magistrorum penitus reclamante magister Thomas Kolarst Saxo de Brunswich, Hildensemmensis dyocesis, in cujus procuratoria facta sunt hec.

Primo facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum super supplicacionibus, dominus Everhardus de Wardes de terra Livonie, illius Quadragesime determinans, feria 4^a [3] ante *Letare* supplicavit, ut magistri supradicte nacionis ipsum de ampliori determinatione supportatum habere dispensando dignarentur, aut concederent ut subdeterminantem possit substituere, cui pro tunc concedebatur ut subdeterminantem substitueret. Et sic factum est, et idem subdeterminans juravit procuratori ejusdem nacionis.

Licenciati.

Item licenciatus fuit pro illo anno dominus Johannes de Velstede Saxo de Brunswich, Hildensemmensis dyocesis, sub magistro Egelingo Bovis, cujus bursa 5 solidi, scuto valente 15 solidos.

Item licenciatus fuit dominus Johannes [de] Wanzberch sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa 5 solidi.

Item licenciatus fuit dominus Johannes [de] Olomuncz de Bohemia sub magistro Alberto de Saxonia,

1. *In margine repetitur* Mast.
2. Maguntinensis.
3. 11 *Martii.*

cujus bursa nichil erat pro tunc. Sed juravit in presencia nacionis quod quandocunque ditaretur, ut satisfacere posset, et quantocicius idem Johannes de bursis suis nacioni satisfaceret.

Incipientes.

Item incepit dominus Johannes de Velstede Saxo de Brunswich sub magistro Thoma Kolarst, pro tunc procuratore, cujus bursa 5 solidi.

Item incepit dominus Johannes [de] Wanzberch sub magistro Alberto, cujus bursa 5 solidi.

Item die mensis decima septima, facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, quidam bacularius licenciatus, dominus Johannes [de] Olomuncz, supplicavit humiliter ut nacio de quodam ommisso, juramenti procuratoris videlicet, ad quod unusquisque licenciandus antequam licencietur tenetur, quod ignoranter omisit idem Johannes, sibi indulgeret et concederet, ut ad juramentum procuratoris permitteretur. Cui tunc concessum est a nacione, quod adhuc juraret procuratori. Et cum hoc nacio secum dispensavit de ommisso, dummodo juraret, quod hoc non esset omissum ex aliqua superbia, malicia aut presumptione. Et sic fecit et juravit postea.

Item in eadem congregacione concordate sunt 4 naciones facultatis artium et sedata est briga illa orta ex eo, quod dominus cancellarius in Sancta Genofefa, cum licentiaret bacularios prime audicionis, unum Gallicum secundum depositionem examinatorum in omnibus postposuit, et ex eo quod unum Anglicum in 2ª auditione gallicavit. Super quam concordiam dominus rector sumpsit instrumentum publicum, super illa enim concordia erat congregatio principaliter facta.

Item facta congregacione nacionis apud Predicatores, die mensis vicesima 2ª, ad supplicandum, supplicaverunt tres domini : dominus Arnoldus de Essendia de Aldendorp, dominus Mathias de Lintze, dominus Johannes [de] Olomuntz, ut eis burse eorum, quas nacioni ex parte licencie et magisterii tenerentur, quas propter paupertatem et defectum pecunie solvere non possent, misericorditer remitterentur. Quibus concedebatur supplicacio eorum, additis condicionibus istis, videlicet quod jurarent duo : primo ut non haberent unde solverent ; 2° quod vellent solvere quando pecunniis, quibus solvere possent bene, habundarent. Et ista duo unusquisque istorum singulariter in presencia nacionis ibidem juravit, et sic unusquisque istorum trium dominorum tenetur bursas suas nacioni quam cito ditabitur.

Item in eadem congregacione supplicaverunt bedelli nacionis nostre nacioni ut adhiberetur remedium ad hoc quod illi, cum quibus dispensatur in nacione de bursis suis quas tenentur nacioni, « dum tamen satisfaciant bedellis de suis bursis, » raro aut nunquam satisfaciunt eis, nec cum ad licenciam aut magisterium fuerint permissi, ad memoriam satisfactionem bursarum prefatis bedellis dignarentur revocare. Quibus concedebatur concorditer, quod nullos cum quibus nacio dispensaverit, bursas nacionis remittendo, ad aliquem gradum, videlicet determinacionem, licenciam aut magisterium, admitterentur, nisi se prius cum bedellis ipsis de bursis ipsorum amicabiliter expediverint.

Licenciati.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Sittart sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa 5 sol.

Item licenciatus fuit dominus Stacius Velhowere de Sladem sub magistro Alberto, cujus bursa 5 sol. cum dimidio.

Item licenciatus fuit dominus Arnoldus de Aldendorp de Essendia, sub magistro Themone Judei, cujus bursa nichil.

Item licenciatus fuit dominus Mathias de Lincze sub magistro Johanne de Quercu Gallico, cujus bursa nichil.

Item dominus Henricus de Linden de Essendia post medium Quadragesime substituit unum subdeterminatorem, qui juravit procuratori juramenta subdeterminancium [1].

Item licenciatus fuit dominus Robertus Monipeny Scotus sub magistro Malcolino de Dunbrek, cujus bursa 5 solidi.

Item licenciatus fuit dominus Wilhelmus de Spyny sub magistro Johanne de Peblis Scoto, cujus bursa 4 solidi et 6 denarii.

Item licenciatus fuit dominus Arnoldus de Celario de Lochem, Trajectensis dyocesis, sub magistro Bernardo de Celario fratre suo, cujus bursa 5 solidi.

1355

Johannes de Veltstede de Bruneswich.

(*Fol.* 25) Anno Domini millesimo trecentesimo LV° [2], facta congregacione nacionis Anglicane tam regencium quam non regencium apud Sanctum

1. *Vid.* Chartul. Univers. Paris, II, p. 674 (5).

2. *Principio Aprilis.*

Maturinum super electione procuratoris, electus fuit in procuratorem dicte nacionis concorditer, nullo magistrorum penitus reclamante, magister Johannes de Veltstede Saxo de Bruneswich, Hildensemensis dyocesis, in cujus procuratoria facta sunt hec que sequuntur.

Primo licenciatus fuit dominus Ernestus de Wulven sub magistro Themone Judei, cujus bursa nichil.

Item facta congregacione apud Sanctum Maturinum de vespere, nona die mensis Aprilis, ad supplicandum, supplicavit humiliter predictus dominus Ernestus, ut burse quas nacioni ex parte determinancie et licencie teneretur, quas propter defectum pecunie solvere non posset, sibi misericorditer remitterentur, cui concedebatur supplicacio, additis tamen hiis quod juraret, primo quod non haberet unde solveret, nec hic nec in partibus; secundo quod quanto prius pecuniis unde solveret habundaret, libenter nacioni de bursis vellet satisfacere. Hec enim juravit in presencia nacionis. Et sic tenetur in 8 bursis nacioni.

Item in eadem congregacione fuit deliberatum, nacionem de bursis bedellorum nec de dimidia bursa Beate Virginis nec de integra bursa que reponi solet ad archam, ad muniendum se de altercacionibus artistarum cum theologis, nullo modo posse dispensare, sed solum de tribus aliis bursis habere potestatem remittendi. Sic enim predictus dominus Ernestus bedellis, in presencia procuratoris, et Beate Virgini promisit infra tres ebdomadas satisfacere.

Item incepit dominus Arnoldus de Aldendorp de Essendia, dyocesis Coloniensis, sub magistro Themone Judei, cujus bursa sicud prius scriptum est.

Item incepit dominus Johannes [de] Olomunez Bohemus, de Moravia, sub magistro Alberto de Saxonia, cuius bursa sicud prius scriptum est.

Item facta congregacione apud Sanctum Julianum pauperem die 12 mensis Aprilis, supplicavit magister Henricus de Kempen, ut nacio sibi litteras recommendatorias ad decanum suum de Zozato prestaret, sigillo nacionis sigillatas, quod concorditer sibi concessum fuit, quia rigorosum.

Licenciati in 3a [au]dicione Domine Nostre.

Item licenciatus fuit dominus Arnoldus de Bevere de Embeke, Saxo, Maguntinensis dyocesis, sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa 5 solidi et 4 denarii.

Item licenciatus fuit dominus Nicolaus Kuoboldi sub eodem magistro, cujus bursa 4 solidi.

Item licenciatus fuit dominus Henricus de Clivis sub magistro Henrico de Kempis, cujus bursa sicud prius scriptum est.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Spiic sub magistro Jacobo de Pormariis, cujus bursa 5 sol.

Item licenciatus fuit dominus Nicolaus Kanuti de Dacia sub magistro Wissekino, cujus bursa sex sol.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad supplicandum, supplicavit dominus Henricus de Clivis, ut nacio de bursis suis solvendis, quas ad presens propter defectum pecunie non posset solvere, dispensaret; cui concessum fuit, ita videlicet quod juraret, primo quod non haberet unde solveret, nec hic nec in partibus; secundo quod dum pecuniis unde solvere posset habundaret, libenter nacioni de bursis vellet satisfacere. Hec enim juravit in presencia nacionis.

(*Fol 25 b*) Item facta congregacione facultatis apud Sanctum Julianum pauperem, 16 die mensis Aprilis, computavit magister Arnoldus de Gesti[1] antiquus rector, et fuit compotus ab omnibus magistris approbatus.

Item incepit dominus Arnoldus de Bevere Saxo, Maguntinensis dyocesis, sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa V solidi et 4 denarii.

Item incepit dominus Johannes de Spiic Hollandrinus sub magistro Jacobo de Purmariis, cujus bursa V solidi.

Item facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum 30 die mensis Aprilis, ad audiendum compotum domini receptoris, computavit enim idem receptor sic, quod de omnibus receptis solvit bedellis et Beate Virgini et magistro Alberto 1 scutum pro procuratoria sua de anno elapso, et scolas Pickardorum, et scolas magistri Johannis Peblis, et duo scuta et duodecim solidos in taberna, postquam compotus fuit factus, sic quod omnibus solvendis solutis remansit nacioni obligatus [in] triginta octo scutis et octo solidis, minus duobus denariis.

Item in eadem congregacione supplicavit dominus receptor ut sibi illos 40 sol., quos in festo Johannis nacio sibi dare tenetur, in compoto defalcaret, quod concessum fuit sibi concorditer, ita tamen quod amplius in consuetudinem rigorosam non ducatur. Et finaliter omnes magistri habuerant compotum approbatum.

Item[2] nona die mensis Aprilis magister Thomas de Brunswic solvit unum florenum pro procuratoria.

1. Gesh ?

2. *Alio charactere usque in finem.*

Item eodem die magister Henricus de Kempen pro procuratoria solvit unum florenum.

Item magister Johannes de Velstede, pro tunc procurator, solvit duos florenos, unum pro introitu vel de principio magisterii; reliquum vero pro procuratoria.

Item magister Johannes de Wanczberch dedit unum florenum pro introitu vel de principio magisterii.

Cum quibus factum fuerat unum prandium magistris nacionis Anglicane *ad ymaginem beati Johannis Baptiste.*

1355

(*Fol.* 26) Arnoldus de Beveren de Embeke.

Anno Domini M° CCC° LV°, quinta die May, vigilia Johannis ante Portam, apud Sanctum Julianum pauperem facta congregatione nationis Anglicane tam regencium quam non regencium super electione procuratoris facienda, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis nullo magistrorum penitus reclamante magister Arnoldus de Beveren de Embeke Saxo, Moguntinensis dyocesis, in cujus procuratoria facta sunt que sequuntur.

In eadem die exposuit idem magister Arnoldus, procurator prenominatus, duos florenos : pro principio magisterii unum, alium pro procuratoria.

Postea facta congregatione nationis apud Sanctum Maturinum XI die Mai de vespere ad supplicandum, supplicavit humiliter dominus Hermannus Consul, ut inducie usque ad festum Johannis de bursis solvendis pro licentia, quas ad presens habere non posset, sibi concederentur, cui conformiter concedebatur supplicatio, stante tamen cum hoc quod bona pignora pro pecunia danda obligaret receptori, etiam cum hoc quod sine omni evasione et cautela pecunia dictarum bursarum in festo Johannis esset persoluta.

Item licenciatus fuit dominus Adolfus de Werda sub magistro Hinrico de Kempe, cujus bursa quinque solidi, scuto valente XVII solidos et dimidium.

Item licenciatus fuit dominus Henningus Pamin de Stargardia, dyocesis Caminensis, sub magistro Wiskino, cujus bursa octo solidi.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Wich sub magistro Johanne de Aquis, cujus bursa sex solidi.

Item licenciatus fuit dominus Henricus de Essendia, dyocesis Coloniensis, sub magistro Themone, cujus bursa quinque solidi.

Item licenciatus fuit dominus Hermannus Consul, dyocesis Caminensis, sub magistro Wiskino, cujus bursa septem sol., floreno valente 17 sol. cum dimidio.

Item incepit dominus Nicolaus Canuti de Dacia sub magistro Wiskino, cujus bursa sex solidi, etiam scuto valente 18 solidos.

Item facta congregatione apud Sanctum Maturinum 22 die May, supplicaverunt 4 magistri infra nominati, scilicet magister Eghelingus Bos de Brunswich, magister Thomas Kolarste de Brunswich, et magister Bernhardus de Dacia, et magister Johannes de Velstede de Brunswich, ut si contingeret novum rotulum ad curiam domino pape translegari, supradicti magistri, licet absentes forent, tamen tanquam presentes imponerentur rotulo supradicto. Quibus concorditer concesse erant supplicationes, stante tamen quod eorum procuratores pecunias nuncio in via consumendas tanquam si ipsi forent presentes presentarent.

Item 27 die Mai facta congregatione nationis Anglicane, supplicavit dominus Ernestus de Vulven ut burse quas pro inceptione dare teneretur, sibi misericorditer remitterentur. Cujus supplicatio erat concessa, cum hoc tamen quod (*Fol.* 26 b) juraret quod non haberet hic nec in partibus, quo dictam pecuniam valeret perpagare, quod factum est.

Item 30 die May de mane apud Sanctum Julianum facta congregatione nationis Anglicane super electione nuntii pape rotulum transportantis, electus fuit concorditer magister Johannes Peblis Scotus nullo reclamante [1].

Item eodem die de vespere facta congregatione ejusdem nationis apud Sanctum Maturinum super electione inrotulatorum, electi fuerunt magister Marcolinus Scotus, magister Albertus de Saxonia, magister Hermannus [de] Rotwil, magister Tydericus de Zyttare, et super hec juramenta facientes.

Item ultima die May facta congregatione ad Sanctum Maturinum, supplicavit dominus Henricus de Clivis ut burse pro inceptione, quas ad presens dare non posset, sibi dimitterentur, cui supplicacio concedebatur cum hoc quod juraret, quod habere ad presens non posset hic nec in partibus.

Item incepit dominus Ernestus Vulven sub magistro Themone, cujus bursa nichil.

Item incepit dominus Wilhelmus de Spini Scotus sub magistro Johanne Peblis Scoto, cujus bursa sex solidi, scuto valente 19.

1. *Exstat tantummodo Rotulus nuntiorum Univers. Paris. anno* 1355, *Sept.* 2, *in* Chartulario Univers. Paris., III, p. 37, *edito. Ibidem cum aliis nuntiis Johannes de Peblis etiam nominatur.*

Item in prefata congregatione supplicavit dominus Hermannus Consul, ut de pecunia pro incepcione solvenda inducie usque ad festum Johannis sibi traderentur, cui concorditer supplicacio erat concessa, cum hoc quod idem Hermannus receptori bona pignora pro prefata pecunia obligaret.

Item incepit dominus Hinricus de Clivis sub magistro Hinrico de Kempe, cujus bursa nichil.

Item incepit dominus Johannes Wilhelm[1] sub magistro Johanne de Aquis, cujus bursa 9 solidi vel dimidium scutum.

Item dominus Johannes de Zittarde incepit sub magistro Tyderico de Havert, cujus bursa quinque s.

Item incepit dominus Arnoldus de Celario sub magistro Jacobo de Hollandia, cujus bursa solidi sex.

Item incepit dominus Henningus Pamin, sub magistro Wiskino, cujus bursa VIII solidi.

Item incepit dominus Hermannus Consul sub magistro Wiskino, cujus bursa septem solidi, scuto valente solidos 19.

1355

[Jacobus de Hollandia.]

Anno Domini M° CCC° LV°, facta congregacione nacionis Anglicane feria tertia[2] post festum Trinitatis super electione procuratoris, electus fuit in procuratorem magister Jacobus de Hollandia, in cujus procuratoria facta sunt hec que sequuntur.

Primo incepit dominus Stacius Saxo sub magistro Alberto, cujus burse VII solidi.

Item incepit dominus Adolphus de Werda sub magistro Henrico de Kempen, cujus bursa 5 solidi.

Item quilibet istorum et magister Henricus de Clivis solvit unum florenum de principio magisterii *in Grangia*.

1355

[Henricus de Kempen.]

Anno Domini millesimo CCC° quinquagesimo Vto, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, feria quinta[3] ante festum Petri et Pauli, super substitucione procuratoris, substitutus fuit magister Henricus de Kempen, in cujus substitutione facta sunt hec que sequuntur.

Primo concessum fuit magistro Themoni Judei quod solveretur sibi pecunia, quam exposuit pro scolis, dummodo informaverit nacionem se aliquam pecuniam pro scolis exposuisse. Et hoc congregacione generali facta apud Sanctum Maturinum.

Item facta congregacione facultatis apud Sanctum Julianum die VIa[4] mensis Augusti ante festum Bartholomei, datus[5] fuit magistro Henrico de Kempen procuratori unus determinans, solutis solvendis.

Item magistro Alberto de Saxonia concessum fuit in eadem die, scilicet in sabbato[6] ante festum Bartolomei, quod post festum Natalis nostri Domini potest legere unum librum Aristotelis in nonis Nostre Domine.

Item magistro Petro de Cecilia concessum fuit quod potest legere librum de Causis in nonis Jacobi per parvum Ordinarium diebus disputabilibus, sive actu disputetur, sive non.

1355

(*Fol. 28*)[7] Johannes filius Wilhelmi de Trajecto inferiori.

Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, feria quarta[8] post festum Bartolomei apostoli, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum magistrorum tam regentium quam non regentium super electione procuratoris facienda, electus fuit concorditer ab omnibus magistris ejusdem nacionis magister Johannes Wilhelmi de Trajecto inferiori in procuratorem prefate nacionis nullo penitus reclamante. In cujus procuratoria facta sunt hec que sequuntur.

Dictus procurator solvit unum scutum prefata die pro procuratoria *in Grangia*.

Item in crastino[9] beati Mathei apostoli facta congregacione nacionis predicte apud Sanctum Julianum pauperem super electione receptoris, electus est in receptorem magister Johannes de Lovonio, qui solvit eodem die unum scutum ad unum convivium *in Grangia*.

1355

Magister Hermannus de Wesalia.

Anno Domini M°.CCCmo. quinquagesimo quinto, mensis Septembris die xxiija, facta congregacione

1. *In margine* Trajectum.
2. 2 *Junii*.
3. 25 *Junii*.
4. *Error in ms. Potius leg.* feria sexta, *i. e.* 22 Augusti, *propter sequentia*.
5. *Inter lineas* concessus.
6. 22 *Augusti*.
7. *Fol.* 27 *sequitur post fol.* 37.
8. 26 *Augusti*.
9. 22 *Septembris*.

nacionis apud Sanctum Maturinum super electione procuratoris, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Hermannus de Wesalia, in cujus procuratoria hec facta sunt.

Primo eadem die sue electionis computavit magister Wiskinus antiquus receptor presentibus magistris dicte nacionis, computatis omnibus et defalcatis remansit idem receptor obligatus in uno scuto Johannis et V solidis, supplicacione magistri Themonis pro suis scolis quitandis remanente apud nacionem, et eciam tertia parte scuti que exposuit magister Henricus de Kempis, et approbatus fuit compotus ejusdem receptoris.

Item eadem die concessum fuit magistro Johanni de Boeten 1 scutum, quod solvere debuit pro inrotulacione, de quo antiquus receptor sibi non satisfecit nec tenebatur.

Item exposuit receptor novus *apud calvum Capud* ultra scutum, quod racione nove procuracionis solvere debuit, XVII solidos, scuto valente XXXIII sol.

Anno Domini M° CCC^{mo} quinquagesimo quinto, mensis Octobris die xxj^{a}, facta congregatione nacionis [1] apud Sanctum Julianum pauperem super eleccione procuratoris, continuatus fuit in procuratorem dicte nacionis Anglicane, nullo penitus reclamante, magister Hermannus de Wesalia, in cujus procuratoria facta sunt hec que sequuntur.

Primo facta congregacione generali et eciam nacionis apud Sanctum Maturinum, concessit nacio Conrado bedello tria scuta cum dimidio pro reparatione baculi sui argentei, scilicet in proxima die dominica immediate sequenti [2] festum undecim milium virginum.

1355

(*Fol.* 28^{b}) Themo Judei, clericus civitatis Monasteriensis, Westfalus [3].

Anno Domini 1355°, 18 die Novembris, facta congregacione regentium et non regentium super electione procuratoris, electus fuit magister Themo Judei in procuratorem nacionis concorditer, in cujus procuratoria facta sunt que sequuntur.

Primo incepit dominus Laurentius Thrugeti de Dacia, canonicus Ripensis, sub magistro Wenszekino, cujus bursa 16 solidi.

Item dominus Nicolaus Henningi de Dacia sub magistro Berone de Suecia incepit, cujus bursa 16 s.

Item in procuratione predicta pluribus factis congregationibus generalibus facultatis regentium et non regentium per juramentum per venerabilem virum magistrum Albertum de Bohemia, tunc temporis rectorem, de modo legendi per modum expedientis super penna, deliberaverunt finaliter omnes naciones ut fieret hoc statutum quod sequitur.

In nomine Domini Amen. Temptatis duobus modis legendi libros artium liberalium, primis quidem philosophie magistris in cathedra raptim proferentibus verba sua, ut ea mens auditoris valeret capere, manus vero non sufficeret exarare; posteris autem tractim nominantibus, donec auditores cum penna possent scribere coram eis : diligenti examine, hiis invicem collatis, prior modus melior reperitur, propter quod communis animi concepcio nos amonet, ut ipsum in nostris lectionibus imitemur. Nos igitur omnes et singuli magistri facultatis arcium tam regentes quam non regentes ad hoc specialiter convocati per venerabilem virum magistrum Albertum de Bohemia, tunc rectorem Universitatis, apud Sanctum Julianum pauperem, statuimus in hunc modum, quod omnes lectores tam magistri quam scolares ejusdem facultatis, quandocunque et ubilibet eos aliquem librum legere contingerit, ordinarie vel cursorie, in eadem facultate vel disputare questionem circa ipsum seu aliquid aliud per modum expositionis, priorem modum legendi observent secundum vires suas, sic scilicet proferendo, ac si nullus scriberet coram eis, secundum quem modum fiunt sermones in Universitate et recommendationes [4].

1355

[Laurentius Thrugoti.]

(*Fol.* 29) Anno Domini M°CCC°LV, die mercurii [5] ante festum beati Thome apostoli, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super electione procuratoris facienda ejusdem nacionis, electus fuit in procuratorem concorditer nullo magistrorum reclamante magister Laurencius Thrugoti, canonicus Ripensis, de Dacia, in cujus procuratoria facta sunt que sequuntur.

Eadem die idem L[aurencius] procurator exposuit unum florenum pro principio magisterii, et alium florenum pro procuratoria.

1. *Inter lineas* facultatis.
2. 25 *Octobris.*
3. *Postea charactere recentiore* Rectorio Alberti de Bohemia 1355.
4. *Hoc statutum, sed integrum, an.* 1355, *Decemb.* 10, *vid. in* Chartul. Univers., III, p. 39, n° 1229, *ex originali editum.*
5. 16 *Decemb.*

Item magister Nicholaus Hemmyngi de Dacia incepit eadem die et exposuit pro principio magisterii unum florenum.

Item receptor assignavit magistro Symoni de Scotia II florenos, cum quibus omnibus suprascriptis facta fuit cena magistris nacionis Anglicane *ad ymaginem sancti Joannis Baptiste*, et sic non sunt plura percepta quam erogata.

1356

(*Fol. 29 b*) Johannes de Wanczeberch de Luneburch, Verdensis dyocesis.

Anno Domini M°CCC°LVI°, xiij die mensis Januarii, facta congregacione nacionis Anglicane tam regencium quam non regencium apud Sanctum Maturinum super electione procuratoris, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis concorditer, nullo magistrorum reclamante, magister Johannes de Wanczeberch Saxo de Luneburch, Verdensis dyocesis, in cujus procuratoria facta sunt hec.

Sexta die mensis Februarii facta congregacione nationis Anglicane super electione examinatorum examinis Sancte Genovefe, electus fuit concorditer nullo magistrorum reclamante magister Arnoldus de Bevere de Embek [1] in examinatorem ejusdem examinis.

Item idem magister Arnoldus exposuit unum florenum in taberna *ad ymaginem beate Virginis* ad potandum.

1356

Themo Judei clericus Monasteriensis dioc. et civitatis, Westfalus.

Anno Domini M°CCC°LVI°, x° die mensis Februarii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super electione procuratoris, electus fuit concorditer magister Themo Judei nullo penitus reclamante, in cujus procuratoria facta hec que sequuntur.

Primo etiam facta congregacione nacionis super computo receptoris audiendo, computavit dominus receptor, videlicet magister Johannes de Lovanio sic : omnibus defalcatis nacio debebat sibi in 2 scutis 48 solidis cum 9 denariis fortis monete. Cum hoc nacio adhuc debet pro scolis magistri Themonis, sicud prius scriptum fuit in procuracione magistri Hinrici de Kempen, et debet nacio Conrado bedello majori nacionis 3 scuta cum dimidio pro baculo suo argenteo reparato. Item nacio debet magistro Themoni 8 solidos vel sex, quos ipse solvit pro nacione in taberna *ad ymaginem Nostre Domine* in vico Sancti Jacobi, quando potaverat nacio super officiariis, videlicet super examinatore Sancte Genovefe, et super procuratore novo non potato usque tunc. Et ille fuit magister Johannes de Wanczeberch de Luneburch, qui secundum judicium et deliberacionem nacionis ad hoc vocate solvere tenebatur in floreno vel scuto nacioni, et magistro Themoni dabat, qui satisfecit in taberna pro nacione die sabbati proxima post provisionem, seu die 5 Februarii.

Item die secunda Martii facta congregatione nacionis sufficienter super supplicationibus et super electione examinatorum determinantium, supplicavit itaque dominus Conradus de Rotwil, licentiandus sub magistro Hermanno [de] Rotwil, ut nacio sibi remitteret bursas, quia pauper esset, et non haberet. Quod concessum fuit ab omnibus.

Item electi erant secundum formam statuti magister Bero de Suecia et magister Johannes de Aquis Grani in examinatores determinancium vel determinaturorum.

Isti sunt qui determinaverunt in hoc anno tempore procuratoris Themonis Judei.

Primo dominus Hinricus de Beesd sub magistro Themone, cujus bursa 5 solidi, scuto valente 13 solidos et 4 denarios. Et iste determinavit solutis solvendis per gratiam.

Item dominus Johannes de Prucia dictus de Pomeren, cujus burse 4 solidi.

Item dominus Johannes de Pavone sub magistro Johanne de Aquis, cujus bursa dimidium scutum, scuto valente 13 solidos et 4 denarios.

Item dominus Johannes de Maguntia sub magistro Johanne de Aquis, cujus bursa 4 solidi cum 6 denariis, etiam tantum valente scuto.

Item dominus Johannes de Huelen sub magistro Ernesto, cujus bursa 4 solidi 6 denarii.

1356

(*Fol. 30*) Thomas de Duns Scotus, clericus Sancti Andree diocesis.

Anno Domini M°.CCC^{mo}.LVI°, nona die mensis Marcii, facta congregacione nacionis Anglicane regencium et non regencium apud Sanctum Maturinum super eleccione procuratoris, electus fuit con-

1. De Embek *inter lineas*.

corditer magister Thomas de Dun Scotus in procuratorem dicte nacionis, nullo magistrorum penitus reclamante. In cujus procuracione facta sunt hec que secuntur.

Primo in crastino post electionem suam, id est in decima die ejusdem mensis, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad supplicandum, supplicaverunt isti determinantes, scilicet Nicholaus Snel, Henricus Zund, Ghiselbertus Paep, Ulricus Ghiselberti Ulrikes, Colradus de Bohemia, Bertoldus cujus cognomen non habui, Harmannus Butenbroec, quatinus, quia pauperes essent, sicud coram tota nacione manifestabant prestito juramento, vellet eis nacio bursas remittere graciose. Quam supplicacionem nacio concessit in hunc modum, quod jurarent quod quam cito eis aliquatenus facultas accresceret, predictas bursas solverent indilate, quod et coram nacione fecerunt.

Item in eadem congregacione supplicabant Jacobus Helye et Gerardus Fortis, etiam determinatores, quatinus, quia pecuniam sufficientem non haberent, pignora competencia, citra festum Johannis Baptiste redimenda, ab eisdem nacio recipere vellet, quam supplicacionem etiam concesserant universi.

Item 14ma die ejusdem mensis facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad supplicandum, supplicavit primo dominus Conradus de Cougelwingen, quatinus secum nacio super debitis determinacionis, quia nec hic nec alibi habuit, vellet dispensare; quod fuit concessum.

Item eadem die supplicaverunt magister Albertus de Saxonia et magister Themo Judei pro domino Johanne de Prucia et domino Henrico Embeke, qui domini rationabiliter fuerant impediti, eo quod in camera examinis erant, ideo personaliter ad supplicandum accedere non valebant, quatinus nacio ipsos sub bonis pignoribus usque ad festum sancti Johannis Baptiste de bursis nacioni ratione determinacionis debitis vellet relevare, que omnia concedebantur.

Item 18^{a} die ejusdem mensis facta congregacione nacionis ad Sanctum Julianum, supplicaverunt isti tres domini, primo scilicet Franciscus de Lippia quatinus sub pena privacionis nacio sibi inducias de bursis solvendis usque ad festum sancti Johannis vellet dare; quam quidem supplicacionem modo quo petivit nacio graciose concessit. 2° ibidem supplicaverunt dominus Arnoldus de Brunesberch et dominus Johannes de Culmine quod quia nec hic nec in partibus haberent unde bursas solvere possent, placeret nacioni cum ipsis dispensare de hujusmodi bursarum solutione; quam etiam supplicacionem ibidem nacio determinaverat concedendam, et concessit eam.

Isti sunt qui determinaverunt isto anno in tempore procuracionis Thome de Duns.

Item [1] Bertoldus sub magistro Johanne de Leymbroec, cujus bursa nichil.

Item dominus Conradus de Cougelvengyn sub magistro Harmanno [de] Rotwil, cujus bursa nichil.

Item dominus Harmannus Butenbroec sub magistro Harmanno [de] Rotwill, cujus bursa nichil.

Item dominus Nicholaus Snel sub magistro Harmanno [de] Rotwill, cujus bursa nichil.

Item dominus Henricus Zund sub magistro Hermanno [de] Rotwil, cujus bursa nichil.

Item Ghiselbertus Paep sub magistro Arnesto, cujus bursa nichil.

Item dominus Ulricus Ghiselberti Ulrikes sub magistro Arnesto, cujus bursa nichil.

Item dominus Conradus de Bohemia sub magistro Alberto de Bohemia, cujus bursa nichil.

Item Willelmus Buser sub magistro Arnesto, cujus bursa 5 solidi.

Item dominus Jacobus Helie sub magistro Henrico [de] Kempe posuit vadia, cujus bursa 4 solidi.

Item dominus Gerardus Fortis sub magistro Arnesto, dedit etiam pignora, cujus bursa 3 solidi.

Item dominus Ulricus de Sancto Gallo [2] determinans et etiam licenciatus sub magistro Johanne de Constancia, cujus bursa 4 solidi.

Item dominus Theodericus de Campen determinans sub magistro Henrico de Kempe, cujus bursa 5 solidi.

Item dominus Artolfus de Bavaria [3] sub magistro Henrico [de] Kempe, cujus bursa 5 solidi.

Item dominus Macharius de Dacia sub magistro Johanne de Wamberch, cujus bursa 4 solidi.

Item dominus Petrus Nicholai sub magistro Johanne de Wazemberch, cujus bursa 4 solidi.

Item dominus Johannes de Prucia sub magistro Alberto de Saxonia, posuit pignora, cujus bursa 4 solidi.

Item dominus Henricus de Embeke sub magistro Alberto de Saxonia, posuit eciam pignora, cujus bursa 5 sol.

1. *In margine ad omnes sequentes referuntur verba :* in prima audicione apud Nostram Dominam.

2. De S. Gallo *inter lineas.*

3. *In margine* Lauterbech.

Item dominus Remboldus Vener determinans et licenciatus sub magistro Harmanno [de] Rotwyl, cujus bursa 4 solidi.

Item licenciatus fuit dominus Goswinus sub magistro Henrico [de] Kempe, cujus bursa 5 solidi.

Item dominus Franciscus de Lippia sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa 3 solidi et 6 denarii, cui nacio dedit inducias usque ad festum sancti Johannis Baptiste proximo futurum, ut superius patuit, sub pena privacionis.

Item dominus Arnoldus de Brunisberch sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa nichil.

Item dominus Johannes de Culmine sub magistro Alberto, cujus bursa nichil.

Et omnia superius nominata scripta fuerunt et teneri debent quantum ad illos qui non solverunt, scuto valente 13 solidos cum 4 denariis.

Item licenciatus fuit dominus Henricus de Beest ad Sanctam Genovefam sub magistro Themone Judeo, cujus bursa V solidi.

(*Fol. 30* b) Item 22 die ejusdem mensis facta congregacione nacionis Anglicane ad supplicandum, supplicaverunt 4 domini licenciandi, scilicet dominus Conradus de Goch, dominus Henricus de Goch, dominus Jacobus de Goch et dominus Cornelius de Breydelo licenciandi, quatinus placeret nacioni ipsis de bursis suis usque ad festum Pentecostes sub bonis pignoribus dare inducias, quod concessum fuit ibidem.

Item ibidem electus fuit magister Symon de Ketenys Scotus in examinatorem Sancte Genovefe pro 2° mense [1].

Item supplicavit magister Themo pro deputatis ad Tabari, qui concedebantur.

Item 23ª die ejusdem mensis facta congregacione nacionis Anglicane regencium et non regencium apud Sanctum Maturinum ad ordinandum, ordinaverunt ob reverenciam beate Virginis, quod ejus pecuniam procurator et receptor seorsum ponere[n]t a pecunia nacionis, ne illa pecunia, semel beate Virgini dedicata, ad humanos usus amplius converteretur, vel saltim ut occasio conversionis predicte pecunie in usus non pios reprimenda, tali[ter] possit penitus removeri.

Adjunxit etiam predicta nacio quod receptor quicunque foret, quandocunque et ubicunque debite requisitus predicte nacioni non minus de illa pecunia quam de pecunia nacionis teneretur reddere racionem.

Item licenciatus fuit dominus Conradus de Goch sub magistro Henrico de Kempen, cujus bursa 5 solidi, ad Sanctam Genovefam.

Item dominus Henricus de Goch licenciatus sub magistro Johanne de Calore [2], cujus bursa 5 solidi, ad Sanctam Genovefam.

Item licenciatus fuit dominus Jacobus de Goch sub magistro Johanne de Calore, cujus bursa 5 solidi, ad Sanctam Genovefam.

Item dominus Cornelius de Breydelo [3] fuit reputatus determinans per gratiam factam magistro Henrico Kempe, cujus bursa 5 solidi.

Et idem dominus Cornelius de Breydelo fuit licenciatus ad Sanctam Genovefam sub magistro Godefredo Vastinelli [4], cujus bursa 5 solidi.

Item incepit dominus Goswinus de Dotyngheym, cujus bursa 5 solidi, sub magistro Henrico Kempe.

Item 28ª die mensis Marcii facta congregacione nacionis Anglicane tam regentium quam non regentium ad Sanctum Julianum pauperem ad audiendum compotum receptoris et ad substituendum alium loco receptoris, ibi substituit nacio magistrum Johannem de Aquis loco receptoris, eo quod magister Johannes de Lovanio, tunc receptor, pro quibusdam negociis sibi necessariis cogebatur devillare, qui magister Johannes de Lovanio taliter computavit coram nacione, quod ultimate, dempta pecunia bedellorum et pecunia beate Virginis seorsum posita, sibique 40 sol. pro officio solutis, nulla pro scolis satisfacione facta, tenebatur predictus receptor nacioni in 20 libris, scuto valente 13 solidos et 4 denarios, quas 20 libras eadem die post prandium coram nacione ad Sanctum Maturinum posuit in cista nacionis in diversis auri peciis et argenti, que secuntur : 14 scuta Johannis, unus muto, 2 floreni de Bohemia, 6 antiqua scuta, unum scutum Philippi. Item 24 antiqui grossi et 2 grossi Flandrens., qui grossi impignorabantur per dominum Macharium et dominum Petrum Dacos nacioni pro tribus scutis Johannis. Item posuit ad cistam seorsum pecuniam Nostre Domine, scilicet 4 florenos et 4 solidos. Item posuit ad cistam vadia que secuntur : primo Summam domini Godefredi, que est domini Henrici de Embeke, pro 52 solidis, pro cujus pecunie satisfactione quia Summa illa videbatur minus sufficiens, promisit re-

1. *Postea una et dimidia linea deleta est, scilicet :* Qui statim post congregacionem ante palacium pro *gernachio* solvit pro nacione 10 sol. Et ego procurator ibidem solvi pro nacione unum scutum...

2. *Fuit nationis Gallicanae.*

3. *In margine* Trajectum superius.

4. *Fuit nationis Normann.*

spondere magister Arnoldus de Embeke. Item 3 libros Canonis Avicenne domini Johannis de Prucia pro 48 solidis. Item 4 volumina papiri domini Gerardi Fortis pro 33 solidis et 6 denariis. Item Philosophiam domini Cornelii pro 34 solidis. Item vadium trium sociorum dictorum de Goch, scilicet libros Philosophi cum commento Averrois pro 67 solidis et 6 [den.]. Item Ockam cum scriptis super 8 libros Euclidis domini Jacobi Fortis [1] pro 33 solidis, et 6 denar.; que ultima 2 vadia, scilicet illorum de Goch et Jacobi Helie, ibidem reputavit nacio minus sufficiencia. Valuit scutum 13 sol. et 4 denar.

Item 30ª die Marcii facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum pauperem ad supplicandum, supplicaverunt dominus Johannes de Prucia et dominus Henricus de Embeke quatinus de bursis debitis nacioni pro licencia, et etiam si contingeret ipsos cito incipere pro magisterio, placeret nacioni sub bonis pignoribus usque ad festum sancti Johannis ipsos habere excusatos, quod concessum fuit.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Prucia sub mag. Themone Judei, cujus bursa 4 sol.

Item licenciatus fuit dominus Henricus de Embeke sub magistro Arnoldo de Embek, cujus bursa 5 sol.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Bradburch de Aquis sub magistro Johanne de Aquis, cujus bursa 6 solidi.

Item anno Domini supradicto, 6ª die mensis Aprilis, facta congregacione nacionis Anglicane regencium et non regencium ad Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, de magistrorum consensu unanimi continuatus fuit magister Thomas de Duns, in cujus continuacione facta fuerunt que secuntur.

Primo incepit dominus Johannes de Prucia sub magistro Themone Judei de Monasterio, cujus bursa 4 solidi, pro quibus posuit pignora usque ad festum Johannis juxta graciam sibi factam.

Item incepit dominus Henricus de Embeke sub eodem magistro Alberto, cujus bursa 5 solidi in pignoribus usque ad festum Johannis per consimilem graciam.

Item 10ª die ejusdem mensis facta congregacione nacionis ad supplicandum, supplicavit dominus Petrus Nicholai Dacus, quatinus sibi inducias usque ad festum sancti Johannis de bursis nacio dare vellet. Item supplicavit dominus Nicholaus Maghar et dominus Christianus de Specke, quod quia nec hic nec in partibus possibilitatem bursas solvendi haberent, placeret nacioni cum ipsis dispensare, quas supplicaciones concessit nacio.

Item licenciatus fuit dominus Petrus Nicholai de Dacia, Roskildensis dyocesis, sub magistro Arnoldo de Embeke, cujus bursa 5 solidi.

Item licenciatus fuit ibidem dominus Nicholaus Maghar de Almekerc sub magistro Godefredo Vastinelli, cujus bursa nichil.

Item licenciatus fuit ibidem dominus Christianus de Specke sub magistro Johanne de Marchia [2], cujus bursa nichil.

Item licenciatus fuit dominus Henricus dictus de Egher de Kalkar, cujus bursa nichil.

Item 14 die ejusdem mensis supplicavit coram nacione in Sancto Juliano dominus Macharius Dacus pro induciis bursarum licencie, et dominus Petrus Nicholai pro induciis bursarum magisterii usque ad festum sancti Johannis sub pena vendicionis vadiorum, quorum burse 5 solidi; quod concessum fuit.

Item supplicavit ibidem dominus Arnoldus Brunisberch et dominus Nicholaus Snel pro condonacione bursarum licencie et magisterii, eo quod nec hic nec in partibus haberent, prestitis eorum juramentis; quod concessum fuit sibi, quod quam cito habere possent per eorum juramenta nacioni persolverent.

Item incepit dominus Petrus Nicholai supradictus sub magistro Johanne de Dacia, cujus bursa 5 solidi in vadiis sicud supra.

(*Fol. 31*) Item licenciatus fuit dominus Macharius de Dacia sub magistro Johanne de Dacia, cujus bursa 5 solidi in vadiis sicud supra.

Item licenciatus fuit dominus Henricus de Ruremonde sub magistro Johanne de Aquis, cujus bursa 5 solidi et 6 denarii.

Item facta congregacione nacionis Anglicane in primis ad Sanctum Julianum pauperem 2ª die mensis Maii, computavit magister Johannes de Aquis, locum tenens receptoris, qui secundum compotum suum defalcatis defalcandis, scilicet bursa rectoris et bursa cum dimidia pedellorum, tenebatur nacioni in 59 solidis, scuto valente 13 solidos et 4 denarios, de quibus in festo magistrorum eodem die exposuit 2 scuta et 3 solidos.

Item magister Arnoldus de Lochen; item magister Johannes de Prucia; item magister Henricus de Embeke; item magister Petrus de Dacia, quilibet solvit 1 scutum de prima eorum congregacione secundum consuetudinem hactenus observatam. Item

1. *Sic ms. sed leg.* Helie.

2. *Fuit nationis Gallicanae.*

ego Thomas de Duns solvi pro prima procuratoria 1 scutum *pro garnachia* in Quadragesima.

1356

Johannes Pomeranus de Prussia.

Anno Domini 1356, 4° die mensis Maii, facta congregacione magistrorum nacionis Anglicane Paris. apud Sanctum Julianum pauperem, eligebatur rite et racionabiliter magister Johannes Pomeranus de Prussia in procuratorem nacionis antedicte. In cujus procuratoria facienda fuerunt ea que sequuntur sub hac manu.

Primo magister Johannes Ance [1] rector antiquus computavit magistro Roberto Normanno rectori novo coram Universitate, et fuit computus ejus approbatus et receptus.

Item eodem anno, die Maii 18, nacio concessit Nicolao subbedello 4 scuta grossa, non tamen aliquo jure vel rigore mota, sed ex gracia absoluta, et quia nullo modo aliquis taliter diceret, se de merito habiturum consequentem.

Item die 19 dicti mensis Maii incepit dominus Nicolaus Snelle sub magistro Hermanno [de] Rotwil, cujus bursa nichil.

Item incepit dominus Johannes Hartmanni de Prusia sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa nichil.

Item incepit dominus Rumbaldus de Suevia sub magistro Hermanno [de] Rotwil, cujus bursa 4 solidi.

Item eodem anno Universitas appellavit contra sententias episcoporum de Francia ex parte decimarum, die III Maii.

Item eodem tempore suborta fuit discordia inter nacionem Anglicanam et Picardicam pro quodam bacalario [2], qui fuit de Monte sancte Gerdrudis, qui continue per 3 annos tenuit se esse de nacione Anglicana, in qua quidem nacione ipse determinavit et licenciatus tandem fuit, set postea Picardi ipsum petiverunt et de nacione eorum esse dicebant, super quo facto discuciendo fuerunt dati ab Universitate deputati.

Item eodem tempore die ultima Maii nacio concessit magistro Alberto de Bohemia 5 scuta Johannis infra 2 menses per ipsum solvenda sub pena excommunicacionis, sed nondum recepit [3].

1356

(*Fol. 31* [b]) Petrus Nicholai de Dacia, clericus Roskildens. dyocesis.

Anno Domini 1356, primo die mensis Junii, facta congregacione magistrorum nacionis Anglicane Paris. apud Sanctum Julianum pauperem, electus fuit concorditer magister Petrus Nicholai de Dacia Roskildens. dyocesis in procuratorem predicte nacionis, nullo magistrorum penitus reclamante, in cujus procuratoria facta sunt que sequentur.

Primo, die sexto ejusdem mensis consumpserunt magistri in taberna in vico Cithare *ad delfinum* 3ª scuta, de quibus solvebat receptor duo, et ego magister Petrus supradictus unum pro prima procuratoria secundum morem in nacione approbatum.

Item septima die magistris omnibus vocatis per juramentum ad congregacionem generalem apud Sanctum Bernardum, deliberatum fuit concorditer, quod appellacio contra dominos prelatos Francie, volentes Universitatem gravare contra privilegia ad solvendum decimas et subsidium, intimaretur sequenti die. Quod et factum est.

Et fuit littera lecta de fundacione unius Collegii per dominam de Valencia de 500 libris, et fuit concessa et approbata [4].

Item nono die facta congregatione facultatis ad Sanctum Julianum, fuit concessa gracia quatuor procuratoribus cuilibet illorum pro uno bacallario solutis solvendis.

Item decima die facto computo receptoris apud Sanctum Julianum magistris specialiter super hoc vocatis, tenebatur nacio receptori in 7 scuta et 5 solidis, et tunc magister Johannes de Prucia et magister Johannes Harmanni de Prucia manebunt debiti nacioni in duobus scutis, que antea receptori deberent dedisse, et quia sibi non dederunt, nacioni in illis tenentur, et fuit compotus receptoris approbatus.

Item decima octava die facta congregacione generali in terciis apud Sanctum Maturinum, deputati dati per Universitatem ad descindendum et deffiniendum discordiam inter Rinenses et Saxones super distinctione provinciarum eorundem atque ad cedandum brigam inter dictas provincias super hoc ortam, deferunt

1. *Fuit nat. Gallicanae.*
2. Johanne Mast.
3. *Postea* : Item onno eodem et primo die Junii facta congregatione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum supra eleccione procuratoris, fuit magister Johannes Pomeranus concorditer continuatus in procurotorem per majorem partem nacionis, in cujus procuratoria facta facienda fuerunt que sequentur. In primis receptor solvit pro scolis 3 scuta Johannis. *Verba alio charactere scripta deleta sunt.*
4. *Agitur hic de fundatione Collegii per Comitissam de Penbrock. Vid.* Jourdain, n° 658.

dicti deputati in plena congregatione de rigore et secundum depositiones testium in definitionem (?) super hoc aductorum, omnes citra Ruram pertinere ad d[iocesem] Coloniensem, et omnes ultra Ruram pertinere ad Saxones, et hoc intellige ante casum Rure in Renum, sed post casum Rure in Renum omnes de dyocesi Coloniensi et Trajectensi pertineant ad Rinenses, omnes autem alii ultra situati pertineant ad Saxoniam. Et ab ista sententia pars Rinensium appellavit.

Item in eadem congregacione concessa fuerunt magistro Christiano bacallario in decretalibus 20 scuta Johanis racione expensarum factarum in denunciando appellationem factam jam ad sex annos tempore Philippi regis.

Item 26 die facta congregacione nacionis ad Sanctum Maturinum, supplicavit magister Themo Westfalus, ut 3 scuta que pro scolis solvebat nacio, sibi refunderet, quod concorditer concessum est; que 3 scuta cum 7 precedentibus, que nacio receptori tenebatur et duo scuta tradita subbedello per graciam sibi per nacionem factam recepit receptor predictus de cista communi, presentibus procuratore et tota nacione. Et quia nacio tenebatur pro scolis nacioni Normannorum, fuerunt sibi data duo scuta pro solucione scolarum, de quibus duobus scutis computabit in proximo computo. Et sic in universo 4a die Julii recepit presente nacione 14 scuta Johannis, que ad cistam ponebantur 28 die Marcii ejusdem anni.

Item 8 die Julii facta congregacione generali regentium et non regentium ad Sanctum Bernardum super petitionibus burgensium Parisiensium, concessum fuit quod cirurgici, librarii, pergamenarii, illuminatores, scriptores, librorum ligatores etc., essent armati ad preceptum rectoris pro defensione ville propter pericula guerre tunc imminentis.

Item 16 die Julii facta computatione antiqui rectoris in congregatione facultatis apud Sanctum Julianum...[1]

Et eodem die concessum fuit magistro Alberto de Saxonia quod posset legere in diebus festivis post sermonem in domo sua unum librum de morali philosophia, quem vellet.

Item 22 die Julii, videlicet die sancte Marie Magdalene, post sermonem apud Sanctum Maturinum facta congregacione nacionis ad ordinandum et statuendum, deliberatum fuit concorditer, quod fieret *Liber nacionis de pergameno*, in quo scriberentur statuta et privilegia nacionis et Universitatis[2], et deliberatum fuit quod super modo faciendi fieret una alia congregacio.

30 die Julii factis congregacionibus facultatis et generali apud Sanctum Maturinum, deliberatum fuit concorditer per 3 naciones, quod depositiones testium in placitis rectoris et procuratorum ante sententiam non publicentur, quia ab illa fit appellatio[3] tanquam a gravamine ad congregacionem generalem. Item quod in deputacionibus super appellaciones de placitis ad Universitatem devolutas intersint, nec aliquo modo expellantur procuratores 4 nacionum, per easdem 3 naciones fuit deliberatum et per facultatem medicine; alie vero due facultates super hoc dederunt deputatos, et credo idem dicent; ideo quando quid dixerint, recolligatur et pro statuto habeatur.

Item crastino[4] sancti Dominici fuerunt recepti 25 grossi et duo flandrenses impignorati per me pro duabus libris, quas solvebam receptori, qui grossi ponebantur ad cistam nacionis 28 die Marcii, et hodie solutis illis duabus libris integre michi reddebantur. Et eodem die satisfeci nacioni pro duabus libris, pro quibus liber Decretalium fuit impignoratus pro parte mea, unam libram in prompto solvendo, aliam pro tempore procuratorie ex consensu nacionis recompensando. Et sic non teneor nacioni in obulo.

1356

(*Fol. 32*) Arnoldus de Celario de Lochem, Trajectensis dyocesis.

Anno Domini 1356, die veneris[5] proxima post festum beati Bartholomei, facta congregatione magistrorum nacionis Anglicane Parisius ad Sanctum Julianum pauperem, electus fuit concorditer magister Arnoldus de Celario de Lochem, Trajectensis dyocesis, in procuratorem dicte nacionis, nullo magistrorum penitus reclamante. In cujus prima procuratoria acta sunt que sequuntur.

Primo solvit scutum de prima procuratoria sua die electionis prima.

1. *In ms. postea spatium.*
2. *Si ms. N. a. l.* 535 *Bibl. nat. Paris., de quo supra p.* 1, *not.* 1, *egimus, idem est ac iste* Liber nacionis de pergameno, *deliberatio nationis nonnisi post decem annos, i. e. post an.* 1366, *effectum habuit. Cf. supra* Kalendarium *ad* 22 *Febr. Infra ad an.* 1368. 20 *Decemb. mentio fit* libri rubei nationis, *qui circa an.* 1368 *scriptus fuisse videtur.*
3. *Ms.* fuit appellationi.
4. 5 *Augusti.*
5. 26 *Augusti.*

Quinta die mensis Septembris congregacione magistrorum dicte nacionis facta apud Sanctum Maturinum super computo receptoris audiendo, computavit ibidem magister Johannes de Aquis pro tunc locum receptoris tenens. Singulis computatis mansit predicte nacioni obligatus uno antiquo scudato, omnibusque magistris de computo suo plenarie contentis.

Item in crastino [1] Nativitatis beate Virginis tradidit magister Johannes de Aquis, locum receptoris tenens, magistro Alberto de Bohemia tria scuta antiqua et unum mutonem sibi concessa per nacionem in procuratoria magistri Johannis de Prucia, presentibus magistro Berone, me procuratore, et duobus bedellis, persolvenda infra duos menses inclusive, et remanserunt pro tunc in cista nacionis tria scuta antiqua, unum Philippinum et duo floreni.

Item in crastino [2] Exaltacionis sancte crucis inceperunt dominus Henricus de Goch et dominus Jacobus de Goch sub magistro Henrico de Kempis, et erat utriusque bursa sex sol., scuto valente 17 solidos cum dimidio.

Item in die beati Lamberti [3] dedi rectori unum scutum Johannis ex parte nacionis pro appellatione ad curiam mittenda.

1356

(*Fol. 32* [b]) Hennighus de Pammyn de Nova Stargardia, Caminensis diocesis.

Anno Domini 1356, die veneris [4] proxima post festum Mathei apostoli ewangeliste, facta congregacione magistrorum nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Hennighus de Pammyn Caminensis diocesis nullo magistrorum penitus reclamante, in cujus prima procuratoria acta sunt que sequuntur.

Primo, die et loco eodem congregacioneque eadem electus fuit magister Johannes de Dacia in receptorem dicte nacionis nullo penitus reclamante, qui a magistro Johanne de Aquis locum receptoris tenente II scuta Philippi nova cum 2 scutis de aquila nomine nacionis sublevavit, cum quibus eodem die de communi consensu omnium magistrorum in vico Citare *ad citaram* omnibus magistris tam regentibus quam non regentibus ejusdem nacionis de uno prandio providebatur, ultra que predictus receptor 2 florenos exposuit de sua propria bursa, de quibus unum scutum Johannis a magistro Johanne Hartmanni in recompe[n]ssam accepit, licet non in totalem.

Item eodem die magister Henricus de Goch et magister Jacobus de Goch dederunt II florenos pro primo suo congregacionis introitu secundum consuetudinem laudabilem actenus observatam.

Item facta congregacione magistrorum tam regencium quam non regencium dicte nacionis proxima die jovis [5] post festum Luce ewangeliste super computu receptoris, computavit dominus receptor quod nacio tenebatur ei in tribus libris cum XV solidis et octo denariis, scuto valente XX solidos, et compotus ejus fuit ab omnibus approbatus. Et hoc in Sancto Juliano.

Item in eadem congregacione computabatur quod dominus receptor debebat bedellis ex parte domini Beronis de Succia XVIII solidos, scuto valente XX solidos.

Item XX die mensis Octobris facta congregacione facultatis apud Julianum pauperem, concessa fuit gracia rectori et quatuor procuratoribus, ut quilibet eorum haberet unum determinantem et bacallarium solutis solvendis, penitus nullo reclamante.

1356

Petrus de Dacia.

Anno Domini 1356, die veneris [6] proxima post festum Luce ewangeliste, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Petrus Nicholai de Dacia nullo magistrorum penitus reclamante, in cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

Sabbato proximo [7] post [festum] Omnium Sanctorum solvebat magister Johannes de Prucia scutum quo tenebatur pro prima procuratoria sua, et recepit unum librum de cista nacionis, et alium reposuit ibidem de consensu nacionis, et solvebat tantum quod adhuc restat cum tribus scutis Johannis cum dimidio, pro quibus liber repositus est obligatus.

Item die lune [8] ante [festum] Martini computavit magister Egidius Kaudeles, antiquus rector, et fuit compotus ejus ab omnibus approbatus.

Item die jovis ante [9] festum sancti Eadmundi

1. 9 *Septembris.*
2. 15 *Septembris.*
3. 17 *Septembris.*
4. 23 *Septembris.*
5. 20 *Octobris.*
6. 21 *Octobris.*
7. 5 *Novembris.*
8. 7 *Novembris.*
9. 17 *Novembris.*

computavit dominus receptor congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum super hoc specialiter facta; tenebatur ei nacio in 15 solidis, scuto valente 24 [sol.], omnibus computatis, exceptis 12 solidis remanentibus et 18 in priori computacione notatis, quos 12 solidos nacio debet bedellis adhuc solvere. Et fuit ejus compotus ab omnibus approbatus.

1356

[Johannes de Lychton.]

(*Fol. 33*) Anno Domini M° CCC° LVI, die veneris [1] proxima post festum Edmundi archiepiscopi [2], facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Johannes de Lychton Scotus nullo penitus reclamante. In cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

In primis dictus magister Johannes solvit unum scutum etc. pro prima procuracione sua.

Item in vigilia [3] beati Andree apostoli Jacobus Helye redemit apud Sanctum Maturinum pignora sua obligata nacioni pro XXXII solidis et VI denariis, prout melius patet in *libro receptoris*, scuto valente XIII solidos.

Die jovis [4] post [festum] Lucie computavit dominus receptor facta congregatione speciali ad hoc apud Sanctum Maturinum et tenebatur ei nacio in decem solidis, scuto valente XXIIII solidos, omnibus computatis et deductis, et fuit ejus compotus ab omnibus approbatus.

1356

[Henricus de Embeke.]

Anno Domini 1356°, die veneris [5] proxima post festum sancte Lucie, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Henricus de Embeke nullo penitus reclamante. In cujus procuratoria acta sunt que secuntur.

Primo die jovis [6] post Ephyphaniam computavit receptor magister Johannes de Dacia, et fuit ejus computus approbatus ab omnibus, et fuit computus totaliter sicud in procuratoria mei precessoris, puta in mense precedenti facta, ita postea, nichil recepit, nichil expendidit, sed remansit computus sicud fuit.

Item eodem die facta congregacione generali regencium et non regencium sub juramento ad Sanctum Bernhardum, fuit ex conformi deliberacione omnium facultatum abbas Sancte Genofefe [7] privatus ab honoribus quibuslibet sibi possibilibus ab Universitate propter istam causam, quod idem abbas, cum deberet tenere placita amicabilia cum dominis de Sarbona in camera sua, permisit nec reclamavit quod camerarii et servientes sui clauso hostio eosdem magistros de Sarbona graviter offendebant, ipsos atrociter percutiendo, et quosdam usque ad effusionem sanguinis vulnerando.

Item eodem die fuit deportata archa Universitatis de monasterio Sancte Genofefe ad collegium Navarre causam ob predictam.

1357

Tempus procuracionis magistri Remboldi de Gamundia situata in Swevia.

Memorandum quod anno Domini 1357°, in octava [8] Epiphanie, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, inchoata fuit electio procuratoris dicte nacionis, et nullo penitus contradicente electus fuit concorditer magister Remboldus Vaener de Gamundia, Augustensis dyocesis, in procuratorem nacionis prefate. Verum quia dictus magister Remboldus absens fuerat, ideo electio continuata erat usque *ad tabernam prope castelletum*, in qua propinatur vinum de Portigalia, ubi eciam electio ejus, cum tunc presens esset, fuit unanimi voce omnium confirmata.

In cujus procuratoria acta sunt ea que secuntur.

Primo namque magister Heinricus de Embeke dedit unum florenum de procuratoria sua, et magister Remboldus antedictus dedit duos florenos, unum de introitu, et alterum de procuratoria, de quibus fiebat magistris unum prandium in taberna prenominata et die predicta.

Item die sabati [9] immediate sequente fuit sigillata privacio abatis Sancte Genofefe, et die dominico publicata apud Jacobitas facta congregatione generali, in qua pro dicto abbate regina Francie et qui-

1. 18 *Novembris.*
2. *Inter lineas* od differentiam Edmundi regis. *Festum archiepiscopi* 16 *Nov. celebrabatur, ut apparet e* Kalendario, *ubi charactere recentiori scriptum est :* Edmundi archiepiscopi Cantuariensis, cujus corpus in Pontiniaco, Cistertiens. Ord.
3. 29 *Novembris.*
4. 15 *Decembris.*
5. 16 *Decembris.*
6. 12 *Jauuarii.*
7. Johannes de Viriaco, *seu* « de Viri », *ut legitur in Reg. Vat. Clem* VI, n° 187, f. 129 b, *mag. in theol., abbas ab an.* 1349, *April.* 27.
8. 13 *Januarii.*
9. 14 *Januarii.*

dam cardinalis supplicabant, quorum suplicaciones non fuerant admisse.

Item die Fabiani[1] magister Petrus de Dacia redemit quendam librum jacentem in cista apud Sanctum Maturinum, qui pertinebat domino Machario socio suo pro XXX solidis.

Item die martis[2] proxima ante festum Purificacionis computavit rector antiquus rectori novo, et fuit compotus ejus approbatus, dummodo satisfaceret de tribus scutis, que recepit a facultate tempore rectorie sue.

Item die martis[3] proxima post festum Purificacionis apud Sanctum Julianum pauperem facta congregacione nacionis ad supplicandum, suplicavit dominus Cůnradus Schapel de Rotwil incepturus in artibus quatenus burse, quas nacioni propter incepcionem teneretur, sibi misericorditer remitterentur, cum nec hic nec alibi haberet unde solveret, et fuit suplicacio ejus concessa.

Item die jovis[4] statim sequente facta congregacione dicte nacionis apud Sanctum Maturinum computavit receptor, et nacio permansit sibi obligata in sex scutis minus duobus solidis, et fuit compotus ejus ab omnibus approbatus.

Item ibidem fuit concorditer electus in examinatorem Sancte Genofeve magister H[enricus] de Kempis.

Item fuerant electi ibidem in examinatores determinancium magister Themo Judeus de Westphalia una cum magistro H[enrico] de Embeke, et post hoc dictus magister H. de Kempis solvit unum scutum, de quo fiebat solacium magistris in taberna *ad ymaginem nostre Domine* in vico Sancti Jacobi.

(*Fol. 33* b) Item suplicavit magister Themo quatenus nacio sibi restitueret unum scutum, quod ipse concessit in quadam societate magistrorum, et fuit suplicacio ejus concessa, dummodo ipse informaret nacionem, quod ex jussu magistrorum illud concessisset.

Item juravit dominus Cůnradus Schapel in artibus incepturus.

1357

[Johannes de Mynda.]

Anno Domini M°.CCC°.LVII°, die 10ª mensis Februarii, facta congregatione magistrorum nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, electus fuit in procuratorem concorditer magister Johannes de Mynda, in cujus procuratoria acta sunt hec que sequentur.

Primo dictus magister die precedente nomine procuratoris solvit unum scutum, de quo cum quodam alio dato per magistrum Hinricum de Kempis nomine examinatorum ad Sanctam Genovefam, de quibus factum erat unum prandium magistris dicte nacionis.

Item 19ª die ejusdem mensis facta erat congregacio apud Sanctum Julianum pauperem super quodam bacalario, nomine Johannis Mast, Leodiensis. dyoc., qui dum incipere volebat et transiisset cum bedellis nacionis Pycardie per vicum Straminis ad petendum licenciam a magistris facultatis artium, ut moris est, si incepcio sua in dicta facultate eis placeret, respondit magister Themo Judeus nacionis Anglicane, quod non, eo quod alias determinans fuit in sua nacione, et super hoc orta fuisset lis inter magistros nacionis Pycardie et nacionis Anglicane predictarum[5], ex eo quod quelibet nacio eum dicebat pertinere ad suam nacionem, et super hoc discussum fuisset in facultate predicta, quod nec magis se tenere deberet ad unam nacionem quam ad aliam, nec solvere bursas uni nacioni magis quam alteri, nec jurare plus uni quam alteri, ymmo suas bursas solvendas ponere deberet in manu sequestra, videlicet domini rectoris, ut puto, donec diffinitum esset, ad quam nacionem pertinere deberet predictus bacalarius et sui consimiles, et hoc non fecisset ut sibi videbatur, propterea quia cum bedellis nacionis Pycardorum ad petendum licenciam, ut superius dictum est, magis transiisset quam sue nacionis, ideo sibi licenciam dare non voluit. Facta congregacione super hoc, ut predictum est, quid foret agendum; et dum magistri predicte nacionis Anglicane essent in consilio super hoc, accesserunt ad eos magister Johannes Burydam, magister Jacobus Juvenis tanquam sui amici duntaxat et non sicud nacio vel supposita nacionis supplicando eis, quatinus inceptio predicti bacalarii in predicta facultate eis placeret. Traxerunt se ad partem post paululum, et satis cito consilio habito eis dederunt responsum amicabiliter sicud supplicaverunt, quod hoc nequaquam permittere possent nisi inciperet eo modo et forma, quibus alias diffinitum erat per predictam facultatem, videlicet quod nec uni nacioni plus quam alteri jurare sive solvere bursas suas de predictis actibus deberet quoquo modo, nec plus se trahere deberet ad unam quam aliam, et oppositum hujus attemptare presume-

1. 20 *Januarii.*
2. 31 *Januarii.*
3. 7 *Februarii.*
4. 9 *Februarii.*
5. *Vid. supra*, p. 35.

ret, ut eis appareret, ideo hoc permittere salvis juramentis nequaquam possent. Breviter motis racionibus hinc inde concordate sunt in unum ambe naciones, videlicet nacio Pycardie et Anglicana, quod dictus bacalarius jurare deberet utrique nacioni indifferenter juramenta solita, quod ad quamcunque nacionem judicatus esset, quod sibi indissolubiliter adhereret, et ex nunc sibi illa juramenta faceret sine fictione quacunque et ex corde. Super hoc nacio Anglicana eo tunc instrumentum publicum confici sibi instanter petebat. Et sic sibi licencia data erat ab utraque nacione habito juramento utrobique. — Bursa ejus XII solidi.

Anno Domini M° C°C°C° LVII°, determinaverunt isti qui sequentur.

Primo determinavit dominus Nycolaus de Calis de Prucia sub magistro Johanne de Pomarania, cujus bursa X solidi.

Item dominus Wernherus May, qui juravit satisfacere de bursis suis secundum gratiam sibi factam, cujus bursa 6 solidi.

Item determinavit dominus Servasius de Trajecto superiori [1], cujus bursa 13 solidi.

Item determinavit dominus Giselbertus Dievor, qui posuit pignora secundum gratiam sibi factam per nacionem, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Egidius de Trajecto superiori [2], cujus bursa 13 solidi.

Item determinavit dominus Johannes de Beke sub magistro Johanne Waspiic, cujus bursa nichil.

Item dominus Nicolaus de Suecia sub magistro Hinrico de Embeke, cujus bursa 15 solidi.

Item dominus Johannes de Suecia sub eodem magistro, cujus bursa 15 solidi.

Item dominus Hinricus dictus Peure de Trajecto superiori [2] sub magistro Reynbaldo de Gamundia, cujus bursa 6 solidi.

Item dominus Hinricus Scriptoris de Slusungen sub magistro Hinrico de Embeke, cujus bursa nichil.

Item dominus Patricius sub magistro Galtero de Wardelau Scoto, cujus bursa 12 solidi.

Item dominus Hinricus Bere sub magistro Hinrico de Embeke, cujus bursa 12 solidi.

Item dominus Gerhardus de Lyn sub magistro Hinrico de Embeke, cujus bursa nichil.

Item dominus Gerhardus de Daventria [3] sub magistro Johanne de Lovanio, cujus bursa 15 sol.

Item dominus Johannes Herwici de Lûneborch sub magistro Hynrico de Embeke, cujus bursa 9 sol., pro quibus fidejubebat dominus Albertus de Molendino secundum gratiam sibi factam per nacionem.

Item dominus Johannes de Ricmestorpe sub magistro eodem, cujus bursa nichil.

Item dominus Wilhelmus de Hollandia sub magistro Johanne de Waspich, cujus bursa nichil.

Item dominus Fredericus Wanczeberch sub magistro Hinrico de Embeke, cujus bursa nichil.

Item dominus Hubertus de Beest sub magistro Johanne Mast, cujus bursa 12 solidi, scuto valente 36 solidos.

Incepit dominus Nycolaus Macer de Almekerc ultra Mosam antiquum [4] sub magistro Hinrico de Kempis, cujus bursa nichil.

Item incepit in artibus dominus Robertus Moni-[pen]e sub magistro Galtero Wardelaug, cujus bursa 12 solidi.

(*Fol. 34*) Item die nona mensis Martii computavit dominus receptor in Sancto Maturino supra cistam nacionis, et erat compotus suus approbatus et remansit obligatus nacioni in XXVIII libris, XIII solidis et 6 denariis, scuto valente XXXVI solidos.

Item supplicavit dominus Hinricus Wickenborch de Wismaria Razeburgens. dyocesis, ut haberet litteram testimonialem de bacalariatu suo, et fuit supplicacio sua concessa.

Item magister Themo informavit nacionem de quodam scuto a magistris de nacione perpotato in taberna *ad ymaginem beate virginis* in vico Sancti Jacobi, pro quo fidejussit ibidem.

1357

[Malcolinus de Dumbrek.]

Anno Domini M°CCC° quinquagesimo sexto, 10 die mensis Marcii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum, electus fuit in procuratorem magister Malcolinus de Dumbrek Scotus, in cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

In primis licentiati fuerunt domini infrascripti : dominus Artolphus sub magistro Alberto de Boemia, cujus bursa XIIII solidi.

Item dominus Hubertus sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa XII solidi.

Item dominus Jacobus Helyc sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa XII solidi.

1. *In margine* Trajectum superius.
2. *In margine* Trajectum superius.
3. *Est* Gerardus Groel.
4. de... antiquum *inter lineas charactere diverso*.

Item dominus Willelmus Buser sub magistro Theodorico de Heeswiic, cujus bursa XII solidi.

Item dominus Ulricus de Depenhem sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa X sol.

Item dominus Theodoricus de Campis sub magistro Johanne de Lovanio, cujus bursa sex solidi de forti, scuto valente X et sex [sol.]

Item incepit Henricus Kal[k]er sub magistro Henrico de Kempis, cujus bursa nichil. Juravit rectori III solidos de forti.

Item dominus Johannes de Samery Scotus, quia alias promisit, cum veniret ad pinguiorem fortunam, solvere bursas sue determinacionis et pro scolis, solvit II mutones.

Item dominus Nicholaus de Swecia licentiatus sub magistro Johanne de Dacia, cujus bursa V solidi de debili.

Item dominus Nicholaus Calis de Prussia sub magistro Temone, cujus bursa V solidi de forti. Dedit literam curie officialis pro fidejussione, et [1] satisfecit anno Domini 1362 mense Octobri.

Item pro uno instrumento super facto inter nos et Piccardos X solid. et VI denar.

Item Hermannus de Daventria determinavit sub magistro J[ohanne] de Lovanio, cujus bursa XIIII solidi.

Item [2] incepit dominus Artoffus [de] Lauterwech in artibus sub magistro Alberto de Bohemia anno Domini 1357, 23 die Martii.

(*Fol. 34 b*). Item die sexta Aprilis audito compoto receptoris remansit nacioni obligatus in XLI libris, XI solidis, VI denariis, scuto valente XXX sex solidos; item in duobus mutonibus et II scutis pro bursa Willelmi Buser.

1357

[Henricus de Embeke.]

Anno Domini 1357°, sexta die Aprilis, facta congregacione nacionis Anglicane super eligendo procuratore, electus fuit concorditer magister Henricus de Embeke apud Sanctum Julianum, in cujus procuratoria acta sunt que secuntur.

Primo licentiatus fuit Hermannus de Daventria sub magistro Johanne de Lovanio, cujus bursa VI solidi de forti moneta, scuto valente 16, et posuit pignora.

Item dominus Johannes de Suecla sub magistro Johanne de Dacia, cujus bursa 8 solidi, scuto valente 16, posuit pignora usque ad festum Johannis Baptiste.

Item dominus Patricius de Scocia sub magistro Galtero Wardlaw, cujus bursa 6 solidi.

Item dominus Wilhelmus Hak de Capella, cujus bursa nichil, sub magistro Hermanno de Kempis.

Item dominus Thidericus de Campis incepit in artibus sub magistro Johanne de Lovanio, cujus bursa 6 solidi. Posuit pignora.

Item dominus Hermannus de Daventria incepit sub eodem, cujus bursa 6 sol., et posuit pignora.

Item licentiati fuerunt dominus Arnoldus Longi et dominus Franciscus de Lippia Pruteni sub magistro Alberto de Saxonia, quorum cujuslibet bursa 4 solidi de forti moneta, scuto valenti 16 solidos.

Item incepit dominus Johannes de Swecia sub magistro Johanne de Dacia, cujus bursa 8 solidi. Posuit pignora ad festum Johannis Baptiste.

Item observandum est quod in die sabbati in festo Pasche in congregacione generali ad Sanctum Maturinum fuit illud statutum Universitatis, scilicet si quis appellaverit a deputatis ad Universitatem, debet solvere 10 solidos, etc., ut habetur in statutis, interpretatum per decretistas, ad quos omnes alie tres facultates se quantum ad hoc remittebant, isto modo, scilicet non esse intelligendum ubi una communitas ageret contra communitatem et appellaret, sed magis ubi persona singularis sic appellaret.

Item in alia congregacione generali sequenti ad duas dies vel tres, deliberatum fuit per omnes facultates concorditer, quod ex quo rector nobis suspectus esset, cum esset pars partis adverse nobis, quod non deberet interesse deputatis pro illo facto, quod erat inter nationem nostram et Pycardorum, sed deberet substitui persona indifferens utrique parti non suspecta.

Item supplicavit predictus magister Hinricus de Embeke existens procurator, ad Sanctum Maturinum omnibus magistris de nacione super hoc vocatis, et super (*sic*) concorditer concessum ab omnibus nullo reclamante, quod de pecunia quam tenebatur nacioni, daret partem, que tamen non esset minor medietate, et reciperet pignora sua, et de residua promitteret fide data quod quam cito status suus ita pinguis fieret, eam solveret sine omni fraude et negligencia nacioni, quod idem magister data fide promisit.

Item licenciatus fuit Hermannus de Wezalia sub magistro Johanne de Aquis, cujus bursa 4 solidi, scuto valente 16, pro quibus dedit litteram officialis.

1. Et... octobri *posterius add.*

2. *Quae sequuntur, alio charactere.*

Item licenciatus fuit dominus Ghiselbertus de Lichtenberch sub magistro Henrico de Kempis, cujus bursa 7 solidi.

1357

Procuracio magistri Willelmi de Spyny, Scoti, clerici Moraviensis dyocesis.

Anno Domini M.CCC°. quinquagesimo septimo, quarto die Maii, facta congregacione apud Sanctum Julianum pauperem in nacione Anglicana super eligendo procuratore, electus fuit concorditer magister Willelmus de Spyny Scotus, in cujus procuratoria acta sunt que sequntur.

In primis idem magister Willelmus solvit I scutum nacioni pro procuratoria, et magister Johannes[1] [de Swecia] solvit I scutum pro principio magisterii, et potaverunt magistri nacionis *apud navem*, ubi magister Johannes de Dacia receptor unum scutum de pecunia nacionis exposuit ultra II antedicta.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Matulinum X die mensis ejusdem, supplicavit dominus Arnaldus de Prucia quatinus nacio sibi crederet bursas pro sua incepcione debitas, quod et fecit ea condicione, ut se obligaret sub sigillo officialis ipsas infra tunc et festum sancti Jacobi soluturum[2], et quod illa die adveniente ulteriorem non peteret dilationem, quod et acceptavit et nacio concessit. Cujus bursa IIII solidi.

Item incepit idem dominus Arnaldus sub magistro Alberto de Saxconia, qui de bursis satisfecit ut est premissum.

Item compoto receptoris audito apud Sanctum Maturinum die jovis[3] ante festum Penthecostes, remansit obligatus in XXVII solidis et VI denariis, scuto valente XVI solidos, et in XLI libris III solidis et VI denariis, scuto valente XXXVI solidos.

(*Fol. 35*) Continuatio magistri W. de Spyny, Scoti.

Anno quo supra, primo die mensis Junii, facta congregacione apud Sanctum Julianum pauperem magistrorum nacionis Anglicane super eligendo procuratore vel continuando antiquo, placuit omnibus nullo contradicente eundem magistrum Willelmum de Spyny continuare.

In cujus continuatione incepit dominus Nicholaus de Svecia sub magistro Johanne de Dacia, cujus bursa VIII solidi.

Item secundo die Junii[4] in congregacione generali apud Sanctum Maturinum optentum fuit, ut procuratores nacionum Picardie et Anglie non sederent cum deputatis Universitatis in causa mota inter duas illas naciones super quibusdam terris et personis.

Item XXVIII die Junii facto compoto remansit receptor obligatus nacioni in XXVII libris cum IIII solidis et VI denariis, scuto valente XXXVI solidos. Item debent solvi scole magistri Themonis.

Item procurator I scutum pro expensis *apud Landitum* ex deliberatione nacionis.

Item die ultima mensis Junii optinuit magister Johannes Mast, de quo inter naciones Picardie et Anglie est dissensio, quod secundum formam cujusdam statuti legati apostolici[5] remittebatur sue conscientie et juramento, cujus se credat nacionis, et juravit[6].

Continuatio ejusdem magistri Willelmi de Spyny, Scotus.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem in festo beati Petri super electione procuratoris, quia in vacacionibus fuit, et alius eligi ad tunc non potuit, continnatus fuit memoratus magister Willelmus de Spyny, Scotus.

Positiones Picardorum[7].

Item facta congregacione deputatorum in causa inter nos et Picardos die II mensis Julii et sedentibus eis pro tribunali apud Sanctum Maturinum, magister Johannes Buridan ex approbatione procuratoris Picardorum predictis judicibus per modum *intendit* seu memorie optulit quemdam rotulum, cujus copia nobis dabatur petentibus, et est talis.

Intendit probare coram deputatis et reverenda matre sua Universitate Parisiensi nacio Picardorum contra nacionem Anglicorum articulos subsequentes ad fines infrascriptos.

Primo quod a tanto tempore, de cujus contrario memoria hominum non existit, fluvius dictus Mosa in partibus illis, in quibus ex utroque latere dicti fluvii lingua materna est theotonica, usque in mare (sive ille fluvius nominetur Mosa, sive Marocda),

1. *Postea spatium.*
2. *Ms.* solvituras.
3. 25 *Maii.*
4. *Ms.* Julii. *Utique infra*, p. 212, 31, *de congregatione* 2 *Julii agitur.*
5. Simonis. *Vid.* Chartul. Univ. Paris., I, p. 456.
6. Nationem Picardorum *elegit, ut apparet e Rotulo an.* 1362, *in* Chartul. Univers. Paris., III, n° 1265.
7. *In ms. in margine.*

naves quorumcumque ipsi navi anglicorum ... ut de cetero sic eo eius aut navium piscatorum distinguerentur ... quod pacifice pluriumque navium piscatorum gaudere suis ... et possessione per dictum usque ad portum flumini Mosam

Item asserimus sic dicti piscatores intra ad ostium dicti ... quod sibi valeant ea quaque que de predicto portu ... ad hec ... admittere

distinxit, distinguit et distinguere debet predictas naciones, sic quod omnes magistri sive scolares de illis partibus circa dictum fluvium oriundi hactenus fuerunt et esse debuerunt, sunt et esse debent de nacione Picardorum, et sic a dicto tempore exstitit observatum.

(*II*) Item quod magistri et scolares Parisius studentes de villa de Buscoducis semper ab antiquo tempore reputati fuerunt et se tenuerunt de predicta nacione Picardorum.

(*III*) Item consimiliter de magistris et scolaribus de villa de Heusden, Trajectensis diocesis.

(*IV*) Item consimiliter de Trajecto superiori et de Monte Sancte Ge[r]trudis, Leodiensis diocesis.

(*V*) Item consimiliter de omnibus villis et locis circumvicinis prenominatis villis usque ad predictum fluvium Mosam.

(*VI*) Item intendit dicta nacio Picardorum probare contra dictam nacionem Anglicorum, quod ipsa est adhuc in presenti tempore in possessione omnium vel plurium magistrorum et scolarium de predictis villis tam nominatis quam circumvicinis usque ad predictum fluvium.

(*VII*) Item quod si predicta nacio Anglicorum aliquos magistros vel scolares de illis villis et partibus ad se traxerit, prout nititur facere omni die, hoc fuit clandestine vel quasi, et ignorante dicta nacione Picardorum, que hoc potuit prout fecit in casu predicto universaliter ignorare.

(*VIII*) Item quod super premissis laboraverunt et laborant publica vox et fama.

(*Conclusio*). Quibus premissis articulis probatis vel concessis, dicte sue reverende matri Universitati Parisiensi aut super hoc deputatis ab eadem petit et supplicat memorata Picardorum nacio quatinus per eandem matrem vel deputatos predictos declaretur et pronuncietur, pro se et contra dictorum Anglicorum nacionem, proprietatem et possessionem dictorum magistrorum et scolarium de locis [et] villis supradictis Parisius studentibus ad se ab antiquo spectasse et nunc spectare de jure debere, et quod magistri et scolares tot quot nunc sunt de locis et villis predictis, si qui sint per nacionem Anglicorum subjecti, surrepti et[1] amoti a dicta Picardorum nacione, ad eam revertantur et reverti cogantur per dictam reverendam matrem aut ejus deputatos predictos. Et insuper petit et supplicat dicta Picardorum (*Fol. 35 b*) nacio quatinus ipsi nacioni Anglicorum prohibeatur ne de cetero sic terminos ejus contra nacionem Picardorum transgredi presumat, sed pacifice permittat nacionem Picardorum gaudere suis proprietate et possessione predictis usque ad predictum fluvium Mosam.

Non astringens se dicta Picardorum nacio ad omnia dicta probanda, sed quod sibi valeant ea queque que de predictis poterit probare, et probabit, petens ad hec probanda admitti[2].

(*Fol. 36*) Item audito compoto receptoris apud Sanctum Maturinum die jovis[3] post festum beati Jacobi, remansit obligatus in VIII libris cum XIII solidis et VI denariis, scuto valente XXXVI sol.

Responsiones nacionis Anglicorum ad articulos Picardorum.

Ad positiones et articulos editos et formatos ex parte nacionis Picardorum contra nacionem Anglicanam protestacione premissa ex parte ipsius nacionis Anglicorum, quod per responsiones nunc vel alias faciendas eisdem non intendit nacio Anglicorum articulos et positiones hujusmodi approbare ymmo potius reprobare, ac etiam de eorum ineptitudine et insufficientia protestari, respondet ipsa nacio Anglicana non animo litem contestandi, sed causa satisfaciendi per responsiones debitas termino super hoc assignato.

Primo, ad primum articulum respondet ipsa nacio Anglicorum quod qualicunque lingua loquantur ex una parte vel ex utraque ipsius fluvii vel qualicunque lingua ille fluvius vel partes illius nominentur, distinctio pretensa per dictam nacionem Picardorum eo modo quo proponitur et ad finem ad quem tendit, non est vera, salva reverencia proponentis, ymo veritas se habet quantum ad distinctionem ipsius fluvii et villarum eo modo, quo in factis positis articulis et positionibus dicte nacionis Anglicorum continetur, et eodem modo ibidem contento extitit observatum.

Ad II III IIII et V articulos respondet per interempcionem et facta contraria proposita ex parte sua, que affirmat esse vera, et ea offert sub tenore tradito se legitime probaturam.

Ad VI articulum respondet ipsa nacio Anglicana per interemptionem similiter et factum contrarium evidens et manifestum prout offert se legitime probaturam, et quod possessio quam pretendit non

1. *Postea ms. add.* admoti.
2. *Sequitur hic tabula geographica, quam photographica arte reddendam curavimus.*
3. 7 *Julii.*

debuit nec debet [dici] possessio, ymo allectiva subtractio, usurpatio et occupatio fraudulenta et detencio violenta.

Ad VII et VIII articulos respondet similiter per interempcionem et factum contrarium, se ad suos articulos per omnia referendo.

Ad conclusionem respondet quod ipsa peccat notorie et manifeste in jure nec sequitur ipsa conclusio ex narratis.

Item est ipsa peticio ex implicitis dubia, vaga et obscura, specificacionem circonstanciarum debitam et declaracionem congruam nullatenus conprehendens, et talis quod de jure eadem nacio Anglicorum eidem peticioni et conclusioni eo modo et ad finem quibus proponitur non tenetur respondere.

Copia posicionum et articulorum Anglicorum contra nacionem Picardorum.

Ad finem quod per reverendam matrem nostram universitatem magistrorum et scolarium Parisiensium pro magistris et scolaribus (quatenus eos tangit) nacionis Anglicane ab olim in studio Parisiensi constitute, et contra illos de nacione Picardie vel per nos seu per alios per dictam matrem nostram ad hoc specialiter deputatos vel etiam deputandos pronuncietur ac etiam sentencialiter declaretur, magistros et scolares de circuminjectis finibus et terris infrascriptis ac intra et infra illos existentes, ac jura scolastica et debita, de quibus inter dictas naciones questio ventilatur, ad ipsam nacionem Anglicanam et magistros ejusdem pro ipsa nacione et ejus nomine in dicto studio pertinere, ac personarum et rerum petitarum tam proprietatem quam possessionem (ad hoc ut de dicta Anglicana nacione in predicto studio censeantur) eidem nacioni adjudicando, dicte nacioni Picardie super illis silencium perpetuum imponatur, statuaturque decernatur et fiat ulterius, quod jus et ratio suadebunt : proponit et dicit in jure dicta nacio Anglicana contra dictam Picardie nacionem facta rationes et jura que sequuntur coram dicta matre nostra seu nobis dominis et magistris ad hoc per ipsam specialiter deputatis.

Positiones vero et articulos super eiisdem racionibus atque factis ad intentum et ad finem premissorum dat et probare intendit dicta nacio Anglicana infrascriptos, in quantum posiciones et articuli hujusmodi pro ipsa nacione faciunt et contra dictam Picardie nacionem, et non aliter nec ulterius, quibus posicionibus et articulis petit per partem adversam respondere, tam conjunctim quam divisim, et de quolibet per debitum juramentum, ac quibus sufficienter visum non fuerit, pro confessatis haberi. Sic articulatur et ponit[1].

[Positio Nicolai de Almekerc[2]]

(*Fol. 61* [b]) [Venerabilibus dominis m]eis et magistris nationis Anglicane sub correctione notifico quod sub juramento meo mee nationi prefate [prestito, causa pen]dente inter nationem Pickardicam ac nationem meam reverendam Anglicanam volo conscribere, in quantum [potero, meram] veritatem.

Et primo de uno de quo Pyckardi faciunt difficultatem, scilicet quod Mosa antiquus deberet [dividere] nationem Anglicanam a natione Pyckardica, quod non est verum; ut postea declarabo. Constat enim [nationi mee reverende] Anglicane, nec non michi quod duplex est Mosa, scilicet antiquus et novus, et ambo descendunt ab uno [loco; et quidem antiq]uus, sic quod quando ille Mosa venit juxta unam civitatem que vocatur Hoesden, transit de parte meridi[onali ad septentrionem], et currit in uno fluvio qui vocatur Renus juxta unam villam nominatam Woudrichem, sic quod [invenitur ibi n]ovus Mosa incipiens a Hoesden usque Woudrichem, et continens in longitudine III parvas leucas. [Vocatur] novus Mosa, quia noviter citra LXXX annos, quando antiquus Mosa obstruebatur, juxta Hoesden incepit vigere. [At antiquus Mosa, quem] dicunt esse medium inter prefatas nationes, incipit in eodem termino, in quo incipit Mosa novus, scilicet juxta [civitatem Hoesden, sic] quod currit a parte orientali incipiens in prefato termino, descendens per lineam rectam de Hoesden, et se [dirigens in pa]rvo opido nominato Maesdam, et continens in longitudine septem leucas versus partem occidentalem. Et ut [patet, inclu]dunt[3] isti duo Mose unam insulam infra se, que vocatur Magna insula, que insula prefata continet partem [unam] Hollandie, territorium domicelli de Hoerne et Hoesden, et dominium de Hoesden in parte. Hoc de isto.

[Secund]o, constat enim nationi mee reverende Anglicane, necnon michi, quod nuncquam supposita aliqua istius prefate insule, que se Parysius studentes reputaverunt, sub natione Pyckardica fuerunt licentiata, magistrata, aut unquam aliquem gradum sub natione Pyckardica receperunt, nisi precise

1. *Postea vacat una pagina* (36b).

2. *Haec positio invenitur ad calcem manuscripti in ultimo folio vetustate lacerato, et quidem jam tempore Bulaei* (*vid.* IV, 343), *qui tamen adhuc plura quam nos, sed forsitan ex conjectura, legere potuit.*

3. Bulaeus ostendunt.

duo de Hoesden, que, dum in partibus eram, veraciter percepi, quod tempore illo quo Parysius studuerunt, nullos istius insule ibi sciverunt aut cognoverunt; quare, quia notitiam cum Pyckardis habebant, cum eis in formidine nationem acceptabant. Et eis hoc fecisse multum displicet. Hec de secundo.

Tertio, scilicet quod Mosa antiquus non sit medium dividens prefatas nationes, hoc patet, primo quia dum me Parysius transtulissem anno LII, non constabat michi de quatuor nationibus aliquid : quare ego quesivi a patre meo de nationibus et cujus nationis essem. Ipse michi respondit per hunc modum, quod tempore suo quo Parisius steterat cum dominis et domicellis de Hoerne, omnes de comitatu Hollandie se sub natione Anglicana esse reputaverunt, sive essent ultra Mosam sive citra. Et dixit hoc non solum esse verum et usutatum inter clericos, ymmo multo magis inter laycos illius comitatus. Et modo ita est quod illi de citra Mosam jacentes inter Mosam et nationem Pyckardie sunt citra Mosam antiquum. Igitur erunt de natione Anglicana, et per consequens, sicut dixi prius, Mosa antiquus non est medium dividens prenominatas nationes; ymmo quod magis est, sicut idem pater meus dixit, omnes sive de comitatu Hollandie, sive extra, qui suos equos comode ad Mosam antiquum vacant adaquare, aut alias bestias quascunque, et retro illos esset immediate medium dividens nationem Anglicanam a natione Pyckardie. Et sic omnes de territorio Hoesden essent et sunt secundum meram veritatem sub natione Anglicana.

Sed quod conscriptis jam tanquam ab ore patris mei non solum sit credendum, nec michi, ut dictis meis sit adhibenda fides, constat enim per multa supposita Parysius de illis partibus lycentiata, prefata et dicta esse vera.

Primo per illa de ultra Mosam antiquum, scilicet de Magna Insula, per mag. Franconem de Dordraco, per mag. Henricum de Dordraco, per dominum Guillelmum Borchgrave, per mag. Henricum Nerinc de Almekerc, per mag. Arnoldum de Hoesden, per mag. Theodoricum de Veene, magistrum in medicina, per dominum Ricoldum de Veene militem, quondam clericum, per multa supposita territorii de Hoesden michi ignota; similiter per multa supposita de territorio domicelli de Hoerne actu studentes Parysius existentia. Primo per Ludovicum Borgrave, per Gerardum Woudrichem, per Henricum Loy de Woudrichem, per Petrum de Echt de Woudrichem, per dominum Mensonem de Cloecwiic de Almekerc, per Johannem Franconis de Almekerc, per mag. Nicolaum Macer de Almekerc, per dominum Gerardum de Meylant de Almekerc, magistrum domicelli de Hoerne.

Secundo quod prefatus pater meus verum dixerat, quod illi de citra Mosam versus nationem Pyckardie sunt de natione Anglicana, hoc patet per supposita licentiata et magistrata de illis limitibus Parysius sub natione Anglicana. Primo per mag. Guillelmum de Zidewyn de Capella, per mag. Johannem Waspiic de Waspiic, per dominum Guillelmum Hake de Capella et per ejus fratrem, et per Johannem Rex de Monte S. Gertrudis. Deinde per unum magistrum de Heerlaer juxta Buscum Ducis, cujus nomen ignoro. Preterea constat michi quod de Hoesden usque ad Trajectum superius transeundo per Mosam sunt XXX leuce aut citra, per quas leucas XXX semper Mosa durat. Sic, ut michi apparet, omnes illi qui possunt adaquare suas bestias ad predictam Mosam, ut dixi, erunt sub natione Anglicana. Et hec prescripta ratifico per juramentum meum sub correctione et defensatione magistrorum meorum quoruncunque.
MAGISTER NICHOLAUS MACER DE ALMEKERC.

(*Fol. 37*) Item facta congregacione facultatis apud Sanctum Julianum pauperem die sabbati[1] infra octabam Assumptionis beate Marie, concessi fuerunt rectori et quatuor procuratoribus V bachelarii [pro] anno futuro solutis solvendis, presentibus in nacione nostra domino rectore ac magistris Alberto et Henrico de Saxonia ac me tunc procuratore, in qua congregacione erant innumerabiles Picardi, pauci tamen Normanni.

1357

Procuracio magistri Nicolai Johannis[2] de Swecia, dyocesis Upsalensis

Anno Domini millesimo CCC° quinquagesimo septimo, in XXVI die mensis Augusti, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super electione procuratoris, electus fuit magister Nicolaus Johannis de Swecia, in cujus procuratorio acta sunt que sequuntur.

Computacione facta ex parte receptoris in profesto[3] Nativitatis beate Virginis, remansit ex toto

1. 19 *Augusti*.
2. Johannis *hic et postea inter lineas charactere diverso*.
3. 7 *Septembris*.

obligatus dominus receptor nacioni in XXX septem solidis cum dimidio.

In primis idem magister Nicolaus solvit nacioni unum scutum pro procuratoria, et statim perpotatum fuit illud scutum per magistros in taberna *ad ymaginem nostre Domine* in vico Sancti Jacobi.

Item [1] die 10 mensis Septembris juravit idem magister Nicolaus coram deputatis Universitatis de veritate dicenda coram tabellionibus ad posiciones Pickardorum, et statim casu inopinato accidente recessit Aureoleanis propter arduas causas ipsum tangentes, substituens me Themonem Judei, et ego Themo in crastino, videlicet 11 die predicti mensis, comparui cum aliis deputatis nacionis coram tabellionibus apud Carmelitas, valens cavere de rathificacione nacionis tocius Anglicane, et jurare et respondere posicionibus loco procuratoris absentis, et minime fui permissus propter reclamaciones Pickardorum. Et ideo convocacione nacionis facta, concorditer fui electus et substitutus loco predicti magistri Nicolai et cum presentibus ibidem venerandus magister Henricus de Kampen, qui non presens fuit in congregacione nacionis, et ideo juxta consuetudines observatas debuit unum scutum magistris nacionis ad potandum. Et factum est [2] in taberna que dicitur *ad grangiam*, eadem die 11 de vespere, et reliqua ibidem potata solvebantur per contribucionem singulorum. Item in predicta congregacione ratificata substitucione mea per nacionem, supplicavit magister Nicolaus de Almekerken dictus Macer, quatenus sibi remitterent scutum dandum ad potandum de principio nacionis quia non haberet, et attentis suis fidelibus laboribus et multis in defensione nacionis contra Pickardos et eciam indigentia et benivolentia persone, nacio sibi misericorditer et graciose remisit.

Item die 12 mensis predicti facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum super habendo consilio et supplicacionibus, supplicavit magister Arnoldus de Celario de Locheym, quatenus si in brevi contingeret Universitatem mittere rotulum ad curiam, quod ipse imponeretur sub expensis suis tamquam presens, quia intenderet cito redire et studere et manere in studio semper, quod sibi fuit concorditer concessum.

Item [3] XVIII die mensis Septembris redii ego Nicolaus Johannis, et statim in crastino sequente venit ad me dominus Villelmus Buser et rogavit quod facerem unam congregacionem nacionis super habendo consilio de nacione nostra, qualiter idem Villelmus posset incipere, quia nacio Picardorum intendebat ipsum impedire, quia credebat eundem Villelmum esse de partibus illis, de quibus pendet lis inter predictas naciones, scilicet Picardam et Anglicanam. Et tunc facta congregacione nacionis eadem die, deliberatum fuit per magistros in congregacione presentes, quod quia malum esset impedire bachellarios ab incepcione ipsorum sine culpa eorum, et quia dubium erat inter Picardos de qua nacione esset predictus Villelmus, placuit nacioni Anglicane quod burse predicti bachellarii ponerentur ad manum sequestram, et quod ipse bachellarius juraret condicionaliter tam nacioni Picardorum quam nacioni Anglicane juramenta que in incepcione bachellariorum hactenus fieri sunt consueta, videlicet quod si rite adjudicatus fuerit nacioni Picardorum, observare vellet statuta et consuetudines, etc., nacionis Picardorum, si autem adjudicatus fieret nacioni nostre Anglicane finaliter, statuta nostra observaret. Et quia predictus Villelmus Buser magis se gerebat et eciam juramento prestito in plena congregacione generali fore reputabat se de nacione nostra Anglicana, idcirco specialiter juraret quod interim, cum esset in congregacionibus nostris, secreta nostra nulli revelaret. Et sic factum est.

Item predictis juramentis prestitis predictus Villelmus Buser posuit pro bursis suis ad manum sequestram ex consensu ambarum nacionum tam Picardorum quam Anglicorum, videlicet ad manus magistri Johannis de Calore [4], duos florenos de bono pondere.

Item dominus rector Universitatis pro tunc habuit de sepedicto Villelmo unam bursam, videlicet sex solidos, non obstante quod sex bursas posuerat in manu sequestra, quia aliter rector non permisisset eum incipere.

1357

[Thomas de Duns.]

Anno Domini M° CCC° quinquagesimo septimo, 23 die Septembris, facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, electus fuit in procuratorem predicte nacionis concorditer magister Thomas de Duns. In cujus procuratoria acta sunt hec que secuntur.

Primo computavit magister Johannes de Dacia, tunc receptor, et facto compoto tenebatur nacioni in 43 solidis 6 denariis, scuto valente 36 solidos.

1. *Diverso charactere, i. e. manu Themonis.*
2. *Ms. potius* ita.
3. *Quae sequuntur scripta sunt manu Nicolai.*
4. *Nationis Gallicorum.*

Item ibidem electus fuit magister Themo Judei eadem congregacione in receptorem nacionis. Et eadem die nacio consumpsit in taberna *ad cignum* in Civitate 6 libras et 10 solidos.

Item facto ibidem compoto dedit magister Malcolinus nacioni unum scutum Edwardinum de 14 sol., protestando quod si exigeretur ab eo per quemcunque, receptor eidem satisfacere teneretur. Item tunc addidit receptor duos solidos illi scuto pro vino habendo et speciebus, et sic tota summa est septem libre 6 solidi.

Item magister Theodericus[1] de Kampis solvit receptori 4 mutones et 12 solidos, scuto valente 16 solidos, pro pignoribus suis.

(*Fol. 37* [b]) Item magister Henricus de Kempen solvit 67 solidos, scuto valente 13 solidos et 4 denarios.

Item in quadam congregacione nacio elegit deputatos ad ordinandum aliquam pecuniam pro magistro Nicholao de Almekerch, qui secuntur, scilicet magistrum G. de Wardelav, magistrum Johannem de Lovanio, magistrum Albertum de Saxonia una cum receptore et procuratore, qui convenientes in Carmelitas ordinaverunt pro eo octo scuta et duos solidos.

Item computavit magister Themo, et compotus ejus fuit a nacione approbatus, et tenebatur in duobus scutis cum dimidio.

1357

[Johannes de Constancia.]

Anno Domini quo supra, 21 die mensis Octobris, electus fuit in procuratorem concorditer et sine cujuscunque contradictione magister Johannes de Constancia in congregacione nacionis ad Sanctum Maturinum ad hoc specialiter factam. In cujus procur[atoria] acta sunt que secuntur.

Primo prefatus magister Johannes supplicavit quatenus a nacione recommendatus esset episcopo Constanciensi, cujus peticio in eadem congregacione fuit admissa.

Item die dominica sequenti proxime[2] facta congregacione, propositum fuit de facto Bikardorum, cum illa die terminus eis ad procedendum in causa fuisset, prout habui ex relatione magistri Thome de Duns, quia nec ipsi Bikaridi nec deputati comparuerunt, dictum fuit ex quo essemus rei et nostra interesset solum defendere seu fugere, nichil esset attemptandum a nobis, tum ad cautelam accessi magistrum Odardum Billeti, tunc existentem in congregacione, et ex parte nacionis mei exhibui presentiam cum actibus nostris tanquam procurator nacionis antedicte, paratus procedere in causa coram deputatis, prout juris foret, et de hoc ejus testimonia invocavi presentibus badellis nacionis Bikardorum sepe dicte.

Die dominica[3] post festum Omnium Sanctorum proxima, prefixo nobis termino a deputatis ad tradendum ulterius posiciones super facto nostro et Bikardorum, cum magister Cristianus nobis dixerit quod cum bis tradiderimus et eciam super articulis nondum foret clare responsum, et cum aliquos testes produxerimus, ulteriori productioni deberemus insistere, idcirco magistro Odardo in ecclesia Carmelitarum per magistrum Macolonium Scotum in presencia mei in forma prescripta insinuacio fuit facta predictorum.

Item die martis proxima[4] post festum beati Martini facta congregacione apud Sanctum Julianum pauperem per juramentum super audiendo relationem magistri Mancolonii, qualiter per eum responsum foret posicionibus Pikardorum et super eligendis deputatis ad tractandum de concordia amicabili inter nacionem Anglicanam et nacionem Pikardorum, concorditer electi fuerunt procurator nacionis antedicte et receptor, magister Johannes de Dacia, magister Mancolonius Scotus, magister Jacobus de Hollandia, quibus insimul data fuit potestas a nacione antedicta tractandi super concordia inter prefatas naciones nomine nostre nacionis, et in casu ubi nacio Pikardorum suis deputatis omnimodam potestatem pasciscendi, transiendi, seu quocunque alio modo componendi, conferret, eandem nostris deputatis voluimus esse collatam; in casu etiam ubi Pikardorum nacio suos deputatos vellet referendarios esse dumtaxat, consimilis condicionis nostros deputatos vellemus esse in hoc casu.

1357

Magister Jacobus de Hollandia.

Anno Domini quo supra congregacione facta nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, electus fuit in procuratorem magister Jacobus de Hollandia, in cujus procuracione acta sunt hec que sequuntur.

Primo incepit dominus Ulricus de Sancto Gallo, cujus bursa 5 solidi, scuto valente XVII solidos, sub magistro Johanne de Constancia.

1. *Inter lineas: primo* Arnoldus.
2. 22 *Octobris.*
3. 5 *Novembris.*
4. 14 *Novembris.*

Item incepit Conrardus de Goch sub magistro Henrico de Goch, cujus bursa 6 solidi, scudato valente sicut prius.

1357

Heninghus de Pammyn.

Anno Domini quo supra, 16 die mensis Decembris, apud Sanctum Julianum pauperem facta congregacione nacionis Anglicane magistrorum tam regencium quam non regencium, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis magister Heninghus de Pammyn, diocesis Kamminensis, in cujus procuratoria acta sunt hec que sequuntur.

Primo, eodem die compotavit dominus receptor, qui singulis compotatis remansit nacioni in IIII scutis Johannis minus 44 denariis.

Item eadem die magistris nostris existentibus in prandio *ad grangiam*, magister Johannes de Constancia solvit unum scutum pro prima procuratoria, item magister Conradus de Goch unum scutum pro primo introitu congregacionis, item magister Henricus de Goch similiter unum, et magister Henricus de Kalkar unum, item magister Ubertus de Hollandia unum, item magister Ardolfus de Bavaria unum pro primo introitu.

Item eadem die et in eodem loco venerunt ad me magistri infrascripti, scilicet magister Conradus de Goch, magister Nicolaus de Goriham, magister Henricus de Goch, magister Jacobus de Goch, magister Ubertus de Hollandia, magister Ardolfus de Bavaria, magister Theodericus de Campen per nullum inducti nec requisiti, dicentes : « Nos scimus quod laudabilis consuetudinis est (*Fol.* 27) in nacione quod quilibet magistrorum solvat unum florenum in prima procuratoria sua, et nos sumus septem, quorum nullus fuit procurator. Si poteritis ordinare in nacione, quod nos mutuo solvemus, et quod magistri de nacione habeant inde unum bonum prandium, nos erimus promti et parati ad solvendum. » Super quo die veneris [1] ante Nativitatem Domini facta fuit congregacio, in qua concorditer deliberatum fuit, quod sic, et quandocunque eos contingeret esse procuratores, natio haberet eos ab hujusmodi solutione immunes. Et factum fuit prandium die sequenti *ad falconem* juxta parvum pontem.

Item facta congregacione in vigilia [2] Thome apud Sanctum Julianum ad supplicandum, supplicavit magister Conradus de Goch quod, cum ipse vellet ire Avenionem, si in sui absentia contingeret rotulum Universitatis mitti, si aliqui alii absentes imponerentur, ipse pariter imponeretur et quasi presens reputaretur solutis solvendis, quod et sibi graciose concedebatur.

Item 13 die Januarii facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, compotavit dominus receptor, quod singulis computatis nacio remansit in IIII scutis minus II sol., scuto pro XVIII solidis.

1358

Theodericus de Campen, Trajectensis dyocesis.

Anno Domini M°.CCC°. quinquagesimo octavo, tertiadecima die mensis Januarii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, electus fuit in procuratorem nacionis ejusdem nullo reclamante magister Theodoricus de Campen, Trajectensis dyocesis. In cujus procuracione facta sunt hec que sequuntur.

Primo facta congregacione nacionis apud Cordigeros in die sancti Pauli [3], supplicavit magister Hubertus de Beest ut haberet inducias usque ad medium Quadragesime de pecunia, quam teneretur nacioni. Et hoc erat sibi concessum, sed promisit tunc vel infra persolvere et non petere inducias ulteriores.

Et ulterius erat deliberatum quod fieret una alia congregacio ad aperiendum cistam et ad ordinandum de pecunia nacionis.

Item in die dominica sequenti [4] facta congregacione apud Maturinum, deliberatum erat per nacionem quod cista deberet aperiri et receptor deberet recipere pecuniam ad faciendum candelas in die Nostre Domine [5]. Et recepit 4 florenos, 3 antiqua scuta et unum scutum Philippi et 5 solidos, exceptis duobus denariis. Et similiter recepit librum magistri Alberti de Bohemia, quem magister Albertus dixerat se velle redimere.

Item facta congregacione nacionis super electione examinatorum determinancium, electi fuerunt magister Henricus de Kalkar, magister Wilhelmus Buser cum procuratore tunc existente, et postea in eadem septimana determinantes examinaverunt.

1. 22 *Decembris.*
2. 20 *Decembris.*
3. 25 *Januarii.*
4. 28 *Januarii.*
5. 2 *Februarii.*

Item in eadem congregacione electus fuit magister Henricus de Embeke in examinatorem baculariorum ad Sanctam Genovefam.

1358

Magister Artolfus Lauterwech.

Anno Domini 1358°, 10ª die Februarii, facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem, electus fuit magister Artolfus Lauterwech de Bavaria in procuratorem nacionis ejusdem, in cujus procuraria facta sunt que secuntur.

Primo in eadem congregacione computavit receptor quod omnibus computatis ipse tenebatur nacioni in uno solido.

Item facta una congregacione facultatis ad Sanctum Julianum, suplicaverunt magistri, scilicet magister Albertus de Saxonia, ut diebus festivis possit legere post sermonem Politicam, et magister Rubertus Normannus, ut eadem hora possit legere Centilogyum Tholomey, vel Quadripartitum Tholomey, quod ambobus concessum erat in hunc modum, ut ipsi non impedirent suplicacionem alicujus magistri volentem suplicare pro legendo in eadem hora.

Item facta congregacione nacionis Anglicane, suplicaverunt multi scolares volentes determinare, aliqui quia non haberent, ut nacio vellet eis bursas suas dimittere; alii ut possint ponere fadia; alii ut nacio eos expectaret sine pigneribus, et alii sic, alii sic. Quibus omnibus, altera die facta congregacione nacionis Anglicane, gracia fuit facta et per modum expedientis erat deliberatum, quod nacio non haberet dampnum, nec scolares pauperes simpliciter vel ut nunc [1], non prout impediti, ut quicunque vellet jurare quod nec hic nec in partibus haberet (*Fol.* 27 [b]) unde bursas solveret, ut sibi burse dimitterentur, quicunque autem non haberet promtam pecuniam ut poneret pignera suficiencia; quicunque autem non posset habere pignera, ut daret literam sub sigillo officialis in forma ut consuetum [2]. Terminus autem omnium istorum est festum sancti Philippi et Jacobi.

Isti sunt determinatores istius anni

Primo dominus Peregrinus de Zeleschitz sub magistro Alberto de Saxonia, cujus burse 9 sol. Solvit [3] totum.

Item dominus Goscalcus de Riga, dictus Lozebergh, Tharbatensis civitatis scolaris, qui Parisius de Riga dicitur, sub magistro Hainrico de Saxonia, cujus burse 5 solidi.

Item Theodoricus de Unna sub magistro Alberto de Saxonia, cujus burse 3 solidi cum dimidio. Satisfecit bedellis; pro residuo [posuit] pignora. Solvit [3].

Item dominus Hainricus de Rů̊tlig[en] sub magistro Reyboldo, cujus burse 4 solidi.

Item dominus Wilhelmus de Mechlinia prope Aquas sub magistro Johanne de Aquis cujus burse 9 s. Satisfecit bedellis et pro residuo [posuit] pignora.

Item dominus Wenemarus [4] de Zutphania sub magistro Johanne de Aquis, cujus burse 9 solidi.

Item dominus Theodoricus de Clivis sub magistro Hainrico Kalcher, cujus burse V solidi.

Item dominus Nicolaus de Sconhovia sub magistro Wilhelmo Buser, cujus burse 4 solidi. Solvit plus quam medietatem, pro residuo [posuit] pignora.

Item dominus Theodoricus Swecus sub magistro Nicolao Sweco, cujus bursa nichil.

Item dominus Arnoldus Ghir sub magistro Willelmo Buser, cujus bursa nichil.

Item dominus Tilmanus de Anrade, cujus burse 5, sub magistro Hainrico de Kempen, posuit pignora, satisfecit bedellis.

Item dominus Hainricus de Kempen sub magistro Hainrico de Kempen (*sic*), cujus burse 7 solidi, posuit pignora, satisfecit bedellis.

Item dominus Addam Catwiic sub magistro Hainrico de Kog [5] cujus burse 7 solidi cum dimidio. Posuit litteram, satisfecit bedellis.

Item [6] dominus Johannes de Berka sub mag. Hainrico de Kempen, cujus burse 5 sol., posuit pignora, satisfecit bedellis.

Item dominus Johannes de Novimagio sub mag. Hainrico de Kalcher, bu[r]se et similia sicud statim precedens.

1. *Ms hic vetustate consumptus est.*

2. *Exstat de hoc unum istorum instrumentorum officialis Paris., anni* « milles. CCC quinquages. septim., die lune post brondones » (*an.* 1358, 19 *Februarii*), *vetustate consumptum, in Arch. Univers. Paris,* thec. XIV, n° 18, *in quo referuntur scolares* Guerardus filius Alberti de Nimeghen (*Nimwegen*), Henricus de Hyemoe, Willermus..., *qui confessi sunt se debere nacioni Anglicanae* duodecim libras et octo (?) sol. paris., scuto auri de cugno Johannis Francorum regis computato pro viginti sol. paris., in quibus tenuerunt nacioni... pro determinancia in artium facultate habenda, *et promiserunt solvere* infra instans festum Penthecousten Domini (20 *Maii*) unacum omnibus dampnis.

3. *Charactere diverso.*

4. De Goye, *licent. an.* 1369.

5. *I. e.* Goch.

6. *Hoc nomen et subsequens cum omnibus adjunctis in ms. delebantur.*

Item dominus Borghardus de Rutliguen, cujus bursa nichil, sub magistro Reyboldo.

Item dominus Petrus Hoen sub magistro Wilhelmo Buser, cujus bursa nichil.

Item dominus Reynaldus Reynaldi de Novimagio sub magistro Wilhelmo Buser, cujus burse 8 solidi; posuit pignora, satisfecit bedellis.

Item dominus Hainricus Razeborgh sub magistro Hainrico de Saxonia
Item dominus Johannes de vico de Uden sub magistro Hainrico Kalcher
Item dominus Hainricus Gwilhelmi Taeliaert sub magistro Wilhelmo Buser
Item dominus Arnoldus de Aquis sub magistro Hainrico de Saxonia
} quorum bursa nichil.

Item dominus Rangualdus Swecus diocesis Scarens., sub magistro Nicolao Sweco, cujus burse 11 solidi.

Item dominus Wilhelmus Lodderpaep sub magistro Henrico de Kalker, cujus burse nichil.

Item dominus Hainricus Jehannis sub magistro Wilhelmo Buser, cujus burse 6 solidi. Wodrichem dicti Loye.

Item dominus Ludoffus de Foro sub magistro Alberto de Saxonia, cujus burse 7 solidi cum 8 denariis; posuit pignora, satisfecit bedellis.

Item dominus Jehannes Wandeler de Trajecto inferiori sub magistro Hainrico Kalcher, cujus burse nichil.

Item dominus Theodoricus de Hoekelem sub magistro Hainrico de Kempis, cujus burse nichil.

Item dominus Willelmus de Dordraco sub magistro Hainrico de Koch, cujus burse 7 solidi 6 denárii; posuit pignora, satisfecit bedellis.

Item dominus Florencius de Alcmade sub magistro Hainrico de Goch, cujus sunt burse 7 solidi 6 denarii; posuit pignora et satisfecit bedellis.

Item dominus Nicolaus de Alcmaria sub magistro Hainrico de Goch, cujus sunt burse 7 solidi 6 denarii; posuit pignora, satisfecit bedellis.

Item dominus Gizelbertus de Lechtebergh sub magistro Hainrico de Kempen, cujus burse 7 solidi 6 denarii; dedit 15 solidos, pro residuo pignora.

Item dominus Mathias de Ke[n]itze sub magistro Heinrico de Goch, cujus burse 7 solidi 6 denarii, et dedit 15 solidos et posuit pignora.

Item dominus Hainricus de Wesalia sub magistro Hainrico Kalcher, cujus burse nichil.

Item dominus Johannes Prois sub magistro Wilhelmo Buser, cujus burse 6 solidi; posuit pignora, satisfecit bedellis.

Item dominus Welherus de Wisensteigen sub magistro Reyboldo
Item dominus Fredemannus de Praga sub magistro Alberto de Bohemia
} quorum burse nichil.

Item dominus Johannes Dinkonis sub magistro Alberto de Bohemia, cujus burse 9 solidi; dedit litteram, satisfecit bedellis.

Item dominus Petrus de Culmine, sub magistro Reyboldo, cujus burse nichil.

1358

(*Fol. 38*)[1] Procuracio magistri Willelmi Buser, Trajectensis diocesis.

Anno Domini quo supra, vicesima die mensis Aprilis, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, electus fuit in procuratorem nacionis ejusdem magister Willelmus Buser, Trajectensis diocesis. In cujus procuracione facta sunt hec que sequuntur.

Primo facta congregacione nacionis predicte ad supplicandum et ad procedendum in causa contra nacionem Piccardorum, et hoc 22 die Aprilis et apud Sanctum Maturinum, assignata fuit utrique nacioni dies octava ad producendum et tradendum eorum *Intendit*[2], et dies 14ª ad probandum.

Item in eadem congregacione supplicaverunt isti domini : primo supplicavit dominus Nicholaus de Alcmaria, licenciatus in artibus, ut de incepcione sua bursas suas expectaret usque ad festum Bartholomei, et quod bonam caucionem literatoriam faceret, quod sibi concessum fuit, dum satisfaceret bedellis et eciam rectori. Et summa sua extendebat se ad 28 solidos, et si littera officialis plus contineat, hoc est ex vicio scriptoris.

Item supplicavit dominus Johannes de Ubach quod nacio sibi bursas remitteret tam de licentia quam de incepcione, quia dixit quod non haberet unde solveret. Sed quia noluit omnino paupertatem jurare, sed bene voluit jurare quod nec Parisius nec in partibus de propriis haberet 5 florenos annuatim consumere, ideo nacio volens sibi graciam facere sic ordinavit, quod de bursis suis solvendis nacioni tam de licencia quam de incepcione faceret bonam caucionem literatoriam nacioni, quod infra spatium duorum annorum solveret sibi duo scuta, ista tamen condicione apposita, quod si predictam pecu-

1. *Pagina dimidia vacat.*

2. *I. e.* « memoria ». *Vid.* 212, 36.

niam prius comode acquirere posset, cicius eam solveret.

Item in die Philippi et Jacobi [1] supplicaverunt isti bachalarii : primo supplicavit dominus Florentius de Alemade, quod terminus suus de pecunia determinacionis prolongaretur usque ad festum Remigii, et etiam quod burse sue de licentia sibi aspectarentur usque ad eundem terminum, dum tamen faceret bonam caucionem literatoriam, quod sibi concessum fuit [2]. Hoc idem fuit concessum domino Volkero usque ad festum Bartolomei, et domino Johanni Proys fuit datus terminus bursarum de incepcione usque ad festum Bartholomei, et Ghiselberto de Ghorichen de licencia, et domino Vepherman eciam de licentia fuit datus terminus usque ad festum Remigii, ista tamen condicione apposita quod, qui ponerent pignora, jurarent quod non haberent pecuniam, et qui ponerent literas, jurarent quod nec haberent pecuniam nec pignora.

Item sequenti die facta congregacione ad Sanctum Maturinum facultatis artium, deliberatum fuit concorditer quod duo magistri de qualibet nacione una cum domino rectore et bedello superiori utriusque nacionis irent ad dominum Ducem Normannie [3] propter pacem et concordiam Trium Statuum [4] et hoc expensis propriis, ita quod quelibet nacio faceret expensas illorum qui irent de illa nacione. Et quia ego fueram unus de illis deputatis, ideo substitui magistrum Artholphum Lauterwech ad exercendum officium meum interim quod essemus ad Ducem.

Item eadem die in primis Nostre Domine in loco predicto fuerunt dati deputati in antedicta nacione ad tractandum de pace et concordia inter predictam nacionem et nacionem Piccardie, ita tamen quod inconsulta nacione nichil diffinitive attemptarent.

(*Fol. 38* b) Item incepit dominus Nicholaus de Alemaria sub me prescripto procuratore, cujus bursa 8 solidi.

Item incepit dominus Johannes Proys sub me prescripto procuratore, cujus bursa 6 solidi.

Anno [5] Domini 1358, 3ª die Maii, facta congregacione nationis Anglicane substitutus fuit Artolfus Lauterwech in procuratorem ejusdem nacionis, in cujus substitucione facta sunt hec que secuntur.

Primo licenciatus fuit dominus Florentius de Alcmade sub magistro Wilhelmo Buser, cujus burse 8 solidi; satisfecit bedellis, pro residuo posuit pignora.

Item licentiatus fuit dominus Vepherman sub magistro Alardo de Osenbruge, cujus bursa 15 sol., satisfecit bedillis, pro residuo [posuit] literam. Satisfecit [6] de litera anno 62, mense Octobri.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Ubach, qui fecit secundum graciam sibi superius factam.

Item dominus Conradus de Bohemia licenciatus fuit sub magistro Alberto de Bohemia, cujus burse nichil.

Item dominus Giselbertus Pape, cujus burse nichil.

Item dominus Welcherus de Zutphania licenciatus fuit sub magistro Johanne de Marcia [7], cujus burse 10 solidi.

Item dominus Giselbertus de Wychghen sub magistro Dietrico de Campen, cujus burse 8 solidi; posuit literam.

Et [8] memorandum est quod post reditum nostrum, scilicet XIª die Maii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad audiendum tam computum meum quam eciam receptoris, ego procurator prescriptus computavi in presencia nationis quod ad usum nacionis exposui 14 scuta et 4 solidos, scuto valente 23 solidos, qui computus fuit approbatus.

Item ibidem computavit dominus receptor nacionis predicte, et fuit summa 59 scuta cum 14 solidis, et summa expositorum 31 scuta cum dimidio, ita quod dominus receptor omnibus computatis remansit obligatus nacioni in 28 scutis cum tribus solidis, scuto valente 22 solidos. Computus fuit approbatus.

Item computacione facta nacio predicta invicem comedebat, et ibidem dominus receptor exposuit pro nacione 3 libras cum 14 sol., scuto valente 23 sol.

Item ego procurator predictus ibidem solvi scutum meum de prima procuratura mea.

Item magister Gherardus Groet de Davantria ibidem solvit scutum de hoc, quod primo intravit congregaciones magistrorum nacionis predicte.

Item 16 die Maii facta congregacione apud Sanctum Matulinum ad supplicandum, supplicavit dominus Johannes Proys ut sibi terminus de bursis

1. 1 *Maii.*
2. *Ms.* fuerit.
3. *Qui postea fuit* Carolus V.
4. *Vid.* Chartul. Univers. Paris., II, p. 597, *not.* 16.
5. *Charactere* Artolfi.
6. *Alio charactere.*
7. *Non debet confundi, ut videtur, cum* Johanne de Marchia *nat. Gall.* Johannes de Marcia (Merzig) *erat nat. Anglic.*
8. *Nunc manu* Wilhelmi Buser.

determinature prolongaretur usque ad festum sancti Johannis. Et hoc idem supplicavit dominus Adam de Emelisse, quibus concessum fuit etiam.

1358

Remboldus Våner.

Anno Domini quo prius, 18º die Maii, habita congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, concorditer electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Remboldus Våner de Gamundia, in procuracione cujus acta sunt ea que subscribuntur.

Primo, 24ª die mensis predicti facta congregacione nacionis ejusdem apud Sanctum Bernhardum ad suplicandum, suplicavit Wernherus dictus May, ut sibi terminus de pecunia determinature prolongaretur usque ad festum sancti Johannis, quod concessum fuit, si juraret se non habere, et si prius haberet quod prius daret. Et hoc ipse juravit.

Item magister Johannes scilicet de Pavone solvit I florenum pro eo quod novicius erat in congregacionibus, de quo fiebat magistris presentibus prandium in quadruvio *ad ymaginem sancti Johannis.*

Item incepit dominus Martinus de Bohemia sub magistro Alberto de Bohemia, cujus bursa 10 solidi.

Anno quo prius, 16ª die Junii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum vel continuandum procuratorem et ad audiendum compotum receptoris, fui continuatus ego magister Remboldus Vaener de Gamundia de communi consensu omnium, nullo penitus contradicente.

Item computus receptoris fuit continuatus usque in sequentem diem.

Item magister Gilbertus de Lichtenberg solvit scutum, et magister Patricius Scotus etiam solvit I scutum, ambo pro eo quod novi erant in congregacionibus dicte nacionis, de quibus fiebat magistris unum prandium in quadruvio *ad ymaginem sancti Johannis* et ibidem de consensu magistrorum dominus receptor exposuit 1 mutonem.

(*Fol. 39*) Item die sequenti computavit dominus receptor, et omnibus expositis defalcatis et receptis appositis, remansit obligatus nacioni 37 scuta cum 2 solidis, scuto valente 24 solidos, et fuit computus ejus in congregacione dicte nacionis, facta super audiendo compotum receptoris apud dictum Sanctum Julianum, ab omnibus concorditer approbatus.

Item 19ª die mensis predicti facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum ad suplicandum, suplicavit magister Johannes de Minda quod si rotulus mitteretur ad curiam ipso absente, et si ponerentur absentes in eo, quod ipse eciam imponeretur, et hoc fuit sibi concorditer concessum.

Item suplicavit Nicolaus budellus quatenus nacio solveret duas libras pro censu camere sue, quod eciam concorditer fuit concessum, scuto valente tunc 24 solidos, cum protestacione tamen quod hoc sibi non deberetur de jure sed de gracia speciali.

Item 22ª die mensis prefati incepit dominus Heinricus de Wodrichem sub magistro Willelmo Buser, cujus bursa 7 solidi.

Item in vigilia[1] sancti Johannis Baptiste facta congregacione facultatis apud Sanctum Julianum ad eligendum rectorem, fuit concorditer electus in rectorem magister Johannes de Marchia nacionis Gallicane[2], et fuit electio ejus ab omnibus ratificata.

Item eadem hora et ibidem facta congregacione nacionis ad suplicandum, suplicavit magister Gilbertus de Lichtenberg quatinus terminus de peccunia nacioni debita pro determinacione et incepcione sibi prolongaretur, quod concessum fuit, et terminus fuit prolongatus usque ad festum sancti Bartholomei.

Item suplicaverunt dominus Adam Catwiic et dominus Mathias de Kencze quatinus terminus de pecunia determinacionis ipsorum usque ad festum Bartholomei prolongaretur, et fuit hoc concorditer eis concessum.

Item in die sancti Johannis Baptiste facta congregacione facultatis apud Sanctum Maturinum, fuit per facultatem concorditer deliberatum quod dominus rector una cum quatuor procuratoribus in expensis propriis irent ad dominum Ducem Normannie ad requestam et suplicacionem domine regine Johanne pro concordia inter ipsum Ducem et villam Parysiensem, et quod procuratores ponerent expensas pro rectore, sic tamen quod quantum tangeret rectorem, quilibet procurator de proximis proventibus rectorie defalcaret.

Item incepit dominus Johannes de Ubach sub magistro Johanne de Aquis, de cujus bursis fuit ordinatum, ut in procuratione magistri Gwillelmi Buser immediate me precedentis plene continetur.

1. 23 *Junii.*

2. *Sub ipso et contra ipsum exarsit denuo lis theologorum contra praeeminentiam rectoris ut e documento an.* 1359, *Februarii in* Chartul. Univers., III, nº 1246 *apparet. Vid. infra* p. 239, 30; 241, 11.

Item 12ª die Julii facta congregacione generali apud Sanctum Maturinum, suplicaverunt nacio Piccardorum et nacio nostra, scilicet Anglicana, quatenus Universitas composicionem ipsorum contentam in instrumento ibidem lecto approbaret, et instrumentum sigillo Universitatis sigillaret, quod fuit concorditer concessum. Forma autem instrumenti et compositionis inferius annotabitur[1].

Sequitur[2] appunctamentum divisionis provinciarum et locorum nacionis Piccardie et nacionis Anglicane[3].

Factum et sententiatum per judices per dictas naciones ad hoc electos, videlicet magistros Guillelmum de Alckines, Robertum de Racourt, Henricum de Olmen ex parte nacionis Picardorum; ex parte vero Anglicorum[4] magistros Allardum de Lunne, Geraerdum dictum de Wilde, et Johannem Wilhelmi, qui tanquam tractatores super controversia finium predictarum nacionum tractaverunt et sententiaverunt in hunc modum.

Videlicet quod fluvius dictus Mosa ab eo loco quo lingua theotonica incipit et gallica desinit, distinguet inter nationes predictas, usque perveniatur ad Mosam antiquum versus et supra Hoesden et partes ibidem circumvicinas, ubi Mosa antiquus distinguet inter prefatas Nationes quousque nomen suum Mosa videlicet recuperet, et deinceps ipse Mosa usque in mare, ita videlicet quod omnes et singule ville, oppida, castra seu domus aut loca situate, existentes et jacentes citra dictos fluvios Mosam novum et antiquum, usque dum antiquus Mosa nomen Mose recuperet, et deinceps infra ipsum fluvium Mosam appellatum usque ad mare, nec non in ripis dictorum fluviorum, et supposita, id est magistri et scolares ipsarum villarum, opidorum, castrorum, domorum aut locorum predictorum in quibuscunque partibus, territoriis, districtibus, sive Brabantie, Ghelrie, Hollandie, comitatus Lostensis, de Cuke, de Horst, de Vorst, de Herpen, de Eyke, de Hoerne, de Kessel, de Petersheym, et de aliis quibuscunque, qualitercunque appellentur, erunt, esse debent et perpetuo reputabuntur de natione Piccardorum et spectabunt libere et sine contradictione ad eandem nationem Piccardorum, exceptis infrascriptis, oppido scilicet Sancti Servatii Trajectensi super Mosam cum suis suburbiis sibi contiguis precise, villa de Maeseyke precise, nec non castro de Hoerne precise cum suo suburbio sibi contiguo, et magistris et scolaribus eorundem, Leodiensis diocesis, que, opidum videlicet Trajectense, villa de Maeseyke, castrum de Hoerne precise, ut premittitur, et earum supposita, magistri scilicet et scolares, spectabunt ad nationem Anglicanam; et date ipsi nationi Anglicane fuerunt in modum concordie et resignate propter controversiam et debatum quarundam villarum situatarum in Hollandia, quarum supposita magistros et scolares nec non emolumenta eorum ipsa natio Anglicana dicebat ad se pertinere. Quibus omnino ipsa Anglicana natio et omni juri, quod in eis et in aliis ex aliquibus aliarum villarum, locorum, opidorum, domorum, castrorum predictorum habuit et habere poterit, in futurum renunciavit. Et ipsa natio Piccardorum omni etiam juri quod habuit et habere potuit in dictis oppido Sancti Servatii Trajectensi, villa de Maeseyke et castro de Hoerne, ut supra premittitur, et suppositis eorum, renunciavit.

Insuper ordinaverunt quod si alique ville parve sive magne nec non domus aut castra seu loca per aliquantulum campi vel prati spatium a dictis oppido Sancti Servatii Trajectensi, villa de Maeseyke et castro de Hoerne dividantur vel distent, prout est de dictis villis de Maeseyke et de Oude Eyke sive Eyke, ubi est ecclesia collegiata, quod hec ville, domus, castra, loca et supposita eorum spectabunt de cetero ad nationem Piccardorum, et supposita earundem, sicut et villa de Oude Eyke sive Eyke, ut predicitur, ubi est ecclesia collegiata, spectat ad nationem eandem Piccardorum, etiamsi in posterum in ipsis campis vel pratis structuras fieri contingeret aut domos edificari, que structure aut domus, si incipiant contiguari immediate aliquibus predictarum, oppido Trajectensi, ville de Maeseyke, castro de Hoerne, aut earum suburbiis, spectabunt ad nationem Piccardorum. Et per hec nullatenus termini predicti valeant et debeant inmutari, non obstantibus etiam in premissis distinctionibus prescriptionibus quibuscunque in futurum, tacitis vel expressis, si quas in posterum fieri contingeret inter predictas nationes, quibus et

1. *Sed nusquam invenitur annotatum. Exstat vero forma instrumenti in* Lib. nat. Anglic., *e quo eam in sequentibus exscripsimus.*

2. Lib. nat. Anglic. *in Bibl. nat. Paris., ms. N. a. l.* 535, fol. 151-152 (*XV saec.*). *Instrumentum exstat apud* Bulaeum (IV, 346), *e* Libro Picardicae nationis *desumptum, in forma extensiori (perperam ad* 18 *Julii relatum), sed* « appunctamentum » *ipsum verbotenus hinc inde occurrit. Vid.* Chartul. Univers., III, n° 1240.

3. *In ms. hic et postea* Almanie sive Germanie, *sed in litura et charactere recentiori.*

4. *Ms. charactere recentiori* Almanorum sive Germanorum, *et sic postea.*

earum singulis ex nunc prout ex tunc eedem nationes totaliter et expresse renunciarunt, et eas et earum quamlibet irritam et cassam haberi penitus voluerunt. Salvis in omnibus distinctionibus hactenus habitis et observatis inter dictas nationes in partibus Gallicanis seu Romanciis ultra Mosam, nec non in partibus Zelandie et circumvicinis, quibus per predicta dicte nationes nullum prejudicium voluerunt generari, nec ipsas in aliquo immutari, ita tamen, quod magistri hactenus magistrati in dictis nationibus qualitercunque maneant sine prejudicio in nationibus, in quibus sunt magistrati; magistrandi vero transibunt ad nationem juxta distinctionem supradictam.

Quos[1] modum et formam limitum, terminorum, finium ac distinctionum supradictos ipse nationes prefate plenius avizate et deliberate laudaverunt et approbaverunt, et perpetuo ratos et firmos habere voluerunt et tenere promiserunt. Presentibus ad hoc venerabilibus et discretis viris dominis et magistris Ingeranno[2] de Freneyo, Christiano de Sancto Audemaro in theologia; Henrico de Ruppalcto, Herberto de Sarcellis[3] in decretis; Johanne dicto Mercurel, Gervasio Christiani in medicina; Johanne Buridan, Nycolao de Suessione, Roberto Godefridi, Alberto de Saxonia in artibus, et pluribus aliis fide dignis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis. Anno Domini M° CCC° quinquagesimo octavo, die duodecima mensis Julii, indictione undecima, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Innocentii divina providentia pape sexti anno sexto.

(*Fol. 39*) Item die sequenti[4], secundum quod ordinatum fuit, magistri dictarum nationum[5] peccuniam depositam et sequestram occasione dicte controversie consumpserunt in taberna *ad grangiam*, ubi consumpte fuerunt 18 libre, scuto valente 30 solidos, de quibus nacio Bicardorum solvit 2 scuta cum dimidio, et natio nostra etiam tantum; residuum fuit pecunia sequestrata, videlicet 2 floreni quos habuit magister Johannes de Calore de magistro Willelmo Buser; item 2 scuta, que habuit receptor noster de eodem; item 1 muto quem habuit magister Albertus de Saxonia de [Johanne dicto] Mast; idem 1 muto quem concesserunt Bicardi etiam de [Johanne dicto] Mast.

Item 16[a] die Julii facta congregacione generali apud Sanctum Bernhardum presentate fuerunt litere apostolice rectori et Universitati directe, in quibus papa rogabat et exhortabatur Universitatem[6], quatinus assisteret legatis datis ab eo ad tractandum de pace inter Ducem Normannie et villam Parysiensem, et fuit pax facta decimanona die mensis predicti[7] per reginam Johannam, regem Navarre[8] et legatos apostolicos, videlicet archiepiscopum Lugdunensem[9], episcopum Parysiensem[10] et priorem Sancti Martini[11] Parysius.

(*Fol. 39 b*) Anno Domini 1358, 23[a] die Jullii, substitutus fuit magister Artolpus Lauterwech in procuratorem nacionis Anglicane, in cujus substitutione facta sunt hec que secuntur.

Primo computavit magister Reyboldus de hoc, quod consumserat cum equitavit ad Ducem, et erat summa sumtorum fortis in illa via, 3[es] mutones, 18 solidi, scuto valente 24, de quibus nacio debebat reabere a rectore 15 solidos, scuto valente ut prius.

Item suplicavit prefatus magister Reyboldus pro se et magistro Nicolao Trůtler de Rudlig, ut si contigeret fieri rotulum, et alios absentes poni in rotulum, ut et ipsi solutis solvendis ponerentur, quod eis erat concessum.

Item in die Bartolomei[12] facta congregacione nacionis Anglicane ad Cordigeros ad suplicandum, suplicaverunt magister Giselbertus Lichtenberch, dominus Adam de Catwiic et dominus Mathias, ut nacio daret eis ulteriorem diem, videlicet usque ad festum sancti Dionisii de solutione pecunie, quam tenerentur nacioni, quod eis erat concessum.

1. *Abhinc apud* Bulaeum *diversitas existit, ibidemque poenae in transgressores statuti afferuntur. Vid.* Chartul. Univers., III, n° 1240.
2. *Ms.* Hengdenrenno; Bulaeus Hengerenno. *Nomen correctum e* Chartul. Univers. Paris., II, *et e Reg. Suppl. Urbani V, an.* 1, *p.* 1, *fol.* 78.
3. *Ms.* cercellis; Bulaeus Correllis. *Nomen correctum e Reg. Suppl. Urbani V, an.* 1, *p.* 1, *fol.* 76, *et an.* 3, *p.* 2, *fol.* 58.
4. 13 *Julii.*
5. Anglicane et Picardie.
6. *Epistola Innocentii VI est anni* 1358, 18 *Junii. Vid.* Chartul. Univers. Paris., III, n° 1239.
7. *Hoc confirmant* Les grandes chroniques de France, ed. P. Paris, VI, 126 sq.
8. Carolum.
9. Raymundum.
10. Johannem.
11. Johannem de Pinu.
12. 24 *Augusti.*

1358

[Artolfus Lauterwech.]

Anno Domini 1358, 27 die Augusti, facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem et audiendum compotum receptoris, continuatus seu electus fuit magister Artolfus Lauterwech in procuratorem dicte nacionis concorditer, nullo penitus reclamante, in cujus procuracione facta sunt que secuntur.

Primo translatus fuit compotus receptoris ad diem jovis [1] propter funus et [non]... [2] fecerunt congregacionem in die jovis propter negligentiam eorum; facta fuit una congregacio nacionis prefate feria sexta statim sequenti in capitulo Predicatorum ad audiendum compotum receptoris et ad suplicandum, et ibidem computavit dominus receptor, et omnibus refalcatis remansit nacioni in 20 scutis et 23 solidis, qui perpotati fuerant statim in taberna cum addicione aliquorum solidorum, et approbatus fuit compotus suus.

Item ibidem suplicavit magister Albertus de Saxonia pro fratre suo domino Johanne de Saxonia, quia voluit incipere in artibus, et statim post hoc recedere, ut sibi nacio bursas suas de incepcione dimitteret, et si contingeret fieri rotulum et alios absentes imponi, ut et ipse solutis solvendis poneretur, quod totum sibi erat concessum.

Item incepit dominus Johannes de Saxonia, frater magistri Alberti de Saxonia, sub magistro Hainrico de Saxonia, cui burse era[n]t dimisse per nacionem.

Item 23 die Septembris facta congregacione nacionis sepedicte ad Sanctum Maturinum ad audiendum compotum receptoris et eligendum vel continuandum receptorem, primo computavit receptor et omnibus refalcatis remansit nacioni in 20 scutis et II solidis, scuto valente 34 solidos. Et ibidem continuatus fuit magister Themo Judei receptor ejusdem nacionis.

1358

(*Fol. 40*) Procuracio magistri Patricii de Hepburn, Scoti.

Anno Domini millesimo CCC^mo^ L^mo^ octavo, 24 die mensis Septembris, facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem, et in dicta congregatione electus fuit in procuratorem magister Patricius de Hepburne Scotus, in cujus procuracione facta sunt hec que sequuntur.

In primis eadem die potavit nacio *apud grangiam* LII solidos, de quibus solvit procurator electus I scutum, scuto valente XVI solidos, et residuum receptor.

Item die mercurie proxima [3] post festum sancti Michaelis archangeli facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, et ibidem suplicavit dominus Johannes [4] videlicet ut nacio dispensaret secum ut posset ponere vestes et pignora pro uno libro suo alias posito, et dicta nacio secum misericorditer dispensavit, hoc tamen apposito quod quocies dicta nacio indigeret pecunia, ut denunciaret receptor dicto Johanni, ut intra octo dies satisfaciet, alias postea libere venderet, quousque nacio sit soluta.

Item dominus Johannes Blyth incepit sub magistro Alberto, cujus bursa nichil, quia juravit in congregacione, ipsum nichil habere nec hic nec in patria.

Die lune proxima [5] post festum sancti Luce ewangeliste facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem et ad computandum cum receptore, primo dictus receptor magister Themo computavit, et tenebatur nacioni in XVIII solidis cum uno solido debilis monete.

Item Nicholaus bidellus supplicavit nacionem suam ut ipsa dignaretur misericorditer sibi subvenire in aliquo subsidio, et dicta nacio deliberavit unanimiter in congregacione dicte nacionis ut sibi daretur I florenus.

1358

Procuracio magistri Johannis de Pavone.

Anno Domini 1358°, 22ª die mensis Octobris, facta congregatione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, electus fuit in procuratorem magister Johannes de Pavone Coloniensis. In cujus procuratoria acta sunt hec que sequuntur.

Omnibus computatis in fine procuracionis mee magister Themo receptor tenebatur nacioni 16 scuta et dimidium, et unum solidum.

1. 30 *Augusti.*
2. *Sequentia erasa sunt.*
3. 3 *Octobris.*
4. *Postea spatium.*
5. 22 *Octobris.*

1358

Tempus procuracionis magistri Martini Wesselicz de Boemia.

Anno Domini M° CCC° quinquagesimo octavo, XVIIIª die mensis Novembris, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, electus fuit in procuratorem magister Martinus Wesselicz de Bohemia, in cujus procuracione sunt hec acta que subsequuntur.

Primo, die 30ª mensis Decembris facta congregatione nacionis supradicte super compoto receptoris audiendo in ecclesia sancti Maturini hora prime post sermonem, auditus est compotus a magistro Themone receptore nacionis supradicte, et omnibus computatis, expositis et receptis tenebatur prenominatus receptor 13 scuta Jo[hannis] et 3 solidos, scuto valente XXIII solidos.

Item die martis proximo [1] post octavam Epiphanie Domini congregacione nacionis Anglicane facta apud Sanctum Julianum, supplicavit dominus Theodricus de Unna nacionis predicte, ut ipsum de bursis pro inceptione dandis haberet supportatum qui etiam coram predicta nacione..... [2].

Et idem dominus Theodricus eodem die sub magistro Themone incepit, cujus bursa...

Item eodem die dominus Volkerus de Sutwania incepit sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa X solidi, scuto valente XXIIII solidos.

Et die mercurii proximo sequente [3] facta congregatione facultatis artium in ecclesia sancti Juliani, lecta fuit quedam cedula dispendiosa, que domino rectori totius Universitatis Parisiensis [4] et procuratoribus et singulis magistris facultatis artium per curatorem theologorum, bedellum ejusdem facultatis, in congregatione facultatis artium erat presentata [5]. Qua congregatione finita magistri nacionis Anglicane intraverunt in unam tabernam, ubi magister Volkerus, qui precedenti die inceperat, solvit I florenum pro introitu.

(*Fol. 40* ᵇ) Item eodem die martis [6] proximo post octavam Epiphanie Domini juravit dominus Pilgrinus Zeleschicz de Prusia juramenta que tenetur procuratori jurare pro incepcione sua, cujus bursam diu ante expediverat receptori, que bursa est XII solidorum, scuto valente XXXIIII solidos.

Item incepit dominus Chunradus de Boemia sub magistro Alberto de Boemia, cujus bursa nichil.

Item anno Domini M° 300 59°, die martis [7] post Purificationem nostre Domine, facta congregatione magistrorum nacionis Anglicane, supplicavit magister Ortolpus de Bavaria pro domino Alberto de Bavaria, ut predicta nacio bona pignora reciperet pro bursis suis, quas ipse teneretur solvere pro determinancia sua, que supplicatio fuit sibi concessa in eadem congregatione ecclesie sancti Maturini, et etiam pro licenciatura sua.

Item in eodem anno in ecclesia jam dicta facta congregatione nacionis Anglicane die... [8] ante Purificationem nostre Domine, computavit magister Themo receptor nationis ejusdem, et omnibus computatis expositis et receptis tenebatur predicte nacioni receptor 15 [scuta] Johannis, 2 sol.

1359

Procuratio magistri Henrici dicti de Egher de Kalker, Coloniensis dyocesis.

Anno Domini M° CCC° quinquagesimo nono, in crastino [9] Scolastice virginis, facta congregacione facultatis artium per juramentum nacionis Anglicane ad eligendum procuratorem apud Sanctum Julianum pauperem, electus fuit in procuratorem magister Henricus dictus de Egher de Kalker, Coloniensis dyocesis, in cujus procuratione acta sunt hec que subsequuntur.

In primo notificavit eodem die, eademque congregatione nationi predicte discretus vir magister Thomas de Hartas, Scotus, quendam bonum virum de Scocia, dominum Adam Jeduort Scotum, fundasse Parisius hereditarie et perpetuo redditus XII librarum monete tempore solutionis Parisius communiter currentis pro bursis scolaris unius de Scotia, quem ipse primo eligeret, demum post eum provintia Scotie, deinceps natio Anglicana, postea facultas, et tandem Universitas Parisiensis de eadem provincia Scotie, quem duxerit eligendum; ratificans hos redditus in certis pensionibus domorum sub literis regalibus testimonioque literarum parlamenti, aliisque modis certioribus, prout adhuc amplius de eis fiet mensio ulterior in Universitate; presentibus magistris procuratore prefato Themone, Alberto de

1. 15 *Januarii.*
2. *Sequentia rasura deleta sunt.*
3. 16 *Januarii.*
4. *Tunc* Johanni Ance.
5. *Ut e sequentibus apparet, agebatur de praepositione rectoris, ut supra,* p. 168, 1, *et de dignitate ejusdem.*
6. 15 *Januarii.*
7. 5 *Februarii.*
8. *Spatium in ms.*
9. 11 *Februarii.*

Bohemia, Martino et Conrado de Bohemia, Wilhelmo Buser ceterisque multis in testimonium veritatis.

Item eodem die consumpsit nacio in hospitio *ymaginis beate Marie* quinquaginta octo solidos cum dimidio, cujus pecunie procurator prefatus solvit XXVIII solidos, pro tunc valorem scuti Johannici; residuum vero, videlicet triginta solidos cum dimidio, solvit magister Themo, pro tunc receptor, nomine nacionis, etc.

Item die jovis proxima[1] facta congregatione facultatis apud Sanctum Julianum ad dandum deputatos, qui ordinarent de responsione super rotulo appellationis theologorum[2] sub expensis facultatis, concessum fuit communiter in facultate et natione Anglicorum quod fierent, pro quo expedito consumpta fuerunt duo scuta Philippi a qualibet natione solvenda, in summa octo scutorum Philippi, que duo scuta Philippi solvit magister Themo predictus nomine nacionis die 3a post.

Eodemque die facta congregatione nacionis cum facultate predicta, ibidem ad extorquendum pecuniam de debitoribus nacionis, deliberatum fuit concorditer quod vocarentur debitores ut satisfacerent. Quod factum fuit die dominica proxima[3], quando paucis comparentibus, deliberatum fuit quod ipsi pignora redimerent, et quod aliis intimaretur de eis, quod nisi pignora redimerent, ipsa venderentur. Pro quo tamen quia nulli satisfecerunt et nacio multum intrincata fuit, iterum vocatum fuit die lune proxima ad ordinandum de venditione pignorum apud Sanctum Julianum, ubi per majorem partem deliberatum fuit quod pignora venderentur, quam cito possent, ne nacio dedecus pateretur in dando pecuniam ad prosequendum litigium de prepositione rectoris contra theologos. In executione cujus deliberationis per procuratorem predictum et per magistrum Themonem predictum et magistrum Albertum de Saxonia deputatos expositi fuerunt quinque solidi cum octo denariis predicte monete pro portitore librorum et potatione facta cum librariis, in quorum unius domo, scilicet Johannis de Porta, positi sunt libri in sacco, sigillato procuratoris sigillo, presentibus bedellis nacionis.

1. 14 *Februarii.*
2. *Iste rotulus notatu dignissimus, quem theologi contra praeeminentiam rectoris assertionemque, ipsum esse caput Universitatis, composuerunt, adhuc exstat, licet non integer. Vid.* Chartul. Univers. III, n° 1246.
3. 17 *Februarii.*
4. 19 *Februarii.*

Die martis[4] post vocati ad computum non manserunt, et postea cum deputatis post die martis suppositum H[enrici] Kempen interemptum fuit[5].

Primo licenciatus fuit dominus Adam de Catwijc sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa undecim solidi, mutone valente 42 solidos.

Item licenciatus fuit dominus Petrus de Eght sub eodem, cujus bursa 10 solidi, scuto valente 29 solid.

Item dominus Henricus de Kempen sub eodem, cujus bursa decem solidi, regali valente 36 solidos.

Item licenciatus fuit dominus Albertus de Patavia, cujus bursa 10 solidi, etc.

Item licenciatus fuit dominus Walterus Greynbach de Swevia sub magistro Alberto predicto, cui concessum fuit in vigilia[6] Mathie convocata [natione] apud Sanctum Julianum ad supplicandum, quod pro licentia satisfacere deberet nacioni de uno mutone, remittendo Parisius 1 alio modo quando posset bono modo habere, prestitis bona fide et juramento, cujus bursa scutum. Etiam solvit.

Item licenciatus fuit venerandus domicellus et nobilis dominus Arnoldus de Hoerne.

Item die lune[7] post deliberatum fuit in congregatione facultatis apud Sanctum Julianum quod quelibet nacio daret 20 scuta ad expediendum illa que occurrerent in placitis contra theologos videlicet pro missione nuncii ad curiam, etc. Pro expeditione vero illius iterum post congregatione facta deliberatum erat quod traderentur 40 scuta Johannina sorori cujusdam Ade procuratoris nostri in curia, ubi magister Themo receptor solvit XVIII scuta cum dimidio, soluto prius uno mutone magistro Ans[e][8], et sic satisfecit nomine nacionis pro XX scutis Johannis, concedendo ultra XX norm. 1 scutum secundum formam deliberationis.

Item die lune[9] post facta congregatione facultatis et nacionis ad supplicandum apud Sanctum Julianum, supplicavit dominus Nycolaus Ryemkenus de Lunenborch pro bursarum determinantie protractione, cui concessum fuit sub litera excommunicationis.

Item incepit dominus Albertus de Patavia sub magistro Artolfo Lauterbach, cujus bursa 6 solidi, scuto valente 16 solidos.

Item die jovis[10] post facta congregatione nationis

5. *Sententia difficillima lectu.*
6. 23 *Februarii.*
7. 25 *Februarii.*
8. *Verisimiliter* Johanni Ance, *tunc rectori.*
9. 4 *Martii.*
10. 7 *Martii.*

ad eligendum examinatores determinancium, electi fuerunt magister Artolfus, et magister Johannes de Pavone.

Item licentiatus fuit dominus Ger[ardus] Fortis sub magistro Johanne Marcia, cujus bursa XI solidi, scuto valente 32 solidos.

Item die sabbati[1] post supplicavit in natione convocata ad supplicandum apud Sanctum Maturinum dominus Johannes Drenconis de Elau Bohemus ut nacio parceret sibi de solucione bursarum determinancie, cui concessum fuit per hunc modum quod juraret procuratori, quod nec per fidejussorem nec per pignora (*Fol. 41*) nec per pecuniam satisfacere posset ad presens, et cum hoc quod interim quod esset Parisius deberet adhibere maximam diligentiam quam posset, ut satisfaceret nationi; quod si non posset, juraret etiam remittere cum primo nuncio quem habere possit in Bohemia vel alibi nacioni pecuniam debitam, sub pena excommunicationis et privationis, prout in litera super hoc confecta aliqualiter continetur. Ista modo procuratori prefato juravit manu levata in signum juramenti.

Item determinavit dominus Nycolaus Ryemken de Lunenborch sub magistro Henrico de Kempis, cujus bursa dimidium scutum, qui tenetur nacioni bursas suas sub conditione litere super hoc confecte, secundum tenorem concessionis nationis supradictum.

Item determinavit dominus Godefridus Eykorn de Aquis sub magistro Johanne de Pavone, cujus bursa 14 solidi, scuto pro 30 solidis, fidejussorem posuit qui pro eo satisfaceret nationi infra duos menses, si non satisfaceret secundum modum concessionis quando prefato die sabbati supplicavit.

Item determinavit Johannes Westfalus de Prusya sub mag. Alberto de Saxonia, cujus bursa nichil. Juravit quod nec hic nec in partibus haberet secundum modum concedendi in natione.

Item priori die[2] sabbati supplicaverunt quidam scolares de domo Almannorum ex quo vellent jurare quod nec haberent hic nec in partibus, natio concessit hoc. Alter fuit qui noluit jurare quod nec hic nec in partibus, sed jurare deberet quod hic non haberet nec in pecunia nec pignoribus. Quare concessum fuit quod juraret quod quam cito fortuna prospera arrideret, remittere deberet nacioni. Et istud fuit de bursis determinantium.

Item dicta die supplicavit magister Albertus de Bohemia pro Sden[c]one de Bohemia pro bursis licencie, cui concessum fuit quod poneret hospitem suum fidejussorem nacioni, quem dicebatur sibi debere quatuor scuta.

Item licenciatus fuit dominus Gotscalcus de Riga dictus Lozebergh sub magistro Themone, cujus bursa 10 solidi, scuto antiquo pro 46 solidis.

Item determinaverunt dominus Conradus et Begmundus[3] de domo Almannorum, quorum burse nichil. Juraverunt remittere nacioni quam cito possent.

Item determinavit dominus Jacobus de Prucege[4] sub magistro Johanne de Pavone, cui concessum fuit quod jam deberet solvere medietatem pecunie dande pro determinancia, sed de residua medietate deberet dare literam supplicationis. Hoc in die resignationis mee, etc.

Item determinavit Bemundus de Consol, cujus bursa nichil. Juravit quod hic non [haberet]; sed si inveniret tantum quod posset remittere, ipse juravit remittere.

Item determinavit dominus Petrus de Colonia sub magistro Johanne de Pavone, cujus bursa 14 solidi, scuto pro 30 solidis.

1359

Procuracio magistri Johannis de Pavone.

Anno Domini M° CCC° LVIIII, undecima die mensis Marcii, facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, electus fuit magister Johannes de Pavone Coloniensis in procuratorem, nullo reclamante. In cujus procuratoria acta fuerunt hec que sequuntur.

Primo facta congregacione ad Cordi[g]eros die Gregorii[5] ad supplicandum, supplicavit magister Wolkerus quod si contingeret fieri rotulum et alii absentes ponantur, quod et ipse poneretur solutis solvendis, quod fuerat sibi concessum.

Item supplicavit dominus Teylmanus de Anroyde, et[6] solvit bene.

Item licenciatus fuit ad Sanctam Genefefam sub magistro Alberto de Saxonia dominus Teylmanus de Anroyde, cujus bursa 10 solidi, scuto valente 32 sollidos.

Item licenciatus fuit ad Nostram Dominam dominus Sdenco de Boemia sub magistro Martino de Bohemia, cujus bursa 6 solidi, scuto Johannis valente

1. 9 *Martii.*
2. 8 *Martii.*
3. *Manus prima* ermundus, *secunda ut supra.*
4. *Ms.* prutge *pallido atramento. Vid.* p. 245, 40.
5. 12 *Martii.*
6. Et... bene *charactere alio.*

16 solidos, qui satisfecit receptori per literam officialis, et hospes suus Laurentius Regis promisit pro ipso quod satisfaceret infra hinc et festum Palmarum, et si non satisfaceret, excommunicandus esset, et si nullo modo habere posset, nichilominus predictus dominus Sdenco maneret debitor principalis.

Item licenciatus fuit ibidem dominus Gerardus de Lyn sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa nichil.

Item licenciatus fuit ibidem dominus Borgardus de Rutlingen sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa nichil.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Trabrun sub magistro Themone, cujus bursa 10 solidi, scuto valente 32 solidos. Et satisfecit per pignora sufficientia pro toto.

Item die sabbati [1] ante dominicam qua cantatur *Reminiscere* facta congregacione nacionis ad supplicandum ad Sanctum Maturinum, supplicavit magister Albertus de Boemia ut posset quandam phylosophiam pro quodam alio libro, quem nacio habet de quadam summa pecunie, quam ipse tenetur nacioni, et concessum fuit tali modo quod duo librarii cum tribus magistris ad hoc deputatis deberent videre illam phylosophiam et si videatur eis quod illa phylosophia valeat tantum vel plus quantum valet liber, pro quo vult ponere phylosophiam.

Item supplicavit magister Johannes de Pavone, procurator pro tunc, quod si contingeret fieri rotulum et alios absentes imponi, ut et ipse poneretur solutis solvendis, et concessum fuit.

Item supplicavit dominus Sdenco in artibus incepturus, quod posset ponere hospitem suum in fidejussorem pro bursis suis, et quod promitteret per litteram officialis sub pena excommunicationis, quod debeat satisfacere nacioni infra duos menses, et concessum fuit tali modo quod juraret, quod alio modo pro nunc non posset satisfacere nacioni.

Item supplicavit dominus Godefridus de Esperiolo de Aquis et dominus Jacobus Pruocege et dominus Egemundus de domo Almannorum ut nacio vellet cum eis dispensare de disputacionibus in Quadragesima, quia essent recessuri, et concessum fuit.

Item supplicavit Nicolaus bedellus quod nacio daret sibi licentiam recedendi, et si rediret infra annum, quod posset bedellus [esse] sicud fuit; item supplicavit idem quod sibi in aliquo subveniret; item quod darent sibi literam testimonialem quod fuit bedellus nacionis Anglicane. Et totum fuerat concessum tali modo : primum et tertium simpliciter, secundum sic, quia l[itteras] nacio habet multas de quibusdam qui tenentur nacioni, quod una illarum littera-r[um] detur sibi et quod ipse moniat illum et capiat ab eo, de quo nacio dabit litteram [2].

(*Fol. 41 b*) [3]. Item incepit dominus Alexander Caron sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa 7 solidi, scuto Johannis valente 17 solidos, vel regali valente 21 solidos.

Item incepit dominus Johannes Caron sub eodem, cujus [bursa] 7 solidi, sicud prius scuto valente.

1359

Substitutio [4] magistri Henrici de Kalker in qua acta sunt, etc.

Item die Benedicti [5] substitui magistrum H[enricum] de Kalker ad exercendum officium.

Primo in vigilia [6] Annunciacionis beate Virginis facta congregacione apud Sanctum Maturinum hora vesperarum Nostre Domine ad supplicandum, supplicavit magister Albertus de Bohemia, quatenus nacio dignaretur sibi dare dilacionem solucionis pecunie debite nacioni quousque haberet potestatem reddendi. Cui concessum fuit per hunc modum quod deberet dare litteram nacioni, in qua profiteretur se nacioni debere duos florenos et duo scuta Johannina mutuata sibi, que promisit reddere quam cicius se reddendi obtulerit facultas, alioquin perjurus esset, et magister Conradus Mathie de Bohemia una secum promisit nacioni satisfacere pro eo, si forte decederet, prout in litera super hoc confecta sigillis suis sigillata, quam receptori dedi magistro Themoni, continetur, etc.

Item die dominica proxima [7] post convocato ad supplicandum apud Sanctum Maturinum, supplicavit dominus Wolterus Greynbach pro remissione bursarum de inceptione, cui concessum fuit eo modo, quo et de licentia, scilicet quod remittere deberet nacioni quam cito se obtulerit facultas remittendi, juramento prestito corporali, unum mutonem pro bursis. Solvit [8].

Item supplicavit dominus Borgardus de Swevia,

1. 16 *Martii.*
2. *Vid. infra ad. an.* 1362, 14 *Octob.*, p. 274, 12.
3. *In margine superiori diverso charactere* Compotus factus diffuse et cum diligentia.
4. *Sequentia scripta sunt charactere diverso, i. e.* Henrici de Kalker.
5. 21 *Martii.*
6. 24 *Martii.*
7. 31 *Martii.*
8. *Alio charactere.*

Rutlingen [1], cui concessa fuit remissio bursarum. Juravit quod nec hic haberet nec in partibus. Hoc fecit, etc.

Item incepit dominus Walterus Greynbach de Vyssenstayg sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa ut in supplicatione concessa est.

Item incepit dominus Borgardus de Ruydlinghen sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa nichil.

Item licentiatus fuit Andreas Johannis de Lederdam licentiandus sub me magistro Henrico de Kalker, cujus bursa 5 solidi cum dimidio. Solvit.

Item in crastino [2] dominice qua cantatur *Judica* apud Sanctum Maturinum vocato ad computandum, receptis computatis et expositis defalcatis tenebatur magister Themo receptor nacioni in 12 scutis precise in parata pecunia, in pigneribus vero undecim scutis cum una quarta, in literis autem 10 scutis cum denario, de quorum novem tenemur bedellis bursas suas, etc.

1359

Procuratio magistri Peregrini Zeleschicz de Pruscia, clerici jurati incliti primogeniti regis Francorum Karoli, regentis regnum Francie.

Anno Domini M° CCC° LVIII°, viij die mensis Apprilis, que erat proxima dies lune post dominicam qua cantatur *Judica*, et facta congregacione generali regentium et non regentium apud Sanctum Maturinum et nacionis Anglicane ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem, nullo reclamante, magister Peregrinus Zeleschicz de Pruscia, Culmensis diocesis, etc. In cujus procuracione acta sunt hec que secuntur.

In primis potavit nacio Anglicana die predicta, videlicet VIII^a mensis Apprilis, etc., *apud magnum Thuronensem* ante parvum pontem de vino diverso satis, de qua potatione solvit idem procurator electus tam pro introitu quam procuratoria I mutonem auri.

Item receptor ejusdem nationis solvit I scutum Johannis cum XVIII denariis, scuto valente XX sollidos.

Item inceperunt simul sub magistro Alberto de Saxonia Waltherus de Griembach et Burchardus de Rutlingen, quorum burse nichil ad presens, et supplicaverunt et habuerunt graciam in nacione, prout in precedenti procuratoria continetur, in qua ipsi juraverunt pro inceptione.

Item supplicavit dominus Theodericus de Hokelem pro remissione bursarum pro licentia, et concessit nacio.

Et licentiatus fuit idem dominus Theodericus sub magistro Henrico de Kempen, et ejus burse nichil.

Item XXVI die istius mensis, videlicet Apprilis, congregacione facta nacionis ad supplicandum apud Sanctum Maturinum et ad ordinandum de pecunia nacionis et de ista ordinacione seu supplicacionibus prius bina vice fuerunt congregationes facte; sed propter paucitatem magistrorum presentium dilate erant concessiones usque ad istam diem, et finaliter conclusum erat supplicantibus, videlicet magistro Theoderico de Unna, domino Theoderico de Hokelem, domino Arnaldo Ghier, domino Henrico de Wesalia in hunc modum [3]:

(*Fol.* 42). Magistro Theoderico de Unna concessum fuit per hunc modum, quod rehaberet librum suum, quem nacioni obligaverat ratione bursarum sue determinacionis, et promisit prestito juramento quod solveret predictam pecuniam nacioni, de qua pecunia in aliis procuratoriis mencio facta est, quam cito Deus sibi gratiam daret vel ipsam per se requireret.

Domino Theodrico de Hokelem remisit nacio bursas pro incepcione; promisit tamen idem quod vellet memoriam habere ad retributionem faciendam nacioni, si locus se offerret, quod ab amicis suis vel laboribus lucrari tantum posset.

Domino Arnoldo Ghier concessit nacio supplicacionem per hunc modum, quod pro bursis tam pro licentia quam incepcione solvet III scuta Johannis infra duos annos a die presente prius nominata, de quo se obligavit sub forma perjurii et literam de hoc nacioni seu receptori, videlicet magistro Themoni, dare promisit; rectori vero de incepcione et bedellis de parata pecunia satisfacere promisit.

Eadem penitus forma concessit nacio domino Henrico de Wesalia, quod videlicet pro licentia et inceptione obligatus est nacioni in III florenis boni ponderis de Florencia vel equipollentibus persoluturus infra duos annos, et de hoc similiter literam sub pena perjurii dare nacioni promisit, et rectori de sua bursa et bedellis de eorum parte satisfacere de parata pecunia promisit.

Item licenciatus fuit dominus Henricus Lupi de

1. *Inter lineas.*
2. 8 *Aprilis.*
3. *In margine inferiori agitur de his tribus, sed charactere penitus evanido.*

Wessalia sub magistro Henrico de Kelker, cujus burse ut prescriptum est, et [1] dedit literam receptori.

Item licentiatus fuit dominus Arnoldus Ghier sub magistro H[enrico] de Kempem, cujus burse ut premissum est, et [1] dedit litteram receptori.

Item incepit dominus Gotschalcus de Riga sub magistro Themone, cujus bursa VII sollidi, et satisfecit cum pecunia parata per omnia, etc.

Item incepit dominus Henricus de Wesalia sub magistro Henrico de Kalker, cujus burse ut premissum est.

Item incepit dominus Theodericus de Hokelem dictus Tols, sub magistro Henrico de Kempen, cujus bursa nichil.

Item incepit dominus Arnoldus Ghier, cujus burse secundum gratiam premissam, sub magistro Henrico de Kempis.

Item in die beati Johannis ante Portam latinam [2] congregacione nacionis facta ad Sanctum Materinum ad eligendum procuratorem, et receptore vocato ad computandum, computavit magister Themo. Omnibus computatis et defalcatis tenebatur nacioni in parata pecunia XI scuta cum XVIII sollidis, scuto valente XXIIII sollidos. In pignoribus vero ut prius, videlicet XI scuta cum una quarta.

Item natio habet literas que obligate sunt pro XIII scutis, cum dimidio scuto et III florenis de Florentia.

Item Waltherus Grimbach de Wisenstain promisit bona fide solvere nationi I mutonem.

1359

Procuratio magistri Godscalci de Lozebergh qui Parisius de Riga dicitur, Tharbatensis diocesis.

Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo nono, ipso die beati Johannis ante Portam latinam, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem magister Godscalcus Lozebergh, qui Parisius de Riga dicitur, Tharbatensis diocesis, nullo reclamante. In cujus procuratione acta sunt hec que sequuntur.

Primo nacio predicta die eodem consumpsit in hospitio *ymaginis nostre domine* 32 solidos, scuto Johannino protunc valente 24 solidos, quam quidem pecuniam procurator predictus electus ex toto solverat, ita quod protunc receptor dicte nacionis nomine nacionis nichil exposuerat.

(*Fol 42* [b]). Item supplicavit magister Peregrinus de Pruscia die martis [3] post in congregacione facultatis celebrata apud Sanctum Julianum pauperem, quod posset diebus festivis post sermonem legere unum librum in Astrologia, quicunque sibi placeret, quod protunc sibi concessum fuerat.

Item die jovis [4] ante dominicam qua cantatur *Cantate domino*, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum in nonis Nostre Domine, supplicavi ego magister Godscalcus Lozebergh, protunc procurator nacionis antedicte, quod si contingeret fieri rotulum et alii vel alius absentes vel absens interponerentur, quod et ego ad rotulum ponerer, quod mihi ab omnibus concorditer fuerat concessum.

Item die III[a] mensis Junii facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem et ad computandum, computavit magister Themo receptor protunc nacionis, qui adhuc tenebatur nacioni in parata pecunia IIII scuta cum XII solidis, in pignoribus vero ut prius, videlicet XI scuta cum una quarta. Item nacio habet litteras que obligate sunt pro XIII scutis cum dimidio, et III florenis de florentia. Item Waltherus Grimbach promisit solvere nationi I mutonem bona fide.

Item anno quo prius die III[a] mensis Junii facta congregacione nacionis Anglicane in prima Nostre Domine ad Sanctum Julianum pauperem ad eligendum vel continuandum procuratorem et ad audiendum compotum receptoris, ego magister Godscalcus Lozebergh fui continuatus ex communi consensu omnium, nullo penitus reclamante.

Item incepit dominus Hinricus de Kempen, cujus burse 10 solidi, scuto valente 30 solidos.

1359

[Henricus Johannis de Lingno de Kempen.]

Anno Domini M° CCC° quinquagesimo nono, in crastino [5] sancti Ludowici, facta congregacione nacionis Anglicane in primis Nostre Domine ad Sanctum Julianum pauperem ad eligendum vel conti-

1. Et... receptori *alio charactere.*
2. 6 *Maii.*
3. 14 *Maii.*
4. 16 *Maii.*
5. 26 *Augusti.*

nuandum procuratorem, electus fuit in procuratorem magister Henricus Johannis de Lingno de Kempen, Coloniensis dyocesis. In cujus procuracione acta sunt hec.

Primo nacio predicta eadem die consumpsit *in malleo* prope Sanctum Julianum 30 solidos, scuto valente 34, quam quidem pecuniam procurator predictus electus ex toto solverat, ita quod protunc receptor dicte nacionis nichil exposuit.

Item exposuit receptor predicte nacionis 5 scuta pro lite inter nos et theologos.

Item [1] in festo Nativitatis sancte Marie, ut consuetum est, solet fieri distributio per receptorem magistris et servientibus ad missam [2], que totaliter omissa fuit, quod magnum scandalum fuit eo quod servientibus nichil dabatur, et cui hoc imputandum sit nescio.

Item dominus Nycolaus de Lunenborch satisfecit de bursis suis pro determinantia, in quibus tenebatur.

Item in die sancti Lamberti facta congregacione generali apud Sanctum Matellinum ex unanimi consensu facultatum, concessus fuit rotulus mittendus versus curiam Romanam.

Item 6 scuta fuerunt data rectori pro lite ulterius [3].

Item die lune [4] post festum sancti Mathei apostoli facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum ad elegendum procuratorem et ad supplicandum et ad computandum, computavit magister Themo receptor nacionis, et omnibus computatis tenebatur unam quartam et unam sextam, 18 denariis minus, scuto valente 24.

Item supplicavit dominus Gyselbertus de Narden licenciatus pro remittendis sibi bursis de incepcione; et concesse fuerunt sibi nullo reclamante.

Item statutum fuit die 23 Septembris, quod quilibet ad aliquem actum procedens daret pro sexta bursa 5 grossos Philippinos pro lite inter theologos et facultatem nostram solummodo per annum predictum.

Item tenebatur nacio nostra magistro Henrico de Kempen libram, eo quod fuit procurator per vacaciones.

Item incepit dominus Gysolbertus de Narden, cujus bursa nichil [5].

1359

(*Fol.* 43). Theodericus Dystel de Unna.

Anno Domini 1359, die 23 [a] mensis Septembris, facta congregacione facultatis arcium ad statuendum, et etiam nacionis Anglicane, in primis Nostre Domine ad Sanctum Julianum pauperem ad eligendum vel continuandum procuratorem, congregatis ibidem omnibus magistris ejusdem nacionis tunc Parysius presentibus, electus fuit in procuratorem magister Theodericus dictus Dystel de Unna, Coloniensis dyocesis, omnibus magistris unanimiter assencientibus. In cujus procuracione hec sunt acta.

Primo omnes magistri ejusdem nacionis eodem die fuerunt simul *in bonis ediis* de mane, et sero in *taberna angulari apud Sanctum Julianum*, et idem electus totum preter rem modicam persolvit, pro quo magistri omnes ipsum unanimiter de propinis per novicios fieri consuetis quitaverunt.

Item 26° die ejusdem mensis electus fuit magister Johannes Ance, protunc receptor nacionis Gallicane, ad recipiendum sextam bursam, de qua in precedenti procuracione scriptum est, et obligavit se nacio Gallicana ad standum et satisfaciendum pro dicto magistro Johanne, si opus fuerit, in reddendo compotum et racionem de receptis.

Item 28° die mensis ejusdem incepit dominus Giselbertus Pape sub magistro Themone, cujus bursa nichil preter bursam sextam, quam solvit receptori facultatis.

Item ultimo die mensis ejusdem facta congregacione nacionis ad Sanctum Maturinum hora prime ad eligendum ordinatores rotuli et nuncium iturum ad curiam cum rotulo, electi fuerunt ab omnibus unanimiter magister Themo et magister Henricus de Kempen ad ordinandum rotulum. Item electus fuit magister Themo ab omnibus unanimiter ad deportandum rotulum cum electis nunciis vel eligendis aliarum nacionum, et dixit idem magister Themo premissa gratiarum actione, quod ambo predicta libenter vellet fideliter exercere, et precipue secundum, nisi ipsum defectus pecunie notabiliter impediverit in prosequendo.

Item 21° die mensis Octobris facta congregacione nacionis ad Sanctum Julianum ad computacionem receptoris, et defalcatis omnibus de prompta pecunia nacio tenebatur predicto receptori unum regalem, et 1 sextam scuti Johannis cum 18 denariis, scuto valente 24 solidos.

1. Item... nescio *postea deleta sunt.*
2. *Vid. supra ad an.* 1333, p. 15, 21.
3. *Contra theologos.*
4. 23 *Septembris.*
5. *In margine inferiori* Summa 13 scuta et una quarta et una sexta.

1359

[Ghiselbertus Paep de Naerden.]

Anno Domini 1359°, die 21 mensis Octobris facta congregacione nacionis Anglicane in primis Nostre Domine ad Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, electus ficit ex communi consensu magistrorum in procuratorem magister Ghiselbertus Paep de Naerden, Trajectensis dyocesis, in cujus procur[atoria] acta sunt hec que secuntur.

Primo eadem die propinavit magistris unum prandium *ad ymaginem sancti Johannis* in vico de Bever[e].

Item computavit receptor, quod recepit unum mutonem cum aquila et 4 grossos antiquos.

1359

Henricus de Lingno de Kempen.

Anno Domini 1359°, in octava [1] sancti Martini, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, electus fuit magister Henricus Johannis de Lingno in procuratorem nullo reclamante, in cujus procuratoria facta sunt hec.

Primo [2] in die sancte Katerine [3] missa facta, fuit electus in provisorem provincie [Almannie] [4] dominus Rutgerus de Vinle, apud Sanctum Bernardum. Item in magistrum domus magister Henricus de Kempen [5]. Item in procuratores dominus Johannes Stinke et dominus Johannes [de] Rostoc [6].

1359

Henricus de Lingno.

Anno Domini ut supra, die 16ª mensis Decembris, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum ad eligendum vel continuandum procuratorem et ad supplicandum, continuatus fuit magister Henricus Johannes de Lingno de Kempen, Coloniensis dyocesis, in cujus procuratione acta sunt hec.

Primo eodem die supplicavit Conradus budellus major predicte nacionis, quod cum Nycolao budello minori dies prefixa fuerat a suo recessu usque ad festum sancti Remigii [7], et interim non venisset, quod si aliqua pecunia predicto Nycolao dari deberet aut debuisset, quod predictus Conradus illam pecuniam haberet, cum solus interim laborem fecisset.

Item supplicavit idem Conradus quod ab illo die sibi daretur lucrum budelli minoris, donec predictus Nycolaus veniret vel alius minor budellus per predictam nacionem eligeretur. Cujus supplicaciones fuerunt concesse sub tali condicione, prima scilicet quod si predictus Nycolaus veniret, quod ipse secum deberet partiri et sibi dare medietatem illius pecunie quam habuisset de recessu suo ad festum sancti Remigii. Secunda autem supplicacio concessa fuit similiter et eo modo quo ipsam proposuit.

Item exposuit receptor 1 Philippinum ad litem [inter facultatem et theologos], etc.

Item 13 die Januarii facta congregacione ad computandum, omnibus defalcatis et expositis nacio tenebatur receptori 1 scutum Johannis et unam terciam et dimidium grossum antiquum.

1360

[Henricus de Lingno.]

Anno ut supra, die 13 Januarii facta congregatione nationis apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem nullo contradicente continuatus fuit magister Henricus Jo[hannis] de Lingno de Kempe, in cujus procuracione facta sunt hec.

1360

(*Fol. 43 b*) Theodericus Dystel de Unna.

Anno Domini 1360°, die decimo mensis Februarii, facta congregacione Universitatis ad Sanctum Bernardum et eciam specialiter nacionis Anglicane in primis Sancti Jacobi ad eligendum vel continuandum procuratorem, electus fuit concorditer in procuratorem nacionis Anglicane Theodericus dictus Dystel de Unna, in cujus procuracione sunt acta que sequuntur.

Primo facta congregacione nacionis Anglicane die 20° ejusdem mensis apud Sanctum Julianum in primis Nostre Domine ad supplicandum, concessum fuit domino Conrado Klokere quod nacio expectaret sibi solucionem bursarum suarum de licencia, dummodo faceret caucionem literalem satisfaciendi ipsam infra duos annos sub pena excommunicacionis officialis Parysiensis, et juraret facere diligenciam ad solvendum prius si posset [8].

1. 18 *Novembris.*
2. Primo.... Rostoc *postea deleta sunt.*
3. 25 *Novembris.*
4. *Sic suppleri debet, ut apparet infra ad an.* 1376, 4 *Martii. Agitur de* domo Almannorum.
5. *In margine alio charactere* cur. jocundo solvent solveret.
6. *Ms.* Rostat.
7. *Econtra vid. supra*, p. 245, 46.
8. *Vid. instrumentum officialis infra* p. 263, *not.* 5.

Item licentiatus fuit dominus Conradus Klokere ad Sanctam Genofefam sub magistro Themone, et dedit litteram officialis pro 12 grossis, in quibus tenebatur nacioni pro bursis.

Item die 24° ejusdem facta congregacione nacionis ad supplicandum apud Sanctum Julianum hora prime, fuit concessum domino Rotghero de Lunebourch ut medietatem pecunie, quam debebat nationi de determinancia et licencia, solveret in parato, et pro residua medietate traderet bona pignora et promitteret facere diligenciam ad persolvendum quanto cicius posset.

Item fuit concessum domino Johanni de Rostok quod expectaretur sibi solucio bursarum, quas tenebatur nacioni de determinancia sua et licencia, dummodo faceret caucionem per litteras officialis sub pena excommunicacionis, quod satisfaceret infra tres annos, et juraret facere diligenciam solvendi prius si posset.

Item fuit concessum domino Fredemanno de Boemia ut expectaretur de bursis suis, quas tenebatur nacioni de licencia sua ad duos annos, et obligaret se satisfacturum infra per litteras officialis sub pena excommunicacionis et facere diligentiam persolvendi prius si posset.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Rostok sub magistro Alberto de Saxonia.

Item determinavit idem dominus Johannes de Rostok sub magistro Henrico de Kempis, cujus bursa semiflorenus de Florentia, et pro parte tangente nacionem dedit litteram officialis, et pro residuo satisfecit.

Item licentiatus fuit dominus Fredemannus de Praga Bohemus sub magistro Alberto de Saxonia, et dedit nacioni literam officialis continentem 8 grossos pro bursis tangentibus nacionem, de aliis satisfecit.

Item die 2° mensis Martii hora prime Nostre Domine facta congregacione nacionis ad supplicandum ad Sanctum Julianum, concessum fuit domino Johanni Scalpi de Scocia ut expectaretur sibi solucio bursarum tangencium nacionem, dummodo obligaret se per litteram officialis sub pena excommunicacionis satisfacere in tribus annis, et juraret se facturum diligenciam ad solvendum quanto cicius posset.

Item concessum fuit domino Rotghero de Luneborgh ut pro medietate pecunie, quam in prompto solvere debebat ut prenarratur, reciperentur bona pignora que redimere deberet infra quindenam, alioquin ipso termino solucionis elapso sine dilatione sub propriis laboribus et expensis deberet vendere et persolvere pecuniam nacioni.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Scalpi Scotus sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa 3 mutones, et pro 3 bursis cum dimidia dedit litteram officialis, de aliis satisfecit.

Item licenciatus fuit dominus Rotgherus de Luneborch sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa 44 solidi, mutone valente 7 libras et 14 solidos. Pro parte tangente nacionem satisfecit per pignora, de aliis per pecuniam.

Item die 9° Martii facta congregatione nacionis ad Sanctum Julianum ad computandum omnibus defalcatis et expositis quantum ad paratam pecuniam nacio remansit obligata receptori in 11 scutis Johannis et dedit grossum Philippi.

Anno ut supra, die 9° mensis Martii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum hora prime ad eligendum vel continuandum procuratorem, continuatus fuit cum concordia magister Theodericus dictus Dystel antedictus. In cujus procuracione fuerunt acta que posterius enarrantur.

Primo determinavit dominus Rotgherus de Lůneborgh, gracia per facultatem super hoc sibi facta, sub magistro Gyselberto dicto Papere, cujus bursa 53 solidi, et pro parte tangente nacionem et pro 280 solidis pro scolis, scuto Johannis valente 6 libras, satisfecit per pignora, de aliis autem per promptam pecuniam vel equivalens.

Item die 6[to] Aprilis facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Maturinum hora prime ad eligendum vel continuandum procuratorem, continuatus fuit magister Theodericus Dystel antedictus, in cujus procuracione facta sunt hec que sequuntur.

Primo, die 12° ejusdem mensis facta congregacione nacionis ad Sanctum Maturinum ad supplicandum, supplicavit dominus Fredemannus de Bohemia ut nacio crederet sibi de bursis tangentibus nacionem, et fuit concessum, dummodo faceret caucionem per litteram officialis et juraret se facturum diligenciam ad solvendum infra duos annos quam cicius poterit.

Item incepit dominus Fredemannus de Bohemia sub magistro Alberto de Saxonia, cujus burse 2 grossi turonens., et dedit litteram officialis pro parte nacionis scilicet duabus bursis cum dimidio [1].

1. *Vid. infra* p. 265, *not.* 2, *instrum. officialis.*

Item die 4° Maii facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum hora prime ad computandum, omnibus defalcatis et expositis quantum ad paratam pecuniam nacio remansit obligata receptori in 2 scutis Johannis, et uno grosso Philippi.

Item natio requisivit procuratorem ut scriberet ad *librum nacionis*, quod magister Henricus Johannis de Ligno de Kempen alias eodem anno electus fuit in examinatorem licentiandorum ad Sanctam Genovefam, et non solvit propinam, quam exinde debuit nacioni.

Anno quo supra, die 4° Maii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum ad eligendum vel continuandum procuratorem, continuatus fuit magister Theodericus Dystel antedictus, in cujus procuracione hec sunt acta.

Item supplicavit dominus Rotgherus de Lŭnenborgh pro expectacione bursarum suarum pro incepcione, etc., et concessum fuit sibi ut de isto et debito priori solveret 3 scuta Johannis in pecunia prompta, et de residuo expectaretur ad annum supra pignora jam tradita, et ut adhuc eciam se obligaret per literas officialis.

Item receptor vocatus ad computandum dixit, se post proximam computacionem nullam pecuniam recepisse vel exposuisse ex parte nacionis.

Item supplicavit dominus Conradus Klokere ut de bursis debitis nacioni pro incepcione fieret sibi gracia expectacionis, ut prius fuit factum de licentia, et fuit concessum.

Item supplicavit dominus Johannes de Rostok eodem modo, et nacio concessit sibi graciam sicut pro determinacione et licencia, ut supra circa principium hujus pagine narrabatur.

Item concessum fuit eodem die, scilicet primo mense Junii, hora prime in ecclesia Sancti Juliani magistro Theoderico Distel antedicto, quod si fieret rotulus tempore vacacionum, ipse deberet esse primus et tanquam procurator [1].

Primo incepit dominus Johannes de Rostok sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa 4 grossi turonens. Philippi vel dimidium scutum Johannis, et pro bursis tangentibus nacionem, scilicet duabus cum dimidia, obligavit se per literam officialis, ut prius erat sibi concessum; rectori et receptori communi et bidello satisfecit.

Item incepit dominus Rotgherus de Luneborgh sub magistro Alberto de Saxonia, cujus bursa dimidius regalis, sive 5 grossi turonens. de Philippo, et de istis bursis pro tunc nacionem tangentibus, scilicet duabus et dimidia, et de debitis prioribus solutis 3 scuta Johannis secundum graciam sibi concessam; rectori et aliis satisfecit.

(*Fol. 44*) [2] Item incepit dominus Conradus Kloukere sub magistro Themone Judei, cujus bursa dimidium scutum Johannis, sive 4 grossi turonens. Philippi, et pro parte bursarum tangencium nacionem, scilicet duabus cum dimidia, obligavit se per literas officialis continentes 10 grossos, de aliis scilicet rectori et receptori communi et bidello satisfecit.

Item receptor vocatus ad computandum in congregacione nationis facta ad Sanctum Julianum die 13° Julii dixit compotum stare per totum sicut prius, scilicet quod omnibus defalcatis et expositis quantum ad paratam pecuniam nacio teneretur sibi in duobus scutis Johannis et uno grosso turonens. Phylipp.

Item 24° die Augusti facta congregacione nacionis hora prime apud Sanctum Maturinum hora prime ad audiendum compotum receptoris, omnibus defalcatis et expositis quantum ad promptam pecuniam nacio remansit receptori obligata in dimidio grosso turonensi Philipp.

1360

[Rutgerus de Wevelkoven.]

Anno Domini M° CCC° LX°, die vicesimo 6° mensis Augusti, facta congregacione Universitatis ad Sanctum Julianum pauperem et eciam specialiter nacionis Anglicane in primis Nostre Domine ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer in procuratorem nacionis magister Rutgherus [de] Wevelkoven, Leodiensis diocesis, nullo reclamante. In cujus procuracione acta sunt hec que sequuntur.

Primo, eodem die propinavit magistris unum regale *in Turonense* [3].

1360

Johannes Uter Spiic de Hollandia.

Anno Domini 1360, vicesimo tertio die mensis Septembris, facta congregacione facultatis artium apud Sanctum Julianum ad statuendum vel continuandum statutum et cum hoc nacionis Anglicane in

1. *Postea circiter 12 lineae erasae sunt, ita ut nihil erui possit.*

2. *In margine superiori* Theodericus Dystel de Unna.

3. *I. e. taberna* ad magnum Turonensem.

prima Nostre Domine ad eligendum procuratorem, electus erat unanimiter in procuratorem nacionis predicte magister Johannnes Uter Spiic, Trajectensis dyocesis, nullo contradicente. In cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

Primo eodem die magistris sue nacionis *in magno Turonense* viginti unum solidos cum octo denariis, scuto valente sedecim solidos, propinavit.

Item anno, mense, die et congregacione quibus supra, quoddam statutum anno Domini 1359, die 23 mensis Septembris, in facultate pro illo anno tenendum ordinatum[1], scilicet ut quilibet ad aliquem actum procedens pro sexta bursa, quam receptor nacionis recipere consuevit pro negociis facultatis sustinendis, tradat quinque grossos Philippinos uni receptori speciali ad hoc per facultatem deputato, nec procurator recipiet juramentum, nisi portaverit signetum predicti deputati, pro anno futuro tenendum continuatum fuit et concessum.

Item anno ut supra, 3ª die mensis Octobris, facta congregacione facultatis arcium apud Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine ad eligendum vel continuandum receptorem communem facultatis predicte et ad audiendum compotum de expositis et receptis, continuatus erat magister Johannes Ance nacionis Gallicane in communem receptorem, qui talem fecit computum, quod omnibus expositis in negociis facultatis ejusdem defalcatis dicte deberet facultati 29 ragales (*sic*) cum 2^{bus} grossis vel 3^{bus}.

Item anno quo supra, 9na die mensis Octobris, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine ad supplicandum et audiendum computum receptoris ejusdem nacionis, supplicavit magister Rutgherus [de] Wevelkoven, Leodiensis dyocesis, ut si contingeret fieri rotulum in Universitate Parisiensi ad domnum Apostolicum, quod ipse absens tanquam presens posset imponi, sic quod per nullum suppositum vel supposita racione sue posset absencie impediri, cum propter causas legitimas, scilicet litteras inscriptas, non possit Parisius presencialiter permanere, que supplicacio sibi erat concessa totaliter forma sub predicta, dummodo nuncio futuro per se vel per amicum sive alium quoque modo foret satisfactum.

Et sic propter graciam sibi factam magister Rutgherus predictus magistros omnes nacionis antedicte ducens *ad hospicium Rutheri* juxta domum Richoldi eis dimidium regalem graciose propinavit.

Item anno, die mensis, congregatione, loco et hora quibus supra proxime supplicavit magister Conradus Kloukere[2] modo et forma, quibus magister Rutgherus immediate prescriptus, que concessa erat consimiliter nuncio satisfacto, etc.

Item anno, die mensis, congregacione, loco et hora quibus supra placuit procuratori, receptori et magistris omnibus aliis presentibus predicte nacionis quod magister Arnoldus Ghier, Trajectensis dyocesis, eis in prandio pro prima congregacione, cui interfuit, et pro procuracionis officio primo quod ipsum contingeret exercere, illo die propinaret, qui eisdem *in domo Ruutheri* antedicto cum propinatione magistri Rutgheri unum mutonem benivole propinavit, cujus racione magister Arnoldus prescriptus a propinacione causa illorum ampliori debeat esse quitus.

1360

(*Fol. 44ᵇ*) Johannes Uter Spiic de Hollandia.

Anno quo supra, 21° die mensis Octobris, hora prime Nostre Domine facta congregacione facultatis artium ad audiendum computum rectoris antiqui Universitatis et nacionis Anglicane ad eligendum vel continuandum procuratorem ejusdem nacionis, continuatus erat magister Johannes Uter Spiic antedictus, et hoc apud Sanctum Julianum pauperem. In cujus procuracione facta sunt sequentia.

Anno quo supra, 27 die mensis ejusdem, in primis Nostre Domine facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad audiendum compotum receptoris ejusdem nationis, computavit magister Themo receptor sic, quod omnibus computatis et defalcatis natio obtinuit in prompta pecunia duos regales, de quibus ipsa debet magistro Henrico de Kempis unam libram, dimidio regali minus, quam ibi sustulit, et cum hoc libros a receptore eodem reservatos extra arcam, quos ad valorem 6 scutatorum Johannis cum dimidio taxavit et cum hoc alicos[3] alios libros apud Johannem de Porta librarium existentes[4], quem computum nullus reclamavit.

Anno quo supra, 3 die mensis Novembris post missam Universitatis facta congregacione generali apud Sanctum Maturinum, proposuit rector Universitatis Parisiensis, ut rotulus fieret ad dominum

1. *Vid. supra*, p. 251, 34.
2. *Ms.* Bloukere.
3. *I. e.* aliquos.
4. *Vid. supra*, p. 241, 42.

papam propter liberacionem[1] et jocundum regis Francie adventum, super quo proposito a rectore deliberatum fuit a qualibet facultate, quod esset expediens fieri rotulum pro presentibus et veris regentibus, ita quod in die sabbati[2] proximo sequenti clausus reputaretur, et specialiter per theologos rotulus erat sic restrictus.

Item incepit dominus Johannes de Traboen Scotus sub magistro Themone, cujus bursa 8 solidi, scutato valente 20 solidos, ita quod omnibus computatis pro 5 scutatis nacioni vasa argentea obligavit.

Item idem magister Johannes magistris nacionis Anglicane *in magno Turonensi* pro prima congregacione cui interfuit unum scutatum propinavit.

Item anno quo supra, 10° die mensis Novembris, in primis Nostre Domine apud Sanctum Julianum pauperem facta congregacione facultatis artium et nacionis Anglicane ad disponendum de pecunia nacionis ejusdem et ad eligendum nuncium ad papam, electus magister Themo Judei in nuncium ad papam, cui magistri omnes concorditer nacionis antedicte pro expensis et sumptibus per eum faciendis centum scutatos Johanninos tam de pecunia nacionis communi quam suppositorum deputaverunt, quod quidem officium magister Themo antedictus sub forma pretacta gratanter acceptavit nullo reclamante, gracia cujus idem magister Themo magistris nationis antedicte *in taberna juxta hospicium Boni Johannis apothecarii* propinavit.

1360

Johannes Uter Spiic.

Anno quo supra, 16° die mensis ejusdem, in tertiis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum facta congregacione generali et nacionis Anglicane ad eligendum vel continuandum procuratorem, continuatus erat magister Johannes Uter Spiic, nullo reclamante, in cujus procuratione acta sunt sequentia.

1360

Johannes Uter Spiic.

Anno quo supra, 16° die mensis Decembris, in primis Nostre Domine apud Sanctum Julianum pauperem facta congregacione facultatis arcium ad eligendum rectorem, et nacionis Anglicane ad eligendum vel continuandum procuratorem, continuatus erat magister Johannes Uter Spiic in procuratorem nacionis antedicte nullo contradicente. In cujus procur[acione] acta sunt que sequentur.

(*Fol. 60*)[3] Ista sunt nomina illorum qui posuerunt litteras in nacione Anglicana.

Primo mag. Albertus de Bohemia posuit litteram officialis, in qua recognovit se debere nac[ioni causa mu]tui[4] in tribus scutis Philippinis et uno mutone. Cujus terminus est transactus.

Item postea posuit aliam litteram Albertus Ranconis, sigillatam sigillo proprio et sigillo [mag. Conradi Mathie de Bohemia, in qua idem Albertus ultimo nominatus recognovit se debere nacioni [causa mu]tui in duobus florenis et duobus scutis Johannis, quam pecuniam reddere promisit quando possibilitas [se] obtulerit sub pena perjurii, et si discederet magister Conrardus predictus, solveret illam pecuniam.

Item Thomas de Barray posuit litteram officialis, in qua promisit solvere nacioni 36 sol., floreno valente 20 sol. sub pena excommunicationis; sed oportet quod trina monicio precedat. Cujus terminus est transactus.

Item[5] Johannes Wepherman posuit litteram officialis, in qua promisit nacioni solvere 68 solidos cum dimidio, scuto Johannis valente 23 sol., sub pena excommunicationis simpliciter. Cujus terminus est transactus.

Item mag. Hermannus de Wesalia tenetur unum scutum Johannis, dempto grosso antiquo, sub pena excommunicacionis monicione precedente. Cujus terminus est transactus. Posuit litteram officialis.

Item mag. Hermannus de Wesalia posuit litteram officialis, in qua recognovit se debere nacioni 18 sol. causa mutui monete currentis; o[b]ligavit se et heredes suos et omnia bona sua ubicumque existentia. Cujus terminus est transactus.

Item Thomas de Barray posuit aliam litteram officialis, in qua recognovit se debere nacioni tantum et taliter ut prius exprimitur de eodem.

Item Wernherus dictus May de Phorczhain Spirensis dyocesis, posuit litteram officialis, in qua promisit solvere nacioni 76 sol., scuto valente 36 sol.

1. *Notum est regem Johannem an.* 1356, *Septemb.* 19 *captum esse ab Anglis apud Pictavium. An.* 1360, *Maii* 8, *pace apud Bretigniacum facta, libertate donatus est; Parisios intravit* 13 *Decemb. Vid.* Les grand. Chron. de France, *ed. P. Paris*, VI, 223.

2. 7 *Novembris.*

3. *Haec versus calcem msti leguntur. In fine ultimus terminus annus* 1361, 26 *Aprilis, notatur ideoque documentum hic inserere debemus.*

4. *Folium laceratum est.*

5. Item... cum dimidio *sunt deleta.*

Item tenetur 18 sol., scuto valente 22 sol. Cujus terminus est transactus.

Item Jacobus de Pruccge, Treverensis dyocesis, posuit litteram officialis in qua promisit nacioni solvere unum mutonem et quartam partem scuti Johannis, si possibile sit ipsum habere, sub pena excommunicationis, trina monicione precedente. Cujus terminus exspiravit.

Item [1] Johannes Proys posuit litteram officialis, in qua promisit nacioni solvere bona fide 20 sol. cum dimidio, scuto Johannis valente 23 sol. Cujus terminus est transactus.

Item Johannes Herwici posuit litteram officialis, in qua promisit nacioni solvere 2 mutones sub pena excommunicacionis [2]. Cujus terminus est transactus.

Item [3] Nicolaus Calis de Prucia posuit litteram officialis, in qua promisit nacioni solvere 22 sol., scuto valente 16 sol. Cujus terminus exspiravit.

Item Conradus Clokere, Osnaburgensis [4] dyocesis, posuit litteram officialis, in qua promisit solvere nacioni 12 grossi turonens. sub pena excommunicationis [5]. Cujus terminus exspiravit.

Item Fridmannus de Praga posuit litteram officialis, in qua promisit solvere nacioni 8 grossos turonens. sub pena excommunicacionis, trina monitione prehabita. Cujus terminus exspiravit [6].

Item Petrus Prop posuit litteram officialis, in qua promisit solvere nacioni 4 florenos cum 16 solidis, floreno valente 20 sol. sub pena excommunicacionis. Cujus terminus exspiravit.

Item mag. Ghiselbertus de Lichtenberch posuit litteram officialis, in qua promisit solvere nacioni 70 sol., floreno valente 20 sol., sub pena excommunicacionis. Cujus terminus exspiravit.

Item Johannes Dinconis de Bohemia posuit litteram officialis, in qua promisit solvere nacioni 86 sol., scuto valente 20 sol., sub pena excommunicationis. Cujus terminus exspiravit.

Item Wernherus May de Porczhain, Spirensis dyocesis, posuit aliam litteram officialis, in qua promisit solvere nacioni 76 sol., scuto valente 36 sol. Cujus terminus exspiravit.

Item Henricus Peure de Trajecto superiori, Leodiensis dyocesis, posuit litteram officialis, in qua promisit solvere nacioni 76 sol., scuto valente 36 sol. [7]. Cujus terminus exspiravit.

Item Conradus Clokere, Osnaburgensis dyocesis, posuit litteram officialis, in qua promisit solvere nacioni 10 grossos. Cujus terminus exspirabit anno Domini M° CCC° 62, die jovis post festum Barnabe apostoli, sub pena excommunicacionis [8].

Item mag. Arnoldus Ghier, Trajectensis dyocesis, posuit litteram officialis, in qua promisit solvere nacioni 2 mutones, si possibile sit ipsum habere, sub bona fide et pena, etc. Cujus terminus exspiravit.

Item Johannes de Rozstok posuit litteram officia-

1. Item... transactus *deleta sunt.*

2. *Exstat instrumentum in Arch. Univers. Paris.*, thec. XIV, n° 17 : Anno Dom. MCCCLVII, die veneris post *Letare* (*an.* 1358, 16 *Martii*) coram nobis officiale Paris. personaliter constitutus Johannes Herwici recognovit se debere et legitime teneri ac esse efficaciter obligatum nacioni Anglicane Universitatis Paris. in duobus mutonibus auri pro determinacione et licencia in arcium facultate habendis, quam quidem pecunie summam idem Johannes promisit co[ram nobis] solvere et tradere eidem nacioni vel latori presencium pro ipsa infra hinc et festum Remigii proxime venturum [sub pen]a excommunicacionis, obligans se quo ad hec, etc., supponens, etc., renuncians, etc. Et fiat super hoc bona litera ob[ligatoria.] Dat. anno et die quibus supra. HEBERTUS MORELLI.

3. Item... exspiravit *deleta sunt. In margine* solvit quando incepit.

4. *Ms.* Ossaraborien, *sicut in instrumento sequenti.*

5. *Instrumentum de hoc in Arch. Univers. Paris.*, thec. XIV, n° 13 :

Universis presentes litteras inspecturis officialis Parisiensis salutem in Domino. Notum facimus quod coram nobis propter hoc personaliter constitutus, Conradus dictus Clokere, clericus dyocesis Osnaburgensis (*Ms.* Ossaraburiens.), recognovit et confessus fuit se debere et teneri ac esse legitime obligatum nacioni Anglicane in duodecim grossos turonens. argenti de bursis suis solvendis pro licenciatura; quos reddere et solvere promisit dicte nacioni aut latori presencium infra duos annos continuo complendos a data presentium. Ad quos quidem grossos reddendum nos audita ejusdem confessione monuimus ipsum primo, secundo, tercio et quarto ex habundanti, sub pena excommunicacionis, ut satisfaceret infra dictum terminum, Cui monicioni acquievit. In cujus rei testimonium curie nostre sigillum presentibus duximus apponendum. Datum anno Domini M° CCC° LIX°, die jovis post sacros Cineres (*an.* 1360, 20 *Febr.*).

6. *Exstat de hoc instrumentum officialis Paris., prae vetustate corrosum, in Arch. Univers. Paris.*, thec. XIV, n° 4, *anni* « milles. CCC LIX, die martis post *Reminiscere* » (*an.* 1360, 3 *Martii*), *ubi idem fatetur se teneri nacioni in* « octo grossos turon. argent... pro licentia capienda in artium facultate » *quos unacum omnibus damnis promisit solvere infra duos annos sub poena excommunicationis. — Aliud instrumentum de inceptione ejusdem Fridmanni vid. p.* 265, *not.* 2.

7. *Exstat de hoc instrumentum, sed prae vetustate corrosum, in Arch.* Univers. Paris., thec. XIV, n° 9. « Anno Dom. MCCCLVI, die jovis post brandones (*an.* 1357, 2 *Martii*) coram officiali Paris., confessus est se istam summam debere *nationi* ratione bacalariatus sui, *et promisit eam solvere* « infra festum Pasche, quod erit secundum modum gallicanum an. Dom. MCCC LVIII ». — Bacalariatus *seu* bacalariatura *idem sonat ac* determinantia. *Sic quidam alius scholaris...* de Basilia *an.* 1366, *die martis post* Oculi mei *coram officiali confessus est se debere nationi quamdam summam* ratione et causa baccalariature, licencie et magisterii (*instrum. corrosum in Arch. Univers. Paris.*, thec. XIV, n° 16). *Vid. praeterea infra ad an.* 1365, *in fine, notam ad* Gerhardum (Erhardum) de Gamundia.

8. *Hoc instrumentum, quod nunc desideratur, fuit de inceptione. Alterum de licentia vid.* not. 5.

lis, in qua promisit solvere nacioni 6 florenos boni ponderis et decem sol., scuto valente centum et quinque sol., sub pena excommunicacionis. Cujus terminus exspirabit anno Domini M° CCC° 62, die veneris post *Letare*.

Item Johannes de Rostok Zwer[inensis] dyocesis posuit litteram officialis, in qua promisit solvere nacioni unum regalem vel unum florenum et unum grossum antiquum sub pena excommunicacionis. Cujus terminus exspirabit anno Domini M° CCC° 63, die martis post festum Sancte Trinitatis[1].

Item Fridmannus de Praga posuit litteram officialis, in qua promisit solvere nacioni quinque grossos turonens. sub pena excommunicacionis trina monicione precedente. Cujus terminus expirabit anno Domini M° CCC° 62, die lune post *Quasimodo*[2].

Item Henricus Lupi de Wesalia tenetur nacioni in tribus florenis boni ponderis, quos solvere promisit fide et juramento, et de hoc posuit litteram sigillatam suo proprio sigillo. Cujus terminus terminatur anno Domini M° CCC° 61, die XXVI Aprilis.

1361

(*Fol. 45*)[3] Henricus de Kempen.

Anno Domini 1361[4], electus fuit magister Henricus de Kempen in procuratorem apud Sanctum Julianum facta congregacione.

Item determinavit dominus Gofridus de Bruscia, cujus bursa sex grossi antiqui.

Item licenciatus fuit idem Godefridus, cujus bursa sex grossi antiqui.

Item licenciatus fuit dominus Andreas Bloyr, cujus bursa sex grossi antiqui.

Item omnibus computatis inter nacionem nostram et nuncium ad curiam Romanam, obligatur nacio sibi in 33 scutis Johannis.

Item nacio tenetur Rosthach[5] dimidium scutum Johannis.

Item magister Albertus et magister Henricus de Kempen et magister Theodoricus de Onna rehabent mutones eorum quos nacio eis tenebatur.

Item[6] anno eodem, die 25 mensis Maii, idem Godfridus incepit in artibus sub magistro Alberto de Saxonia, et satisfecit de omnibus.

Item idem magister Godfridus de Pruzia et magister Hermannus de Marchia solverunt III^{a} die mensis Julii symbolum eorum quilibet pro introitu primo et pro procuracione ad voluntatem magistrorum ut tenebantur.

Item anno Domini M° CCC° LXI, x die mensis Junii, continuatus fuit idem magister Henricus de Kempen per totam vacacionem.

1361

[Godfridus Cayphe de Pruzia.]

Anno Domini 1361, 12 die mensis Augusti, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super electione procuratoris, electus fuit in procuratorem antedicte nacionis concorditer, nullo magistrorum tam regencium quam non regencium penitus reclamante, magister Godfridus Cayphe de Pruzia, Warmiensis dyocesis, in cujus procuracione acta fuerunt ea que in papiro ista continentur.

In primo, eodem anno, mense Septembris, collata fuit quedam capellania perpetua ab Universitate ad peticionem domini Ducis Normannie.

Item eodem die magistro Symoni de Lumbardia littera recommendacionis concessa erat.

Item eodem anno, etc. duo de nunciis Universitatis a curia Avinionensi venerunt, relictis aliis omnibus mortuis, rotulo non signato[7].

1. *Exstat de hoc instrumentum in Arch. Univers. Paris.*, thec. XIV, n° 2 : « Universis presentes literas inspecturis officialis Paris. salutem in Domino. Notum facimus quod coram nobis propter hoc personaliter constitutus Johannes de Rostok, cler. dyoc. Zwerinens., scolaris Pa[risius in]ceptu[rus] in artibus, recognovit et confessus fuit se debere et teneri... nacioni Anglicane in uno regali, quod pro tunc valuit Parisius unum florenum [et] u[num grossum] antiquum, et hoc de bursis solvendis pro incepcione, quod regale reddere et solvere procuratori aut receptori infra tres annos... Datum an. Domini millesimo [CCC LX, die martis post] festum Trinitatis » (1360, 2 *Junii*).

2. *Instrumentum de hoc exstat in Arch. Univers. Paris.*, thec. XIV, n° 6 :

Anno Domini M° CCC° LX°, die lune (13 *April.*) post *Quasimodo geniti*, coram nobis, officiali Parisiensi, personaliter constitutus, Fridmannus de Praga, clericus diocesis Pragensis, recognovit se debere et legitime teneri solvere et reddere nacioni Anglicane, vel procuratori ejus Parisius quinque grossos turonens. argenti de cuno Philippi, quondam regis Francie, pro bursis de inceptione [magistra]li capienda in artium facultate, solvendis eidem nationi vel procuratori ejus, vel recepturi, infra duos annos a data presentium computandas se obligavit sub pena excommunicacionis, trina monicione prehabita.

3. *Verisimiliter deest folium unum.*

4. *Postea spatium. Congregatio mense Maii celebrabatur. In ms. sequentia usque* congregatione *alio charactere scripta.*

5. *Utique* Johanni de Rostok.

6. *Quae sequuntur, alio charactere, manu ut videtur* Godefridi.

7. *Revera non invenitur in Reg. Supplic.* Innocentii VI.

Eodem die supplicavit apud Sanctum Maturinum in congregacione generali magister Albertus de Saxonia pro ecclesia parochiali sanctorum Cosme et Damiani infra muros Parisienses, que ab omnibus nullo contradicente erat supradicto magistro ab Universitate data atque presentata.

Item supplicavit magister regens[1] apud Agustinenses ut Translatio sancti Agustini[2] in Universitate celebraretur, quod concessum erat prout tunc supplicavit.

Item 23ª die mensis Septembris ejusdem anni continuatus erat idem magister a predictis magistris nullo eorum contradicente. In cujus procuratoria acta sunt hec.

Primo fuit facta recommendatio Universitatis ad cardinales novos, videlicet ad dominum cancellarium regis Francie[3], et apud dominum Cluniacensem abbatem[4].

Item electus erat in provisorem domus Cerbone[5] dominus cardinalis, cancellarius regis Francie pro tunc existens.

Item 11[6] die mensis Octobris fuit electus in rectorem Universitatis magister Petrus de Luca nacionis Gallicane, et eodem die supplicatio antiqui rectoris erat concessa de baculario.

1361

[Hubertus de Beesde.]

(*Fol. 45ᵇ*) Item anno Domini ut supra facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum pauperem super electione procuratoris, electus fuit in procuratorem predicte nacionis concorditer nullo magistrorum reclamante magister Hubertus de Beesde, in cujus procuracione facta sunt hec.

Primo facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum pauperem, electus fuit magister Aelbertus de Saxonia in receptorem nacionis predicte.

Item incepit dominus Heynricus de Beesde sub[7] magistro Heynrico de Kempis, cujus burse septem sol., regali valente XV sol.

1361

Procuracio Guillelmi dicti Buzer de terratorio de Hoesden, etc.

Anno Domini Mº CCCº LXIº, decima octava die mensis Novembris, facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem super electione procuratoris, electus fuit concorditer nullo penitus reclamante in procuratorem antedicte nationis magister Guillelmus dictus Buzer, Trajectensis diocesis; in cujus procuratione facta sunt hec.

In primo, facta congregatione facultatis die et loco ut supra ordinatum erat concorditer quod quedam littera ibidem ordinata, de modo scilicet intrandi disputationes magistrorum et scolarium cum habitu decenti[8], de magistris et scolaribus legentibus private, necnon de scolaribus in vico Straminis scolarum fenestris astantibus lectiones magistrorum audiendo, in vico Straminis legeretur.

Item die qua supra finita congregatione natio Anglicana ivit [ad] potum, ubi magister Albertus de Saxonia solvit scutum de hoc quod in receptorem erat electus. Et magister Heynricus de Beesden solvit pro introitu suo ad congregationem. Item idem magister H. ibidem ex consensu magistrorum omnium solvit pro prima procuratione, cui omnes magistri unanimiter promiserunt ut eum ad festum carnisprivii proximo futurum, vel saltem illo tempore cum determinantes in *libro nationis* inscribentur, in procuratorem eligerent.

Item die et hora qua supra facta computatione totius symboli, dominus receptor solvit de pecunia nationis sex sol., etc.

Item facta congregatione nationis supradicte apud Sanctum Julianum in die beati Andree apostoli[9] ad audiendum computum receptoris et ad supplicandum, primo ego procurator predictus supplicavi pro remissione bursarum fratris mei Ghiselberti dicti Bot, que supplicatio fuerat concessa cum ista conditione, quod frater meus supradictus satisfaceret magistro Johanni Ance de pecunia facultatis, necnon bedellis de bursis eorum.

Item computavit dominus receptor, sic quod natio omnibus computatis remansit sibi in 4ᵒʳ sol., regali valente 15 sol., cujus computus fuit approbatus, etc.

1. Radulphus de Civitate Castelli. *Hoc fiebat* 25 *Septemb. Cf.* Chartul. III, nº 1256.
2. 28 *Februarii.*
3. Aegidium Aycelini, *episc. Morin., card. S. Martini in montib., creat. sicut et seq. an.* 1361, 17 *Sept.*
4. Audoynum de Roca, *card. S. Marcelli.*
5. *I. e.* Sorbonae.
6. *Ms. potius* II.
7. *Ms.* super.
8. *Vid.* Chartul., III, nº 1258.
9. 30 *Novembris.*

Anno Domini M° CCC° L[X]I°[1], xvi^a die mensis Decembris, facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad continuandum vel eligendum procuratorem nationis predicte, continuatus erat ibidem de consensu omnium magistrorum ibidem existentium magister Guillelmus dictus Buzer, Trajectensis dyocesis, in cujus procuratione facta sunt hec.

In primo, facta congregatione facultatis die et loco ut supra, facta fuit gratia per facultatem quod bachalarii volentes determinare possent respondere ad unam questionem, ipsam determinando usque ad festum brandonis[2].

Item in octavis[3] Epiphanye Domini facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad audiendum compotum receptoris, computavit receptor quod natio remansit sibi in XIIII sol. et VI den.; cujus computus fuit approbatus.

1362

Anno Domini M° CCCLXII°[4] xiij^a die mensis Januarii, facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum vel continuandum procuratorem nationis predicte, continuatus erat ibidem de consensu omnium magister Wilhelmus dictus Buser, Trajectensis dyocesis, in cujus procuratione facta sunt hec que sequntur.

Primo facta congregatione nationis predicte ubi supra ultima die mensis predicti ad eligendum examinatores pro examine Sancte Genofeve et ad examinandum determinantes, primo ego procurator predictus fui electus concorditer pro examinatore ad Sanctam Genofevam pro prima (*sic*) mense. Item electi fuerunt concorditer et secundum tenorem statuti magister Johannes Uter Spiic, magister Theodericus de Campis et magister Theodericus de Unna ad examinandum determinantes.

Item facta congregatione nationis predicte in loco predicto X^a die Februarii ad audiendum computum receptoris ex unanimi consensu nationis fuit prolongatus computus usque ad diem XIII^am.

1362

[Johannes de Riemestorp.]

(*Fol. 46*)[5] Item facta congregatione nationis 20^a die Septembris apud Sanctum Materinum, advertens natio et considerans nullum esse lucrum tunc temporis rectoris, deliberavit quod ille qui proxime in rectorem de natione Anglicana eligeretur et hoc de numero actu Parisius existentium pro tunc, deberet habere pro suis laboribus duodecim florenos de pecunia nationis. Et ultra natio considerans quod magister Wilehelmus Buser sepe pro natione fideliter laboravit, eidem magistro predictam gratiam fieri concessit, si vellet et posset esse rector; si autem non posset esse rector propter aliquam infirmitatem vel aliam causam, quod tunc eadem gratia uni alteri fieret, qui pro tali tempore in rectorem eligeretur. Et ultra dicta natio deliberavit, quod si quis postea in rectorem eligeretur et si tempora et status sic se haberent, quod competenter pro statu suo lucraretur, talis gratia tali fieri non deberet; si autem tempora non sic se haberent, tunc natio super hoc deberet deliberare.

Item in eadem congregatione magister Henricus de Kempis recepit unum florenum de pecunia ibidem in archa existente, et remanserunt 3 floreni.

1362

Riemestorp.

Anno Domini 1362, 23^a die mensis Septembris, facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad audiendum compotum domini receptoris et ad eligendum procuratorem vel continuandum antiquum, ibidem computavit dominus receptor magister Henricus de Kempen, et omnibus hinc inde computatis et defalcatis predicto receptori natio in duobus solidis et 4 denariis, franco valente 18 sol., mansit obligata. Et ibidem hora eadem antiquus procurator fuit continuatus, nullo penitus reclamante.

Item facta congregatione generali apud Sanctum Materinum 24^a die Septembris, magister Odardus Bileyt[6] et Jacobus bedellus major et generalis retulerunt certa nova de morte pape[7], que a domino

1. *Ms.* MCCCLI.
2. *Seu* brandonum, *i. e. usque ad dominicam* Invocavit, *domin. I Quadragesimae.*
3. 13 *Januarii.*
4. *Ms.* MCCCLI
5. *Sane deest unum folium, in quo acta mensium Februarii — Septembris et principium procurationis* Johannis de Riemestorp *scripta erant et quidem jam tempore Bulaei, ut numeratio foliorum, sine cura tunc facta, indicat.*
6. *Seu* Billeti, *nat. Gallicanae.*
7. Innocentii VI, 12 *Septembris, defuncti, et die* 14 *sepulti in eccl. b. Mariae de Donis Aven., posteaque translati ad monast. Cartusianorum.*

Duce Normanie[1] perceperunt, et tunc eadem hora ibidem deliberatum fuit quod rotulus ad curiam mitteretur, et quod infra 8 dies clauderetur, et deliberatum fuit quod collegiati[2] ad rotulum Universitatis non reciperentur, nisi prius jurarent quod non mitterent rotulum specialem, nisi prius rotulus Universitatis esset expeditus. Et ibidem deliberatum fuit ob rogatum domini Ducis principis serenissimi quod una missa de Sancto Spiritu celebraretur, ut Deus nobis bonum papam pro sancta ecclesia ordinaret, que missa celebrata fuit sequenti die apud Minores reverenter.

Item facta congregatione facultatis artium apud Sanctum Julianum pauperem 27ᵃ die Septembris deliberatum fuit, quod nullus licentiatus volens incipere inpediretur propter nova statuta.

Item supplicaverunt multi magistri, de quorum nominibus non recordor, quod aliqui pauperes possent incipere sine nova cappa et propria. Quorum supplicationes fuerunt concesse sub tali conditione quod jurarent, quod non haberent nec habere possent, et illis qui hoc non jurarent, prefigeretur certus terminus, in quo propriam deberent habere cappamque novam.

Item eadem die et eodem loco hora primarum Nostre Domine facta congregatione nationis Anglicane ad eligendum officiales pro rotulo, electus fuit in nuntium ad curiam cum rotulo magister Willehelmus Buser, nullo penitus reclamante.

Item electi fuerunt in inrotulatores magister Theodericus de Unna et magister Henricus de Beesden eadem hora et loco eodem, nullo penitus reclamante.

Item 24 die Septembris deliberatum fuit quod nullus de novo superveniens precederet aliquem pro nunc presentem, quorum presentium numerus erat 8.

Item 28 die mensis Septembris facta congregatione nationis Anglicane juraverunt inrotulatores apud Sanctum Materinum.

Item eadem die et eodem loco facta congregatione facultatis, una pars nationis Gallicane appellavit contra aliam ad facultatem, et alie 3 nationes deliberaverunt illam appellationem nullam sive injustam fore.

Item facta congregatione generali apud Sanctum Materinum 28 die Septembris, deliberatum fuit uniformiter quod pro papa defuncto una missa celebraretur.

Item incepit dominus Nicolaus de Prutia, cujus bursa 8 sol., franco valente 18 sol.

Item incepit dominus Marcelius de Inghen, cujus bursa 8 sol.

Item incepit dominus Theodoricus de Oy, cujus bursa 8 sol.

Item incepit dominus Willehelmus de Wic, cujus bursa 8 sol.

Item incepit dominus Johannes Holtman, cujus bursa 8 sol., et supplicavit nationi quod caperet pignora ad mensem, quod concessum fuit.

Item incepit dominus Symon de Beverwic, cujus bursa 8 sol.

[Sub mag. Wilhelmo Buser, 27 die Septemb.]

Item incepit dominus Johannes de Suecia sub magistro Theodorico de Unna, cujus bursa 6 sol. et 4 den., 28 die Septembris.

Item incepit dominus Johannes Scalpi de Scocia sub magistro Malcolino, cujus bursa 6 sol., prima die Octobris.

Item 28 die mensis Septembris celebrata fuit missa Universitatis apud Predicatores pro papa defuncto.

Item 28 die mensis ut supra facta congregatione generali apud Predicatores, deliberatum fuit quod inrotulatores jurarent, quod non inrotularent aliquos absentes, sed solum presentes et qui presentes reputarentur.

Item eadem hora et eodem loco appellavit magister [Odardus] Bileyt[3] cum adherentibus tunc a facultate artium ad Universitatem; cujus appellatio reputata fuit mala et irrita per totum, sicud facultas artium prius de eadem appellatione judicavit.

Item anno ut supra, ultima die Septembris, facta congregatione nationis apud Sanctum Materinum ad ordinandum de pecunia pro magistro Wilhelmo Buser nuncio ad curiam cum rotulo, ordinavimus eidem concorditer 100 francos, et pro presenti deberet capere quod ab inrotulatis caperetur, et pro residuo deberet capere litteras nationis ad satisfaciendum eidem.

Item anno et die ut supra facta congregatione facultatis, pro Jacobo bedello ordinati fuerunt 50 franci pro eundo ad curiam, qui eidem deberentur solvi de bursa communi.

Et eadem congregatione supplicaverunt magistri Gallicane nationis pro aliquibus volentibus incipere

1. Carolo, *postea rege Francorum.*
2. *I. e. qui vivunt in collegiis.*
3. *Nat. Gallicanae.*

non determinantibus; quorum supplicatio fuit concessa.

Item anno, die, ut supra, omnes magistri pro tunc presentes nationis Anglicane pransi fuerunt *in ymagine Nostre Domine*, in quo prandio 7 magistri, scilicet mag. Nicolaus de Prucia, mag. Marcelius de Inghen, mag. Theodoricus de Oy, mag. Wilhelmus de Wic, mag. Johannes Holtman, mag. Symon de Beverwic, mag. Johannes de Succia, quilibet pro suo introitu solvit unum florenum, et residuum, scilicet 25 sol., solvit receptor ex parte nationis.

(*Fol. 46* b) Item facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Materinum ultima die mensis Septembris hora vesperarum, supplicaverunt magistri de novo incipientes, quod nullus de novo superveniens eos in rotulo precederet; super qua supplicatione sic deliberatum fuit, quod magistri qui fuissent hic isto anno, et si venirent infra diem sabbati inclusive, illi deberent eos precedere; si autem venirent post dictum terminum, tunc deberent poni post eos, et alii absentes post 2 annos vel plus, quocumque tempore venirent, deberent de novo incipientes sequi.

Item dominus Theodoricus de Oy, dominus Johannes Holtmant, dominus Johannes Scalpi transiverunt ad magisterium per gratiam sine determinancia.

Item 4 die mensis Octobris facta congregatione deputatorum apud Sanctum Julianum pauperem ad audiendum compotum receptoris communis de expositis et receptis, computavit magister Johannes Ance receptor communis, qui omnibus defalcatis remansit in 27 et semi regalibus obligatus facultati.

Item 8 die Octobris incepit dominus Wefermannus sub magistro Wilhelmo Buser, cujus bursa 7 sol.

Item facta congregatione nationis 8 die Octobris ad Sanctum Materinum ad audiendum compotum receptoris, computavit dominus receptor magister Henricus de Kempen, et remansit nationi 27 regales et 12 sol., de quibus solvit ex jussu nationis magistro Wilhelmo Buser nuncio rotuli 20 francos.

1362

M. Theodericus Dystel de Unna.

Item eodem anno die octavo mensis Octobris hora prime facta super hoc congregatione nationis una cum aliis articulis, substitutus fuit in procuratorem magister Theodericus Dystel de Unna per resignationem magistri Johannis de Richmestorp.

Item magister Nycolaus Calys de Thorun de Prucia solvit nationi unum francum, in cujus valore obligabatur nationi per litteram officialis ratione bursarum suarum de licencia sua.

Item magister Johannes de Svecia dictus Thorstani solvit bursas suas, quas tenebatur ab antiquo ultra 10 annos de determinancia et licencia, cujus burse 5 sol.

Item 14a die Octobris facta super hoc congregatione nationis ad Sanctum Julianum hora prime, magister Johannes Wepferman informavit nationem quo[a]d litteram concessam Nycolao quondam bedello [1], quod satisfecit de bursis, qui obligabatur nationi per litteram officialis de licencia sua. Et intravit natio tabernam, in qua dictus magister Johannes Wepferman et mag. Johannes Scalpi solverunt quilibet 1 florenum.

Item incepit dominus Baldewinus de Tyla sub magistro Wilhelmo Buzer, cujus bursa 8 sol.

Item incepit dominus Giselbertus Wiichen de Gorchem sub magistro Wilhelmo Buser, cujus bursa 7 sol.

1362

Ricmestorp.

Item anno ut supra facta congregatione nationis apud Sanctum Materinum ad eligendum procuratorem, 21 die Octobris, electus fuit in procuratorem magister Johannes Ricmestorp, nullo penitus reclamante.

Item facta congregatione ad supplicandum apud Sanctum Julianum, supplicavit dominus Petrus de Hallant quod natio sibi bursas remitteret, quia pauper esset et non haberet nec hic nec in partibus; quod juravit. Et fuit concessa sua supplicatio.

Item idem dominus Petrus Hallant supplicavit, nationi, quod posset imponi rotulo absque pecunia, quod fuit sibi concessum prestito juramento et fide, quod, si sibi provideretur de beneficio, quod tunc solveret, et erat pecunia ad rotulum 3 franci, franco valente 18 sol.

Item incepit dominus Petrus Hallant sub magistro Johanne Riemestorp tunc procuratore nationis Anglicane, cujus bursa nichil.

Item magister Baldewinus de Tyla solvit unum florenum, quem perpotavimus *in domo Ruteli* [2], et receptor ibidem solvit 1 francum et octo denarios, franco valente 18 sol.

Item facta congregatione generali, 25 die Octobris,

1. *Vid. supra ad aa.* 1359, 16 *Martii. p.* 245, 44.

2. Rueberi.

apud Sanctum Materinum ad audiendum quasdam litteras missas Universitati a domino episcopo Senomonensi[1]; in quibus litteris dictus dominus episcopus misit Universitati beneficia conferenda, pro qualibet facultate unum, et in facultate arcium beneficium in eadem facultate conferendum collatum fuit magistro Johanni Ance[2], nullo penitus reclamante.

Item incepit dominus Wilhelmus Loderpape sub magistro Wilhelmo Buser, cujus bursa 6 sol.

Item facta congregatione nationis, 3 die Novembris, apud Sanctum Materinum hora primarum ad audiendum compotum inrotulatorum et ad supplicandum, in primo ordinatum fuit ibidem, quod 4 inrotulatores, scilicet duo de officio electi, et receptor et procurator et nuncius essent quiti et absoluti de pecunia danda ad rotulum, quod omnibus bene placuit et perfecte.

Ulterius transivit ibidem et placuit omnibus, scilicet sicud prius ordinatum fuit per tunc presentes apud Predicatores, quando missa fuit celebrata pro papa defuncto, quod quilibet presentium deberet dare 2 regales.

Tunc ulterius computaverunt dicti inrotulatores de pecunia, quam ab inrotulatis receperant, sic quod nacio adhuc nuncio deberet dare 5 francos, et tunc nuncius esset de 100 francis persolutus. Qui computus ab omnibus fuit approbatus.

Et supplicavit magister Johannes Ricmestorp, pro tunc procurator, quod natio vellet expectare de pecunia, quam magister Albertus frater suus deberet dare ad rotulum. Ipse vellet pro eo fidejubere et dare nationi litteras super hoc sigillo suo proprio sigillatas. Quod concessum fuit ab omnibus.

Item supplicavit magister Henricus de Beesta, quod si fieret alter rotulus eo absente, quod imponeretur tanquam presens solutis solvendis. Quod concessum fuit ab omnibus.

Item[3] facta congregatione nacionis ad supplicandum apud Sanctum Julianum pauperem, supplicavit magister Willelmus Lodderpape quod nacio vellet sic expectare de pecunia quam deberet dare ad rotulum ad unum annum, quod fuit sibi concessum, dummodo juraret quod tunc daret et daret nacioni literam officialis, quod si non solveret infra annum, quod esset excommunicatus. Que omnia promisit adimplere. Et pecunia danda ad rotulum erant tres franci de Francia[4]. Solvit ex toto.

(*Fol. 47*) Item[5] incepit dominus Florentius de Alcmade sub magistro Wilhelmo Buser, cujus bursa 9 sol.

Item die XI[a] Novembris hora primarum facta super hoc congregatione nationis apud Sanctum Maturinum, promisit natio magistro Wilhelmo Buzer nuncio ad curiam solvere triginta francos, prout [in] litera super hoc sibi concessa et sigillata sigillo nationis plenius continetur.

1362

Mag. Theodericus Dystel de Unna[6].

Item eodem die facta congregatione nationis in eodem loco hora vesperarum ad ordinandum de officiariis, scilicet procuratore, receptore, et ad computandum et supplicandum, substitutus fuit in procuratorem magister Theodericus de Unna.

Item omnibus defalcatis et expositis computo facto remansit receptor[7] obligatus nationi in octo regalibus minus XIIII parisien. Et supplicavit idem receptor, quod cum in fine anni deberet sibi nacio dare II libras parisiens. et ipse jam iturus ad curiam bene indigeret pecunia, ut statim illam pecuniam de summa, quam nationi debebat, posset defalcare. Quod fuit concessum, dummodo natio non amplius pro eodem sallario istius anni moneretur, et ille qui per nationem constitueretur in receptorem, vellet dictum officium usque ad finem anni, scilicet festum sancti Bartholomei, exercere. Et constitutus fuit in receptorem magister Hermannus Consul, qui promisit, quod vellet illud officium usque ad finem anni, vel donec rediret magister Henricus de Kempen (et juravit juramenta consueta), exercere, non habendo pecuniam pro labore.

Item sequenti die[8] facta congregatione nationis hora primarum Sancti Jacobi apud Sanctum Maturinum ad reponendum pecuniam ad archam et sigillandum literas concessas, fuit sigillata litera magistro Wilhelmo Buzer super gratia die precedenti sibi concessa. Item fuit sigillata Johanni bedello minori litera super suo officio, quia magister Henricus de Kempen et magister Hermannus Consul dicebant, se

1. *I. e.* Cenomanensi, *qui tunc temporis fuit* Michael de Brachia, *mag. in theol., olim in* Univers Paris. *studens. Vid.* Chartul. Univers., II, p. 597, *not.* 22.
2. *Nat. Gallicanae, receptori generali.*
3. *Quae sequuntur sunt scripta charactere sequentis procuratoris* Theoderici.
4. Item... Francia *deleta sunt.* Solvit ex toto *alio charactere.*
5. *Quae sequuntur, scripta sunt manu* Theodorici, *cujus nomen in principio folii.*
6. *Haec leguntur in margine superiori paginae.*
7. Henricus de Kempen.
8. 12 *Novembr.*

recordari quod alias fuerit sibi concessum, tamen propter paucitatem magistrorum presencium litera fuit posita ad archam, donec super hoc alias natio maturius deliberaret. Item ad 3 florenos, qui dudum fuerunt in archa repositi, fuerunt 3 scuta antiqua Philippina et unus florenus, et soluti fuerunt receptori XI sol.; et hoc fuit totum, in quo magister Henricus tenebatur, defalcatis sibi 40 solidis antedictis.

Item magister Theodericus de Unna presentavit in natione magistro Hermanno receptori III francos receptos ex parte rotuli post computationem quos receptor penes se retinuit.

Item eodem die solvit magister Wilhelmus Buzer pro suo *benevalete* invitata natione, ultra II florenos, et magister Henricus Kempen unum in taberna[1].

Item in congregatione facultatis deliberatum fuit per 3 naciones, quod quelibet natio solveret partem sibi attingentem de sedecim francis, qui defecerunt domino Jacobo bedello de sallario suo pro eundo ad curiam Romanam, et postea redderetur cuilibet nationi id quod exposuerit de bursa communi, et dixit nacio nostra quod bene placeret sibi, dummodo aliqua aliarum nacionum vel receptor communis concederet pecuniam ipsam attingentem usque quod de bursa communi satisfieret, quia jam non haberet pecuniam, quam posset exponere. Et ita factum fuit.

Item anno quo supra die XVIII[a] Novembris facta congregatione nationis apud Sanctum Maturinum hora primarum Nostre Domine ad eligendum vel continuandum procuratorem, idem magister Theodericus Dystel de Unna fuit electus sive continuatus in procuratorem nullo penitus reclamante.

Item eodem die natio intravit tabernam, in qua magister Florentius de Alemade solvit 1 florenum pro suo noviciatu, et receptor solvit 13 sol. paris.

Item die 16[a] Decembris facta congregatione nacionis apud Sanctum Julianum ad computandum, singulis solutis et defalcatis remansit receptor nacioni in 12 sol. et 4 den.; et fuit computus approbatus.

1362

Johannes Scalpi Scotus.

Anno Domini millesimo CCC[mo] sexagesimo secundo, facta congregacione totius facultatis ad eligendum rectorem, apud Sanctum Julianum pauperem, 16 die Decembris, electus fuit in procuratorem nacionis Anglie magister Johannes Scalpy Scotus unanimi concentu nacionis predicte cum hoc ad eligendum procuratorem congregate, et hoc factum est sine aliqua reclamatione seu[2] murmure factis quibuscunque. Cujus in procuratione acta sunt que secuntur.

In primis post congregacionem factam predictam dictus magister Johannes intravit tabernam *nigri capitis*[3] ante Carmelitas et ibi[4] solvit ad prandium magistris nacionis predicte ex deliberacione eorum XIII solidos et VI denarios pro introitu jocundo procuratorie sue, et in eodem loco solvit magister Johannes de Suecia dioc. Strengenen. XIII solidos et VI denarios pro introitu procuratorie sue ex concentu predictorum magistrorum.

Item facta congregatione nacionis apud Sanctum Mattulinum in vigilia[5] Thome episcopi et martiris in Natale venit litera de curia Romana a nuntio nacionis predicte ostendens nova de actibus nuntiorum totius facultatis in curia Romana et de domino papa nobis gratuito suis verbis, et de spe magne gratie ab ipso consequenda.

Eodem utique die solvit post multas riparaciones factas Ricoldus de Haeften[6] XV solidos pro bejanya sua magistrature sue, quamvis diu ante fuerat magister. Notandum tamen quod non solvit aliquid pro officio procuratorio suo, quia nunquam fuit procurator ante istum diem. Et in eodem die solvit receptor nacionis ad illud idem prandium XII solidos, et sic totum prandium magistrorum erat solutum, videlicet ad signum in *taberna panni de minutis variis*.

Item in die sancti Gillermi[7] dominus rector cum quatuor procuratoribus et aliis deputatis cum conservatore adivit Naverram[8] et ibi sigillavit litteras deprecatoreas (*sic*) ad dominum papam pro magistris qui[9] supplicaverant ante in plena congregacione, quorum supplicatio erat concessa. Postea immediate predictus dominus rector cum procuratoribus, etc., adivit Sanctum Victorem ad videndum observatam pecuniam Universitatis, ubi prior abbatie sibi obviavit dice[n]s conventum suum teneri Universitati in centum scutis antiquis Philippinis, sed dixit pro tunc non habuisse illam pecuniam persolvendam.

(*Fol.* 47 [b]) Item in die sequenti dominus Willel-

1. *Nuntii postea cum rotulo ad curiam, ad* Urbanum V, *profecti sunt. Isti rotuli omnium facultatum adhuc supersunt, signati in curia 9 kal. Decemb. — 5 kal. Decemb. (an.* 1362, 23-27 *Novemb.). Vid. in* Chartul. Univers. Paris., III, n[os] 1262-1265.
2. *Ms.* sueu.
3. *Ms.* capilitis.
4. *Ms.* bibi.
5. *Decemb.* 28.
6. *Ms.* Haneslen.
7. 10 *Januarii an.* 1363.
8. *I. e.* collegium Navarrae, *ubi tunc erat arca Univers.*
9. *Ms.* supplicaverant qui.

mus de Chesoline Scotus juravit juramenta consueta incepturorum in artibus, cujus bursa VII solidi, et in die sequenti incepit sub magistro Malcolino de Drumbrek Scoto.

1363

Item facta congregacione apud Sanctum Mattulinum nationis Anglicane 14ª die mensis Januarii, continuatus fuit in procuratorem magister Johannes Scalpy unanimi consentu dicte nacionis, ubi omnibus computatis tenebatur receptor nacionis nacioni predicte in 17 solidis et 10 denariis.

Item Cunrardus bedellus supplicavit in nacione die et loco predicto quod dum bedellus, videlicet subbedellus qui tunc fuerat in curia Romana, Parisius veniret vel aliter ordinatum esset, suo privilegio posset gaudere, videlicet recipiendo illam dimidiam bursam, quam sibi tenetur predicto subbedello in magistraturis, determinandis, et sic de aliis, et sibi concessa supplicatio fuit, videlicet quod gauderet privilegio [1] predicti bedelli in toto, ex quo laborem sustinuit a transitu illius usque pro officio suo complendo Parisius rederet (*sic*), [2] vel predicta natio aliter disponeret.

Item facta congregacione nacionis Anglie apud Sanctum Julianum pauperem 10 die mensis Februarii, continuatus fuit in procuratorem magister Johannes Scalpy electusque fuit in examinatorem Sancte Janavefe, cujus in procuratoria acta fuerunt que secuntur.

In primis die lune [3] post brandones Johannes de Gellria Almanus [4] juravit juramenta consueta determinantium, et [5] determinavit sub magistro Hermano Consul, cujus burse 9 solidi, et satisfecit ante.

Item Henricus de Hassia [6] eodem die juravit juramenta consueta determinantium, et [7] determinavit sub eodem magistro, cujus burse nichil, secundum quod visum erat, et dispensatum secum in congregacione facta apud Sanctum Julianum pauperem die saboti (*sic*) immediate precedenti [8].

Item in die sequenti [9] Johannes de Drumbrek Scotus juravit juramenta consueta determinantium, et [10] incepit sub magistro Johanne Salpy, pro cujus omnibus bursis et scolis et eciam bursa bedelli, excepta bursa communi quam solvit, dispensatum erat secum pro 2 francis in congregatione predicta et acquictatus fuit de omnibus multum benivole aliis et gratanter.

Item eodem die Tudemannus Parvus Almanus juravit juramenta consueta determinantium, et [11] determinavit sub magistro H[ermanno] Consul, cujus burse 10 solidi, et notandum quod dispensatum fuit secum in congregatione facta apud Sanctum Julianum pauperem immediate ante congregationem predictam nacionis, quod pro determinatura sua in vico Straminis non disputaret nisi semel qualibet septimana carniprivii.

Item congregatione facta apud Jacobitas 2° dominico (*sic*) Quadragesime [12] concorditer concessum fuit quod 4 franci darentur sibi, quem nuncius noster in curia Romana assignavit illos acceptare, nam nuncius noster erat magister Gillermus Buser, et hoc nos facere literatorie rogavit, etc. Concessa fuit supplicatio et eodem die intravimus tabernam magis ad invicem et expendimus III libras et tres solidos.

Item facta congregacione nacionis predicte apud Sanctum Julianum pauperem die lune [13] proximo post *Reminiscere*, constitutus fuit in subbedellum Johannes de Treveris nacionis predicte usque ad adventum subbedelli proprii Parisius, tunc existentis in curia Romana, et quia ante ejus electionem Cunrardus bedellus supplicavit quod cum in ejus absentia, videlicet bedelli in curia existentis, totum laborem sustinuit, totum lucrum possideret, et concessa fuit supplicatio usque ad adventum alterius, et ex quo bedellus sic subelectus usque ad adventum alterius totum laborem subiit, cujus supplicationem in forma sibi concessam noviter sic electo resignavit.

Eodem autem die Cunrardus predictus supplicavit quod calamitatis sue nacio misereretur et sibi unum mantellum, vel argentum ad emendum illum, concederet, mediante quo honorifice nacionis negociis posset pro viribus indulgere. Concessa fuit supplicacio.

Eodem die supplicavit Adalbertus quod natio sibi parceret pro aliquo tempore, non tamen longo, de quadam pecunia per se nacioni debita antedicte. Et concessa fuit supplicacio.

Eodem die deliberavimus, 4 francos predictos pro quibus supplicavit nuncius noster antedictus homini,

1. *Ms.* privililigo.
2. *Ms.* vel autem predictam.
3. 20 *Februarii.*
4. *Ms.* Allanus.
5. Et... consul *inter lineas alio charactere,*
6. *Seu* de Langenstein.
7. Et... magistro *inter lineas alio charactere.*
8. 18 *Februarii.*
9. 21 *Februarii.*
10. Et... Salpy *inter lineas alio charactere.*
11. Et... consul *inter lineas alio charactere.*
12. 26 *Februar.*
13. 27 *Februarii.*

quem assignavit illos accipere, et petivimus ab eo unam literam recepti, et eam nobis concessit fore dandam.

Item Johannes Neve de Gelrya juravit juramenta consueta licenciandorum, cujus burse 9 solidi, et dabatur sibi dies usque ad Pasca proximo sequens congregatione facta apud Sanctum Pauperem Julianum die sabbati in vesperis, videlicet 4 die mensis Martii satisfecit.

Item Henricus de Reyne juravit juramenta consueta licenciandorum, cujus burse 9 solidi, et dabatur sibi dies solutionis usque ad festum Sancti Jacobi.

Item facta congregacione nacionis die veneris in vesperis, que fuit 10 dies Martii, apud Sanctum Matulinum computavit receptor nacionis predicte, et tenebatur nacioni in 26 solidis.

Item eodem die de mane receptor bursarum communis computavit cum facultate, et omnibus computatis tenebatur facultati in decem francis et IIII solidis, de quibus facultas tenebatur sibi pro servisio in 2 francis et IIII solidis, et sic tenetur facultati in 8 solidis distribuendis inter naciones.

1363

(*Fol. 48*) Florentius de Alemade.

Anno Domini M° CCC° sexagesimo 3°, decima die mensis Marcii, facta fuit congregatio nationis Anglicane ad Sanctum Matulinum, et electus fuit in procuratorem nationis predicte magister Florentius de Alemade, nullo magistrorum contradicente.

Item facta fuit congregatio nationis prescripte ad Jacobitas ipsa die Benedicti [1], et continuatus fuit Johannes Teutonicus [2] ibidem in subbedellum usque ad festum Pasche sub conditione tali quod si Johannes bedellus, qui cum nunciis in curia Romana tunc temporis existebat, ante festum Pasche non reveniret, magistri nationis reciperent ipsum totaliter in subbedellum.

Item facta congregatione nationis ad Sanctum Julianum supplicavit Conraerdus bedellus ut sibi subsidium fieret de natione in aliqua pecunia ad unum mantellum, et concessi fuerunt sibi III floreni.

Item in Annunciatione beate Marie virginis [3] fuerunt ad archam nationis dominus receptor et procurator una cum bedello; receperunt de archa III florenos, quos Conraerdus habuit, et remanserunt in archa III scuta antiqua cum uno floreno.

Item facta fuit congregatio facultatis et nationis ad Sanctum Julianum in die mercurii [4] post dominicam Palmarum ad audiendum compotum rectoris.

Item eodem die supplicavit Heynricus de Reyne quod natio vellet sibi expectare bursas suas quousque de partibus reveniret, et tunc nationi satisfacere promisit.

Item feria 2ª [5] post diem Pasche electus fuit in subbedellum Johannes de Treveris in natione Anglicana, et data fuit sibi virga subbedellatus per procuratorem nationis predicte quamdiu vixerit, et super illo est sibi litera data testimonialis sub nationis predicte sigillo.

Anno Domini M° CCC° LXIII°, die jovis [6] post festum Pasche licentiatus fuit ad Nostram Dominam in 2ª auditione dominus Theodoricus Damero sub magistro Hermanno Consul, et juravit michi juramenta consueta, cujus bursa novem solidi, et dabatur sibi dies ad solvendum in festo Pentecosten. Satisfecit.

1363

Theodericus de Oy.

Anno Domini M° CCC° sexagesimo 3°, feria sexta [7] post Pascha, facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum, electus fuit in procuratorem nacionis predicte magister Theodericus de Oy, nullo magistrorum penitus reclamante.

Eodem die supplicavit magister Hermannus Consul pro uno domino existente in curia Romana, ut sibi daretur litera testimonialis a nacione nostra de hoc, quod est determinans, et concessum fuit, dummodo tamen prius solveret bursas suas vel juramentum prestaret se non habere, ex quo in libro non habetur ipsarum remissio.

Item in octavis Pasche intraverunt magistri tabernam que dicitur palacium *de Terminis* [9] et ibi exposuit magister Florencius de Alemade unum florenum pro bejanio procuratorie sue, et omnino similiter magister Theodericus de Oy fecit; residuum scoti solvit receptor nationis III libras, octo denariis minus.

(*Fol. 48ᵇ*) Item facta congregacione ad Sanctum Julianum pauperem 15 die Aprilis, supplicavit magi-

1. 21 *Martii.*
2. *Seu* de Treveris.
3. 25 *Martii.*
4. 29 *Martii.*
5. 3 *Aprilis.*
6. 6 *Aprilis.*
7. 7 *Aprilis.*
8. 9 *April.*
9. *I. e.* de Termis.

ster Symon Scotus pro litera testimoniali determinancie ex parte unius domini existentis in curia Romana, et concessa fuit, dum tamen solveret duos florenos pro bursis.

1363

Johannes de Suecia.

Anno Domini M° CCC° LX tertio, XV die mensis Aprilis hora tercia, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, substitutus seu electus fuit in procuratorem nacionis predicte magister Johannes de Suecia nullo magistrorum penitus reclamante, et eadem die supplicavit magister Gwillelmus Buzer, ut consideratis suis laboribus et expensis factis in eundo ad curiam Romanam cum rotulo magistrorum ejusdem nacionis et ibidem stando diucius pro expedicione dicti rotuli et aliorum negociorum ipsam nacionem et Universitatem tangencium, nacio vellet sibi facere graciam ampliorem. Unde concessum erat sibi quod ad XXVI francos alias sibi concessos adderentur quatuor franci, et sic nacio restat ad solvendum sibi XXX francos, cum commode habere poterit sive de sexta bursa determinantium, licentiandorum vel magistrandorum, sive aliunde. Et in hoc idem magister Gwillelmus reddidit se contractum.

1363

Procur[atorium] Alexandri de Caron Scoti.

Anno Domini millesimo CCC°LX tertio, quinto die mensis Maij hora prima, facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, electus fuit magister Alexander de Caron Scotus in procuratorem nullo magistrorum reclamante, in cujus procuratorio fuerunt hec acta que sequuntur.

Eodem die computatis in omnibus cum receptore, nacio sibi tenebatur in XLII solidis et II denariis.

Item supplicavit eodem die magister Willelmus de Spyny pro magistro Hermanno de Beveren de Maguntia quod concederetur sibi littera sub sigillo nacionis, quod reputaretur pro regente tempore missionis rotuli ad Romanam curiam, et fuit sibi concessum si commode fieri posset.

Item XIX die mensis ejusdem magistri nationis potaverunt in taberna apud *ymaginem nostre Domine* III libras, XV solidos, I denarium, tam de mane, quam de sero in *grangia*, de quibus solvit magister Alexander de Caron predictus pro bejania sua I francum et Johannes de Dunbrek XX solidos pro bursis licencie sue, cetera solvit receptor.

Item in vigilia[1] Pentecostes, videlicet XX die mensis ejusdem, licenciatus fuit Johannes de Dunbrek Scotus, et juravit juramenta consueta licenciandorum, qui solvit dictos XX solidos pro bursis, et satisfecit bedello, de residuo habuit remissionem.

Item eodem die licentiatus est Michael Vischou, et juravit antea juramenta consueta licenciandorum, cujus bursa X solidi.

Item licentiatus est Hermannus de Northeym, cujus bursa VIII solidi.

Item licentiatus est Johannes de Uden, cujus bursa nichil ad presens, sed cum venerit ad pinguiorem fortunam, solvet.

Item licentiatus est Henricus de Hessya cum quatuor predictis ad Sanctam Genovefam, cujus bursa nichil.

Item XXVI die mensis ejusdem Michael Vischou incepturus die lune sequenti[2] ut dixit juravit juramenta consueta, et solvit bursas pro magisterio, videlicet pro qualibet X solidos.

Item in crastino facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum proponente Michaele predicto ex parte una, quod esset incepturus die lune sequenti[3] sub magistro T[heodorico] de Unna, et Johanne Neu et Tedrico de Damero ex parte alia quod ipsi essent eodem die lune incepturi sub magistro Adelberto de Boemia, et contenderent qui eorum preferentur, et hoc eis proponentibus coram nacione, decrevit nacio, ipsam habere super hoc pronunciandi et ordinandi potestatem. Ordinavitque propter controversiam sedandam dictos dominos Johannem Nev et Thedricum primitus incepturos, et eodem die eorum principio finito dictum Michaelem incepturum, et quod si super prepositione magisterii alias vellent contendere, dicta ordinacione non obstante, coram nacione audirentur.

Incipientes.

Item XXVIII die mensis ejusdem[4] inceperunt sub magistro Adelberto predicto dicti Johannes Nev et Tedricus, quorum cujuslibet bursa IX solidi.

1. 20 *Maii.*
2. 29 *Maii.*
3. *I. e.* 29 *Maii.*
4. *Maii.*

Item eadem die incepit Michael de Viscow sub magistro Tedrico de Unna, cujus bursa X solidi.

Item secunda die Junii facta congregacione ad eligendum procuratorem et facto computo receptor tenetur nacioni in VIII libris VI solidis V denariis, et in isto computabantur burse licentiature Johannis de Neu et Theodrici Damero.

1363

(*Fol. 49*) Procuratorium magistri Johannis Scalpi per vacationes.

Anno predicto facta congregacione nacionis Anglie apud Sanctum Julianum pauperem 2ª die Junii, electus fuit in procuratorem magister Johannes Scalpy per vacationes durantis illius anni, cujus in procuratorio acta fuerunt que secuntur.

In primis magister Theodericus de Holandia supplicavit in nacione quatenus nacio haberet ipsum recommendatum reputando ipsum verum regentem propter multas causas, nec non dando sibi litteram. Inde concessa fuit supplicacio, et quia non solvit bursas determinantie, licencie et magisterii, obligavit se quod quam sito (*sic*) veniret ad pinguiorem fortunam, eas solveret indilate, et super hoc unam literam sub pena excommunicacionis posuit ad cistam, sigillo officialis sigillatam.

Eodem die dominus Henricus de Hassia supplicavit nacioni quatenus parceret sibi de bursis suis magistrature, sicut benigniter fecit de ali[i]s, usque ad pinguiorem fortunam posset venire. Concessa fuit sua supplicacio sub pacto quod unam litteram sub pena excommunicacionis factam sigillatamque sigillo domini officialis Paris. poneret ad cistam, quam se ad cistam ponere obligavit. Qui[1] incepit 2ª feria[2] post Penthecosten sub magistro Hermanno Consul de Saxonia.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum 26 die mensis Junii, supplicavit nacioni magister Johannes Scalpi tunc temporis procurator nacionis quatenus nacio concederet sibi pecuniam sibi debitam procuratorie sue per vacaciones, et quod ipse usque ad reditum suum de Flandria substitueret procuratorem (qui quidem subprocurator nuncupabatur magister Marcilius de Inghen) usque ad reditum. Et concessa fuit sua supplicacio.

Item eodem die dictus Hermannus de Northeym supplicavit nacioni quatenus nacio caperet ab eo 2 florenos pro bursis licencie sue, et pro residuo libros posuit in pignus usque ad primum diem Augusti. Et concessa fuit sua supplicacio.

1363

Mercilius de Inghen de Novymagio.

Anno Domini 1363°, 26 die mensis Junii, facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem, magister Joannes Scalpi supplicavit nacioni ut possit usque ad reditum suum de Flandria substituere procuratorem. Concessa fuit sua supplicacio, dummodo tamen talem substitueret qui, si ipse non rediret, maneret procurator per vacaciones. Et substitutus est unanimi consensu magistrorum magister Mercilius de Inghen, in cujus procuracione acta sunt hec que sequuntur.

Primo anno, quo supra venit dominus Bernardus Aucati de Gronynghen licentiatus in artibus, frater minor, scilicet XIª die Julii facta congregacione nacionis predicte apud Sanctum Julianum pauperem, supplicavit nacioni, cum ipse ut asseruit aliqua bona per obitum matris sue ad se devoluta acquirere non posset, nacio vellet sibi concedere literam testimonialem de hoc, quod ipse esset licenciatus in artibus. Que supplicacio nullo magistrorum reclamante concessa fuit, dum tamen scriberet sub illa data illius diei in qua petiit, et dimitteret copiam litere.

Item facta congregacione apud Sanctum Julianum pauperem 15° kal. Augusti[3] reversus fuit magister Johannes Scalpi predictus, qui supplicavit nacioni, cum ipse ut asseruit nunc haberet agere in curia Romana, quatenus nacio ab ipso et loco ipsius vellet capere substitutum procuratorem usque ad reditum suum, et substitutus erat Mercilius predictus usque ad reditum suum, ita tamen quod si redierit infra vacaciones, quod procurator sit quemadmodum fuit prius, et concessa erat supplicacio.

Item anno Domini 1363°, 15 kal. Aug.[4], die sancti Arnulp[h]i, Coenraerdus superior bedellus nacionis Anglicane diem suum clausit extremum.

Item anno quo supra, 13° kal. Augusti[5] facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, electus est in bedellum superiorem predicte nacionis Johannes de Treveris per voces omnium magistrorum ibidem existencium nullo eorum penitus reclamante, et deliberavit nacio predicta quatenus die sequente celebrarentur exequie bedelli mortui

1. Qui..... Saxonia *alio charactere*.
2. 22 *Maii*.
3. 18 *Julii*. *Ms. primo* Julii.
4. *Ms. primo* Julii.
5. *Ms. primo* Julii.

apud Sanctum Severinum, et supplicabat nacio Universitati quatenus interesset et cessaret illa nocte et de mane sequente a leccionibus; quod sic facultates concesserunt, theologi vero soli interempserunt, artiste autem de gracia non legerunt.

Item facta congregacione nacionis Anglicane 11 kal. Augusti[1], Johannes de Treveris predictus noviter electus in bedellum juravit nacioni predicte secundum consuetudinem ab antiquis consuetam. Item eodem die juravit dictus bedellus Universitati, et erat congregacio Universitatis pro tunc apud Sanctum Metilinum in die beate Marie Magdalene[2], et similiter nacionis[3].

Item anno Domini quo supra, in crastino beate Marie Magdalene, facta congregacione nationis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, deliberatum erat concorditer per magistros nacionis predicte quod virga, quam Coenraerdus bone memorie, quondam predicte nacionis bedellus, dum vixit habuerat, sub uxore ipsius ex parte nacionis predicte per rectorem Universitatis arrestaretur, donec nacio firmiter sciret, an esset sui an non.

Item quod uxor dicti Coenraerdi pannum funeralem per Coenraerdum super parvum pontem pro II francis obligatum, qui sibi vel a nacione vel a provincia Alamannie erant persoluti per nacionem Anglicanam et provinciam Alamannie, redimere sua pecunia propria cogeretur et ad usum dictorum duorum, donec sciretur cujus panni essent, una cum panno a bedello Johanne nacionis predicte in manu secura poneretur.

Item concessum erat quod magistri nacionis predicte qui continue per annum vellent legere, pro meliori foro quo possent una cum bedello scolas conducerent.

Item supplicavit Johannes de Treveris bedellus supradicte nacionis electus et juratus quatenus sibi litera de hoc quod esset bedellus a nacione predicta prestaretur, que supplicacio a quolibet magistrorum erat concessa.

Item anno quo supra, 13° kal. Augusti[4] magister Hermannus de Saxonia receptor ipsius exposuit pro candelis et pro servientibus ad exsequias, sic ad unum sic ad aliud, II libras paris. et IX denarios.

(*Fol. 49*^{b}) Item anno Domini quo supra facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem, nacio dedit deputatos ad audiendum mulierem ibidem ad placitum coram rectore Universitatis pro tunc citatam 5° kal. Augusti[5], magistrum Hermannum de Saxonya et magistrum Johannem Neve una cum procuratore nacionis predicte, et proposuit nacio mulieri quod virga, quam Coenrardus predicte nacionis bedellus dum vixit habuerat, ad nacionem predictam ipsam scilicet pertineret, pro quo mulier levatis digitis voluit jurare, sed nacio non curans de ejus juramento postquam incepit, ei dimisit juramentum. Item 2° proposuit quod Coenrardus predictus unum pannum funeralem vel ad provinciam Alemannye pertinentem vel ad nacionem pro pecunia candelarum, quam Coenraerdus a procuratore provincie vel a receptore nacionis integram levaverat. Respondebat mulier quod dictum pannum pro 2us francis obligatum libenter redimere vellet ad usum nacionis aut provincie.

Item[6] facta congregacione nacionis apud Sanctum Metelinum ad audiendum computum receptoris, anno Domini 1363° mensis Augusti die VI^{a}, computavit dominus receptor magister Hermannus de Saxonia, qui omnibus computatis permansit obligatus nacioni in II libris, XII solidis et VIII denariis, et fuit ejus compotus approbatus.

Item emit dominus receptor predictus die V mensis predicti quinquaginta anipos[7] pro 3^{bus} solidis, de quibus computavit nacioni in computacione immediate precedente ad usum compotus nacionis.

Item fuit deliberatum in natione quod receptor una cum procuratore emerent virgam Coenrardi bedelli mortui ad usum nacionis predicte die illo scilicet quo computavit dominus receptor.

Item recepit dominus receptor tunc ex archa nacionis de licencia nacionis unum scutum antiquum et unum florenum, et remanserunt in archa nacionis duo scuta antiqua.

Item eodem die posita[8] erat litera ad archam nacionis sigillata sigillo officialis, in qua magister Thotricus de Hollandia se obligaverat bursas suas nacioni se soluturum, cum de beneficio vel de aliquo alio bono aut aliquibus aliis bonis habere posset.

Item anno quo supra emit nacio Anglicana virgam bedelli mortui contra uxorem ejus relictam die VIII^{va} mensis Augusti pro IIII francis.

Item pro tunc ponebatur litera officialis ad archam nacionis, in qua magister Theodoricus de Hollandia obligavit se nacioni soluturum bursas suas.

1. 22 *Julii. Ms.* II kal.
2. 22 *Julii.*
3. *I. e.* congregacio nacionis.
4. 20 *Julii.*
5. 28 *Julii.*
6. *Que sequuntur alio charactere.*
7. *I. e.* hanapos.
8. *Ms.* positus.

Item anno quo supra, in festo Assumptionis virginis gloriose[1], exposuit receptor pecuniam pro prandio ad Sanctum Cosmum et Damianum.

Item anno Domini 1363, in crastino Assumpcionis beate Marie computavit receptor nacionis Anglicane et permansit quitum et quitum infra nacionem et ipsum, demptis 4^{or} denariis quos nacio mansit sibi obligata. Item supplicavit nacioni, cum in rei veritate ipsum causa necessaria urgeret, nacio vellet ipsum supportare et vellet in alterius receptoris eleccionem procedere, et concessa fuit supplicacio dummodo ille qui eligeretur, dictum officium vellet exercere et exerceret anno futuro usque ad festum Mathei revertens, scilicet quod erit anno Domini 1364.

Item fuit electus concorditer magister Johannes Neve de Novymagio, cum plures voces haberet, et juravit juramenta consueta eodem die, scilicet in crastino Assumptionis Marie virginis, sic tamen quod deberet illud officium exercere usque ad festum Mathei venturum in Septembre anno Domini 1364.

Item anno Domini 1363°, mensis Augusti 13ma die, mag. Johannes Neve de Gelria et mag. Marcilius de Inghen de Novymagio ex integrali consensu magistrorum nacionis Anglicane tunc Parisius existentium solvebant quilibet 13 solidos VI denarios pro beyanyo eorum de prima procuratoria ipsorum, in platea de Cythara in *hospicio duorum cignorum*.

1363

[Henricus de Heinbuche de Hassia].

(*Fol. 50*). Anno Domini 1363°, in die Bartholomei[2], facta congregacione nacionis Anglicane in Carmelitis, electus est concorditer in receptorem magister Theodoricus Dystel de Unna, nullo reclamante, suum officium exerciturus usque in festum Mathei sequentis anni. Et eadem die et hora electus fuit magister Henricus Heinbuche de Hassia[3] in procuratorem. In cujus procuratorio acta sunt que sequuntur.

In festo Decollationis sancti Johannis[4] facta congregacione nacionis post sermonem in Cordigeris supplicavit bedellus major, cum gereret labores subbedelli, et suo officio anni preteriti, quod eciam haberet ea que sibi debentur emolumenta. Que [supplicacio] concessa fuit.

Item supplicavit dominus Heynricus Rene pro litera testimoniali bacalariatus, et eciam concessa fuit.

Item in vigilia Nativitatis Marie facta congregatione in Sancto Matulino, receptor duo antiqua scuta accepit de cista, ut inde presenciam exsolveret in missa apud Sanctum Cosmum et Damianum.

Item in proxima dominica[5] post Nativitatem magistris simul cenantibus magister Theodoricus solvit 12 solidos racione officii receptorie ex parte sui, et restabant 4^{or} solidi solvendi a nacione.

Item sabato proximo[6] post [festum] Mathei receptor computavit, et singulis computatis tenebatur nacioni adhuc in 3 solidis et uno schuto antiquo.

Item nacio remisit michi beanituram exsolvendam in prima procurat[or]ia, donec in pinguioris fortune statum pervenirem.

1363

Albertus de Bavaria.

Anno Domini 1363 in die[7]..... facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum pauperem, electus fuit in procuratorem magister Albertus de Bavaria. In cuius procuratoria facta sunt hec que secuntur.

Die predicto ac loco facta congregacione facultatis ad eligendum rectorem occasione mortis predecessoris, electus fuit in rectorem magister Johannes Riemestorpt dictus de Saxonia.

Item quinta die mensis Octobris facta congregacione nacionis hora primarum ad Sanctum Matulinum ad supplicandum supplicavit magister Johannes de Riemenstorpt, pro tunc existens rector, quatenus nacio sibi illam graciam facere dignaretur quam magistro Wilhelmo Buser, si pro tunc in rectorem eligeretur vel cuicunque alteri nostre nacionis cum proxime in rectorem eligeretur concessit, temporibus quibus competens lucrum pro statu suo rector non haberet, scilicet quod eidem de pecunia nacionis XII floreni assignarentur. Que[8] quidem gratia predicto magistro Johanni fuit concessa in hunc modum, quod ipse Johannes predictam sextam bursam caperet, donec predictam pecuniam, scilicet 12 florenos, reciperet p[ar]ticulariter et ex toto, quam sextam bursam receptor nacionis colliget eidem magistro Johanni presentando.

1. 15 *Augusti*.
2. 24 *Augusti*.
3. *I. e. qui vocatur* de Langenstein. *Vid*. Chartul. Univers., III, n° 1307, p. 133, *not*. 14, *et* Roth *in* Centralblatt für Bibliothekswesen, Beiheft II (1888).
4. 29 *Augusti*.
5. 10 *Septemb*.
6. 23 *Septemb*.
7. *Spatium in ms. vacuum*.
8. Que... presentando *postea deleta sunt*.

Item loco, tempore et hora predictis supplicavit magister Hermannus Consul quatenus ipsum nacio pro actu regente reputaret, et hoc litera nacionis roborando, que gracia fuit sibi concessa.

Item eodem die et loco hora terciarum facta congregacione generali, collata fuit capellania magistro Jacobo Juvenis.

Item eodem die magister Albertus de Bavaria in cena solvit unum florenum de procuracione sua, et rector solvit 10 solidos cum 10 denariis de gracia sibi facta antea expressa.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum, 15 die mensis Octobris, hora primarum deliberatum fuit unanimiter ab omnibus quod 12 floreni magistro Johanni Ricmestorpt, de quibus alias sibi facta fuit gracia, ut superius est expressum, in hunc modum deberent sibi persolvi quod quilibet qui in nostra (*sic*) deberet perpotari, sive hoc [1] sit pro primo suo introitu ad congregacionem, sive pro prima sua procuracione, sive qui[a] sit electus in receptorem vel examinatorem Sancte Genevefe, vel quovis alio, predicto magistro pro solvenda perpotacione unum florenum debet persolvere, et si quis hujusmodi solucionem facere recusaverit, debet predicta nacio compellere ad solvendum.

1363

[Theodoricus dictus Dameron.]

(*Fol. 58*^{b}) Item facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M° CCC° LXIII° apud Sanctum Julianum pauperem, XXI^{a} die mensis Octobris, nullo magistrorum reclamante electus fuit in procuratorem magister Theodoricus dictus Dameron de Prusia. In cujus procuracione facta sunt que sequuntur.

Primo quod sexta bursa que capi solebat in facultate amplius nec in facultate nec in nacione caperetur.

Item anno eodem in vigilia [2] Omnium Sanctorum electus fuit in subpedellum Johannes Anglicus.

Item eodem die gracia facta fuit domino Johanni de Vico de bursis suis pro incepcione, quod solveret quam cito ad fortunam pinguiorem promoveretur, quod bona fide ab eo promittebatur, qui sub magistro Theodorico de Unna incepit, cujus bursa nichil, nichil.

1. *Ms. potius* ex.
2. 31 *Octobris.*
3. 28 *Novembris.*

1363

[Michael Wischow.]

Item facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M° CCC° LXIII° apud Sanctum Julianum pauperem, XVIII die mensis Novembris, electus fuit in procuratorem magister Michael Vischow, nullo magistrorum reclamante, in cujus procuracione facta sunt hec que sequuntur.

Primo de dubio celebracionis festi sancti Eadmundi, et de ejus crastino, die martis [3] post festum sancte Katherine facta congregacione facultatis, per facultatem decretum fuit quatenus de cetero prefatum festum nacionis Anglicane cum crastino inviolabiliter debet celebrari, et super hoc instrumentum puplicum fuit requisitum.

Item XVI die Decembris facto computo per receptorem, singulis defalcatis nacio sibi in triginta novem solidis remansit, et compotus ab omnibus fuit approbatus.

1363

[Johannes de Suecia.]

Item anno Domini millesimo CCC̊ LX° III, XVI^{ma} die mensis Decembris facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, electus fuit in procuratorem magister Johannes de Suecia, dyocesis Aboensis. In cujus procuracione facta sunt hec.

Facta congregacione XIII die mensis Januarii ad computandum, computus receptoris mansit idem ut prius.

1364

[Ricoldus de Haeften.]

Item facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M̊ CCC̊ LXIIII^{to}, XIX kal. Februarii [4], apud Sanctum Julianum pauperem, electus fuit in procuratorem magister Ricoldus de Haeften, Trajectensis dyocesis. In cujus procuracione facta sunt hec.

Primo magister Johannes de Saxonia [5] nacionis Anglicane fecit de rectoria sua computum apud Sanctum Julianum, cujus computus fuit gratanter receptus, et tenebatur in XL solidis, quos facultas perpotavit.

Item facta congregacione apud Sanctum Julianum nacionis, electi fuerunt concorditer secundum modum

4. 14 *Januarii. Ms.* XIX kal. Januar., *quod falsum est.*
5. *I. e.* de Ricmestorp.

consuetum in examinatores determinancium magister Wilhelmus Buser, magister Johannes de Saxonia et magister Mercilius de Novimagio V kal. Februarii[1], et eadem die electus erat in examinatorem Sancte Genovefe magister Heynricus de Beesde Trajectensis dyocesis.

Item III kal. Februarii[2] pro solatio habendo fuerunt singuli magistri predicte nostre nacionis simul congregati in prandio in palacio *Terminorum* et ibidem consumpserunt quatuor libras parisiens. et duodecim solidos.

Item apud Sanctum Martellinum[3] juraverunt examinatores determinantium supradicti, et hoc IIII° idus Februarii[4].

(*Fol. 51*) Item eodem die facta fuit congregacio Universitatis, in qua congregacione per dominum cancellarium Parisiensem[5] presentabatur quedam bulla, in qua dominus papa concessit cuidam magistro magistrato in theologia in Anglia de Ordine fratrum Minorum[6], quatenus non obstantibus privilegiis Universitatis Parisiensis, regere posset in facultate theologie Parisius, quibus positis in deliberacione deliberatum fuit in facultate arcium, quod darentur deputati ad examinandum bullas et ad deliberandum qualiter postea esset procedendum. Alia quedam communia fuerunt proposita, que non oportet per partes declarare.

Item IIII idus Februarii congregacione nacionis Anglicane facta in Sancto Juliano computo facto per receptorem omnibus defalcatis, cujus computus fuit approbatus, nacio remansit sibi in VIII libris, III solidis et IIII denariis.

Item ibidem eadem die facta congregacione predicta ad eligendum procuratorem, continuatus fuit magister Ricoldus predictus de consensu omnium magistrorum tunc in congregacione existentium. In cujus procuracione acta sunt.

Item eadem die quatuor socii pauperes ut asserebant supplicabant nacioni pro remissione bursarum, et facto juramento quod nec hic nec in partibus haberent bona, que se extenderent ultra valorem XXX florenorum, admissa fuit eorum supplicacio sub tali condicione quod bursas suas solverent, cum fortuna eis arrideret, quod commode solvere possent. Quorum nomen primi erat Johannes Dirsseka de Boemia, nomen secundi Theodericus Swalnwaert de Leydis Trajectens. dyoc., et nomen tertii Thomas de Cleve Coloniens. dyoc., nomen quarti Walterus Ghiselberti Venendaus, Trajectens. dyoc.

Item III idus Februarii determinavit dominus Johannes Dirsseka Boemus, cujus bursa V solidi, quas promisit sicut immediate supradictum est, et determinavit sub magistro Hermanno de Hassia.

Item eadem die determinavit dominus Thomas de Cleve Colonien. dyoc. sub magistro Willelmo Buser, cujus bursa iiij solidi quas solvet sicud superius declaratum est.

Item eadem die determinavit dominus Walterus Ghiselberti Venendaus Trajectens. dyoc. cujus bursa iiij solidi secundum modum immediate dictum.

Item XVI kal. Martii[7] determinavit dominus Johannes Arnoldi de Novimagio Colonien. dioc. sub magistro Mercelio de Inghen, cujus bursa IX solidi.

Item eadem die determinavit dominus Albertus Tegnaghel de Novimagio Colonien. dioc., cujus bursa IX solidi.

Item eadem die determinavit dominus Everardus Kemyn Caminensis dyoc. sub magistro Theodorico Dameron, cujus bursa nichil.

Item eadem die determinavit dominus Gherardus Swechten, Caminensis dyoc. sub magistro Theodorico Dameron. Remanet nacioni in quatuor florenis et I solido, secundum graciam sibi concessam et superius declaratam.

Item eadem [die] determinavit dominus Conrardus Haghemeister dyocesis Caminen. sub magistro Heynrico de Hassia, cujus bursa octo solidi.

Item eodem die determinavit dominus Heynricus de Brandenborch Trajecten. dyoc. sub magistro Wilhelmo Buser, cujus bursa X solidi. Satisfecit bedellis et nacioni, posuit literam officialis et fidejussorem, prout nacio sibi concessit. Et[8] postea satisfecit.

Item eadem die determinavit dominus Martinus[9] Tienych de Aquis Leodiens. dyoc. sub magistro Marcilio de Inghen, cujus bursa IX solidi. Satisfecit bedellis et nacioni, posuit literam officialis et fidejussorem, prout nacio sibi concessit. Et[10] satisfecit receptori in procuratorio magistri Theodorici de Oy.

1. *Ms.* Januarii. 28 *Januarii*.
2. *Ms.* Januarii. 30 *Januarii*.
3. *I. e.* Maturinum.
4. 10 *Februarii*.
5. Grimerium Bonifacii.
6. Guillelmo de Prato. *vid.* Chartul. Univers. Paris., III, n° 1287.
7. *Ms. falso* Februarii. 14 Februarii.
8. Et... satisfecit *alio charactere*.
9. Martinus Leodien. *postea deleta sunt*.
10. Et... Oy *alio charactere*.

Item eadem die determinavit dominus Arnoldus de Rogiten, Warmiens. dioc., sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa 10 sol.

Item eadem die determinavit dominus Arnoldus Longi Warmien. dyoc. sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa X solidi, et satisfecit bedello et posuit literam officialis juxta graciam sibi factam per nacionem, similiter et Arnoldus immediate superius, nominatus, et[1] ambo satisfecerunt et solverunt.

(*Fol. 51* [b]) Item determinavit Liefordus de Datlen, dyoc. Colmens. sub magistro Heynrico de Hassia, cujus bursa VIII solidi. Satisfecit bedellis et posuit literam officialis secundum graciam sibi concessam a nacione. Et[2] satisfecit.

Item determinaverunt Andreas et Hilbrandus fratres dicti Zuderman de Tremonia Coloniensis dyocesis sub magistro Theodorico de Una, quorum cujuslibet bursa XI solidi.

Item determinavit Conradus de Hûet sub eodem, cujus bursa X solidi et VI denarii; satisfecit bedellis et posuit litteram officialis juxta graciam sibi concessam a nacione super complemento, dempto dimidio floreno.

Item[3] eodem die determinavit Andreas de Trebron Scotus sub magistro Thoma de Dons, cujus bursa VI solidi; satisfecit bedellis, et pro residuo obligavit se in littera officialis secundum graciam a nacione sibi concessam. Solvit[4].

Item eodem die determinavit dominus Ludolfus Ghise de Zonnis, dyocesis Zerinensis[5] sub magistro Henrico de Hassia, cujus bursa VIII solidi.

Item eodem die determinavit Johannes Webel de Gouda Trajecten. dyoc. sub magistro Henrico de Cempis, et debet nacioni iij regales, quod solvet dum ad fortunam pervenerit pinguiorem.

Item eodem die determinavit dominus Guillelmus de Balvin et Johannes de Cornel sub magistro Thoma de Duns, cujus bursa octo solidi et dederunt[6]....

Item eadem die determinavit dominus Otto de Dymaringha, cujus burse posite sunt in deposito, etc.

Item determinavit eodem die dominus Robertus Scotus sub magistro Johanne de Saxonia; satisfecit nacioni et posuit literam secundum graciam sibi concessam a nacione.

Item determinavit eodem die Heynricus de Helmstat Saxo sub magistro Johanne [de] Saxonia, cujus bursa X solidi; et satisfecit nacioni et bedellis.

Item eodem die determinavit Robbertus Boyl Scotus sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa 8 solidi; posuit literam juxta graciam sibi a nacione concessam.

Item licenciatus fuit in prima audicione Sancte Genovefe dominus Ghiselbertus But sub magistro Wilhelmo Buser fratre suo, cujus bursa X solidi.

Item licentiatus fuit dominus Johannes Cornel sub magistro Malcolino de Dunbracht, cujus bursa 8 solidi apud Nostram Dominam.

Item licentiatus fuit dominus Andreas de Trebun[7] sub magistro Macholino de Dûnbrach, cujus bursa sex solidi, apud Nostram Dominam.

Item tempore dicte procuracionis fuit facta tribus vicibus congregacio generalis. In prima audiebatur relacio quomodo rex[8] graciose recepit Universitatem et se Universitati recommendavit, etc. Fuit etiam alter articulus per dominum rectorem propositus de abusoribus quibusdam, qui dixerunt se esse scolares Universitatis. Super quibus deliberatum fuit quasi per omnes, quod si aliqui essent abusores, quod illos non nosceret natio Anglicana, conmisit consciencie et judicio ipsius rectoris. Alius articulus fuit de preposito Parisiensi[9] super eo, quod ceperat vel capi permiserat clericos Universitatis et magistros cum habitibus suis et duci non semel sed pluries in castelleto, quod expresse est contra juramentum dicti prepositi et libertates Universitatis. Super quo fuit imposterum bis facta congregacio, et ultimo prepositus comparuit et multum se excusavit pulcherrimis verbis, et promisit quod servientes qui etiam in congregacione generali comparuerint, emendarent. Peciit eodem tempore et in eadem congregacione rector ex parte Universitatis a preposito predicto quod juramentum quod prius fecerat Universitati, renovaret, que privilegia fuerunt lecta tunc in congregacione ipso et suis audientibus. Qui respondit quod aliqua continerentur in dicto privilegio que essent impossibilia fieri per eum. Sed quid super sepedictis fiet, Deus scit; sed ego pro presenti ignoro penitus[10].

(*Fol. 52*) Item facta fuit congregacio facultatis, et

1. Et... solverunt *alio charactere*.
2. *Alio charactere*.
3. Item concessam *postea deleta sunt*.
4. *Alio charactere*.
5. *I. e.* Zwerinens.
6. *Postea quaedam verba eliminata sunt*.
7. *I. c.* Trebron.
8. *Seu potius regens, scilicet* Carolus V. *Rex* Johannes *tunc temporis in Anglia fuit*.
9. Johanne Bernier.
10. *Vid.* Chartul. Univers., III, *ad an.* 1364-1366, *Aug.* 20, n° 1324, 1325.

inter cetera fuit propositum ex parte nacionis Anglicane de uno, nomine Otto de Dymaringha, volente determinare, quem nacio Gallicana dixit esse de nacione sua; nacio vero Anglicana asserebat oppositum. Cujus pecunia pro determinatione danda et licencia, si ita contingeret, secundum deliberacionem facultatis deponebatur in manibus magistri Jacobi Juvenis de natione Pickardorum, quoadusque dicta causa finiretur.

1364

Procuratio Willelmi dicti Buzer, Trajectens. dyoc.

Anno Domini M° CCC° LXIII secundum stilum et consuetudinem ecclesie Gallicane, die sabbati [1] post dominicam qua cantatur *Letare Jerusalem* facta congregacione nacionis Anglicane ad eligendum procuratorem et ad audiendum compotum receptoris et ad supplicandum, electus fuit in procuratorem nacionis predicte magister Guillelmus dictus Buzer. Et ibidem computatum [fuit] sic, quod magistro Johanni Rigmestorp satisfactum fuit de XII florenis sibi concessis in rectoria sua.

Item ibidem michi procuratori supradicto satisfactum fuit, sit in pecunia, sit in litteris officialis, de XXX francis, in quibus michi nacio tenebatur adhuc de eo et pro eo quod nuncius eram ad curiam Romanam in creacione domini Urbani, etc.

Item ibidem solute erant due libre magistro Theoderico Distel de Unna receptori pro officio suo, et ibidem dictus receptor promisit quod si eum contingeret recedere ante finem sui officii, quod alium loco sui substitueret sine expensis nacionis.

Item ibidem computavit dominus receptor, et omnibus computatis remansit obligatus nacioni in VIII libris et 9 solidis, et computus fuit approbatus.

Item computo facto nacio intravit tabernam, scilicet *ymaginem sancti Jacobi* in vico Sutorum, et ibidem perpotavit duos francos cum dimidio, et receptor solvit totum.

Item advertendum est quod die mercurii [2] post *Judica* facta congregacione facultatis arcium ad audiendum juramentum bachalariorum superius licensiandorum, juraverunt quatuor bachalarii duntaxat, quorum unus Gallicus erat et gallice processit, alii duo erant Piccardi et ut Piccardi processerunt, et quartus erat dominus Otto de dyocesi Methensi natus et aclimatus ydyomate, de quo dubium erat et vertebatur inter nacionem Gallicanam et nostram, ad quam pertinere deberet. Et ipse processit ex utraque nacione magistrum eligendo sub illa condicione, quod cuicunque nacioni adjudicaretur. Normanni vero nullum habebant. Et istud permissum erat pro tunc sub tali condicione vel protestacione quod de cetero, quando quatuor solum per se licensiarentur, quelibet nacio unum obtineret.

Item satisfecit Guillelmus de Balbyn de 4 francis et 6 solidis, in quibus tenebatur michi ex parte nacionis racione sue determinancie.

Item licensiatus fuit dominus Otto Methen. dyocesis conditionaliter sub me procuratore predicto, cujus bursa VIII solidi.

Item licensiatus fuit dominus Coenradus Haghenmester sub magistro Henrico de Hassia, cujus bursa VIII solidi.

Item licensiatus dominus Gherardus Swethen sub magistro Theoderico Dameron, cujus bursa VII sol.

Et quia dictus dominus Gherardus pauper erat, sed noluit tamen similiter jurare secundum tenorem statuti paupertatem, ideo juravit quod nunc non haberet unde solveret, sed juravit quod solveret dictas bursas nationi quam cito Deus daret sibi tam pinguem fortunam quod haberet unde solveret. Et ista gracia erat sibi facta in congregacione nationis facta super hoc ad Carmelitas in die mercurii [3] post festum Pasche.

In die mercurii post festum Pasche facta congregacione predicta tota natio intravit *ymaginem sancti Johannis* in vico Beverie, et perpotavit XLI florenos parvos.

Item secundo [4] die post *Quasimodo* facta congregacione nationis ad audiendum computum receptoris, ad eligendum novum receptorem, ad eligendum procuratorem, et ad supplicandum, computavit dominus receptor sic quod nec remansit nationi nec natio sibi solutis duabus scolis. Computus fuit approbatus.

Item electus fuit in receptorem usque ad festum Mathie [5] magister Marchelius Inghen, et juravit sub expensis receptoris antiqui.

Item supplicavit magister Theodericus Distel de Unna quod natio daret sibi literam testimonialem quod fuit procurator et regens tempore date rotuli

1. 9 *Martii.*
2. 13 *Martii.*
3. 27 *Martii.*
4. *Ms. falso* sabbato. *Fuit* 1 Aprilis. *Vid. postea.*
5. 24 *Februarii*, 1365.

signati ab Urbano in sui creacione, cujus supplicacio fuit concessa.

Item supplicavit magister Henricus de Beesd pro litera testimoniali, quod erat regens tempore date rotuli predicti, cujus supplicacio fuit concessa.

Item supplicavit procurator predictus quod magister Theodericus de Heeswiic haberet literam testimonialem quod erat regens tempore date rotuli predicti modo et forma quibus eam obtinuit magister Theodericus Nellinc, et supplicacio fuit concessa, et minuta fuit michi de archa tradita, etc.

Item ibidem per modum concilii fuit ordinatum quod natio ordinaret duplicem supplicacionem sigillatam sigillo magno nationis ad papam ad removendum dictam regenciam et quod ad hoc supplicaret in Universitate pro recommendacione vel supplicacione ad papam et quod traderentur michi.

1364

(*Fol.* 52ᵇ) Procuratio Johannis de Udem Coloniensis diocesis.

Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quarto, indictione secunda, mensis Aprilis die sexta, hora primarum, facta congregacione nationis Anglicane ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer ab omnibus nullo penitus reclamante magister Johannes de Udem in procuratorem, in cujus procuratione facta sunt que sequuntur.

Primo resignavit magister Theodericus Distel de Unna officium receptoris nationis predicte, cupiens alium substituere, quod negatum fuerat[1], sed erat ab omnibus noviter electus magister Marcilius de Ingen ad exercendum officium predictum usque ad festum Mathie[2] proximo futurum.

Item supplicabant magister Theodericus Distel predictus et magister Henricus de Beesd quod eis fierent litere testimoniales de hoc quod fuerunt veri et actu regentes tempore ordinacionis rotuli et ante et post, que litere eis concesse fuerunt.

Item intraverunt magistri tabernam eodem die *ad ymaginem nostre domine* in vico Husseti prope parvum pontem, et expendebant ibidem 38 solidos, de quibus ego Johannes predictus pro beanio meo tantum quantum a me petiverunt, reliquam partem solvit dominus receptor qui pro tempore fuit, et petiverunt a me unum florenum, quem eis dedi.

Item supplicabat dominus Gerardus Swechten quod burse pro incepcione sibi dimitterentur usque quod pervenerit ad fortunam pinguiorem.

Item die lune, XV[3] mensis Aprilis, facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem, magister Henricus de Beesd emit literas duas pro uno franco que sibi sunt tradite, et amplius coram me procuratore tanquam notario publico dederunt sibi omne jus quod de personis, quas litere tangebant, habuerunt, et super hoc a me notario publico sibi peciit fieri publicum instrumentum. Et facta empcione et vendicione magistri intrabant tabernam in parte superiori vici Sancti Jacobi et consumpserunt ibidem[4]... solid., in quorum adventagium[5] erat francus, reliquam partem solvit receptor.

Item fuerunt facte plures congregaciones generales, et quid factum fuit hinc inde bene scitur, et quia aliis impeditus omnia scribere non potuit.

Item fuit sera fracta apud Naverram, et solvit Johannes budellus XVI denarios pro reparacione.

1364

Procuratio Aernesti de Wlven nati de Delf, Trajectens. dyoc.

Anno Domini M° CCC° sexagesimo quarto, mensis Mayi die quinta, hora primarum facta congregatione nationis Anglicane ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer ab omnibus in procuratorem nationis predicte nullo penitus magistro reclamante magister Aernestus de Wlven, natus de Delf in Hollandia, in cujus procuratione facta sunt hec que sequuntur.

Primo comparuit dominus Henricus de Rene nationi nostre, facta congregatione ad Sanctum Mattellinum ad supplicandum, qui sub ista forma supplicavit, ut sibi fieret dilatio in bursis suis solvendis pro inceptione in facultate arcium quousque valuerit easdem solvere una cum aliis bursis, in quibus obligatus fuit nationi nostre pro licentia, de quibus similiter non fuit absolutus; cujus supplicatio erat admissa sub ista forma, ut juraret quam cito fuerit sibi provisum ut valuerit illas predictas omnes solvere, quod amplius non differret solutionis tempus; tali etiam conditione apposita, ut super premissis tradat receptori nostre predicte nationis literas assecuratorias domini officialis. Insuper bursa

1. *I. e.* substitutio.
2. *Ms. potius* Mathei.
3. *Ms.* XIIII.
4. *In ms. spatium.*
5. *Cf.* Ducange-Henschel, I, 97, adventagium, n° 2.

ejusdem domini Henrici prefati erat per eundem taxata ad dimidium francum.

Item incepit jam dictus Henricus de Rene sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa ut supra.

Item in supradicto die mee electionis intraverunt magistri tabernam, in qua consumpserunt triginta octo solidos de consueto, et ego prefatus Aernestus solvi viginti quator solidos, residuum vero exposuit dominus receptor.

Item 20ª die Mayi facta congregatione ad Carmelitas comparuit dominus Gheraerdus Suechten nostre nationi, cui supplicavit pro dilatione suarum bursarum cum inciperet in artibus, cuj[us] supplicatio admittebatur sub ista forma, cum ad statutum devenerit pinguiorem quod solvere poterit absque dilatione, tunc solvat fraude omni exempta, quod etiam juravit idem Gheraerdus.

Item incepit idem Gheraerdus sub magistro Theoderico Damaron de Prucia, cujus bursa taxata fuit per eundem ad 4 solidos.

Item dominus Andreas de Trebron solvit pecuniam, in qua obligatus fuit nationi, cujus summa fuit 4 floreni cum uno solido, et hoc de determinantia sua, cujus fidejussor fuit magister Marcolinus de Donbrech, de quo litere tradite fuerunt restitute.

1364

(*Fol. 53*) Theodericus de Oy.

Anno Domini M° CCC° LX° IIII°, ultima die mensis Mayi hora primarum, facta congregacione nacionis Anglicane ad eligendum procuratorem, electus fuit ab omnibus concorditer in procuratorem nacionis predicte magister Theodericus de Oy, in cujus procuratoria acta sunt hec.

Eodem die et loco, scilicet ad Sanctum Julianum pauperem, computavit dominus receptor de duobus mensibus tunc proximo elapsis, et approbatus erat computus ejus.

Item secunda die mensis Junii facta congregacione ad Sanctum Julianum ad supplicandum, supplicavit dominus Coenraerdus Haghenmester, ut expectarentur sibi burse incepcionis sue usque ad festum Michaelis, et concessum erat sibi usque ad festum Bartholomei, dum tamen poneret literam officialis quod tunc solveret sub pena excommunicacionis et privacionis, et cum hoc poneret fidejussores qui secum promitterent sub pena excommunicacionis, vel quod poneret pignora, et altera die dominus Coenradus predictus incepit sub magistro Johanne de Saczonia.

Item quarta die mensis Junii convocati erant procuratores in collegio de Naverra ad sigillandum, et ego procurator dictus ibidem interemi ex parte nacionis nostre ne sigillarentur litere unius decretiste, cujus supplicacionem nacio semper negabat.

Item quinta die mensis predicti facta congregacione ad Sanctum Julianum ego procurator predictus magistris nacionis predicte intimavi qualiter ego supplicacionem predicti decretiste interemi ne sigillaretur et ne sibi traderetur, et quesivi ego procurator predictus a magistris nacionis predicte utrum haberent ratum quod per me procuratorem esset factum in negocio supradicto, et omnes responderunt quod sic. Immo intencionem eorum hoc fuisse semper asserebant.

Item eodem die de mane intraverunt magistri tabernam, et consumpserunt duos florenos quos solverunt magister Coenraerdus dictus Haghenmester et magister Gheraerdus Svetten pro bejanio introitus eorum ad primam congregacionem nacionis.

Item eodem die de nocte intraverunt magistri tabernam, et consumpserunt XXVIII solidos, quos solvit dominus receptor.

Item die jovis[1] post festum Johannis Baptiste facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum ad supplicandum, supplicavit magister Theodericus Damero ut si contingeret fieri rotulum, quod ipse imponeretur tanquam presens in eodem, cum ipse jam esset recessurus ad partes animo revertendi, et concessa fuit supplicacio in hunc modum, videlicet quod nacio faceret suum posse ad hoc ut imponeretur, dum tamen aliquis pro eo solveret pecuniam ad inrotulandum.

Item eodem die de nocte facta congregacione apud Sanctum Maturinum iverunt magistri ad archam, et ex ea receperunt IIII literas quas tradiderunt domino receptori, ut moneret pecuniam per literas illas nationi promissam.

Item quinta die mensis Julii facta congregacione nacionis ad Sanctum Julianum, supplicavit dominus Liefaerdus de Datlem ut nacio daret sibi dilacionem ad unum mensem de pecunia, in qua teneretur nacioni, et date erant sibi dilationes trium septimanarum, et satisfecit.

Item eodem die supplicavit dominus Coenraerdus de Huet ut si jam daret nacioni II francos, quod nacio reliquam pecuniam quam tenetur vellet expec-

1. 27 *Junii*.

tare usque ad festum Remigii, et concessum fuit ad festum Bartholomei.

Item XVII die mensis Julii facta congregacione ad Sanctum Julianum deliberaverunt magistri concorditer quod magister Ernestus de Wulven teneretur nacioni in..... pro determinantia et inceptione sua quondam.

Item eodem die intraverunt magistri tabernam, et ibidem consumpserunt XXI solidos cum dimidio, quos exposuit dominus receptor.

Item ultima die mensis Julii facta congregatione Universitatis ad Sanctum Maturinum, supplicavit magister Symon[1], doctor theologie, commorans in collegio de Naverra, pro sermone habendo in eodem collegio quolibet anno in die beati Ludovici regis, et concessa fuit supplicacio ejus.

Item octava die mensis Augusti supplicavit in nacione nostra facta congregacione ad hoc, magister Macolinus Scotus habens duos libros in pignore pro X francis a magistro Alberto de Bohemia, ut nacio vellet recipere libros illos et tradere sibi X francos, et nacio respondit quod ad presens nullam pecuniam haberet qua carere posset.

Item eodem die fuit propositum in nacione quod in vico Straminis essent due scole conducibiles, et deliberatum fuit ab omnibus quod expediret ut reciperentur a nacione nostra in censum annualem.

Item eodem die supplicavi ego procurator ut nacio solveret michi XX solidos solitos dari procuratoribus per vacaciones, et negata fuit supplicacio.

Item die lune[2] post festum Bartholomei computavit dominus receptor, et remansit in debitis nostre nacionis XV franc., quindecim solid. et XI denar.

1364

(*Fol. 53*ᵇ) Procuratio Gerardi Swechten dyoc. Camynensis.

Anno Domini M° C°C°C° LXIII°, vicesima septima die mensis Augusti, hora primarum, facta congregatione nationis Anglicane ad eligendum procuratorem, electus fuit ab omnibus concorditer in procuratorem nacionis predicte nullo penitus magistro reclamante magister Gerardus Swechten. In cujus procuratoria sunt facta hec que sequuntur.

Eodem die et loco ad Sanctum Julianum[3] supplicabat magister Theodericus de Oy ut sibi fieret quod consuetum est aliis fieri procuratoribus, et concessa erat sua supplicatio.

Item eodem tempore supplicabant bedelli ut, quia pauperes et magnos labores gerentes et seduli nationi ad serviendum et modicum fructum inde percipientes, natio eis gratiam faceret aliquam pecunie summam tribuendo. Concessum fuit duos francos fieri bedello principaliori, et unum francum minori. Et natio deliberavit, nolens quod id quod eis modo faceret de gratia, de cetero traheretur in consuetudinem consequenter.

Item eodem die magistri intraverunt tabernam, triginta et septem solidos et octo denarios consummentes, de quibus solidis magister Conradus Haghemester et magister Gerardus Swechten triginta sol. pro procuratoriis suis solverunt, et residuam partem solvit dominus receptor.

1364

Procuratio Michaelis Vischou de Prussia, Warmiensis dyoc.

Anno Domini M° CCC° LXIIII°, xxij die mensis Septembris, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad procuratorem eligendum, electus fuit concorditer in procuratorem antedicte nacionis magister Michael de Prusia dictus Vischow, Warmiensis dyoc. In cujus procuracione facta sunt que sequuntur.

Primo eadem die nacio fuit in thaberna *ad scutum Burgundie*, ubi nacio solvit XXXVII solidos, et receptor magister Johannes de Saxonia eadem die in receptorem electus solvit 1 florenum.

Item incepit dominus Robertus de Bell Scotus, cujus bursa X solidi, floreno valente XV.

Item incepit dominus Johannes de Cornell Scotus, cujus bursa X solidi, floreno valente XV.

} sub magistro Johanne de Saxonia

Item prima die Octobris natio fuit in predicta thaberna, et exposuit dominus receptor ex parte nacionis XVII solidos, et magister Robertus de Bell et magister Johannes de Cornell II florenos pro suo jocundo adventu solverunt.

Item[4] recedente magistro Michaele predicto ad curiam Romanam, substitutus fuit mag. Guillelmus dictus Buzer. In cujus tempore acta sunt que sequuntur.

1. Simon Freron. *Cf.* Chartul., II, 636, *not.* 14. *De festo vid.* Chartul. III, *ad an.* 1369, *Octob.* 18, n° 1358.
2. 26 *Augusti*.
3. *In ms. spatium.*
4. *Quae sequuntur, alio charactere.*

Primo die lune[1] post festum Luce facta congregatione nationis ad audiendum computum receptoris, computavit dominus receptor, et remansit nationi obligatus omnibus computatis in X francis et IIII solidis, cujus compotus fuit approbatus.

Item ordinatum fuit ibidem quod dominus receptor solveret II florenos pro scolis bonis acquirendis.

Item ibidem ordinatum fuit quod magister Ernestus solveret unum florenum pro 8 bursis, in quibus nationi ex antiquo tenebatur.

1364

Procuracio magistri Wilhelmi de Dalgarnoch Scoti.

Anno Domini millesimo tricentesimo sexagesimo quarto, vicesimo primo die mensis Octobris, apud Julianum pauperem facta congregacione nacionis Anglicane ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Willelmus de Dalgarnoch Scotus. In cujus procuracione que sunt facta sequntur, etc.

In primis memorandum quod magister Johannes Proys satisfecit ibidem de X solidis, in quibus nacioni tenebatur. Item dictus magister Willelmus solvit 1 florenum pro sua prima procuracione. Item predicto die nacio fuit in taberna *de malleo*, et ibidem in prandio ultra dictam pecuniam nacio solvit XXXVIII solidos et VI denarios. Et est memorandum quod francus valuit XVIII solidos.

Item dominus Ghiselbertus Bot incepit die mercurii[2] proximo ante festum Omnium Sanctorum sub magistro Willelmo Buzer, cujus bursa IX solidi, franco valente ut supra.

Item magister Ernestus de Wulven solvit 1 florenum pro bursis videlicet in quibus tenebatur ex antiquo.

Item audito compoto receptoris XVIII^ro die mensis Novembris, receptor remansit obligatus nacioni in VIII francis et IX solidis, franco valente ut supra.

1364

(*Fol. 54*) Procuratio magistri Johannis Prroys (*sic*).

Anno Domini millesimo tricentesimo sexagesimo quarto, decimo octavo die mensis Novembris, apud Julianum pauperem facta congregatione nationis Anglicane ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Johannes Proys. In cujus procuratione facta sunt hec que secuntur.

In primo magister Johannes predictus solvit unum florenum de prima procuratione sua.

Item natio in die sancti Emondi[3] regis fuit in taberna in platea Sutorum in hospicio *apud ymaginem nostre Domine*. Ibidem natio consumpsit quinque libras cum dimidia, de quibus solverunt magister Ghiselbertus Bot unum florenum pro jocundo adventu congregationis, et magister Johannes predictus unum florenum pro prima procuratione sua, residuas quatuor libras solvit receptor. Item solvit receptor eodem die XXVIII solidos pro distributionibus.

Item vicesima 2^a die ejusdem mensis facta congregacione apud Sanctum Julianum pauperem, supplicavit dominus Franciscus Neetze de Prusia quatinus exspectarentur sibi burse inceptionis sue, et concessum fuit sibi usque ad duos annos, dum tamen poneret literam officialis quod tunc solveret sub pena excommunicationis, de qua pecunia dominus receptor recepit literam. Qui dominus predictus incepit sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa VI solidi, floreno valente XV solidos.

Item sabbato[4] post festum Nycolay facta congregatione nationis magistrorum regencium et non regencium per juramentum in domo capitulari Jacobitarum, supplicavit magister Ghiselbertus Wighen de Ghoriichem quatinus natio daret sibi literam testimonialem quod ipse fuit actu regens tempore inrotulationis et rotuli ordinationis, quia ipse eodem tempore incepit in artibus. Et concessa fuit sibi in forma qua fieri posset meliori per omnes magistros ibidem existentes. Et consimiliter fuit concessa consimilis litera testimonialis magistro Rycoldo de Haeft[en].

Item 9 die mensis Decembris facta congregacione apud Martellinum, statutum fuit quod, quibuscunque magistris inrotulatis daretur litera testimonialis de regentia actuali, quod ipsi promitterent, si natio aliquos labores vel expensas in mittendo nuncios ad curiam [faceret] vel quovis alio modo pro ipsis vel utilitate eorum, quod ipsi contribuerent nationi usque ad LV grossorum vel plus.

Et in primo magister Rycoldus de Haeft[en] et magister Ghiselbertus de Wighen de literis testimonialibus promiserunt se solutores, et magister Wilhelmus Buser fidejussit pro magistro Theoderico

1. 21 *Octobris*.
2. 30 *Octobris*.
3. *I. e.* Edmundi, 20 *Novembris*.
4. 7 *Decembris*.

de Heeswiic, et magister Arnoldus de Lochen et ego magister Johannes Proys fidejussimus pro magistro Theoderico Nelling.

Item ultima die computavit dominus receptor, cui nacio mansit obligata in IX solidis, et fuit computus approbatus.

Item eadem die, scilicet vicesima nona die mensis Novembris, electus fuit magister Wilhelmus Buser in rectorem Universitatis.

Item eadem die facta congregacione ad eligendum procuratorem continuatus fuit magister Johannes Proys nullo reclamante.

1365

Procuratio magistri Ghiselberti Bût, Trajectens. dyoc.

Anno Domini millesimo tricentesimo sexagesimo quarto secundum modum gallicanum, decimo tercio die mensis Januarii, apud Sanctum Julianum pauperem facta congregatione nacionis Anglicane ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem dicte nationis unanimiter et sine contradictione quacunque magister Ghiselbertus Bot. In cujus procuracione facta sunt hec que sequuntur.

In primo magister Ghiselbertus predictus solvit nacione intrante tabernam pro prima sua procuratione XXII solidos cum X denariis, nec erat ibi plus expositum, et receptor nullam computationem fecit, quia nichil erat ad computandum.

(*Fol. 54*[b]) Item facta congregatione facultatis apud Sanctum Julianum pauperem, supplicavit magister Arnoldus van Lochhem nomine magistri Ghiselberti Wiichem de Ghoriichem quatinus sibi daretur litera testimonialis de hoc quod fuit verus et actu regens tempore collationis rotuli missi in jocunda creatione Urbani quinti summi pontificis, que tunc in facultate et postea in Universitate tanquam rigorosa fuerat concessa.

Item in eadem procuratione facta congregatione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum officiarios, electus fuit in examinatorem licensiandorum apud Sanctam Genofevam magister Marcelius de Inghen.

Item ibidem fuerunt electi in examinatores determinancium magister Guillelmus Buzer qui pro tunc rector Universitatis fuerat, magister Johannes Scalpi, et magister Johannes Proys.

Item facta illa congregatione intraverunt singuli magistri nationis tabernam ad *pallatium Terminorum*, et consumpserunt ibidem XXXV, de quibus solvit magister Marcilius unum florenum de XV solidis, et receptor XX solidos.

Anno ut supra, X die mensis Februarii, continuatus fuit magister Ghyselbertus Bût nullo penitus reclamante, in cujus procuratione facta sunt hec que sequuntur.

Primo computavit dominus receptor sic, quod natio remansit sibi obligata in V libris, XV solidis et X denariis, cujus compotus erat per omnes approbatus nullo penitus reclamante.

Item in eadem determinavit dominus Johannes Colc dyoc. Colonien. sub magistro Marcilio de Inghen, cujus bursa X solidi.

Item determinavit dominus Heynricus Heynrici dyoc. Colonien. sub magistro Marcilio de Inghen, cujus bursa X solidi.

Item determinavit dominus Arnoldus dictus Neve dyoc. Colonien. sub magistro Marcilio de Inghen, cujus bursa X solidi.

Item determinavit dominus Ghiselbertus Groensbeec dyoc. Colonien. sub magistro Marcilio de Inghen, cujus bursa X solidi.

Item determinavit dominus Thomas Merter sub magistro Toma de Scotia, cujus bursa X solidi.

Item determinavit dominus David Falkemer sub magistro Thoma de Scotia, cujus bursa X solidi.

Item determinavit dominus Ulricus Keller sub magistro Gherardo de Saxsonia, cujus bursa 4 sol.

Item determinavit dominus Thilmannus de Sancto Vito sub mag. Guilhelmo Buser, cujus bursa 9 sol.

Item determinavit dominus Teotricus de Yselsteyn, cujus bursa 9 solidi.

Item determinavit dominus Theotricus Pistor, cujus bursa 9 solidi.

Item determinavit dominus Elias Loepwiic, cujus bursa 9 solidi.

Item determinavit dominus Gherardus Droem, cujus bursa 9 solidi.

Item determinavit dominus Jacobus de Campis, cujus bursa X solidi.

Item determinavit dominus Jacobus Lupi, cujus bursa X solidi.

Sub magistro Guilhelmo Buser.

Item in eadem facta congregatione ad supplicandum et ad ordinandum de pecunia nationis, supplicaverunt multi multipliciter, set tunc natio distinguebat omnes illos in tres partes, nam aliqui supplicabant terminum usque ad festum Pasche et illi posuerunt pignora, et aliqui ad festum sancti Johannis, et hoc idem fec[er]unt et concessus erat eis terminus; alii fuerunt qui supplicabant quod burse eis omnino remitteren-

tur, qui[a] et illis que voluerunt jurare statutum, eis erant remisse burse similiter; alii fuerunt qui non fuerunt omnino pauperes et erant in multiplici differencia; eis erat facta gratia, et aliquibus quod darent bursas antequam reciperent gradum ulteriorem, aliquibus erat terminus positus determinatus, videlicet annus vel dimidius, sed omnes de 3° ordine dabant literam officialis.

Item determinavit dominus Petrus dictus Heelt, cujus bursa V solidi.
Item determinavit dominus Petrus Faey, cujus bursa V solidi.
} Sub magistro Guilhelmo Buzer.

Item determinavit dominus Hermannus Overvecht cujus bursa 9 solidi.
Item determinavit dominus Johannes Rusche, cujus bursa 9 solidi.
} Sub magistro Johanne Proys.

(*Fol. 55*) Item in predicta congregatione supplicavit magister Michael Veschou, quatinus Arnoldo de Rogiten burse sue de licentia et inceptione expectarentur usque ad festum sancti Johannis Baptiste, et se obtulit ponere pignora sufficientia, que [supplicatio] tunc concessa fuit sibi.

Item supplicavit magister Johannes Scalpi pro Galtero Trahil[1] quatinus sibi burse expectarentur de determinantia et licentia[2] usque ad festum Jo[hannis], qui determinavit sub magistro Thoma de Dons, cujus bursa 9 solidi, que supplicatio fuit concessa.

Item determinaverunt isti 4 sequentes, quibus burse erant remisse, quia juraverunt statutum.

Primus erat qui determinavit dominus Heynricus Monic, qui determinavit sub magistro Guilhelmo Buser, cujus bursa nichil.

Item determinavit dominus Heynricus Culemborch sub magistro Mercilio de Inghen, cujus bursa nichil.

Item determinavit dominus Johannes Kou, cujus bursa nichil
Item determinavit dominus Gherardus Kipot[3], cujus bursa nichil.
} sub magistro Gherardo Swechten.

Nunc secuntur qui posuerunt literas officialis.

Primus est Wilhelmus de Trebron, qui determinavit sub magistro Thoma de Dons, qui posuit literam officialis ad solvendum in festo Penthecostes, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Jordanus Wanghe de Clivis sub magistro Mercilio de Inghen, qui posuit literam officialis quod solveret, antequam caperet alios gradus, cujus bursa X solidi.

Item determinavit dominus Johannes Arnoldi de Hersel sub magistro Wilhelmo Buser, qui posuit etiam talem literam[4], cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Ghiselbertus Bot de Nova ecclesia sub magistro Guillhelmo Buser, cujus bursa V solidi, et iste cum duobus sequentibus etiam posuit literam officialis quod solveret, antequam alium gradum reciperet.

Item determinavit dominus Adam de Gouda sub magistro Johanne Proys, cujus bursa IIII solidi.

Item determinavit dominus Gherardus[5] de Ghamundia sub magistro Gerardo Swechten, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Johannes de Prusia sub magistro Wilhelmo Buser, qui etiam posuit literam officialis ad solvendum plenarie, antequam aliquem alium gradum recipiat, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Hermannus Levenov sub magistro Gerardo Swectem, cujus bursa V sol., qui posuit literam officialis, et solvit[6].

Item determinavit dominus Nycolaus de Crucinaco sub magistro Marcilio, cujus bursa V solidi, qui posuit literam officialis usque ad festum Remigii.

Item determinavit dominus Johannes Kenczwiil sub magistro Gerardo de Swechten cujus bursa V solidi.
Item determinavit dominus Ludolfus de Altonis sub magistro Guilhelmo Buzer, cujus bursa V s.
} Remigii.

1. *I. e.* Trayl.

2. *Ms. addit* expectarentur.

3. *Qui cognominabatur* de Kalkar.

4. *Exstat in Arch. Univers.*, thec. XIV, (1re liasse, n° 19) *instrumentum ad rem an.* 1365, 5 *Martii* :

Officialis Parisiensis presbyteris omnibus salutem in Domino. Nisi vobis constiterit quod Johannes Arnoldus de Chersel, clericus Parisius studens in facultate artium, reddiderit et solverit infra, antequam accipiat aliquem alium gradum, nationi Anglicane quadraginta septem solidos, sex denarios parisiens., in quibus eidem nationi tenetur pro bursis et scolis suis, prout idem debitor confessus est in jure coram nobis, vobis mandamus quatenus ipsum, quem si in hoc defecerit, monicione premissa, in hoc scripto exc[ommunicamus], exc[ommunicatum] a nobis palam et publice nuncietis. Datum anno M° CCC° LXIIII°, die mercurii post Brandones.

5. *Seu potius* Erhardus de Gamundia. *Ante 7 Septemb. an.* 1367 *magisterium in artibus obtinuit, ut e sequenti instrumento* (Arch. Univers. Paris., thec. XIV, n° 14, *apparet :* Anno Domini millesimo CCC^mo LX° septimo, die martis in vigilia festi Nativitatis beate Marie Virginis, coram nobis officiali Parisiensi personaliter constitutus Erhardus de Gamundia clericus scolaris Parisiens., recognovit bona fide se debere et legitime teneri solvere et reddere nacioni Almanie (*sic*) aut latori presencium pro ipsa septuaginta duos solidos parisiens., in quibus eidem nacioni Erhardus tenetur racione et causa bachalareatus, licencie et magisterii, quam pecunie summam dictus Erhardus reddiderit et solverit quanto citius poterit... sub pena excommunicationis...

Hoc instrumentum notatu dignum est quod jam apparet vox Natio Almannie *pro consueta* Anglicana, *quod omnes hucusque fugit, duce* Bulaeo *affirmante*, an. 1377 *tantum de nomine nationis mutanda consilium initum esse* (De Patronis quatuor nationum, p. 70).

6. *Verba* et solvit *posterius addita.*

Item determinavit dominus Petrus filius Franconis sub magistro Johanne Proyś, cujus bursa V solidi. — Penthecostes.

Item determinavit Johannes Grecus sub magistro Guilhelmo Buzer, cujus bursa V solidi.

Item determinavit Johannes Bosch de Trajecto superiori sub magistro Guilhelmo Buzer, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Johannes de Ammers sub magistro Johanne Proys, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Wilhelmus de Amsterdam sub magistro Johanne Proys, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Rodolfus sub magistro Guilhelmo Buser, cujus bursa 9 sol. — usque ad alium annum.

Isti qui nunc secuntur posuerunt pignora in proportione sesque (*sic*) altera plus valentia quam summa principalis.

In primo determinavit dominus Johannes de Luczellenburg sub magistro Thoma de Dons, cujus bursa X solidi.

Item determinavit dominus Johannes de Aquis sub magistro Guilhelmo Buzer, cujus bursa X solidi. — ad festum Pasche.

Item determinavit dominus Thomas Lang sub magistro Thoma de Dons, cujus bursa 9 solidi. — ad festum Penthecostes.

Item facta eadem congregatione, ubi omnibus erat gratia facta, singuli magistri intraverunt tabernam pro recreatione habenda, et consumpserunt ibidem XXIII solidos.

(*Fol 55* b) Item in eadem licensiatus fuit in examine superiori dominus Heynricus Brandenborch sub magistro Guilhelmo Buzer, cujus bursa X solidi.

Item licenciatus fuit dominus Linfardus, gallicatus in eodem examine, sub magistro Johanne de Platea, cujus bursa X solidi.

Item licensiatus fuit in eodem examine superiori Robertus dictus Boel, normannizatus sub magistro Johanne de Boddinis [1], cujus bursa 9 solidi.

Item licensiatus fuit in eodem examine dominus Heynricus Zwalewaert, normannizatus sub magistro Johanne Boddinis, cujus bursa 3 solidi.

Item incepit dominus Heynricus Brandenborch sub magistro Guilhelmo Buzer, cujus bursa X solidi.

Item incepit dominus Linfardus sub magistro Johanne de Platea, quia gallicatus erat, cujus bursa X solidi [2].

1368

(*Fol. 1*) [3] Procuratio magistri Johannis de Polonia.

Sub anno incarnacionis Domini M° C°C°C° LX octavo, facta congregacione nacionis Anglicane prima die mensis Junii ad eligendum procuratorem et ad compotum faciendum, electus fuit magister Johannes de Polonia, dictus Nadlicza, in procuratorem nacionis predicte. In cujus procuracione hec acta dignoscuntur.

Item pro eadem eleccione nullo contradicente deliberatum fuit ire ad tabernam, ubi jam dictus Johannes solvit unum francum, residuum vero, videlicet XXIII solidos, natio solvit.

Item VIª die mensis ejusdem licenciatus sub magistro Marsilio solvit bursas sue licencie dominus Johannes de Venlo [4], cujus taxa IX solidi.

Item die predicta habita congregacione ad Sanctum Julianum magister Hubertus continuatus fuit in te[m]ptatorem Sancte Genovefe pro quinta audicione.

Item in octava [5] Corporis Christi dominus Johannes de Woerst sub magistro Huberto, cujus bursa VIII solidi, de qua litera et caucione fidejussoria satisfecit.

Item dominus Johannes de Venlo, cujus bursa exsoluta prius est dicta, sub magistro Marcilyo.

Item dominus Gotfridus de Tijla sub dicto magistro Marsilyo, cujus bursa VIII solidi, de qua eciam caucione fidejussoria et litera mediante satisfecit. — In artibus inceperunt.

Item congregacione ad Carmelitas facta, supplicavit dominus Nicolaus dictus Scynvenberk pro dilacione bursarum sue licencie, et sibi fuit concessum, salvo statuto nacionis consueto, dicta jam die.

1. *Seu* Boutini.

2. *Nunc sequuntur* (*fol.* 56-59) Juramenta, *quae edidimus in* Chartul. Univers. Paris., II, p. 672, *sqq.*

3. *Arch. Univers. Paris. Reg. de l'Université, n°* 4. *Omnia desunt ab. an.* 1365, *Febr.* 10 *usque* 1368, *Jun.* 1. *Infra hoc spatium reperitur instrumentum quoddam in Arch. Univers. Paris.*, thec. XIV, 1re liasse, n° 12, *in quo legimus* : Officialis Parisiensis omnibus presbyteris salutem in Domino. Nisi vobis constiterit, quod Franciscus de Stettyn reddiderit et solverit nationi Anglicane seu ejusdem nationis receptori Parisius decem bursas, in quibus eidem nationi tenetur ratione determinancie sue, quas promisit solvere secundum nosse et posse suum, quam cicius habuerit triginta francos auri Parisius vel in partibus, exceptis debitis libris et pignoribus : hinc est quod vobis mandamus quatinus ipsum Franciscum, quem si in hoc defecerit canonica monitione premissa excommunicamus in hoc scripto, exc[ommunicatum] a nobis dicta monicione premissa nuncietis. Datum anno Domini millesimo CCC LXVIIIvo, die veneris post dominicam qua cantatum fuit in ecclesia Dei *Misericordia Domini* (*an.* 1368, 28 *Aprilis*).

4. *Ms.* Welnu.

5. 15 *Junii.*

Item eodem die procuravit satisfaccionem bursarum suarum licencie idem dominus Nicolaus, litera recognicionis sentencie late ad hoc facta.

Item facta congregacione ad Sanctum Julianum ad supplicandum et ordinandum de pecunia nacionis, supplicavit magister Hubertus de Horwynen ut in casu quo fieret rotulus in ejus absencia, ipse reponeretur ad rotulum, quod sibi fuit concessum quantum in nacione esset. Item supplicavit pro accomodacione VI francorum super libros 3^{es}, duos quidem continentes philosophiam Aristotelis et 3um Summam Tranensis [1], quod sibi fuit concessum, duntaxat literam dictam sentencie late inducium persolvendi sibi deputatum procuraret, quos libros posset pro eadem pecunia exsolvere dominus Johannes de Swinken vel Henricus de Trajecto inferiori.

Item in vigilia sancti [Johannis] Baptiste accedentes ad archam reposuerunt [2] libros jam dictos ad archam literamque ejusdem.

Item in crastino crastine diey [3] sancti Johannis Baptiste dominus Geraerdus dictus Wilde licenciatus fuit sub magistro Marsylio, qui satisfecit pro bursis sue licencie IX solidos cautione fidejussoria et literam domini officialis. Item idem incepit sub dicto magistro Marsilio in vigilia [4] sancti Petri Apostoli de carcere [5], satisfaccione obligatoria jam data.

Item dominus Fredericus Zegeman de Saxonia die lune [6] post diem sancti Petri et Pauli apostolorum in artibus licenciatus satisfecit de licencia litera domini officialis recognitoria sententie late.

Item secunda die mensis Julii accessit dominus receptor una mecum ad archam, et tunc imposuimus istas literas ad archam : prima fuit Alexandri de Etal pro determinancia sua renovata a festo Johannis Baptiste; 2^a fuit Thome Edinham, et ambo isti habentur in eadem litera.

Item domini Waltheri de Wyscensteyg pro determinancia.

Item magistri Johannis de Woerst pro licencia et magisteryo simul.

Item magistri Alfardi de A, literam recognicionis sue licencie.

Item domini Wolbrandi dicti Cesar pro determinancia et licencia renovata a die sancti Johannis.

Item Frederici dicti Zegeman determinancie et licencie simul.

Item magistri Gotfridi de Tyla licencie sue.

(*Fol.1* b) [7] Item litteram quitacionis nacionis Gallicane de septuaginta solidis sibi solutis pro locayo suarum scolarum. Item literam Gaufredi Michaelis apothecari de XXV solidis pro scolis *VII artium* literam quitacionis. Item aliam quitacionis de XXXX solidis, quos receptor non computavit de scolis inferioribus. Item pignora domini Nicolai de Prusya pro sua licencia. Hec ibi.

Item 3 die mensis Julii licenciati fuerunt domini Hugo de Delf.

Item Wolbrandus Cesar.

Bartholomaeus Wil[helm]y.

Alfardus de A, sub magistro Marsilio, quorum satisfactio dicta per literas jam ad archam impositas.

Item in crastino [8] Divisionis Appostolorum magister Marsilius exsolvit pecuniam, pro qua se obligaverat pro domino Johanne de Ledenberk.

Item in vigilia [9] sancti Laurentii exempti fuerunt libri per Johannem de Swynken pro sex francis concessis magistro Huberto super eosdem, et expositi de archa.

Item II solidi expositi fuerunt pro ligatura libri hujus.

Item XX solidi procuratori.

Item accedentes ad archam exposuimus literam domini Johannis Leymburch pro suo determinancia.

Item in die sancti Ladwyci [10] ad archam exposuimus II libros de archa, scilicet Philosophiam naturalem majoris voluminis, quam exsolvit magister Arnoldus de Belsten una cum Summa Gotfridi pro Johanne Sag, eujus bursa determinancie VIII solidi.

Item imposuimus literas obligatorias ibidem ad archam, quarum prima Johannis Mawyl Scoti.

Item Wilhelmi Zahel

Item Goswini de Remel

Item Johannis Rucher [11]

Item Hugonis de Delph

Item Arnoldi Oryngen et Johannis Blum simul

pro determinancia.

1. *Ms.* Trimolten. *Agi videtur* de Summa Godefridi de Trano, *Vid.* SCHULTE, Gesch. d. Quellen des kon. Rechts, II, 89.
2. *Ms.* reponsij.
3. 26 *Junii.*
4. 28 *Junii.*
5. *Sic dictum, quia Capitulum in Vesperis festi SS. Petri et Pauli incipit* : Petrus quidem servabatur in carcere. *Significatio utique rara, quae etiam deest apud* GROTEFEND, Zeitrechnung des deutschen Mittelalters, I, 153 *sqq.*
6. 30 *Junii.*
7. *Prima linea deleta est.*
8. 16 *Julii.*
9. 9 *Augusti.*
10. *I. e.* Ladici. *Ejus festum* 9 *Augusti.*
11. *Vel* Ruther. *Vix idem est ille sequens, qui jam Maii* 31 *ejusdem anni recognovit se debere pro sua* licentia *quamdam summam. Instrum. laceratum, in Arch. Univers. Paris*, thec. XIV, n° 11 : Anno Domini millesimo CCC^{mo} LX° VIII°, die mer-

Item Wolbrandi dicti Cesar de licencia[1].

Item magistri Gotfridi Wylde de licencia et magisterio simul.

Item imposuimus 1 librum videlicet Brasilicum pro bursis licencie Bartholomey Wilhelmi et Delph.

Item imposuimus literam Gerardi Wylde pro magisteryo et licencia simul.

Item redemit magister Adalbertus litteras suas pro quinquaginta solidis.

Item in die Assumpcionis[2] exposuit XXXII sol.

Item in die sancti Ludvici[3] computatis hinc inde in congregatione facta ad Sanctum Julianum nacionis Anglicane remansit receptor in septuaginta et 3bus libris.

1368

(*Fol. 1 bis*) Acta procuratorie magistri Jordani de Clivis.

Anno Domini quo supra, XXVIa die mensis Augusti, que fuit sabbatum post Bartholomeum, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem et audiendum compotum receptoris, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Jordanus de Clivis concorditer nullo contradicente. In cujus procuracione acta fuerunt infrascripta.

In primis juxta deliberacionem nacionis dominus receptor et ego deputati ad visitandum ecclesiam nacionis sanctorum Cosme et Damiani pro ornamentis, libris et aliis nacioni attinentibus, si que talium reparacione vel renovacione indigent, et invenimus ibi plures libros disligatos, ornamenta dissuta et ampullas deturpatas et ad rubiginem declinantes, pro quorum reparacione et renovacione exposuit dominus receptor XXVIII solidos parisiens.

Item die mercurii[4] sequente facta congregacione nacionis per juramentum apud Sanctum Julianum ad eligendum et constituendum subbedellum pro dicta nacione, presentatus fuerat pro tunc nacioni per Jo[hannem] bedellum principalem quidam dictus Matheas Secur., quem ex tunc nacio assignata sibi virga in subbedellum ipsius recepit, juramentis debitis et consuetis per eum prius factis, ita tamen quod si processu temporis in officio suo minus aptus et insufficiens magistris visus fuerit, nacio, ex tunc ipsum libere et sine injuria sui deponere poterit, alium pro libito suo acceptando.

Item die sabbati[5] immediate sequente facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Julianum super quadam pecunia sequestrata et in deposito missa apud magistrum Jacobum Juvenis[6] ex parte unius, de quo erat controversia inter nationem Anglicanam et Gallicanam, et deliberatum fuit quod si Gallicis placeret dividere istam pecuniam equaliter una cum bursis, quas in illius incepcione fraudolenter et latenter per eum facta prout allegabatur receperunt, nacio reciperet medietatem totius, et alias non. Et fuerat michi commissum ut super isto perciperem intencionem Gallicorum, qui michi respondebant quod nollent bursas incepcionis interesse hujusmodi divisioni, quia reputabant se habere jus in illis et actualem possessionem.

Item ipso die Mathei[7] de mane dominus receptor et ego adivimus archam, ex qua recepimus unam literam positam apud nacionem pro bursis determinancie Allexandri de Etal et Thome Edinham, qui satisfecerunt receptori.

Item eodem die facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum in nonis Nostre Domine ad eligendum receptorem et ad ejus computum audiendum, continuatus fuit concorditer ab omnibus magister Arnestus de Hollandia in receptorem, et facta computacione mansit nacioni obligatus in LXXX libris parisiens. et XIII denariis. Et secundum laudabilem consuetudinem intravit nacio tabernam et consumpsit unum francum cum dimidio, de quo dominus receptor solvebat 1 francum pro nova ejus institucione, residuum nacio ex consensu concordi magistrorum super hoc prehabito in loco congregacionis.

curii post festum Penthecosten ejusdem (*an.* 1368, 31 *Maii*) coram nobis officiali Paris... Johannes dictus Routat recognovit et confessus fuit bona fide coram nobis se debere... nationi Anglicane vel procuratori ejusdem nationis nomine ipsius et pro ipsa viginti octo solidos paris... causa et ratione licencie sue prout idem confessus fuit...

1. *Instrumentum de hoc exstat in Arch. Univers.*, thec. XIV, n° 15, an. 1368, *Julii* 1 : Anno Domini millesimo CCC° LX° VIII°, die sabbathi post festum beatorum Petri et Pauli apostolorum, coram nobis, officiali Parisiensi, personaliter Wolbrandus, dictus Cesar, recognovit et confessus fuit bona fide coram nobis, se debere et legitime teneri solvere nacioni Anglicane vel procuratori ejusdem nacionis nomine ipsius et pro ipsa, viginti unum solidos parisiens., in quibus eidem tenetur, causa et ratione licencie sue, prout idem confessus fuit in jure coram nobis, reddere et solvere eidem nacioni vel procuratori ejusdem, infra duos annos a data presentium continue computandos, sub pena excommunicacionis late sententie, obligans, etc., promittens, etc., renuens, etc.; et super hoc fiat bona littera grossata obligatoria si necesse fuerit, meliori modo quo poterit fieri, etc. Datum et actum die ut supra.

2. 15 *Augusti.*

3. 25 *Augusti.*

4 30 *Augusti.*

5. 2 *Septembris.*

6. *Fuit nat.* Picard. *De quo supra, p.* 297, 2-9.

7. 21 *Septembris.*

Deinde XXIII^a^ die mensis Septembris tunc continue sequentis facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem et ad audiendum compotum receptoris, continuatus fuit dominus magister Jordanus in procuratorem; sed dilata fuerat ex tunc computatio receptoris usque ad primam electionem procuratoris sequentem, quia die jovis tunc immediate transacta computaverat.

Et in eadem congregacione supplicabat nacioni dominus Walterus de Wisensteck cum ut dicebat in festo Remigii [1] tunc statim sequente tenebatur nacioni solvere bursas pro determinancia sua sub pena late sententie, quatenus natio sibi concederet ampliorem dilationem, scilicet usque ad carnisprivium, cum pro tunc non poterat satisfacere, cujus supplicacio fuerat concessa, cum tamen poneret literam officialis in forma priori.

(*Fol. 1bis*) Item ipso die Remigii facta fuit congregacio nacionis apud Predicatores post sermonem [2] ad supplicandum, et supplicabat primo magister Johannes Red, ut cum eodem die obligatus fuerat nacioni fidejussorie ex parte unius Scoti pro bursis determinantie sue, ut natio sibi dilationem concederet usque ad octavas Martini, ei ipse obligaret se nationi ut principalis debitor sub penis quibus prius, et concessa fuit ejus supplicatio.

Demum supplicabat magister Wilhelmus Trebron, ut cum alias natio sibi dilationem dederat pro solutione bursarum unius Scoti, pro quo fidejusserat, natio vellet eum recipere pro principali debitore sub consimili pena, cum ut dixerat, in absentia principalis debitoris, in curia episcopi non possit obtinere literam officialis late sententie, cujus etiam supplicatio fuerat concessa.

Item quadam die facta fuit quedam congregatio nationis apud Sanctum Maturinum ad audiendum ea que acta fuerunt per Johannem bedellum alias ex parte nationis missum ad percipiendum, quomodo possent emi annui census habiti super illis duabus scolis versus Secanam, quas alias natio emere proponebat. Et dixit bedellus se locutum fuisse uni, qui LXVI solidos annui census de scolis illis habebat, qui dictos LXVI solidos annuos daret pro XXXVI francis in pecunia sicca sibi jam tradendis, super quo natio pro tunc concorditer deliberabat quod expediret emere istos census, ut per hoc facilius possit devenire ad proprietatem.

Item facta congregatione nationis apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem et ad audiendum receptoris computum, computavit dominus receptor, et singulis computatis mansit nationi debens LXXXI libras et XIII denarios

Item in eadem congregatione natio dederat domino receptori II libras parisiens. pro officio receptoris sibi debitas racione anni transacti ante [festum] Mathei.

1368

Acta procuratorie magistri Erhardi de Gamundia.

Anno Domini quo supra, vicesima prima die mensis Octobris, que fuit sabbatum proximum post festum Luce evangeliste, congregacione nacionis Anglicane facta apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem et ad audiendum compotum receptoris, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Erhardus de Gamundia concorditer nullo contradicente, in cujus procuratione fuerunt acta infrascripta.

Item eadem die fuit concorditer deliberatum nullo contradicente ire ad tabernam, ubi consumpsimus XXXX solidos, de quibus solvit prefatus magister Erhardus unum francum, residuum vero, videlicet XXIIII solidos, receptor nacionis predicte magister Ernestus.

Item in crastino fuit facta congregacio generalis apud Sanctum Martellinum [3] super ordinatione 4^or^ milium francorum, que dominus episcopus Cameracensis [4] pie memorie legavit Universitati ad ordinandum unum Collegium, et ibi deliberatum fuit quod ordinarentur deputati (*Fol.* 2) ad adeundum prepositum casteleti [5] ut compelleret detentorem predicte pecunie, ut poneret ad salvamgardiam regis et in archam Nostre Domine [6].

Item in eadem congregatione conquestus fuit dominus procurator nacionis Normanie quod missagius prefate nationis fuit enormiter verberatus sine causa per quendam vocatum [7]..., super quo fuit deliberatum ut pars adversa vocaretur, et ipsa vocata et audita puniretur vel absolveretur secundum exigentiam meriti vel demeriti.

1. 2 *Octobris.*
2. *Quia erat dominica.*
3. *I. e.* Maturinum.
4. Petrus Andreae, *defunctus hoc ipso an. Vid.* Chartul. Univers., III, n° 1348.
5. Hugonem Aubriot.
6. *Exstant de his varia documenta, de quibus in* Chartul. Univers., *De collegiis.*
7. *Postea spatium. E* Chartul. Univers., III, n° 1348 *ediscimus, eum familiarem episcopi Lexoviensis fuisse.*

Item in die lune[1] post festum Undecim milium virginum dominus Johannes de Tekeneborch incepturus in artibus posuit pingnora domino receptori pro bursis sue incepcionis.

Item in die jovis[2] fuit vocatus ille qui verberavit nuncium Normanorum ad Sanctum Maturinum, et confessus fuit quod verberavit nuncium prefatum, et subjunxit quod non in despectum Universitatis fecisset.

Item eadem die fuerunt testes super predicto facto producti, qui concorditer dixerunt quod quidam in uno blanco mantello in vico Cithare percussit predictum nuncium, dando sibi unam alapam vel duas, qui dixit quod esset in salvagardia regis et dominorum suorum, et super hoc ipsum plus percussit.

Item in die Symonis et Jude fuit facta congregacio generalis apud Sanctum Maturinum, ubi propositum fuit per dominum rectorem confessio illius qui percussit nuncium sepedictum, et dicta testium super facto prefato, et ibi deliberatum fuit quod darentur deputati qui vocarent reum, quesituri si vellet stare ordinacioni Universitatis super facto predicto; et si vellet stare ordinacioni Universitatis, quod ordinarent[3] prefato nuncio emendam racionabilem et condignam secundum exigenciam demeriti. Quod si non vellet, quod tunc nacio Normannorum prosequeretur causam coram judice ordinario, et quod nacio nostra in hac prosecucione vellet predicte nacioni astare et ipsam juvare.

Item in vigilia[4] sancti Martini fuit facta congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum, et ibi magister Wilhelmus de Wadono supplicavit pro ulteriori dilacione bursarum determinancie et licencie sue, cui fuit concessus terminus usque ad festum Nativitatis Christi proximum, ut poneret literas officialis ut prius.

Item die Martini facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum, supplicavit magister Johannes de Ůden pro litera testimoniali, ut esset scolaris seu studens.

Item ibidem supplicavit magister Johannes de Boist de Sustvania ut posset imponi rotulo in casu si fieret in sui absentia. Illud fuit sibi concessum, et ibidem concorditer deliberatum fuit ire ad tabernam et ipsum perpotavimus pro VII solidis.

1368

(*Fol.* 2 b) Acta procuratorie magistri Petri Consul.

Anno Domini quo supra, XVIII die mensis Novembris, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem et ad audiendum compotum receptoris, electus fuit in procuratorem nacionis magister Petrus Consul. In cujus procuracione fuerunt acta infrascripta.

In primis eadem congregacione fuit concorditer deliberatum nullo contradicente ut celebraretur secundum consuetudinem laudabilem a longissimis temporibus observatam festum nacionis predicte[5].

Item in missa nacionis ejusdem diei exposuit dominus receptor pro distributionibus magistrorum XLVI solidos.

Item in prandio nostro omnibus computatis, exceptis distributionibus prescriptis, exposuit idem receptor XVII libras cum duobus denariis.

Item pro eodem festo solvi duos florenos in valore XXIIII solidorum pro jocundo introitu meo et pro procuracione mea prima.

Item pro eodem prandio solvit magister Heynricus de Tenis pro jocundo introitu suo XII solidos.

Item pro eodem prandio solvit magister Wolterus Johannis de Delf pro jocundo introitu suo XII solid.

Item pro eodem prandio solvit magister Johannes de Teykelenborch pro jocundo introitu suo XII sol.

Item pro eodem prandio solvit magister Wilhelmus de Wadenoy pro jocundo introitu suo XII solidos.

Item pro eodem prandio solvit magister Johannes Venloe pro jocundo introitu suo XII solidos.

Item pro distributionibus magistrorum in festo Katerine in missa exposuit receptor XXXVI solidos.

Item incepit dominus Johannes Haghen sub magistro Marcilio, cujus bursa VI solidi; posuit literam officialis ut supra in aliis actibus (*sic*) usque ad duos annos..

Item in festo Nicholay[6] pro distributionibus magistrorum exposuit receptor XXXVI solidos.

Item facta congregacione nacionis eadem die in nonis Nostre Domine ad Sanctum Maturinum ad supplicandum, in qua dominus Wilhelmus Zael supplicavit pro dilacione pecunie, qua tenebatur nacioni ex parte actuum suorum determinancie usque ad festum Epiphinie (*sic*) proxime venturum, quod sibi fuit concessum; super hoc posuit literam officialis.

1. 23 *Octobris.*
2. 26 *Octobris.*
3. *Ms.* ordinarunt.
4. 10 *Novembris.*
5. *Scil.* Catharinae, 25 *Novembris.*
6. 6 *Decembris.*

Item decima die mensis Decembris facta congregacione generali apud Sanctum Maturlinum super expedicione rotuli Universitatis Parisiens., in qua per omnes facultates nulla contradicente fuit conclusus, et quod rotulus esset formandus ac expediendus ac ad curiam Romanam mittendus, et quod magistri presentes pro tunc essent imponendi, et nulli alii.

Item XIIII die mensis Decembris facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad eligendum nuncium, per quem rotulus nacionis Anglicane esset mittendus ad curiam Romanam, et fuit electus magister Marcilius de Inghen in nuncium unanimiter nullo contradicente.

Item in eadem congregacione fuit deliberatum quod ex parte officii sui esset recepturus C et LX francos per istum modum, quod de quolibet magistro presente die predicto, scilicet XIIII die mensis Decembris, Parisius existente in rotulo ponendo reciperet duos francos, et de quolibet superveniente post diem jam prescriptum reciperet III francos, et residuum summe jam taxate reciperet de prompta pecunia nacionis, et hoc si nacio residuum summe taxate in prompto haberet, antequam exierit villam cum rotulo; quod si non in prompto plenariam summam habuerit nacio predicta, tunc predictus magister Marcilius defectu pecunie nacionis prompte carebit, quousque nacio complementum illius pecunie defectus prescripti habuerit. Et ex illo complemento defectum pecunie debite sibi recipiet, et natio ex eodem sibi satisfaciet.

(*Fol. 3*) Item nacio in eadem congregacione deliberavit intrare tabernam *ad gallum*, ubi perpotavimus XX solidos, de quibus magister Johannes Haghen solvit unum francum pro jocundo introitu suo, et alios IIII solidos solvit receptor nacionis.

Item XV die mensis Decembris facta congregacione facultatis apud Sanctum Maturinum per dominum rectorem [1] fuit propositum.

Item eodem die et loco in terciis facta congregacione generali per dominum rectorem, fuit propositum utrum expediret, utrum imponendi jam imponerentur et jam porrigerent inrotulatoribus supplicaciones suas. Et deliberatum fuit super hoc unanimiter nulla facultate contradicente, quod sic.

Item eadem congregacione comparuit officialis Parisiensis citatus ex parte Universitatis pro injuria quam intulit cuidam magistro per ipsum incarcerato, qui se totaliter submisit correxioni et ordinacioni Universitatis, cui Universitas ob contemplacionem ac amorem domini episcopi Parisiensis [2] remisit illud perpetratum delictum, sub ista condicione quod nunquam de cetero ita facile manus iniceret in scolares ac magistros.

Item XV die mensis antedicti facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum ad audiendum computum receptoris, et mansit nacioni debens in LXVII libris, IIII solidis, III denariis, et fuit computus approbatus.

1368

[Magister Henricus Langhals.]

Anno Domini quo supra, quintadecima die mensis Decembris, in primis Nostre Domine, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, electus fuit magister Henricus Langhals, in cujus procuratoria acta fuerunt que sequuntur.

Primo eadem die [3] fuit habita congregacio facultatis ad eligendum rectorem, et fuit electus magister Wilhelmus Carnificis.

Item vicesima die mensis antedicti facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad prefigendum terminum, in quo magistri supplicaciones eorum porrigere deberent inrotulatoribus, et ad audiendum juramenta inrotulatorum et ad supplicandum, ordinatum fuit quod magistri deberent porrigere supplicaciones eorum a tempore jam dicto usque ad diem Epiphanie inclusive; quod si non facerent, post illud tempus nullus seniorum posset aut deberet prejudicare in supplicando alicui juniorum.

Item ibidem et in eodem tempore juraverunt inrotulatores juramenta que in *libro rubeo nacionis* sunt noviter conscripta ante articulos antiquitus jurari consuetos [4].

Item ibidem et in eodem tempore fuit ordinatum quod si quem magistrorum recedere contingeret, qui Parisius fuit tempore conclusionis rotuli et maxime in jam dicta congregacione nacionis, dummodo per procuratorem supplicacionem suam porri-

1. Franciscum de S. Michaele.
2. Aymerici de Maigniaco, *ab hoc an., Sept.*
3. *In.* Chartul. Univers., III. *haec electio ad* 16 *Decemb. refertur.*
4. *Verisimiliter hic* liber rubeus nacionis *nobis est conservatus in ms.* 535 *N. A. l. Bibl. nat., de qua supra, p.* 1, *n.* 1, *et ad an.* 1356, 22 *Jul. In isto ms. juramenta « magistrorum ordinantium rotulum ad papam »*, fol. 137 b, *ante juramenta procuratoris, receptoris, examinatorum, bedellorum, librariorum, i. e. ante juramenta officialium, conscripta sunt, et quidem* noviter, *cum totus liber manuscriptus circa idem tempus conscriptus sit.* In Lib. proc. nat. Angl. *juramenta inrotulatorum post alia juramenta sequuntur. Vid.* Chartul., II, 682.

geret et inrotulatoribus de solvendo satisfaceret, in nullo deberet sibi prejudicare.

Item ultima die mensis antedicti facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine ad ordinandum de antiquis scolis emendis et de reparacione earundem, et ad supplicandum, ordinatum fuit concorditer quod si non possit haberi reparacio pro minori quam pro centum et viginti libris parisiens., quod contractus adhuc iniri deberet.

(*Fol. 3*[b]) Item in eadem congregacione supplicavit magister Johannes de Lusselenborg, cum ipse in brevi ab hoc studio recessisset, ut nacio vellet eum reputare hic fuisse in conclusione rotuli saltem quoad solucionem pecunie, cujus supplicacio fuit concessa.

Item supplicavit mag. Thomas de Clivis, quod si contingeret post recessum suum unum rotulum fieri necnon alium eciam ad novum papam[1] mittendum, quod possit imponi tanquam presens, cujus supplicacio fuit concessa.

Item decima die mensis Januarii in nonis Nostre Domine facta congregacione nacionis ad supplicandum apud Sanctum Maturinum, supplicavit magister Petrus Consul, ut si contingeret alium rotulum ab isto fieri et ad papam destinari, non obstante quod Parisius non esset, imponeretur tanquam presens, cujus supplicacio erat concessa, dummodo solveret octo solidos, quos adhuc nacioni debebat de suo jocundo introitu et de prima sua procuracione.

Item eidem congregacioni interfuit magister Arnoldus Neve, qui pro suo jocundo introitu eodem tempore solvit francum *ad ymaginem sancti Johannis* in vico sancti Jacobi juxta consuetudinem nacionis.

Item XIII[a] die mensis jam dicti facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem hora prime Nostre Domine ad audiendum compotum receptoris, quia receptor presens non fuit et magno tempore expectatus non venit, suspensus fuit computus usque ad proximam eleccionem vel procuratoris continuacionem.

Item eodem die facta congregacione nacionis ad supplicandum, supplicavit magister Wilhelmus Wadenoy ut pecuniam, quam deberet nacioni, ipsa vellet expectare usque ad festum Pasce proximum, cujus supplicacio fuit concessa, dummodo tamen in eadem forma qua prius poneret literam officialis.

1. *Cum tamen papa praesens, scil. Urbanus V, per integrum biennium adhuc in vivis esset.*

1369

Continuacio magistri Henrici Langhals in procuratorem.

Item eadem die, que fuit[e] XIII[a] dies mensis Januarii, facta congregacione nacionis apud dictum Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem, continuatus fuit in procuratorem de consensu majoris partis nacionis magister Henricus Langhals, et hec que sequuntur in eadem procuracione fuerunt acta.

Item vicesima prima die mensis antedicti facta congregacione nacionis ad supplicandum et ad ordinandum de pecunia nacionis, supplicavit dominus Herdwicus ut nacio vellet sibi dare dilacionem pecunie eidem debite de sua determinancia et debitum de sua incepcione, usque ad festum Pasce, cum ponere pignora vellet pro dicta pecunia apud nacionem, cujus supplicacio fuit concessa, et libros apud receptorem impignoravit.

Item in eadem congregacione nacionis supplicavit magister Johannes Haghen ut si contingeret alium rotulum fieri imposterum a rotulo jam concluso, quod solutis solvendis ipse eidem posset imponi, cujus supplicacio fuit concessa in quantum esset in nacione et eodem modo, sicut aliis similis supplicacio esset concessa.

Item incepit dominus Herdwicus sub magistro Mercilio de Inghen, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Wolbrandus dictus Cesar sub magistro Johanne de Ammers, cujus bursa V s.

Item incepit dominus Alfardus de Aa sub magistro Mersilio de Inghen, cujus bursa VII solidi.

(*Fol. 4*) Item in die Conversionis sancti Pauli[2], que fuit XXV[a] dies mensis jam dicti, facta congregacione nacionis in nonis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum ad deliberandum super empcione antiquarum scolarum et de reparacione earundem, deliberatum fuit concorditer quod emerentur et quod committeretur receptori quod solveret sexaginta solidos parisiens.

Item eisdem die, hora et loco facta congregacione nacionis ad supplicandum et ordinandum de pecunia nacionis, supplicavit magister Mercilius pro Johanne nostro bedello, cum per aliqua tempora infirmus fuisset et adhuc infirmaretur et plures expensas habuisset, ut nacio sibi pie in aliquo subveniret, cui dati fuerunt duo franci.

Item quarta die mensis Februarii facta congrega-

2. 25 *Januarii.*

cione nacionis in nonis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum ad eligendum examinatores determinancium et examinatorem in examine Sancte Genovefe pro primo mense, electi fuerunt examinatores determinancium magister Jordanus de Clivis, magister Wilhelmus Wadenoy, et magister Wilhelmus Trebron.

Item electus fuit in examinatorem Sancte Genovefe magister Reynerus Creyt pro primo mense, et eodem tempore intravit nacio tabernam *ad ymaginem sancti Johannis* in vico Sancti Jacobi, ubi dictus magister Reynerus, quia novus electus examinator, solvit francum, et magister Herdwicus francum de suo jocundo introitu, et ultra duos francos septem fuerunt solidi consumpti per nacionem, soluti a domino receptore.

Item decima die mensis ejusdem facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem ad audiendum compotum receptoris, singulis perceptis et expositis hinc inde defalcatis et compensatis, mansit receptor debens nacioni LXI libras XII sol.

1369

Continuacio procuratoris magistri Henrici Langhals.

Anno Domini quo supra, dicta decima die mensis Februarii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem in primis Nostre Domine ad eligendum procuratorem, continuatus fuit magister Henricus Langhals de consensu majoris partis nacionis. Et que sequuntur in ejus procuracione fuerunt acta.

Primo, decima, septima die mensis antedicti facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem in primis Nostre Domine ad statuendum, supplicandum et ordinandum de pecunia nacionis, statutum fuit de communi consensu omnium magistrorum, quod de cetero nulli scolari vel magistro, cujuscunque condicionis extiterit, supplicanti pro dilacione pecunie nacioni debite seu ex acquisitione alicujus gradus interim debende, dilacio ulla daretur, nisi duntaxat super bonis pignoribus debitum et plus valentibus infra spacium trium mensium redimendis, quorum redempcio, si neglecta fuerit, tradi deberet vendicioni, omni dispensacione super presenti statuto eciam in quolibet tempore interdicta. De ordinacione eciam presentis statuti requisitus fuit tabellio, scilicet magister Reynerus Creyt, ut desuper conficeret publicum instrumentum.

Item in jam dicta congregacione supplicavit magister Henricus Langhals, pro tunc procurator nacionis, cum ipse esset obligatus magistro Arnesto de Wulven existenti receptori IIII francos et XV solidos, ut nacio tantam pecuniam velit defalcare receptori in proximo computo de summa, quam debet nacioni, et idem magister Henricus maneat debitor nacionis secundum formam statuti supradicti. Qua supplicacione facta dictus magister Henricus exivit congregacionem, magistro Mersilio de Inghen tenente locum procuratoris ad deliberandum super dicta supplicacione. Facta deliberacione et eodem magistro Henrico revocato responsum sibi fuit per dictum magistrum Mersilium, supplicacionem suam fore concessum.

Item solvit dominus Wilhelmus Zael de Aemsterdam III francos, quos debebat pro sua determinatione, residuo prius soluto.

(*Fol. 4*[b]) Isti sunt determinantes anni LX octavi secundum compotum gallicanum.

Primo determinavit domicellus Baldwinus de Bronchorst sub magistro Mersilio de Imghen, cujus bursa XI solidi.

Item determinavit domicellus Reynoldus de Vianne sub eodem magistro Mersilio, cujus bursa VIII sol.; posuit pignora.

Item determinavit dominus Arnoldus de Tricht sub eodem, cujus bursa IX solidi; posuit pignora.

Item determinavit dominus Andreas dictus Heye sub magistro Reynero Creyt, cujus bursa V solidi; posuit pignora.

Item determinavit dominus Albertus Hovesche sub eodem, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Item determinavit dominus Johannes Gruter sub eodem, cujus bursa VIII solidi.

Item determinavit dominus Guillelmus Gerlanc sub magistro Guillelmo Trebron, cujus bursa VI s.

Item determinavit dominus Henricus Oloud sub magistro Arnesto de Wulven, cujus bursa VIII sol.

Item determinavit dominus Arnoldus Haen sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VIII solidi; solvit francum, cum IIII solidis, pro residuo pignora.

Item determinavit dominus Mathias Gruter sub magistro Gerardo de Kalkar, cujus bursa VII solidi; posuit pignora, solvit XIIII solidos, VI denarios.

Item determinavit dominus Johannes de Argentina sub magistro Erhardo de Gamundia, cujus bursa VII solidi.

Item determinavit dominus Gerardus de Ameron-

ghen sub magistro Wilhelm Wadenoy, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Item determinavit dominus Ector Wilt sub eodem, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Item determinavit dominus Henricus de Tremonia sub magistro Mersilio, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Item determinavit dominus Wilhelmus de Bavaria sub magistro Nycolao de Crucenaco, cujus bursa nichil, juravit statutum paupertatis.

Item dominus Henricus Sesarii determinavit sub magistro Mersilio de Inghen, cujus bursa VII solidi.

Item determinavit Gerardus de Enteren sub magistro Gerardo de Kalkar, cujus bursa VII solidi; posuit pignora; solvit V solidos VI denarios.

Item determinavit dominus Arnoldus de Nussya sub magistro Nicolao de Crucinaco, cujus bursa VIII solidi; posuit pignora.

Item determinavit dominus Johannes Bestelant sub magistro Reynero Creyt, cujus bursa nichil; juravit statutum paupertatis.

Item determinavit dominus Johannes Egidii sub magistro Reynero Creyt, cujus bursa VII solidi; posuit pignora.

Item determinavit dominus Johannes de Duren sub magistro Mersilio de Inghen, cujus bursa VIII solidi; posuit pignora.

Item determinavit dominus Jacobus de Aquis sub magistro Mersilio, cujus bursa VIII solidi; posuit pignora.

Item determinavit dominus Mertinus Judas sub magistro Gerardo de Kalkar, cujus bursa nichil; juravit statutum paupertatis.

Item determinavit dominus Johannes Philippi de Leyden sub magistro Arnesto, cujus bursa nichil; juravit statutum paupertatis.

Item determinavit dominus Henricus Elye de Kalkar sub magistro Thoma de Clivis, cujus bursa nichil; juravit statutum paupertatis.

Item determinavit dominus Johannes Theodorici de Leyden sub magistro Reynero Creyt, cujus bursa VIII solidi; posuit pignora.

Item determinavit dominus Gerardus Kerstancii de Leyden sub magistro Reynero Creyt, cujus bursa VII solidi; posuit pignora.

Item determinavit dominus Franco Gerardi de Leyden sub eodem, cujus bursa VII solidi; posuit pignora.

Item determinavit dominus Andreas Craync sub magistro Nicolao de Crucinaco, cujus bursa VII solidi VI denarii; posuit pignora.

Item determinavit dominus Hermannus de Colberch sub magistro Mersilio de cujus bursa III solidi; solvit francum cum III solidis, pro residuo pignora.

Item subdeterminavit dominus Johannes Zinninghe sub magistro Mersilio de Inghen, cujus bursa IIII solidi, posuit pignora.

(*Fol. 5*) Item octava die mensis Marcii facta congregacione nacionis in primis Sancti Jacobi apud Sanctum Maturinum ad supplicandum et ordinandum de pecunia nacionis, supplicaverunt magistri Wilhelmus Wadenoy et Wolbrandus Cesar, ut pecuniam quam solvere deberent, quilibet scilicet II francos [1], pro sallario nuncii ituri cum rotulo ad curiam Romanam, ut nacio eis illam mutuare dignaretur super bonis pignoribus predictam pecuniam bene valentibus, que redimere vellent, et promiserunt infra festum Ascensionis Domini proxime futurum, quorum supplicacio fuit concessa.

Summa data nuncio, magistro scilicet Mersilio, a receptore secundum quod idem receptor computavit in computo sequenti : XL franci, II solidi.

Item decima die ejusdem mensis Marcii facta congregacione nacionis in primis Nostre Domine apud Sanctum Julianum pauperem ad audiendum computum receptoris, perceptis et expositis singulis hinc inde defalcatis, permansit dominus receptor obligatus nacioni XLV libris, XV solidis, VI denariis parisiens.

1369

Procuracio magistri Arnoldi Neve.

Anno Domini quo supra, decima die mensis Marcii, facta congregacione nacionis Anglicane in primis Nostre Domine apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, electus fuit magister Arnoldus Neve, in cujus procuracione acta fuerunt hecque sequntur.

Primo eadem die nacio intravit tabernam *ad castellum* infra duos pontes, et ibidem consumpsit XXXVIII solidos, de quibus dictus magister Arnoldus pro prima sua procuracione solvit unum francum, et magister Herdwicus, quia nundum erat procurator, pro prima procuracione sua futura solvit francum, residuum videlicet VI solidos solvit receptor.

Item XI die Marcii in congregacione nacionis data erat dilacio magistro Wolbrando de uno franco

1. Quilibet... francos *inter lineas*.

pro jocundo introitu suo in congregacione nacionis ad VI septimanas.

Item subdeterminavit dominus Petrus Umloep sub domino Johanne Egidii determinatore, cujus bursa nichil, quia juravit statutum [paupertatis.]

Item quartadecima die mensis predicti facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine ad eligendum examinatorem apud Sanctam Genovefam, continuatus erat concorditer nullo penitus contradicente magister Reynerus Creyt in examinatorem apud Sanctam Genovefam pro secundo mense.

Item eadem die in completoriis facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad audiendum computum inrotulatorum, computaverunt domini inrotulatores, quod receperunt ab inrotulandis nonaginta sex francos, qui soluti erant pro tunc magistro Mercilio de Inghen, nuncio ituro cum rotulo ad curiam, exceptis tribus francis, pro quibus magister Petrus de Leydis supplicavit pro dilacione.

(*Fol.* 5 b) Item in eadem congregacione supplicaverunt domini inrotulatores, cum multos labores sustinuissent de rotulo, quatenus eis aliquid ultra remissionem pecunie nuncii de impositione eorum in rotulo assignaretur, et deliberatum erat quod nulli eorum pro presenti quidquam donetur propter depauperationem nacionis; sed postmodum cum nacio fuerit magis exonerata, videlicet in festo Remigii, nacio cuilibet eorum daret unum francum, videlicet procuratori in conclusione rotuli, et procuratori sequenti et duobus inrotulatoribus et aliis duobus qui suppleverunt vice unius cuilibet dimidium francum.

Item supplicavit magister Petrus de Leyden quatenus nacio daret sibi dilacionem de tribus francis solvendis pro magistro Thoma Zwaelwert de inrotulacione, quia nuncius, qui dictam pecuniam portare deberet, nundum venit, nec dictus magister potens esset solvere pro presenti, et erat sibi data dilacio ad tres menses positis pignoribus; sed si nuncius interim veniret, quod statim in adventu nuncii solveret nacioni predictos tres francos.

Item XIX die dicti mensis Marcii facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum post sermonem, supplicavit magister Mercilius nuncius iturus cum rotulo ad curiam Romanam, ut ipse in reditu suo a quolibet utiliter signato, videlicet ubi peteret vel ubi daret reformacionem suam, haberet unum francum, secundum quod nunciis aliarum nacionum est concessum, cujus supplicacio erat concessa.

Item eadem die nacio intravit tabernam *ad castellum* infra duos pontes, ubi consumpsit VI libras, de quibus dictus magister Mercilius solvit ii francos pro suo *bene valete*; residuum solvit receptor.

Item licentiati fuerunt domicelli Johannes et Baldewinus de Bronchorst sub magistro Mercilio de Inghen, quorum bursa XI solidi.

Item licentiatus fuit dominus Johannes de Sconevorst, prepositus Trajectensis, sub magistro Johanne Beyssel, cantore Aquensi, cujus bursa XII solidi.

Item licentiatus fuit domicellus Reynaldus de Vianen sub magistro Mercilio de Inghen, cujus bursa IX solidi.

Item licentiatus fuit dominus Johannes de Necken sub magistro Henrico Herout [1], quia normannizatus, cujus bursa XII solidi.

Item licentiatus fuit dominus Gosvinus de Maesboemel sub eodem magistro Heynrico Herout, quia normannizatus, cujus bursa VII solidi.

Item inceperunt domini Johannes de Scoenvorst, prepositus Sancti Servatii Trajectensis, et Johannes de Necken sub magistro Johanne Beyssel, cantore Aquensi, quorum bursa XII solidi.

Item incepit dominus Goesvinus de Maesboemel sub magistro Nicolao de Crucenaco, cujus bursa VII solidi; posuit pignora.

Item licentiatus fuit dominus Heynricus de Bylant sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa IX sol.

Item in quadam congregacione dati erant deputati, qui convenirent cum latamo [2], qui reparare deberet scolas antiquas per nationem alias emptas de pecunia habenda, qui cum eo convenerunt quod in principio operis haberet quinquaginta francos, et in medio quinquaginta, et in fine quinquaginta, et quod eas inciperet reparare die lune [3] post *Quasi modo*.

(*Fol.* 6). Item XXVII[a] die mensis Marcii facta congregacione facultatis ad audienda juramenta bachelariorum licenciandorum pro tercia audicione in Sancta Genovefa, rector processit ad audienda juramenta eorum nacione nostra reclamante et similiter recipiendo juramenta examinatorum, inter quos erat magister Reynerus Creyt pro examinatore nostre nacionis, qui simul cum aliis juravit nacione nostra reclamante, propter quam causam idem magister

1. *Ms. hic et postea* Heronc. *Fuit nat. Normann.*
2. *I. e.* latomo, *lapicidae.*
3. 9 *Aprilis.*

Reynerus in quadam congregacione nacionis ad tempus ab officio examinatoris erat suspensus, donec nacio eum restitueret vel alium presentaret.

Item ultima die mensis Marcii facta congregacione nacionis hora Completorii ad Sanctum Maturinum, supplicavit magister Wilhelmus de Wadenoy, cum adhuc teneretur nacioni in quadam pecunia racione determinancie, licencie et magisterii, et non esset potens solvere eam, quatenus daret sibi dilacionem quousque esset solvere dictam pecuniam; cui nacio dedit dilacionem quousque ad pinguiorem fortunam pervenerit, dummodo coram deputandis a nacione jurare vellet statutum, videlicet quod nec hic nec in partibus haberet.

Item in eadem congregacione data erat dilacio Thome de Herlem de pecunia sue licencie ad tres menses a die licencie sue, dummodo poneret pignora secundum statutum nacionis.

Item licentiatus fuit dominus Radulphus... sub magistro Henrico Herout, quia normannizatus, cujus bursa nichil, quia juravit statutum.

Item licentiatus fuit dominus Johannes de Důeren sub magistro Mercilio de Inghen, cujus bursa VIII s.

Item VI die mensis Aprilis facta congregacione nacionis in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum supplicavit magister Reynerus Creyt, quatenus nacio vellet ipsum restituere ad officium examinatoris bachelariorum pro tertia audicione in Sancta Genovefa, cujus supplicacio pro expediente erat concessa.

Item VII die mensis Aprilis facta congregacione nacionis in primis Nostre Domine apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris et singulis perceptis et expositis hinc inde defalcatis, mansit dominus receptor obligatus nacioni in IX libris et II solidis [1].

1369

Acta procuratorie magistri Hartwici de Hammis.

Anno Domini M° CCC° LXIX, septima die mensis Aprilis, que [2] fuit sabbatum proximum post Pasca et ante *Quasimodo*, facta congregacione Anglicane nacionis in primis Nostre Domine apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem et ad audiendum compotum receptoris, electus fuit in procuratorem supradicte nacionis magister Hartwitus de Hammis, in cujus procuracione acta sunt hec que sequntur.

Primo juravit dominus Hinricus Bilant nobilis pro incepcione sua, cujus bursa IX solidi, et incepit sub magistro Jordano de Clivis.

Item incepit dominus Radolfus [3].... cujus burse nichil quia pauper, sub magistro Henrico Hero[u]t.

Item in eadem die incepit dominus Helyas Loepwic sub magistro Reygnero, cujus burse VI solidi cum dimidio. Il est mort [4].

Item XII die mensis Aprilis facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum super quodam facto arduo, scilicet quia dominus rector XI die mensis hujus in congregacione facultatis distulit juramenta bacalariorum ad reclamacionem paucorum, cum tamen in congregacione nacionis precedente tota nacione reclamante ad recipiendum juramenta predictorum et examinatorum processerat, super quibus pro tunc deliberavit nacio, ut primo hec injuria signaretur facultati, et dedit deputatos et proponentes.

Item redemit dominus Reynaldus de Vianne pignora que posuit pro licencia sua, cujus burse VIII solidi.

(*Fol.* 6 b). Item magister Wilhelmus Suvermunt dedit sex francos ex parte magistri Gherardi Wilde [5].

In eadem nocte intravit nacio tabernam *ad ymaginem sancti Johannis* in vico Sancti Jacobi, et consumpsit XL solidos parysiens., de quibus magister Reygnerus Creyet solvit francum pro secundo mense sue examinationi, et magister Helyas unum mutonem de XIII solidis, et dominus receptor XI solidos solvit.

Item licentiati fuerunt XIII die Aprilis [6].

Primo dominus Hinricus de Lecka sub magistro Arnoldo Neven, qui juravit statutum paupertatis.

Item licentiatus fuit dominus Arnoldus Oryngher

1. *Ad istam temporis notam pertinet instrumentum in* Arch. Univers. Paris., thec. XIV, n° 5, *charactere jam evanido scriptum, quod ad scholas refertur* : Universis presentes literas inspecturis officialis Paris... notum facimus quod coram nobis propter boc personaliter... constituta Jaquelina de Sancto Germano recognovit coram nobis [se acce]pisse et habuisse a receptore nationis Anglicane quadraginta solidos paris. pro locagio quarundam scolarum, in [quibus a noci]one predicta legitur, ut dicebat, de qaibus quadraginta [solidis] paris. predicta Jaquelina se tenuit coram nobis plenarie s[atisfactam] et quitavit ex ipsis quadraginta solidis [paris...] receptorem nacionis predicte et omnes quorum interest penitus presentes, promittens bona fide quod contra q[uitacionem] hujusmodi non veniet in futurum. Datum anno Domini M CCC sexa[gesimo] nono, die sabbati post Poscha (*an.* 1369, 7 *April*).

2. Que... Quasimodo *inter lineas.*

3. *Sequitur nomen deletum.*

4. Il est mort *alio charactere.*

5. *Haec rubrica alio charactere scripta.*

6. XIII Aprilis *inter lineas.*

sub magistro Arnoldo Neven, qui posuit pignora receptori.

Item licentiatus fuit dominus Thomas de Herlem sub magistro Reygnero, qui juravit quod non haberet solvere in septimana XI denarios.

Item licentiatus fuit dominus Johannes Ruisch sub magistro Arnoldo Neve, cujus burse VII solidi, et posuit pignora.

Item 14 die mensis Aprilis facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, deliberavit nacio concorditer quod procurator nacionis supradicte omnes magistros novos, scilicet qui nondum solverunt, ipsorum jocundum introitum, haberet require[re] et deberet, ut statim predictum jocundum introitum solverent, scilicet ad minimum unum francum sub pena statuti, quod juraverunt servare consuetudines nacionis, quarum ista est una, et quod si non solvant postquam primo requisiti fuerint, ipsorum voces in nacione non audirentur neque ad aliquod officium nacionis vel emolumentum admittantur.

Item eadem die facta congregacione provincie [1], supplicavit nacio supradicta quod illi accomodarent et concederent aliquam pecuniam, et concessa erat supplicacio, scilicet provincia concessit seu accomodavit nacioni 30 francos ad 4 menses, sub tali tamen condicione quod ponerent que vendi possent in termino, si pecunia predicta non solvere vel eciam si provincie incumberet necessitas, scilicet emendi domum aliam vel aliud majus, quod tunc nacio predictam pecuniam requisita post hoc ad 8 dies predictam pecuniam provincie redderet sub pena predicta, etc.

Item incepit Hinricus de Lecka sub magistro Arnoldo Neven; cujus burse nichil, quia pauper et juravit statutum.

Item licentiatus fuit dominus Albertus de Tylia sub magistro Gwillelmo Gwadenov, cujus bursa sex solidi, et posuit pignora.

Item licentiatus fuit dominus Nicolaus de Grynlau sub magistro Thoma de Duns, cujus burse erant sex solidi.

Item 16 die mensis Aprilis facta congregacione facultatis apud Sanctum Julianum, propositum fuit factum domini rectoris contra nacionem quod attemptaverat recipere juramenta bacalariorum 3 audicionis et contrarium in 4ta fecerit per magistrum Johannem de Scocia, in qua eciam congregacione per nacionem fuerunt deputati ad examinandum pignora que presentarentur provincie occasione accommodationis XXX francorum, qui deputati, scilicet dominus receptor et magister Hinricus Langhals cum procuratore presentaverant procuratoribus provincie pignora pro LII [2] francis receptis ab eisdem 30 [3] francis boni ponderis.

Item licentiatus fuit dominus Wilhelmus de Aemsterdamme sub magistro Reygnero Creyt, cujus burse VII solidi, et posuit pignora.

Eadem die solvit domino receptori 4 [4] francos magister Hartwicus de Hammis, Swerinen. dyocesis, pro tribus gradibus [5] ad bonum compotum. Et remansit ei debitus in III, pro quibus impignorata in una Phylosophia, quousque poterit solvere.

Item incepit dominus Albertus Bestken de Tyla sub magistro Gwillelmo Gwadeneghe [6], cujus burse VI solidi.

Item incepit dominus Arnoldus Orynghen sub magistro Arnoldo Neve, cujus burse VII solidi.

Item incepit dominus Gwillelmus Zael de Amsterdame sub magistro Reynero Creyt, cujus burse sex solidi.

Item incepit dominus Thomas de Herlen sub magistro Reynero Creyt, qui juravit statutum paupertatis.

Item XVII [7] die mensis Aprilis dati fuerunt lattomo seu reparatori scolarum emptarum a nacione L [8] franci, quod inciperet ipsas edificare.

XXX die, sive ultimo mensis ejusdem, quod est profestum beatorum apostolorum Philippi et Jacobi, qua die data fuerunt provincie pignora taxata pro quinquaginta duobus francis communiter a deputatis nacionis, scilicet receptore [9], magistro Hernesto, procuratore, magistro Hartwico de Sundis et magistro Hinrico Lanchals, quibus tunc procuratores provincie XXX francos boni ponderis presentaverunt.

(*Fol.* 7) Item XXV die mensis Aprilis facta congregacione nacionis post sermonem ad Sanctum Maturinum, deliberatum fuit quod fieret congregacio per juramentum, si esset procedendum in negocio contra rectorem et qualiter.

Eciam fuit ibi deliberatum quod injungeretur magistris transeuntibus ad patriam quod fideliter amonerent singulos debitores nacionis ut solverent, et ut

1. Alemanniae.
2. *Ms. add.* 51.
3. *Ms. add.* XXX.
4. *Inter lineas* IIII.
5. *I. e. determinanciae, licenciae et inceptionis seu magisterii.*
6. *I. e.* Wadenoy.
7. *Sic inter lineas. In textu* 16.
8. *Ms. add.* quinquaginta.
9. *Ms.* receptori.

iretur ad archam pro videndo literas et debitores hujus.

Item fuit licentiatus dominus Hermannus Lullenisse sub magistro Mercilio, cujus bursa IIII solidi, et solvit.

Item XXX die mensis Aprilis facta congregatione nationis per juramentum apud Sanctum Maturinum post sermonem, deliberatum fuit a majori parte nacionis quod factum nacionis, scilicet de offensa illata nacioni per rectorem, dimitteretur nec in eo ulterius procederetur, nisi nacio in graciis faciendis rectori consimilem faceret si imposterum contingeret eidem.

Item deliberatum fuit ibidem quod magister Helias Lopic citaretur coram rectore, et sic haberetur pecunia nacionis ab ipso, que sibi data erat ad solvendum nacioni ex parte magistri...[1], sub tali condicione quod nacio ipsam totaliter ach[i]taret[2] et predictus magister Helias teneretur per nacionem indempnis. Et fuerunt ad hoc deputati procurator, magister Hernestus, magister Jordanus de Clivis, magister Johannes de Anmers, magister Hermannus Levenowe, qui eciam debita nacionis examinare haberent et de talibus debitoribus ut solverent ordinarent, visis literis et pignoribus in archa et debitoribus universis.

Item dilationes fuerunt date domino Johanni Sinneghen de bursis sue licencie secundum formam statuti nacionis superius.

Item licentiatus fuit dominus Johannes de Herlem sub magistro Francisco [de S. Michaele][3], cujus burse VII solidi.

Item licentiatus Johannes de Buren sub magistro Francisco de Sancto Michaele, cujus burse VIII sol.

Item licentiatus fuit dominus Johannes Zinneghen sub magistro Johanne Beth, cujus burse VII solidi.

Item licentiatus fuit dominus Johannes Bestlant sub magistro Gwillelmo Gwadenoghe, cujus bursa III solidi.

} Posuerunt pignora.

Eadem die XXX Aprilis deputatis visis literis, *ad ymaginem sancti Johannis* potaverunt et 8 albos consumpserunt, de quibus magister Hartwicus procurator solvit 4, et dominus receptor 4 albos.

Item ultima die mensis Aprilis facta congregacione nacionis in vesperis apud Sanctum Maturinum, deliberatum fuit quod in quadam congregacione proximo fienda per juramentum citarentur omnes magistri qui non solverunt suum jocundum introitum et sub pena resecacionis a tota nacione, que contra ipsos procedere intenderet, nisi se de contumacia expurgarent.

Eadem hora intravit nacio tabernam et expendit XX solidos et 2[4] albos *in castello*, de quibus magister Wilhelmus Gwadenaghe 4 solidos, magister Johannes Vintlo 4 solidos, magister Johannes de Osnaburga[5] 4 solidos, quia nondum integre solverunt francum, sed tantum XII solidos in festo Etmundi, et residuum hujus solvit dominus receptor, scilicet octo solidos et octo denarios.

Item incepit dominus Johannes Splinter sub magistro Reynero, cujus burse VII solidi.

Item incepit dominus Johannes Egidii de Herlem sub magistro Reygnero, cujus burse VII solidi.

(*Fol.* 7[b]) Item die III die mensis Magii facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, declaratum fuit ut amplius servaretur pro statuto quod nullus admittatur ad jurandum paupertatem nisi in plena congregacione nacionis, facta eciam ad disponendum de pecunia nacionis et inhiberetur receptori ne tales, dum ad ipsum veniunt, non[6] audiat, nisi prius in nacione juraverint.

Item licenciatus fuit dominus Tydericus de Yselsteyn sub magistro Arnoldo Neve, cujus burse VI solidi. Et posuit pignora.

Item licenciatus fuit dominus Arnoldus de Trycht sub magistro Arnoldo Neve, cujus burse IX solidi.

Item receptor habuit duas libras pro officio suo de anno Domini M̊ CC̊C LXIX ante lapsum anni, quas ad ejus supplicationem nacio dederat ante terminum.

Item facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem 5 die mensis Magii ad eligendum procuratorem et ad computandum seu ad compotum audiendum receptoris, singulis perceptis et expositis hinc inde computatis et defalcatis mansit dominus receptor obligatus nacioni in IX libris, II solidis et III denariis.

1369

Continuatio magistri Hartwici de Hammis in procuratorem.

Item quinta die mensis Magii anno quo supra, scilicet sabbato[7] ante Ascensionem Domini, facta

1. *In ms. spatium.*
2. *I. e.* aquittaret.
3. *Nat. Gallicanae.*
4. *Ms. add.* ij.
5. *Inter lineas* de Tekenenberch.
6. *Ms. add.* non.
7. 5 *Maii.*

congregacione nacionis Anglicane ad audiendum compotum receptoris et ad eligendum principaliter procuratorem nacionis, continuatus fuit magister Hartwicus de Hammis oriundus de Sundis in procuratorem nacionis supradicte nullo penitus reclamante.

Eadem die fuit datus terminus magistro Alfardo de A, et magistro Wolbrando Cesar de debitis usque ad proximam congregacionem nacionis.

Item VII die mensis Magii facta congregacioue nacionis apud Sanctum Maturinum in nonis Nostre Domine super scolis VII arcium, adjudicavit eas nacio magistro Jordano, non obstante quod magister Marcilius cui concesse erant per nacionem eas magistro Arnoldo Neven concesserat et ipsum ad legendum in eis pro ipso instituerat, sicud proposuit ex parte sua.

Item magister Hartwicus exposuit 4 albos in taberna cum lattomo tempore sigillationis literarum, quas accomodavit sibi magister Arnoldus.

Item incepit dominus Theodericus de Yselsteyn sub magistro Arnoldo Neven, cujus bursa VI solidi cum 4 denariis, et ipse posuit pignora.

Item licentiatus fuit dominus Walterus de Renen sub magistro Hartwico de Sundis, cujus burse VIII solidi, et posuit pignora.

(Fol. 8) Item licentiatus fuit Robertus de Don sub magistro Thoma de Duns, cujus bursa VI solidi.

Item XVI die Magii facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Matulinum, concesse fuerunt dilaciones bursarum licencie et magisterii domino Waltero per tres menses.

Item de litera facta per deputatos non placuit ut transiret, priusquam ego magister Hartwicus legi copiam, sed placuit si fieret in aliqua forma bona.

Item licenciatus fuit dominus Wenemarus de Goye sub magistro Nicolao de Crucenaco, cujus burse VIII solidi.

Item XXIII die mensis Magii congregacione nacionis Anglicane facta apud Sanctum Maturinum, deliberatum fuit in proximo[1] die debere fieri congregacionem pro ulteriori expedicione et deposicione super pecuniis et debitis nacionis, et si aliter solvi non posset pecunia pro scolis, consenserunt magistri quod quilibet de parata pecunia accomodaret nacioni francum.

Item die dominica sequenti[2], scilicet in die Trinitatis, facta congregacione nationis ibidem, deliberatum fuit quod magistri et bachelarii requirerentur, quod qui non posuerunt pignora, ponant, et qui possuerunt ea deliberent, alias exponerentur vendicioni.

Item incepit dominus Walterus de Renen sub magistro Hartwico de Hammis, cujus burse octo solidi. Posuit pignora.

Item incepit dominus Nicolaus de Grynlau sub magistro Thoma de Duns, cujus burse 6 solidi.

Item incepit dominus Johannes Sinneghe sub magistro Hernesto de Hollandia, cujus burse IIII s.

Item congregatione nacionis facta in die (*sic*) dominus receptor voluit nacioni 12 francos accomodare super pignora per quindenas.

Item dati erant quinquaginta franci edificatori[3] scolarum nacionis proxima die[4] post festum Corporis Christi.

Item facta congregacione nacionis, 2 die mensis [Junii], apud Sanctum Julianum ad audiendum compotum receptoris et deliberandum de pecunia nacionis, scilicet qualiter, qui non posuerunt pignora, debent requiri, et ad eligendum procuratorem vel continuandum, receptor mansit nacioni debitus in XXIX solidis et V denariis.

1369

Continuatio magistri Hartwici de Hammis in procuratorem.

Anno Domini M° C°C°C° LXIX, secunda die mensis Junii, scilicet in sabbato post festum Sacramenti et Trinitatis, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem nacionis antedicte, continuatus fuit magister Hartwicus de Hammis Swerinensis dyocesis clericus, oriundus de Sundis, in procuratorem nacionis Anglicane a majori parte et firmiori tocius nacionis, cujus procuratorie acta sunt hec.

Item dedit magister Goswinus Johanni bedello unum francum pro jocundo introitu suo.

(Fol. 8 b) Primo facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum tertia die mensis Junii super concordia facienda inter magistros, scilicet magistrum Hinricum Lanhals et magistrum Gherardum Kalkar, dati[5] erant arbitri, qui eos XI die mensis ejusdem composuerunt; sub pena XL francorum quilibet alteri injuriam remittere teneretur.

Item 10 die mensis ejusdem facta congregacione

1. *Ms. add.* die.
2. 27 *Maii.*
3. *Ms.* edificatol.
4. 1 *Junii.*
5. *Ms.* date.

nacionis super disponenda pecunia nacionis et super composicione duorum magistrorum super quadam domo, dati erant deputati qui taxarent libros et pignora nacionis et arbitri seu deputati ad judicandum super facto magistrorum ipsis prius plenarie informatis.

Item decima septima die mensis Junii facta congregacione nacionis per juramentum ad ordinandum de pecunia nacionis, maxime pro solvendo taxu operariorum perficiencium scolas nacionis, dominus receptor magister Hernestus ex deliberacione nacionis auctoritate habita vendendi pignora nacionis assumpsit onus expediendi factorem vel operatorem scolarum predictarum. Etiam nacioni placuit si quis esset, qui nacioni pecuniam pro scolis accomodaret.

Item in eadem congregacione deliberatum fuit debitum et eciam racioni consonum magistros[1] perpotare, qui nondum jocundum solverunt introitum, et consumpti fuerunt *in ymagine sancti Johannis* in vico Sancti Jacobi superius duo franci et duo denarii, de quibus magister Petrus 12 solidos, magister Thydericus 13 solidos solverunt, et magister Hinricus de Thenis 4 solidos solvit, et dominus receptor 3 solidos cum duobus denariis.

Item decima nona die ejusdem deliberata fuerunt pignora posita ad provinciam, scilicet libri multi, repositis tamen aliis loco illorum pignoribus, scilicet clenodiis nacionis, videlicet calice et ampullis, 6 libris spectantibus ad officium nacionis, tribus cappis, coriciis, et tribus niceris ornamentis, scilicet II casulis cum suis omnibus attineneciis.

Item concessum fuit lattamo ut sibi solverentur tales pecunie de ultimo termino debite in festo sancti Johannis.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Matulinum 25 die mensis Junii pro ordinando de pecunia nacionis multis hinc [inde] estimatis, deliberatum fuit quod si qui magistri essent qui concedere vel accomodare nacioni pecuniam vellent, talibus nacio parata esset satisfacere infra festum Pasce affuturum, et cum hoc accomodare scolas illas in recompensam, ita quod magister Jordanus concessit nacioni XL[2] francos, propter quod sibi nacio scolas novas inferiores libere per duos annos concessit; magister Hinricus Langhals 15[3] supradicte nacioni concessit, et superiores scolas similiter per duos annos assignavit. Quibus nacio promisit et receptor ex parte ejusdem nacionis supradicte, quod solutis nunc debitis nacionis, scilicet pro scolis et pro provincia Allemanie, ex tunc continue sibi solverentur pignora et alia debita sicut creditoribus, scilicet magistris supradictis persolverentur, quousque fuerit plene satisfactum. Caucionem vero postulantes eis concessit nacio literam recognicionis super hiis omnibus, promittens per receptorem literam prescriptam.

Item exposuit receptor 5 albos pro litera. Item 3 albos pro sigillo.

Item 29 die dicti mensis Junii facta congregacione nacionis propter rotulum et nova curie Romane sigillatum fuit publicum instrumentum sive quedam litera recognicionis sigillis utrisque nacionis super quinquaginta quinque francis, quorum 40 magister Jordanus nacioni concessit, et nacio sibi inferiores scolas novas, 15 vero magister Hinricus Langhals, cui superiores concessit. Quibus quinquaginta francis solutis, scilicet in die beatorum Petri et Pauli *ad duos gladios* procuratore et receptore ex parte nacionis, et magistro Hinrico predicto ex parte alia, et magistro Johanne Ammers notario et latthomo, scilicet edificatore scolarum nacionis, et duobus bodellis nationis ejusdem. Et computacione facta et solucione hinc inde ibidem ex parte nacionis fuerunt expositi XV solidi minus 2 denariis cum uno franco, qui dabatur notario, scilicet magistro Johanni Ammers.

(*Fol. 9*) Item ultima die mensis Junii[4] facta nacionis congregacione apud Sanctum Maturinum super ordinacione factorum nacionis ex consensu presencium, magister Hernestus receptor ad partes iturus magistrum Johannem Ammers substituit in locum suum, quousque reverteretur, qui promisit se officium velle fideliter exercere, pro quibus magister Hernestus fecit se fortem et bonum sine defectu.

Item prima die Julii facta fuerunt pulpita.

Item ex parte rectoris de nacione Normanie deliberatum fuit in nacio[ne] quatenus punire[tur] pro excessu suo, scilicet quod quolibet tempore affuturo careret officio; fuit eciam deliberatum quod majori pena secundum aliarum nacionum arbitrium puniretur.

Item concessum fuit in nacione quod carpentariis sive operatoribus scolarum daretur francus cum dimidio.

Item dixit magister Hernestus receptor nacionis quod provincie esset solutum quoad medietatem debitorum, scilicet XV francorum.

1. *Primo erat beyanos.*
2. *Ms. add.* 40.
3. *Inter lineas* XV.
4. *Ms.* Julii.

Item in die lune post festum beati Bartholomei appostoli, scilicet 27 die mensis Augusti, facta congregacione nacionis Anglicane in primis Nostre Domine apud Sanctum Julianum pauperem ad supplicandum et computandum et procuratorem eligendum, omnibus computatis et defalcatis receptor mansit nacioni obligatus in sex solidis et iij denariis.

1369

Acta procuratorie magistri Wilhelmi de Wadenoy.

Anno Domini M° CCC° LXIX°, 27 die mensis Augusti, facta congregacione nacionis ad Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem et audiendum compotum receptoris, electus erat concorditer magister Wilhelmus de Wadenoy in procuratorem. In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

Primo nacio intravit eodem die tabernam, scilicet *ad Castellum* infra duos pontes, et consumpsit ibidem 17 solidos, de quibus antedictus magister Guilhelmus de Wadenoy pro prima procuracione sua solvit unum francum, et receptor residuum, scilicet IX denarios.

(*Fol. 9*[b]) Item 7 die mensis Septembris facta congregacione nacionis apud Sanctos Cosmam et Damianum super eciam modo exigendi francum a quolibet utiliter signato [1], scilicet sicud principaliter petivit, vel sicud petivit reformari [2] vel melius ad usum nuncii nacionis in curia pro rotulo, scilicet magistri Mercilii de Inghen, cum hoc alias ante ejus recessum ad sui supplicacionem per nacionem concorditer erat ordinatum : deliberatum fuit et eciam ad supplicacionem magistri Arnoldi Neve concessum quod ipse tanquam procurator constitutus ex parte antedicti magistri una cum bedello monere deberet singulos tales, ut satisfacerent, et contra rebelles procedere, scilicet vocando coram nacione vel alio judice, coram quo nacio vellet dictum magistrum Arnoldum juvare quantum licite posset. Item super uno alio articulo proposito de conmutacione sigilli procuratorie, deliberatum fuit per tunc presentes, quod non expediret conmutare sigillum, nisi nacione super sollempnius convocata.

Item 21 die mensis ejusdem facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum principaliter ad eligendum receptorem, electus fuit concorditer nullo reclamante magister Johannes Amers in receptorem. Et ibidem deliberatum fuit quod nacio iret ad tabernam, ubi expositi fuerunt omnibus computatis in prandio duo franci et quindecim solidi cum octo denariis, de quibus dictus magister Johannes receptor occasione sui officii novi solvit unum francum; item pro jocundo introitu suo solvit ibidem magister Johannes Zinneghen unum francum, et residuum, scilicet 15 solidos cum octo denariis, solvit receptor.

Item 24 die mensis Septembris, scilicet die lune post festum sancti Mathei apostoli, facta in primis Nostre Domine congregacione nationis Anglicane ad eligendum procuratorem, ad audiendum compotum receptoris et ad supplicandum apud Sanctum Julianum pauperem, audito compoto omnibus compotatis et defalcatis mansit receptor nacioni obligatus in sex solidis et III denariis.

1369

(*Fol. 10*) Acta procuratorie magistri Nycolai de Crucenaco.

Anno Domini M° CCC° LXVIIII, vicesima secunda die mensis Octobris, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris et ad supplicandum, electus fuit concorditer magister Nycolaus Grel de Crucenaco, in cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

Primo eadem die fuit concorditer deliberatum in nacione nullo reclamante ire ad tabernam, ubi prefatus magister Nycolaus principaliter solvit unum francum pro prima ejus procuracione, et pro residuo solvit predictus magister duos albos, et quilibet aliorum magistrorum predicte nacionis ibidem existencium solvit eciam duos albos, sic quod tunc nichil receptorem solvere oportebat. In qua congregacione ordinatum fuit per magistros tunc ibidem existentes, quod in proxima die sequenti [3], in qua fiet sermo, quod omnes magistri predicte nacionis deberent vocari per juramenta eorum ad congregacionem dumtaxat ad ordinandum de libris nacioni obligatis.

Item 28 die mensis predicti facta congregacione nacionis apud Sanctum Marturinum ad ordinandum de pignoribus, videlicet de libris nacioni obligatis,

1. *In rotulo scilicet.*
2. *Quandoque inrotulatus nihil recepit, saepe e defectu formae seu petitionis, vel quia jam alii idem beneficium petierant. Consequenter rotulus « reformatus » est, cujus exemplum in* Chartul. III, n° 1308.
3. *Non 23 Octobris, sed 28 Octobris, in festo Simonis et Judae, qua die sermo fuit, quia dominica erat.*

deliberatum fuit concorditer quod essent exponendi vendicioni sub tali modo, quod primo exponi deberent qui diucius obligati fuissent, deinde alii, saltem quorum terminus esset elapsus. In casu autem quo ita non posset expediri quod indifferenter magis noviter obligati cum aliis essent vendicioni exponendi. Et ad hoc fuerunt deputati cum procuratore et receptore nacionis magister Ernestus de Holandia, et magister Guillelmus Trebron Scotus, et magister Hertwicus de Hammis.

Item 13 die mensis Novembris facta congregacione nacionis predicte ad Sanctum Maturinum ad ordinandum de libris nacioni obligatis et ad ordinandum de literis, in quibus debita nacionum continentur, et ad supplicandum, supplicavit Johannes de Angusia Scotus licentiatus in artibus, qui nondum determinavit, quod nacio ipsum juvare vellet ut ad incipiendum licenciam in facultate posset obtinere, cujus supplicacio fuit concessa, nullo reclamante. Et supplicaverunt magister Guillelmus Trebron Scotus et magister Goswinus de Masburn pro dilacione pecunie debite nacioni predicte, quorum supplicaciones erant interempte. Et in eadem congregacione dedit magister Guillelmus Sudermont duos francos pro magistro Gerardo de Trajecto inferiori, et aliquos libros presentavit nacioni, qui debebant vendi, qui libri dati erant ad vendendum magistro Gerardo de Herdewig. Et dictus magister Guillelmus Trebron dixit, si posset ipse, ordinaret unum magistrum qui concederet nacioni XV francos, et sumeret ad se libros taxatos per librarios usque ad certum terminum, et quilibet debitorum qui vellet, interim posset sua pignora redimere, et quod termino finito alios libros posset ad suam voluntatem alienare. Et in hoc omnes alii magistri hoc audientes consenserunt. Et si hoc non posset fieri, tunc deliberacio majoris partis nacionis fuit quod libri deberent simul librariis dari pro pecunia, pro qua eos taxaverunt. Et illi qui fuerunt deputati ad vendendum libros, eciam fuerunt deputati ad ordinandum de literis, in quibus aliqua debita nacionis continentur.

(*Fol. 10*ᵇ) Item decima quinta die mensis Novembris facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratores pro festo Etmundi, electi fuerunt magister Henricus Langhals et magister Gerardus de Kalkar et dominus receptor nacionis. Et pro tunc assignatus fuerat terminus receptori mensis computandi a die predicta, infra quem deberet dicere receptori antiquo, videlicet magistro Ernesto, an vellet capere libros taxatos ad se et concedere nacioni XV francos, ita tamen quod nacio non perderet si summa debitorum se ad plus extenderet quam ad XV francos; si autem magister Ernestus hoc nollet facere, tunc major pars nacionis voluit quod receptor pro tunc existens deberet concedere XV francos nacioni et capere libros ad se; sed infra terminum predictum nullum de istis libris vendere deberet, ut si aliquibus placeret, quod interim redimere possent libros; sed termino elapso de illis libris remanentibus posset ad suum placitum ordinare.

Item incepit Arnoldus de Tricht sub magistro Arnoldo Neve, cujus bursa IX solidi.

Item XIX die mensis predicti facta congregacione nacionis predicte apud Sanctum Maturinum ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, remansit receptor obligatus nacioni in XXVI libris et in XVII solidis et in VII denariis [1].

1369

(*Fol. 11*) Acta procuratorie magistri Heynrici filii magistri Theoderici de Thenis.

Anno Domini M° CCC° LXIX, XIX die mensis Novembris hora prime, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem et ad audiendum compotum domini receptoris, electus fuit unanimiter magister Heynricus Theoderici de Thenis, in cujus procuracione acta fuerunt hec que sequuntur.

Primo eadem die, in profesto Eadmundi, deliberavit nacio concorditer intrare tabernam in platea Sancti Jacobi *in Salmone* et consumpsit ibidem XXI solidos et VIII denarios, de quibus predictus magister Heynricus pro prima ejus procuracione solvit francum, et residuum voluerunt magistri presentes cum expensis altera die ibidem faciendis computari. Et factum fuit ita.

Item in die sanctissimi Eadmundi regis Anglie in missa pro distribucionibus magistrorum dicte nacionis exposuit receptor XLIX solidos.

Item in prandio nostro eadem die in *hospicio Salmonis* omnibus computatis exposuit idem receptor XIIII libras, III solidos et VI denarios.

Item in eodem festo post prandium solvit magister

1. *Tunc alio charactere :* Quia papirus fluit, eadem que secuntur in latere isto, in proximo folio continentur. *Deinde sequitur adhuc in eadem pagina principium rubricae, quae magis explicite fol.* 11, *repetitur.*

Johannes Mars unum francum pro jocundo ejus introitu.

Item in eodem loco solvit mag. Arnoldus de Tricht unum francum pro ejus introitu jocundo.

In primo incepit dominus Johannes de Angusia sub magistro Thoma de Dons, cujus bursa VI solidi; et quia nondum determinavit, nacio supplicavit in facultate ut incipere posset sine determinancia, solutis solvendis, cujus supplicacio concessa fuit. Solvit simul pro determinancia et magisterio.

Item incepit dominus Robertus de Den sub eodem magistro Thoma, cujus bursa VII solidi. Solvit totaliter.

Item XXVIIII die mensis Novembris hora prime, facta congregacione supradicte nacionis apud Sanctum Julianum pauperem ad ordinandum ut scolares, scilicet bacularii incepturi in facultate arcium de nostra nacione existentes, pro *placet* non examinentur, scilicet cujus nacionis sint, cum quo magistro stent, quando fuerunt licentiati, quod semper magister Clemens Picardus facit et dicit, se eos non cognoscere ut eos, si non habent causam impediendi, quia non cognoscit eos; permittat non sic examinando.

2° Ad ordinandum de debitis nacionis et ad visitandum literas in archa apud Sanctum Maturinum, nam nacio multa debuit, et adhuc tunc non solvit pecuniam pro scolis septem artium, quam tenebatur solvere in festo Pasche : ut isti, qui tenentur, compellantur ad satisfaciendum, et consequenter nacio predicta nostra solvat quibus est obligata.

3° Ad supplicandum si aliqui supplicare vellent.

De primo deliberatum fuit quod diceretur magistro Clementi, ut nostra supposita non vexaret; si autem non sineret, magistri nacionis nostre baccalarios de nacione sua tantum vel plus tribularent.

De 2° dati erant deputati, scilicet Lanchals, Trebron, Erardus de Gamondia, receptor, procurator, ad visitandum archam in Sancto Maturino; si autem aliqui presentes tenerentur nacioni, monerentur si haberent pignora, monicione facta exponerentur vendicioni; si non haberent pignora, sed literas officialis, procederetur contra eos secundum jura; eciam magistri qui non solverunt jocundum introitum, non perciperent distribuciones in festis nacionis, neque haberent voces in deliberacionibus, neque vocarentur ad congregaciones.

De 3° nullus supplicavit preter unum, cujus supplicacio fuit, ut iremus ad tabernam. Ivimus autem in *hospicio lune* in vico Anglicorum, et consumpsimus III francos VII solidos et IIII denarios, quos III francos solverunt pro eorum jocundo introitu magister Johannes de Angusia, magister Robertus de Den et magister Nicolaus Grinlauu Scoti, reliquos VII solidos et VIII denarios solvit receptor nacionis.

Item incepit dominus Johannes Webel sub magistro Arnesto, cujus bursa X solidi; ultra quinque annos posuit literam officialis, quam invenitur in libro receptoris redemisse, tunc franco computato pro XVIII solidis; nunc autem solvit pro rectore octo solidos et satisfecit bedellis.

Item magister Wilhelmus Trebron redemit literam officialis pro determinancia Roberti de Camera; 5 francos XVIII denarios solvit.

Item pro distribucionibus magistrorum in festo beate Katerine dedit receptor nacionis XXXVIII sol.

Item in die sancti Nicolai pro distribucionibus tringinta unum solid.

Item XVII die mensis Decembris facta congregacione nacionis antedicte apud Sanctum Julianum pauperem ad audiendum compotum domini receptoris ad eligendum procuratorem et ad supplicandum, delatus fuit compotus ad primam congregacionem nacionis.

1369

(*Fol. 11*[b]) Acta procuratorie magistri Johannis Webel.

Anno Domini millesimo CCC^{mo} LXIX°, XVII die mensis Decembris hora prima, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum novum procuratorem, electus fuit de concordi consensu singulorum magister Johannes Webel. In cujus procuracione acta fuerunt hec inferius inserta.

Primo eadem die nacio dicta deliberavit intrare tabernam *in horrium*, gallice *en la grange*, et consumpsit ibidem XXXVIII solidos cum VIII denariis, de quibus predictus magister Johannes Webel solvit XXXII solidos, videlicet unum francum pro jocundo suo introitu, reliquum vero racione nove sue procuratorie, residuum quoque, scilicet VI solidos cum VIII denariis, solverat receptor.

Item ultimo die mensis Decembris facta congregacione facultatis et nacionis ad audiendum compotum receptoris et ad disponendum de pignoribus computavit receptor, et mansit sibi nacio obligata in 3 solidis et 1 denar. De pignoribus fuit deliberatum quod ultimi taxatores libros taxarent vadiatos et venditioni exponerentur.

Item XIIII die mensis Januarii facta congregacione apud Sanctum Julianum pauperem ad audien-

dum compotum receptoris et eligendum novum procuratorem, computavit receptor, et mansit sibi nacio obligata in VII solidis et 1 denario.

1370

Acta magistri Elye de Loepwiie.

Anno Domini 1000° 300° [69], 14 die mensis Januarii facta congregatione facultatis et nationis ad Sanctum Julianum pauperem ad audiendum compotum receptoris et eligendum novum procuratorem, electus fuit unanimiter Elyas de Loepwiie, in cujus procuratione acta fuerunt que notantur.

Primo eadem die deliberatum fuit nullo opponente concorditer in natione intrare tabernam, in qua exposuit 27 sollidos, de quibus magister Elyas prefatus solvit francum ratione sue nove procuratorie, et quilibet aliorum magistrorum antedicte nationis ibidem existentium exposuit 3 albos. In qua congregatione etiam ordinatum fuit per magistros ibidem existentes de articulis a domino rectore propositis nullo reclamante ipsos transire et magistros nostros illos am[m]isisse etiam. In qua ordinatum fuit de appertione bulle, ipsam debere aperiri, et rectorem intentionem nobis manifestare. In qua congregatione facultatis concessa fuit nobis supplicatio, scilicet de questionibus determinandis. In qua etiam fuit supplicatio am[m]issa per magistros nostros, scilicet de celebratione beati Antonii[1], videlicet ipsam facultatem a lectionibus velle cessare.

1370

Acta continuationis magistri Elye de Loepwiie.

Anno Domini M° 300° 69°, 17 die mensis Januarii facta congregatione nationis Anglicane ad eligendum examinatorem liscenciandorum et temptatores, electus fuit magister Gherardus Calker in examinatorem lisceneiandorum pro duobus mensibus, et isti tres scilicet magister Jordanus de Clivis et magister Wilhelmus Wadeno et magister Woulcerus in temptatores bacculariorum. Item illa eadem die beati Antonii et Sancti Sulpicii deliberatum fuit in natione de concordi consensu singulorum, intrare tabernam, in qua exposuit 57[2] sollidos, de quibus magister Gherardus prefatus solvit 32 sollidos, residuum solvit receptor, videlicet 25 sollidos.

1. 17 *Januarii.*
2. *Ms.* 55.
3. *In margine :* Alias Johannes Corsenbradi.

(*Fol. 12*) Acta procuratorie magistri Johannis de Venlo[3].

Anno Domini M° CCC° LXX, decima die mensis Februarii, hora prime, facta congregacione nacionis Anglicane ad eligendum procuratorem et audiendum computum domini receptoris, electus fuit unanimiter magister Johannes Venlo. In cujus procuracione acta fuerunt hec que sequuntur.

Primo in eadem die antedicta[4] deliberavit nacio concorditer ad intrandum tabernam *ad Castellum* in civitate, et consumpsit ibidem duos francos, quos predictus magister Johannes de Venlo persolvit, sic quod nacio pro illo tunc in nullo gravabatur.

Item die antedicto in congregacione computavit dominus receptor nostre nacionis, et mansit sibi nacio debens in XLI solidis et IX denariis.

Item incepit dominus Johannes de Duren sub magistro Johanne[5] cantore Aquensi, cujus bursa XII solidi et IIII denarii.

Item quarta die Marcii facta congregacione apud Sanctum Julianum pauperem ad supplicandum, ordinandum de pecunia nacionis, deliberatum fuit concorditer, quatenus si pignora caperentur ab aliquibus dilacionem petentibus, talia deberent capi ad taxacionem librarii, sic quod si infra terminum ipsis concessum pignora non redimerent, ex tunc librarii darent pecuniam ab ipsis pretaxatam pro pignoribus, vel alteri vendi potuerint, secundum quod melius videbitur expedire.

Supplicavit eciam Johannes bedellus noster major, qualiter de pecunia sibi debita a determinantibus nulli daretur dilacio, quod simpliciter et absque aliquali contradictione sibi fuerat concessum.

Item determinavit dominus Gerardus, pastor in Wasserbill[ich], sub magistro Henrico de Hassia, cujus bursa VIII solidi.

Item determinavit Theodericus de Eyke sub magistro Wilhelmo Wadenoy, cujus bursa nichil.

Item determinavit dominus Johannes de Mysna sub magistro Henrico de Hassia, cujus bursa nichil.

Item determinavit dominus Thomas de Leyden sub magistro Johanne Hammers, cujus bursa VIII sol.

Item dominus Wilhelmus Franconis determinavit sub magistro Johanne Hammers, cujus bursa VIII s.

Item determinavit dominus Johannes Hoen de Herlem sub magistro Waltero de Delfd, cujus bursa VII solidi.

4. *Ms.* antedicto.
5. *I. e.* Johanne Beissel.

Item determinavit dominus Albertus de Prusia sub magistro Wilhelmo Wadenoy, cujus bursa IIII s.

Item determinavit dominus Rodolfus de Lubeke sub magistro Henrico de Hassia, cujus bursa VII s.

Item determinavit dominus Thomas Scoti sub magistro Gerardo Ka[l]kar, cujus bursa VIII solidi.

Item determinavit dominus Henricus de Angheren sub magistro Herdwico de Sondis, cujus bursa VII s.

Item determinavit dominus Johannes de Hokelem sub magistro Wilhelmo Wadenoy, cujus bursa nichil.

Item determinavit dominus Johannes de Marchia sub magistro Nicolao de Crucenaco, cujus bursa nichil.

Item determinavit dominus Wilhelmus de Duysborch sub magistro Wilhelmo de Wadenoy, cujus bursa nichil.

1370

(*Fol. 12* [b]) Acta procuratorie magistri Walteri de Delf.

Anno Domini, quo supra, undecima die mensis Martii, hora summe [1] misse, facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem, examinatorem bachalariorum licenciandorum in Sancta Genovefa, ad audiendum computum et ad supplicandum, electus fuit magister Walterus de Delf in procuratorem, in cujus procuratoria acta fuerunt que sequuntur.

Primo in jam dicta congregacione electus fuit magister Gheraerdus Kalker in examinatorem bachellariorum licenciandorum in Sancta Genovefa pro tertio et quarto mensibus.

Item in eadem congregacione dominus receptor computavit, et singulis computatis et defalcatis in quatuor libris, XVI solidis et I denario mansit nacioni debens.

Item in eadem congregatione supplicavit [2]....

Item in predicta congregacione deliberavit nacio intrare tabernam *ad duos gladios*, ubi consumpserat VI libras, V solidos et IIII denarios, de quibus magister Arnestus ex eo quod pro illo die in medicina licenciam obtinuit, nacioni unum francum propinavit, magister Walterus de Delf pro prima procuratoria sua unum francum, magister Gheraerdus Kalker pro examinacione duorum mensium, scilicet tertii et quarti... [3], et magister Johannes de Duren I francum pro jocundo introitu suo.

Item incepit dominus Weenmarus de Ghoye sub magistro Nycolao de Crucenaco, cujus bursa VIII s.

Item licentiatus fuit dominus Johannes de Argentina sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VIII solidi.

Item sedecima die mensis antedicti facta congregacione nacionis ad Carmelitas hora completorii ad ordinandum de debitis nacionis, ad audiendum aliqua tangentia nationem super examen Sancte Genevefe, ad supplicandum et ordinandum de pecunia nacionis, deputati fuerant magister Heynricus Langhals, magister Jordanus de Clivis, et receptor nacionis super ordinacione debitorum nacionis. Item deputati fuerant magister Gheraerdus de Harderwiic, dominus cantor Aquensis [4], magister Johannes de Pavone ad adeundum dominum cancellarium Sancte Genovefe, requirendo ipsum per juramentum quatinus licentiandis secundum depositionem examinatorum, prout in bulla Urbani pape V continetur, licentiam largiatur.

Item in jam dicta congregacione supplicavit magister Hermannus Levenew, ut nacio redderet literas officialis magistri Johannis Haghen, cujus fidejussor erat, sub pe[na] exc[ommunicacionis] ipse daret nationi III francos, cujus supplicatio concessa fuerat, dummodo pro residuo poneret literas proprio sigillo sigillatas.

Item decima octava die mensis predicti facta congregacione nacionis hora completorii ad Carmelitas ad deputandum alios magistros, ex eo quod predicti in ultima congregatione deputati legitime fuerant impediti pro eundo ad dominum cancellarium super eadem causa, et ad supplicandum et ordinandum de pecunia nacionis, deputati fuerunt magister Heynricus de Kempis, magister Johannes de Ammers, pro tunc receptor predicte nacionis, et magister Wilhelmus de Wadenoy, qui una cum procuratore illa nocte ad dominum cancellarium iverunt, ipsum prout alias deliberatum fuerat requirendo.

Item in jam dicta congregacione deliberavit nacio intrare tabernam *ad duos gladios*, ubi consumpsit unum francum, quem magistro Weenmaro de Ghoye dominus receptor concessit usque ad adventum Allaerdi pro jocundo introitu suo.

Item in eadem congregacione supplicavit dominus Johannes de Missena pro remissione suarum bursarum de licencia, cum esset paratus jurare statutum, cujus supplicacio fuit concessa, dummodo juraret.

1. *I. e.* solemnis missae, *quae fuit cantata.*
2. *Postea vacat una et dimidia linea.*
3. *Postea spatium.*
4. *I. e.* Johannes Beissel.

(*Fol. 13*) Item licentiatus fuit dominus Rodulfus de Lubeke sub magistro Heynrico de Hassia, cujus bursa VII solid.

Item licentiatus fuit dominus Johannes de Missena sub magistro Heynrico de Hassia, qui juravit statutum, cujus bursa nichil.

Item decima nona die mensis sepe dicti facta congregacione nacionis ante primas Sancti Jacobi ad Carmelitas per juramentum, et hoc cum consensu deputatorum in nocte precedente super licentiandis in Sancta Genevefa, deliberatum fuit quod statim dominus vicecancellarius adiretur, et per suum juramentum requireretur ut bachalarios licenciandos in Sancta Genevefa secundum tenorem bulle et deposicionem examinatorum solummodo licenciaret.

Item vicesima die dicti mensis facta congregacione nacionis hora prime ad Sanctum Maturinum super prosecucione licenciandorum in Sancta Genevefa et ad supplicandum, primo delato usque ad aliam congregacionem secundum deliberacionem nacionis, supplicavit dominus Johannes bedellus nacionis predicte ex parte domini Olavi, pro dilacione bursarum domini Olavi predicti usque ad tres menses de sua subdeterminancia, cujus supplicacio concessa fuerat, dummodo poneret aliquod pignus, et Johannes bedellus promitteret pro eo satisfacere nacioni infra terminum antedictum.

Item subdeterminarunt dominus Olavus de Zwecia loco domini Johannis Hoon de Harlem sub magistro Mercilio de Inghen, cujus bursa IIII solidi.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Leyenberch sub magistro Wilhelmo Wadenoy, cujus bursa IX solidi, et posuit pignora.

Item vicesima quarta die ejusdem mensis hora vesperarum facta congregacione nacionis ad Sanctos Cosme et Damiani (*sic*) per juramentum super licenciandis, etc., et ad statuendum et ordinandum de pecunia nationis, deputati erant magister Arnestus de Hollandia, magister Heynricus Langhals, magister Heynricus de Kempis, et magister Jordanus de Clivis, qui habito prius consilio cum domino cancellario Parysiensi [1], injuriam quam patitur nostra nacio de licenciandis in Sancta Genevefa, proponerent facultati, et postea si opus fuerit Universitati.

Item in eadem congregacione statutum erat per consensum majoris partis nacionis pro tunc ibi existentis quod trium blancorum in missa distribui consuetorum unus daretur in vesperis, ut magistri eo melius vesperas visitarent hora qua cantatur *Magnificat*, et alii duo in missa hora hactenus observata.

Item vicesima quinta die post prandium dominus receptor et ego adivimus archam, ex qua recepimus literas magistri Johannis Haghen ad requestam magistri Hermanni Levenow, qui receptori III francos tribuit, et pro residuo, videlicet quatuor francos cum XIIII sol., literam proprio sigillo sigillatam in archa posuit [2].

Item prima die mensis Aprilis facta congregacione nacionis ad Sanctum Maturinum hora completorii ad ordinandum super examen Sancte Genevefe, ordinatum erat quod magister Johannes de Pavone adhuc proponeret nostram injuriam in facultate per modum querele, quia cum in alia congregatione facultatis proponebatur, deliberavit nacio Normannie quod fieret super hoc alia congregacio facultatis per juramentum.

Item septima die mensis predicti facta congregacione nacionis ad supplicandum et ordinandum de pecunia nacionis, supplicavit Guillelmus de Bavaria pro remissione bursarum suarum de licencia et magisterio, cujus supplicacio fuerat concessa, dummodo poneret literas officialis, quod solveret quando perveniret ad triginta francos ultra utensilia et libros, etc.

Item supplicavit Albertus de Prucia pro dilacione bursarum licencie et magisterii ad terminum quem habuit de bursis bachalariatus, cujus supplicacio fuit concessa, dummodo poneret pignora.

Item in eadem congregacione deliberavit nacio intrare *duos gladios*, ubi consumpsit unum francum cum VI denariis, quem magister Weenmarus Then Ghoy [3] dedit pro prima procuratoria sua et sex denarios dedit receptor.

Item licenciatus fuit dominus Guillelmus de Bavaria

1. Grimerio Bonifacii.

2. *Exstat documentum in* Arch. Univers. Paris., theca XIV, n° 10 : Ego Hermannus Levenew, magister in artibus, Caminensis diocesis, significo quibus antea et nunc et in futurum, me solvisse nationi mee Anglicane tres francos ex parte magistri Johannes Haghen, qui pro bursis suis predicte nationi in septem francis et XIIII solidis parisiens. tenebatur. Insuper promisi [per] juramentum sepius nationi factum, me laboraturum totis viribus meis penes predictum magistrum Johannem, ut residuam partem pecunie, videlicet IIII^or^ francos et XIIII solidos, citius quo poterit Parisius remittat et persolvat. Propter quod predicta natio, ad requestam meam super hoc consulta, deliberavit michi litteram obligacionis super ista totali summa tradi, et hanc cedulam cum appensione sigilli mei signatam ad archam reponi. Anno Domini M° CCC° LXIX [XVI die Martii sec. morem] gallicanum (*an.* 1370, 16 *Martii*) sub sigilli mei appensione. Et in casu quo predictus magister non posset solvere vel non solveret, ego pro posse promisi soluturum.

3. Then Ghoy *in margine*.

sub magistro Nicolao de Crucenaco, qui juravit statutum.

Item licenciatus fuit dominus Albertus de Prucia sub magistro Wilhelmo Wadenoy, cujus bursa IIII s.

Item licenciatus fuit dominus Heynricus Calker sub magistro Arnoldo Neve, cujus bursa VIII solidi.

1370

(*Fol. 13* [b]) Acta procuratorie magistri Wenmari Then Ghoye de Zutphania.

Anno Domini quo supra, octava die mensis Aprilis, hora prime, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem et audiendum computum receptoris, electus fuit in procuratorem magister Wenmarus Then Ghoye, in cujus procuratoria acta fuerunt que sequuntur.

Primo in dicta congregatione deliberatum erat quod illa die et hora, qua fieret congregacio facultatis, quod eciam eadem die et hora fieret congregacio nacionis per juramentum, et quod tunc magister Johannes de Pavone proponeret in facultate de examine Sancte Genofefe secundum quod deliberatum erat.

Item eadem die deliberatum erat quod quam cito fieret congregacio nacionis, quod tunc proponeretur de magistro Gerardo Calker, quando fuit electus in examinatorem pro 3° et 4° mensibus, quantum dabit de illo officio nacioni.

Item eadem die computavit dominus receptor, et singulis conputatis et defalcatis mansit obligatus nacioni in 13 solidis et 3 denariis.

Item decima septima die mensis Aprilis, facta congregacione apud Sanctum Maturinum ad ordinandum de examine Sancte Genofefe deliberatum fuit concorditer, quod procurator nomine nacionis predicte cum aliquibus magistris de eadem nacione requirerent rectorem quod faceret congregacionem facultatis regencium et non regencium per juramentum in die sabbati proximo sequenti [1], et quod magister Johannes de Pavone proponeret factum examinis predicti in eadem congregacione facultatis.

Item in eadem congregacione deliberatum fuit, quia examinator nacionis Piccardorum et nacionis Anglicane ex una parte, et alii duo examinatores ex alia parte discordes fuerunt in deposicionibus faciendis de licenciandis de 3 audicione examinis Sancte Genofefe, quod si predictus examinator nacionis Picardorum non maneret in concordia predicta cum examinatore nostre nacionis, scilicet Anglicane, quod examinator nostre nacionis ordinaret cum subcancellario ejusdem examinis si posset, quod in licenciando eos secundum merita recommendaret, protestando quod nullius nacionis juri intenderet derogare.

Item licenciatus fuit dominus Franco de Leyden sub magistro Waltero de Delf, cujus bursa VII sol.

Item incepit dominus Rodolphus de Lubeke sub magistro Henrico de Hassia, cujus bursa VIII sol.

Item vicesima sexta die mensis Aprilis facta congregacione nacionis ad Sanctum Julianum pauperem ad assistendum magistro Johanni de Pavone, qui proponere habebat factum nacionis tangens examen Sancte Genofefe in congregacione facultatis facte die predicta, in qua congregacione facultatis pro nacione non aliud fuit deliberatum nisi quod iterato super eodem facto rector facere deberet congregacionem facultatis magistrorum regencium et non regencium per juramentum.

Item vicesima nona die mensis Aprilis facta congregacione nacionis ad supplicandum et ad disponendum de pecunia nacionis apud Sanctum Maturinum, supplicavit dominus Henricus de Angheren pro dilacione bursarum sue licencie usque ad festum Pentecostes, cujus supplicacio concessa fuit, dummodo poneret pignora sufficiencia.

Item in eadem congregacione supplicavit dominus Thomas pro dilacione bursarum sue licencie per tres menses, cujus supplicacio fuit concessa, dummodo poneret pignora sufficiencia.

Item in eadem congregacione supplicavit dominus Gerardus de Leyden pro dilacione bursarum sue licencie per tres menses, cujus supplicacio fuit concessa, dummodo poneret pignora sufficiencia.

Item licenciatus fuit dominus Thomas sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VIII solidi.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Gruter sub magistro Francisco de Sancto Michaele [2], cujus bursa VIII solidi.

Item licenciatus fuit dominus Gerardus de Leyden sub magistro Francisco de Sancto Michaele, cujus bursa VII solidi.

Item eadem die predicta facta congregacione nacionis supplicavit magister Johannes de Ammers ex parte Franconis de Leyden, ut nacio daret sibi dilaciones bursarum sue licencie, non obstante quod prius erat licenciatus, quia propter brevitatem et

1. 20 *Aprilis.*

2. *Nat. Gallic.*

eciam improvisus erat, cujus supplicacio fuit concessa dummodo poneret pignora.

Item eadem die nacio deliberavit concorditer intrare tabernam, ubi consumpsit ij francos, ubi per deliberacionem (*Fol. 14*) magistrorum[1] magister Johannes Zinneghe, quia nundum procurator erat, solvit francum pro prima sua procuratoria, et alium francum solvit magister Johannes de Ammers, quia nundum procurator erat, tali modo quod non obstante quacunque consuetudine nacionis ad officium nacionis posset promoveri, et dummodo primo in procuratorem eligeretur, a franco consueto dari quitaretur.

Item incepit dominus Johannes Gruter sub magistro Francisco de Sancto Michaele, cujus bursa VIII s.

Item licenciatus fuit dominus Henricus de Angheren sub magistro Hardewico de Zundis, cujus bursa VII solidi.

Item die III mensis Maij ivimus ad archam nacionis, ubi dominus receptor posuit quasdam quitancias, et visitavimus quasdam literas debitorum nacionis.

Item sexta die mensis antedicti congregacione facta apud Sanctum Maturinum ad audiendum computum receptoris remansit debens nacioni VIII libras, IX solidos, V denarios.

1370

Acta procuratorie magistri Johannis Zynneghen

Anno Domini M° CCC° LXX, sexta die mensis Maii, facta congregacione nacionis Anglicane hora prime, ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, electus fuit magister Johannes Zynneghe in procuratorem nacionis supradicte. In cujus procuratoria acta fuerunt ea que sequuntur.

Primo die nona mensis Maii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum hora vesperarum super quandam congregacionem facultatis faciendam per dominum rectorem, secundum quod erat deliberatum per singulas naciones in congregacione facultatis precedenti, in qua propositum fuit per magistrum Johannem de Pavone de quadam injuria facta suppositis nacionis Anglicane in examine Sancte Genovefe, deliberatum fuit ibidem concorditer quod admoneretur dominus rector ad faciendam congregacionem facultatis per juramentum ad expediendum de facto et requesta nacionis Anglicane proposito vel proposita per dictum magistrum Johannem de Pavone.

Item deliberatum fuit ibidem de quadam supplicacione facta per magistrum Radolphum pro dilacione quarundam bursarum per ipsum debitarum nacioni supradicte, que concessa fuit tali condicione ut dilacionem haberet prout petivit usque ad festum sancti Bartholomei, dummodo poneret fidejussores nacioni sue, ut in casu quo ipse non solveret predictam pecuniam, fidejussores sui per juramenta sua nacioni satisfacerent pro dicto magistro in festo Bartholomei termini sui proxime adventuri.

Item deliberatum fuit ibidem concorditer ut nacio intraret tabernam supra uno franco, quem persolvit magister Radolphus de Lubech pro introitu suo in primam congregationem.

Item incepit dominus Franco de Leydis, cujus bursa VII solidi. Solvit. Et incepit sub magistro
Item incepit dominus Gherardus Kerstancij de Leydis, cujus burse VII solidi; posuit pignora, et incepit sub magistro
} Waltero de Deelf.

Item 13ª die mensis Maii facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad supplicandum, supplicavit ibidem dominus Eremarus Vicke pro dilacione bursarum ad sex septimanas, cujus burse VIII solidi. Posuit pignora.

Item in eadem congregacione snpplicavit Wilhelmus Franconis de Leydis pro dilacione bursarum suarum ad 3 menses, cujus burse 8 sol.

Item XVIII die mensis Magii facta congregacione nacionis generali apud Sanctum Maturinum hora vesperarum super tribus articulis, quorum primus fuit super facto nacionis de injuria eidem illata per nacionem Francie; secundus articulus fuit de magistro Radolpho, qui postquam sibi injunctum fuerat per nacionem in congregacione generali nacionis precedenti, ut secundum quod petivit, quod terminus sibi daretur usque festum Bartholomei de quibusdam bursis per ipsum ex parte sui ipsius eidem nacioni debendis, quod sibi concessum fuit, dummodo poneret fidejussores fidedignos pro eo, qui se per sua juramenta restringerent, ut in casu quo dictus magister Radolphus jam dictam pecuniam non solveret, sui fidejussores pro eo in eodem termino sibi dato, videlicet festo sancti Bartholomei, per sua juramenta

1. *In margine superiori :* Acta procuratorie magistri Weumari then Ghoye de Zutphania.

essent soluturi, quod dictus magister Radolphus minime fecit.

(*Fol. 14* b) De primo jam dictorum deliberatum fuit, ut dominus rector admoneretur ad quandam congregacionem facultatis faciendam, in qua istud factum plenius expediri possit, prout eidem domino rectori in congregacione precedenti facultatis per concordiam trium nacionum erat pro deliberato injunctum. De 2° articulo dictum fuit, ut magister Radolphus citaretur ad presenciam nacionis in congregacione proxime facienda ibidem de sibi proponendis responsurus. De 3° articulo videlicet de supplicationibus quorundam bacculariorum in artibus incepturorum videlicet[1], dictum fuit quod secundum formam statuti nacionis dilacionem haberent trium mensium, et ponerent pignora domino receptori ad valorem quantitatis bursarum suarum.

Item ibidem supplicavit dominus Albertus de Prusia pro ampliori dilacione bursarum suarum ex parte sue licencie solvendarum, videlicet ad tres menses, quod sibi concessum fuit.

Item 18a die mensis Maii facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum hora primarum ad habendum consilium an expediret visitare dominum episcopum de provincia Scotie[2], proponente ire versus curiam Romanam et sibi proponere et committere factum nacionis expediendum et domino pape proponendum, deliberatum fuit quod esset visitandus per deputatos honestos et bonos, valentes sibi factum et ejus originem pro eorum posse sufficienter intimare[3].

Item in jam dicta congregacione supplicavit magister Radolphus ut haberetur subportatus usque ad proximam congregacionem nacionis faciendam, in qua se obligavit nacioni de suis debitis solvendo vel bonam caucionem faciendo satisfacturum.

Item incepit dominus Johannes de Leyenbergh, cujus burse VIII solidi. Solvit.

1370

Acta in procuracione magistri Guilhelmi de Trebrun Scoti.

Anno Domini Mmo CCC° LXX, die[4] Junii facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine ad audiendum compotum receptoris et ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem magister Guillelmus de Trebrun, Scotus, in cujus procuracione acta fuerunt que sequuntur.

Primo in eadem congregacione deliberatum fuit adire dominum cancellarium Parisiens.[5] pro literis habendis ad papam et cardinales pro facto nacionis moto inter nacionem Francie et predictam nacionem.

Item in eadem congregatione nacionis predicte dati erant deputati ad ordinandum et disponendum de injuria facta dicte nacioni per nacionem Francie qui haberent loqui cum capellano domini episcopi Glascuensis sibi propinando seu aliqua clinodia dando, ut recomendaret dictum factum memorie domini sui.

Item computavit dominus receptor, qui defalcatis omnibus remansit obligatus dicte nacioni in VI libris parisiens.

Item eadem die nacio deliberavit intrare tabernam *ad Malletos* ubi consumpsit tres francos, de [quibus] solvit procurator II francos, quia nondum procurator erat, et notandum opus super[e]rogationis, et receptor 1 francum, quod deliberavit tota nacio ibi existens nullo reclamante.

Item facta fuit congregacio nacionis VII die mensis Junii ad supplicandum, ubi supplicaverunt Johannes Vlon, qui satisfecit per pignora, et Gerardus de Enteron, qui est juratus statutum, quod non haberet unde solveret, et dominus Johannes de Inghene, qui satisfecit per pignora.

Item concorditer deliberavit nacio intrare tabernam, expendimus [1 francum[6]] quem solvit magister Galfridus pro novo introitu suo.

(*Fol. 15*) Item delatum fuit juramentum magistri Radulfi ad proximam congregacionem ad jurandum paupertatem.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Volon[7] qui satisfecit per pignora in nacione.

Item licenciatus dominus Johannes de Inghene, qui satisfecit, cujus burse VIII solidi.

Item licenciatus dominus Gerardus de Enterene, qui juravit statutum [paupertatis].

Item licenciatus fuit dominus Heinricus de Tremonia, qui satisfecit, cujus burse IIII solidi.

1. *In ms. spatium.*
2. Galterum de Wardelaw, *qui fuit suppositum nat. Anglic., et episcopus Glasguensis ab an.* 1367, *April.* 14 (*vid.* Chartul. II, n° 1061, *not.* 3).
3. *De isto facto litigatum fuit usque ad an.* 1382, *Julii* 12, *nationique Anglic. se adjunxerunt etiam nat. Picard. et Normann. contra nat. Gallic. Vid.* Chartul. III, n° 1468.
4. *Ante* die *spatium.*
5. Grimerium Bonifacii.
6. *Non exprimitur, quid expenderint.*
7. *Sed lin.* 28 Vlon, *et infra scribitur* Vloeme.

Item incepit dominus Johannes de Inghene, et satisfecit de bursis, cujus burse VIII solidi.

Item facta congregacione nacionis apud Jacobitas domus fratrum Predicatorum, die [1] mensis Junii ad habendum consilium, quid esset dandum secretario domini episcopi Glascuensis, et ad ordinandum de pecunia nacionis, ubi fuit deliberatum concorditer, quod daretur unum jocale de IIII francis.

Item deliberatum fuit ibidem quod omnia pignora, quorum termini essent transacti, venderentur, et quod litere obligatorie proclamarentur in curia officialis.

Item incepit dominus Henricus de Tremonia, cujus burse III solidi, et solvit receptori.

Item incepit dominus Johannes de Canel de Argentina, cujus burse VIII solidi, et solvit.

Item Johannes de Mysna, cujus burse nichil. Item incepit Guillelmus de Bavaria, cujus burse nichil.	notandum quod isti duo inceperunt ante duos immediate precedentes.

Item incepit dominus Henricus Kalker, cujus burse VIII solidi.

Item incepit dominus Johannes Vloeme, cujus burse VIII solidi.

Item die veneris [2] ante festum sancti Johannis fuit facta congregacio [3] nacionis ad supplicandum, ubi supplicavit magister Guilbertus quod imponeretur in rotulo Universitatis dirigendo versus papam tanquam absens, non prejudicando in aliquo magistris presentibus, cujus supplicacio fuit concessa.

Item fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum ad supplicandum XX^ma^ secunda die mensis Junii, ubi supplicaverunt dominus Henricus de Angerem et dominus Erdinarus pro bursis sue inceptionis ponendo pignora sub forma statuti, etc. quorum supplicacio fuit concessa.

Item incepit dominus Henricus de Angeren, cujus burse VII solidi.

Item dominus Erdinarus incepit, cujus burse VII solidi.

Item facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad supplicandum et pro facto nationis, ubi fuit deliberatum quod factum nacionis maneret in suspenso usque ad recessum domini episcopi Glascuensis. In qua supplicavit magister Henricus Kemp, quod imponeretur in rotulo tanquam presens, et concessa fuit supplicacio per modum supradictum.

Fol. 15 b) Item facta fuit congregacio nacionis 3a dominica [4] mensis Augusti apud Sanctum Maturinum super facto nacionis, et deliberatum fuit quod scriberetur magistro Marcilio ad hoc ut expediret factum.

Item deliberatum fuit ibidem intrare tabernam, ubi consumpti erant II franci, IIII solidi, VI denarii et [5] magister Helias de Orne et magister Johannes de Miscena solverunt duos pro novo introitu, et receptor IIII solidos, 2 denarios.

Omnibus defalcatis remansit receptor obligatus nacioni in V libris, VII solidis, VII denariis [6].

1370

(*Fol. 16*) Acta in procuracione magistri Jacobi Nicholai de Dacia Roskildensis dyocesis, et socii de Sorbona Parisiens. Congregacio procuracionis sue prima.

Anno Domini 1370, facta congregacione nacionis Anglicane 26 die mensis Augusti apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem et audiendum compotum receptoris, electus fuit in procuratorem predicte nacionis magister Jacobus Nicholai de Dacia, Roskildens. dyoces., ex unanimi consensu omnium nullo penitus reclamante, in cujus procuracione acta fuerant que sequuntur.

Primo in eadem congregacione computacione facta ibidem per receptorem nacionis, remansit idem receptor pro tunc existens obligatus nacioni in 5 libris, 7 solidis et 7 denariis monete parisiens.

Item in eadem congregacione deliberatum erat intrare tabernam, novum procuratorem, qui prius in officio procuracionis non fuerat, perpotando, et intravit nacio tabernam *de grangia*, ubi expendebantur in gentaculo et vino 35 solidi monete parys., de quibus predictus novus procurator secundum consuetudinem 1 francum de proprio persolvebat, residuum vero, videlicet 19 solidos, ex consensu omnium ibidem pro tunc existentium receptor nacionis exponebat.

1. *Deest nota temporis.*
2. 21 *Junii.*
3. *Ms.* congregatione.
4. 18 *Augusti.*
5. *Ms.* de.
6. *In margine superiori* : Nota bri. de Dronken si, datsagh ich di *In marg. inferiori* : Temporis in giro vinum potare requiro, et manet absque viro.

Nota inceptores ejusdem procuracionis.

In primo die mensis Septembris juravit dominus Johannes de Buren procuratori juranda, et incepit sub magistro Rodulpho de Don, et solvit solvenda. Cujus bursa VIII solidi.

Item incepit dominus Albertus de Prucia, et solvit, cujus bursa IIII solidi; incepit autem sub magistro Nicholao de Crucinako, IX die mensis Septembris.

Congregacio procuracionis ejusdem secunda. Proposita in eadem congregacione.

Item facta congregacione nacionis Anglicane predicte per juramentum, anno quo supra, 14 die mensis Septembris, apud Sanctum Maturinum, ubi plures articuli propositi fuerant per modum expedientis, aliqua etiam proposita erant per modum consilii.

Primo, *per modum expedientis*, quod pecunia nacionis cum diligencia ad utilitatem nacionis et ejus expedicionem et profectum fideliter conservaretur, et nullo modo in tabernis vel alibi inutiliter expenderetur.

Secundo videlicet quod in quolibet anno deinceps una missa sollempniter cum nota, vigiliis, etiam cum nota, de vespere precedentibus, pro omnibus fidelibus defunctis et specialiter pro omnibus magistris, bachelariis et scolaribus ac benefactoribus defunctis de eadem nacione Anglicana Parisius post primam ordinacionem et incepcionem ejusdem nacionis pie devocionis affectu celebraretur.

Tercio ad effugandum et evitandum lites et jurgia, brigas, disenciones, rixas et clamores inordinatos in pluribus sive pluries in congregacionibus dicte nacionis visos factos et auditos, propter quos clamores et rixas sepius valenciores ejusdem nacionis a congregacionibus ejusdem se penitus absentarunt et recesserunt, remedium adhiberetur oportunum.

(*Fol. 16* [b]) Procuracio predicti magistri Jacobi Nicholai de Dacia.

Item quarto, in die et congregacione quibus supra per modum expedientis proponebatur, ut ordinaretur de scolis pro regentibus in magno ordinario.

Item quinto, ut succureretur subbedello et ut nacio ipsum juvaret erga rectorem, facultatem et etiam Universitatem ad rehabendum vadia sua capta a clientibus regis pro excubiis faciendis super muros Parysiens. et portas propter guerras Anglicorum instantes.

Item sexto, si videretur expediens quod magistri de novo incipientes sive noviter ad congregacionem venientes participes debent fieri distribucionis fieri consuete, scilicet de pecunia que solet distribui in missis et vesperis nacionis predicte, antequam jocundum adventum ipsorum persolvissent.

Item septimo, utrum expediens videretur ut in quadam societate speciali sive fraternitate adherere et conjungi deberemus et vellemus nacioni Gallicane super quibusdam exsequiis defunctorum, videlicet si aliquem nacionis ipsorum, scilicet magistrum vel scolarem, decedere aut mori contigerit, nos scilicet de nacione Anglicane interessemus sive interesse vellemus ipsius exsequiis, vigiliis et missis, et quod ipsi de nacione Gallicana nobis hoc idem et consimile facerent e converso.

Item octavo, super quocumque officio nacionis habendo dum vacaret aut vacacioni appropinquaret, nullus extra congregacionem nacionis conspirando practicaret singulariter, seorsum et private, sed ad congregacionem nacionis tempore debutato veniret, rite et racionabiliter supplicando, graciam expectans magistrorum.

Item nono, super supplicacionibus et injuriis.

In eadem congregacione *per modum consilii* proposita fuerunt ista que sequuntur.

Primo de *scolis septem arcium*, tunc ut dicebatur expositis vendicioni, quomodo ad ipsarum empcionem devenire possemus per precium conveniens, ne per alios emptores devolverentur a nobis et devenirent ad manus aliorum, maxime cum a longis et magnis retroactis temporibus ipsas locando competentem pensionem et sallarium solvimus pro eisdem.

Item quomodo juste et honeste, ut scilicet per viam saniorem, rehabere possemus de nacione nostra rectorem, quia per duos annos jam elapsos vel saltem per septem rectorias semper rector electus fuerat de alia nacione.

Deliberata ejusdem congregacionis.

Primo, quia plures articuli propositi fuerant, et non esset facile de omnibus simul discutere, deliberatum erat quod in proxima septimana post diem mensis supradictum fieret congregacio nacionis predicte ad maturius deliberandum super quibusdam articulis jam predictis, et ad statuendum aliqua, scilicet de scolis, ad evitandum in posterum brigas

et pericula, que exhinc evenire poterint et antea sepius evenerunt.

Item in eadem congregacione deliberavit nacio quod ad habendum scolas pro anno immediate sequenti senior volens regere prefereretur.

(*Fol. 17*) Procuracio ejusdem magistri Jacobi.

Item in eadem congregacione deliberatum erat quod de articulis superius tactis et propositis statueretur que viderentur statui racionabiliter cum mediis oportunis.

Item in eadem congregacione deliberavit nacio bedellum adjuvare erga clientes ad rehabendum sua vadia capta pro excubiis ville faciendis.

Item pro tunc deliberavit nacio quod procurator nacionis predicte cum tribus vel quatuor secum sumptis accederet ad rectorem Universitatis, et secum tractarent de septimo articulo superius tacto, videlicet super exequiis faciendis insimul de utraque scilicet nacione Gallicana et Anglicana, si videlicet aliquem magistrum de aliqua ipsarum duarum nacionum decedere, mori sive migrare contingeret.

Item deliberavit eciam protunc nacio quod procurator cum aliquibus accederet ad illum sive illos, qui a[u]ctoritatem sive potestatem haberent vendendi sive alienandi scolas septem artium, que protunc dicebantur exponi vendicioni, et cum illo vel illis tractarent, querendo et interrogando si predicte scole utique venderentur et pro quanto precio, et si ante alias naciones in emendo pro justo precio possemus prevenire.

Item in eadem congregacione contra deliberacionem ibidem factam de scolis, magister Wilhelmus Wadeney protestabatur de appellando ad conservatorem.

Congregacio procuracionis ejusdem magistri Jacobi tercia.

Item facta congregacione nacionis Anglicane per juramentum XIX° die mensis Septembris apud Sanctum Maturinum hora in primis Nostre Domine ad statuendum articulos tactos et propositos in congregacione immediate precedenti.

Primo statuit nacio, in qua XXII magistri presentes protunc erant, quod pecunia nacionis de cetero nullatenus in tabernis nec alibi in potacionibus vel comestionibus expendetur nec consumetur, excepto duntaxat die beati Eadmundi regis et martiris, in quo tota nacio simul ad convivandum et festivandum convenire consuevit, sed pocius ipsa pecunia ad utilitatem et profectum nacionis cum diligencia conservetur.

Item secundo in eadem congregacione statuit predicta nacio quod in quolibet anno deinceps una missa cum notis, vigiliis, etiam cum notis, de vespere precedentibus pro omnibus fidelibus defunctis et specialiter pro omnibus magistris defunctis et mortuis de eadem nacione post primam ordinacionem et incepcionem ejus, pie devocionis affectu celebretur, ad quas missam scilicet et vigilias magistri predicte nacionis per bedellum vocentur per eorum juramentum, et quod fiat distribucio pecunie in eisdem missa et vigiliis prout in aliis missis et vesperis nacionis fieri solet et consuevit; dicantur autem predicte vigilie in die sancti Andree apostoli, et missa ipsa in crastino ejus celebretur.

(*Fol. 17ᵇ*) Procuracio predicti magistri Jacobi de Dacia.

Item in eadem predicta congregacione statuit ipsa nacio Anglicana predicta, quod ad evitandum rixas, disenciones, brigas et inordinatos clamores sepius in congregacionibus nacionis factos et auditos, propter quos magistri quamplures a congregacionibus recesserunt et se pluries absentabant, quod qui hujusmodi clamores vel rixas in congregacione faceret, si ter sive tribus vicibus per procuratorem nacionis predicte ammonitus esset tacere, et non protunc taceret, quod extunc vocem suam pro illa congregacione perderet, et eciam privaretur de voce sua in tribus congregacionibus nacionis consequenter.

Item in eadem congregacione statuit predicta nacio ad evitandum conspiraciones et practicas, que possent circa officia et scolas ejusdem nacionis habendas fieri, quod qui ad aliquod officium vel scolas predicte nacionis electus fieret post acceptum juramentum per procuratorem nacionis ab eodem, ut non procurasset sibi idem officium vel scolas per multitudinem vocum, quod si imposterum racionabiliter et veraciter probari vel reperiri possit oppositum, quod extunc multitudo sive pluralitas ipsarum vocum minime sibi valeant ad idem officium vel scolas retinendas, ymmo extunc eodem officio vel scolis sit privatus.

Item in eadem congregacione statuit predicta nacio quod nulli de novis magistris ad missam nacionis sive vesperas venienti detur distribucio de pecu-

nia nacionis, antequam jocundum adventum suum secundum modum consuetum solverit, dum tamen per bedellum nacionis legitime premonitus fuerit et vocatus.

Item in eadem congregacione major pars deliberavit quod scole nacionis ad liberam ordinacionem nacionis protunc essent, sicut per prius esse solebant.

Congregacio procuracionis ejusdem quarta.

Item facta congregatione nacionis predicte apud Sanctum Maturinum per juramentum ad eligendum receptorem et ad audiendum ejus compotum XXI die mensis Septembris predicti, in primis Sancti Jacobi, ubi primo statuta facta in congregacione immediate precedenti puplice perlecta erant et recitata ac denunciata.

Item major pars nacionis assignavit proximam diem lune ad ordinandum et statuendum de scolis pro aliis annis sequentibus istum annum immediate futurum, si convenienter cum bonis modis et mediis fieri posset quovis modo.

Item in eadem congregacione contra deliberacionem prius de scolis factam magister Gerardus Calcar appellavit extra nacionem ad judicem sibi competentem.

Item in eadem congregacione deliberavit nacio simul convenire in prandio et quid ultra pecuniam de novis [intrantibus] [1] expenderetur in ipso prandio, nacio solveret.

(*Fol. 18*) Item in eadem congregacione deliberatum erat differre compotum receptoris usque ad proximum diem lune.

Item in eadem congregacione per deliberacionem ibidem factam continuatus fuit idem receptor, qui immediate ante fuerat, nullo reclamante.

Item in eadem congregacione supplicavit magister Edmarus de Gripswald ut poneretur in rotulo Universitatis ad papam mittendo tanquam absens, et concessa fuit ejus supplicacio solutis solvendis et nulli prejudicando.

Item in prandio facto eodem die in taberna *ad Castrum* in civitate post congregacionem predictam expendebat receptor ex parte nacionis computacione ibidem facta, videlicet quatuor libras parys. et quinque solidos, ultra quatuor francos, quorum unum solvit idem receptor protunc continuatus. Item magister Edmarus de Gripswald predictus in eodem prandio solvit 1 francum pro jocundo adventu suo. Item magister Albertus de Prucia in eodem prandio solvebat unum francum pro jocundo adventu suo. Item magister Henricus de Marchia in eodem prandio solvebat 1 francum pro jocundo adventu suo.

Congregacio ejusdem procuracionis quinta.

Item congregacione nacionis facta XXIII die mensis Septembris predicti, apud Sanctum Julianum pauperem ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, remansit nacio debens receptori omnibus computatis II libras, 4 solidos, 3 denarios, et [2] solvit eciam nacio protunc receptori II libras pro receptoria anni precedentis.

1370

(*Fol. 18 b*) Procuracio magistri Jordani de Clivis.

Anno Domini quo supra, mense Septembris die XXIII, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem, ad audiendum computum receptoris et ad ordinandum de scolis, computavit receptor ut supra, etc. De scolis deliberabatur ut visitarentur registra procuratorum antiqua in archa nacionis existentia, et videretur si aliquod statutum nacionis super scolis possit in ipsis reperiri; quod si inveniretur, in suo vigore conservaretur; sin autem, nacio ex tunc ordinaret, quod visum fuerit sibi expedire. In procuratorem vero electus fuit magister Jordanus de Clivis. In cujus procuratoria acta sunt infrascripta.

Primo, post congregacionem tunc habitam intravit nacio tabernam, scilicet *domum abbatis Cluniacensis*, et expendebat 1 francum, quem solvit magister Johannes de Buren pro jocundo introitu suo in primam congregacionem.

Item XXVII die mensis predicti facta congregacione nacionis in Sancto Maturino, hora prime, ad ordinandum et supplicandum, supplicavit magister Johannes Gruter, quod si ipso absente contingeret fieri rotulum ad papam, non obstante absencia, posset imponi solutis solvendis. Cujus supplicacio erat concessa in forma, qua aliquibus qui ante ipsum super eodem supplicarunt idem concedebatur. Et dedit idem magister 1 francum pro jocundo introitu, etc., qui pro tunc per nacionem, sicut moris est, in

1. *Folium laceratum.*

2. Et... precedentis *alia manu.*

taberna, scilicet *domo Cluniacensi* perpotabatur, et licet nacio protunc ultra 1 francum expendebat, hoc tamen non de pecunia nacionis, sed de bursis magistrorum solvebatur.

Demum in eadem congregacione dominus Hermannus Welle comparuit, petens et supplicans quatenus nacio sibi restitueret literam officialis, quam alias apud eam posuerat pro bursis sue determinancie, quia paratus esset, si adhuc non esset satisfactum nacioni, ex toto satisfacere de restanti, tam de dampno quam de principali, quod per nacionem reputatum fuit rigorosum. Similiter supplicavit idem quod, cum ex relatis timeret se nacionem offendisse et commovisse ex mora et dilacione solucionis dictarum bursarum ultra terminum in litera expressum, et per hoc ingratitudinem et indignacionem nacionis incurrisse, quatenus nacio illam indignacionem, si que fuit, ab ipso averteret et veniam daret de omissis. Cujus eciam supplicacio in hac parte concedebatur. Ulterius tamen idem in excusacionem sui pretendebat quod, cum alias monitus fuisset per nuncium ex parte nacionis ad eum missum in partibus suis, ipse dictam pecuniam totam saltem quo ad debitum principale nacioni miserat per magistrum Elyam de Loepwiic tunc Parysius ire proponentem, qui magister, ut idem Hermannus dicebat, se percepisse pecunias istas aliquandiu invita nacione detinuit, permittens nacionem judicialiter contra eum agere, et quod eciam finaliter non totam pecuniam sibi traditam nacioni dederat, sed partem sibi exinde retinuit, quod idem Hermannus dicebat sibi multum displicere, nam in hoc magister ille, ut asseruit, contra sibi commissa et credita faciebat. Super quo respondebatur sibi per nacionem quod alias magister Elyas vocaretur et audiretur super isto.

Preterea in eadem congregacione ego procurator proposui quod cum area scolarum novarum nacionis nostre, sicud constaret pluribus magistris et bedello, esset multum pulverizata et arenosa, in tantum quod quasi abhominabile esset scolaribus se ponere in tanta multitudine pulveris [1], nec posset mundari scobando, quia non esset consolidacio pavimenti, quatenus nacio faceret fieri hujusmodi pavimentum, vel per plastrum [2] vel argillam. Et quia nacio non habebat pecunias, obtuli me concessurum tantum nacioni, donec michi restituere posset. Quod concorditer omnibus placuit, non solum de fiendo, ymo quod bene et durabiliter fieret, ne statim indigeret reparacione, et quod ista facerem fieri quamprimum michi videbitur expedire.

Item quadam die, scilicet Remigii [3], dominus receptor, bedellus principalis et ego ivimus ad arcam nacionis secundum alias deliberata, et restituebamus domino Hermanno Welle literam officialis positam pro bursis determinancie factam, prius plena solucione per eum de residuo, quod debebat, cujus summa erat XXVII solid.

Item altera die adivimus archam, et sigillavimus unam literam recommendatoriam ex parte domini Arnoldi de Nussia sibi alias a nacione concessam.

Item VIII die mensis Octobris facta congregacione generali regencium et non regencium super rotulo ex parte Universitatis ad curiam Romanam mittendo, deliberatum fuit per 3 facultates concorditer quod expediret fieri et mittere rotulum, et quod officiarii tunc existentes remanerent in officiis suis.

Item eodem die post lectiones in nonis Nostre Domine facta congregacione nacionis ad ordinandum de scolis pro volentibus regere isto anno, [cum] ordinatum esset quod, cum numerus volencium regere esset bene duplus ad numerum scolarum, quas habebat nacio, ut quilibet non habens scolas procuraret sibi ipsi scolas a quocunque melius possit, non promittendo tamen pro scolis quidquam ultra communem taxum earum, et nacio solveret eas. Adjectum etiam erat quod nullus presumeret recuperare scolas ex parte nacionis, nisi prius juraverit in presencia nacionis quod firmiter proponeret per totum annum sequentem regere in eisdem, fraude et dolo exclusis.

Item die lune sequenti [4] facta congregacione nacionis ad supplicandum in Sancto Juliano, supplicabant magister Johannes de Argentina dictus Canel, et Erhardus de Gamundia quatenus, cum tempore conclusionis rotuli fuisset presentialiter Parysius, quod si contingeret eos recedere a Parysius antequam rotulus scriptus esset vel sigillatus, quod non obstaret eis recessus eorum vel absencia imposterum, sed quod scriberentur in rotulo ut continue presentes, quorum supplicacio erat concessa, dummodo solverent solvenda.

Item die veneris [5] facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum post sermonem ad eligen-

1. *Quia scholares in scholis artistarum lectiones audientes « in terra coram magistris sedebant ». Vid.* Chartul. III, p. 145.
2. *Ms.* plaustre.
3. 1 *Octobris.*
4. 14 *Octobris.*
5. 18 *Octobris.*

dum officiarios super rotulo, scilicet nuncium ex parte nacionis nostre cum rotulo ad papam mittendum et ad eligendum inrotulatores sive rotuli ordinatores et ad supplicandum, electus fuit in nuncium magister Henricus de Hassia, et electi erant inrotulatores magistri Henricus Langhals, Wilhelmus Trebron Scotus et magister Walterus de Delf.

Item supplicabant magistri Wilhelmus Zuermont et Petrus de Leydis, quatenus licet ipso die conclusionis rotuli non erant presentes neque Parisius, nacio reputaret eos presentes et gaudere faceret eisdem prerogativis, quibus presentes. Similiter supplicabat idem magister Wilhelmus pro duobus vel tribus magistris nacionis nostre Aurelianis studentibus, quatenus non obstante absencia eorum possent imponi in rotulo; quod totum concedebatur.

(*Fol. 19*) Item eodem die facta congregacione apud Sanctum Maturinum in nonis Nostre Domine ad taxandum et ordinandum de quantitate pecunie tradende nuncio pro expensis et laboribus circa rotulum faciendum, et ad limitandum tempus, infra quod magistri de aliis partibus supervenientes deberent reputari presentes, et ad supplicandum, et antequam deliberacio dabatur super propositis, peciit magister Henricus de Hassia quatenus nacio haberet eum supportatum et excusatum de officio nunciacionis, ad quod de mane fuerat electus, resignando nacioni dictum officium certis causis eum moventibus, ut dicebat, regraciando nacioni de honore sibi impenso. Quo audito videbatur nacioni ante omnia esse procedendum ad novam electionem nuncii. Et erant pro tunc in nacione bene tres vel quatuor magistri, quorum quilibet obtulit se ad assumendum officium nunciacionis, si nacioni placeret. Et quia nacio inter dictos magistros non videbat magnam differenciam personarum secundum ydoneitatem, elegit illum qui pro minori pecunie summa dictum officium facere vellet. Et quia aliquibus ipsorum petentibus 80 francis, aliquibus 60, et aliis 50, magister Nicolaus Grenlau Scotus vellet contentari in 40 francis, nacio concorditer elegit eum in nuncium, injungens et committens sibi ut diligenter et fideliter non solum circa provisiones magistrorum, sed eciam circa factum nacionis de examine apud Sanctam Genovefam toto posse laboraret, quod idem magister bona fide facere promisit.

De 2° articulo deliberabatur quod post illam congregacionem nulli supervenientes reputarentur presentes, sed absentes solum, sic quod licet imponerentur in rotulo, hoc tamen esset post omnes presentes, nemini presencium prejudicando in collacione vel supplicacione. Item deliberatum erat eciam quod quilibet magistrorum presencium daret unum francum pro impositione sui in rotulo ad usus nuncii, et pro inrotulatoribus duos solidos; absentes vero ij francos pro nuncio, et pro inrotulatoribus iij solidos. Et quia nacio non poterat prescire numerum precisum volencium poni in rotulo, nec per consequens certificari an, cum tantum collectum esset de magistris imponendis, ipsa posset satisfacere nuncio et bedello communi, nolens eciam quod quidquam nuncio vel bedello daretur de pecunia nacionis, nec ut ipsa quoquomodo per rotulum gravaretur : commisit inrotulatoribus ut a nullo magistro recessuro reciperent supplicaciones, nisi data caucione sufficienti. Quod si propter paucitatem magistrorum non posset satisfieri nuncio de summa supra taxata, ipse vel alius nomine sui satisfaceret de residuo quantum sibi competeret pro persona sua, ne presentes et permansuri ultra eos gravarentur. Si vero quidquam residuaret vel superexcresceret, nacioni relinqueretur.

Quantum ad 3um articulum supplicaverunt magistri Everardus de Maguncia, Thomas Scotus, Tilmannus de Sancto Vito, et Galterus dictus de Renen, qui protunc venerant de Aurelianis, quatenus nacio haberet eos pro presentibus in imposicione rotuli. Quorum supplicacio fuit concessa, dummodo illi qui non satisfecerunt de jocundo introitu eorum in primam congregacionem, de facto satisfacerent. Quod facere negabant magistri Thomas Marcer Scotus et Galterus antedicti, et alii non debebant, et per consequens eorum supplicacio nulla, quia nitebantur venire contra laudabilem consuetudinem nacionis nostre.

Item die dominico [1] sequenti facta congregacione generali apud Sanctum Maturinum ad prefigendum et restringendum tempus, infra quod solum recipiende essent supplicaciones magistrorum et in rotulo admittende, deliberatum erat ut infra festum Martini, et non ultra, quisquam admitteretur.

1370

Continuacio magistri Jordani de Clivis in procuratorem.

Item die lune sequenti, que fuit XXIa die mensis Octobris, facta congregacione nacionis Anglicane

1. 20 *Octobris.*

ad eligendum procuratorem, ad audiendum computum receptoris, continuatus eram ego Jordanus de Clivis in procuratorem, communi consensu omnium magistrorum interveniente. Dilatus erat computus receptoris usque ad proximam congregacionem nacionis, quia tarde venerat diu expectatus. Et in eadem congregacione supplicavit magister Everardus de Saxonia pro remissione pecunie vel aliquali diminucione summe tradende pro nuncio, allegans insufficienciam solvendi. Cujus supplicacio non concedebatur, quia timebant magistri quod forte ad consequenciam traheretur, et quod nacio similibus supplicacionibus pluribus posset gravari.

Item die dominico sequenti[1] post sermonem facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, primo ad sciendum numerum magistrorum volencium poni in rotulo, scilicet an tot vellent inrotulari quod ab eis posset haberi summa pecunie pro nuncio et eciam pro bedello, antequam nacio quidquam promitteret bedello per facultatem eligendo, et articulus iste differebatur propter paucitatem presencium. 2us articulus ad audiendum juramenta inrotulatorum, qui eciam differebatur. Similiter et 3us articulus, qui fuit ad audiendum computum receptoris. 4us artilus erat de festo sancti Eadmundi, scilicet cum nacio nullas haberet pecunias communes, ymmo adhuc esset aliis obligata, an expediret facere prandium juxta antiquas consuetudines ipso die Eadmundi. Et deliberatum fuit concorditer quod sic. De modo autem habendi pecunias pro expensis faciendis deliberabatur a majori parte quod supplicaremus primo provincie nostre[2], quatenus concederet nacioni de pecunia provincie XII vel XVI francos pro festo. Si vero a provincia nostra nichil habere possemus, quod tunc quilibet volens interesse festo vel prandio contribueret certam quantitatem pecunie illam nacioni concedendo, donec solvere posset.

Item quadam die sequenti post primas facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum [super] articulis reservatis in congregacione precedente, de primo articulo facta inquisicione singulariter a singulis presentibus habui responsum ab omnibus presentibus, demptis quinque, quod vellent imponi rotulo de absentibus. In illa congregacione committebatur bedello ut a quolibet eorum adhuc eodem die inquireret et responsum michi reportaret, ut habito numero volencium imponi poterimus respondere facultati de salario bedelli ad curiam mittendi. Alii duo articuli, scilicet de computo receptoris et juramento inrotulatorum, adhuc differebantur. Alius articulus : cum juniores magistri ut dicebant distulerint porrigere supplicaciones suas ante seniores, ne forte seniores prejudicarent ipsis concurrentes cum eis in supplicacione, proposui ut nacio limitaret seu prefigeret certum terminum et tempus, ultra quod seniores non possent dicto modo prejudicare junioribus. Et placuit concorditer omnibus quod non ultra diem sancti Martini. Alius articulus erat ad supplicandum. Supplicaverunt aliqui quod possent imponi rotulo sine solucione pecunie vel moderate summe, quia nollent supplicare pro beneficiis, sed pro remissione peccatorum vel dispensacione; quorum supplicacio interimebatur.

1370

(*Fol. 19*b) Procuracio magistri Jordani de Clivis.

Item XVIIa die[3] mensis Novembris facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum post sermonem et post congregacionem provincie, proposui primo de modo habendi pecunias pro festo Eadmundi, super quo pro majori parte nacionis deliberabatur, quod cum alias due vie fuissent tacte super isto, et prima esset interempta, quia provincia noluit concedere pecunias nisi datis certis pignoribus, ut acceptaretur 2a via, scilicet quod quilibet volens interesse concederet nacioni dimidium francum vel VI solidos, donec nacio sufficeret sibi solvere, quod concorditer omnibus placuit. Electi erant in procuratores pro festo magister Wilhelmus Wadenoy et magister Theodoricus de Yselsteyn.

Item proposui, quod cum plures magistrorum vel quasi omnes, qui michi tradiderunt pecunias pro inrotulacione, dabant sub ista condicione, quod si non possent imponi pro tanto, scilicet presentes pro franco, et absentes pro 2bus, quod nollent imponi nec pecuniam haberi pro data. Et considerato numero supplicacionum et quantitate pecunie ab inrotulatoribus recepte, apparuit quod non poteramus de tanto satisfacere et nuncio et bedello. Petivi an placeret magistris quod darem pecunias receptas nuncio, cum eas a me postulaverat. Et dicebant, qui sub dicta condicione pecunias dederant, quod non placeret eis, nec per hoc possent totaliter acquitari et rotulo imponi. Alii vero, scilicet Scoti, quod simpliciter tradenda esset pecunia nuncio, et quidquid deficeret nuncio, nacio teneretur adimplere. Item supplicabat

1. 27 *Octobris.*
2. Alemanniae.
3. *Quæ fuit dies dominica.*

magister Thomas Scotus quod posset imponi rotulo sine pecunia, quia nollet supplicare pro beneficio; cujus supplicacio erat interempta.

1370

Continuacio magistri Jordani de Clivis in procuratorem.

Anno Domini quo supra, mensis Novembris die XVIII^a, facta congregatione nationis apud Sanctum Julianum hora prime ad eligendum procuratorem, ad audiendum compotum receptoris et ad supplicandum, continuatus eram 3° ego Jordanus de Clivis in procuratorem concorditer ab omnibus. Computavit receptor, et singulis computatis mansit nationi debens XXXIIII solidos et III denarios, et fuit computus ab omnibus approbatus.

Supplicavit magister Radolphus de Lubeke quatenus posset poni in rotulo tanquam presens, non obstante quod Parisius venerat post terminum assignatum a natione, ultra quem venientes deberent haberi pro absentibus quoad locum in rotulo et etiam quantum ad solutionem pecunie, cujus supplicatio attentis dampnis per eum passis in via, quia spoliatus omnibus tam pecuniis quam libris, pie fuit concessa.

Item in vigilia[1] Eadmundi post vesperas nationis facta congregatione nationis in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani proponebam, primo quod cum plures magistrorum volentes poni in rotulo, conditionaliter solum dederunt supplicationes eo modo, sicut continetur in facto ultime congregationis preterite procuratorie, et cum nuntius continue peteret a me pecunias receptas, quia non posset alias sibi providere de necessariis cum aliis nuntiis, an placeret nationi quod traderem sibi dictas pecunias, non obstante conditione supradicta. Et videbatur majori parti quod sic, et quod ego indempnis essem habendus. Item proposui an expediret pro die beati Edmundi, scilicet in missa, adducere aliquos bonos cantores propter majorem solempnitatem festi sub remuneratione nationis, cum in vesperis propter defectum cantorum confusio non modica facta fuerat, et nationis vel cantantium seu ululantium derisio; quod omnibus videbatur expedire.

Item ipso die beati Eadmundi de sero computaverunt procuratores festi, et computatis singulis per eos expositis ascendebat summa ad quindecim libras, XVI solidos et V denarios.

Item in eodem festo magistri Thomas Marcer Scotus, Henricus Helye de Kalker, et Johannes Bloem[2] solverunt quilibet unum francum pro jocundo introitu in primam congregationem. Et fuerunt XXXVI magistri nationis nostre in prandio ipso die beati Edmundi, quorum quilibet dabat seu concedebat nationi dimidium francum; residuum solvit receptor.

Item quadam alia die facta congregatione Universitatis et nationis simul hora tertiarum apud Sanctum Bernardum, supplicavit magister Johannes Scalpi, quatenus posset poni in rotulo tanquam presens nemini prejudicando in supplicatione, licet supervenisset post terminum alias deputatum pro presentibus, cujus supplicatio fuit concessa. Item supplicavit magister Adam de Catwiic, quod posset poni in rotulo pro dimidio franco, quia non intenderet supplicare pro beneficio. Supplicacio concedebatur.

Item quadam die sequenti facta congregatione facultatis super salario bedelli et ad supplicandum, ordinatum et concessum fuit concorditer quod bedellus, scilicet dominus Johannes Balivi, de qualibet natione haberet quindecim francos. Item dictus bedellus amore nationis dicebat se velle contentari ante recessum suum in octo francis, dummodo natio certitudinaliter post reversionem suam sibi satisfaceret de residuo, scilicet aliis septem, quod natio indubitanter sibi facere promisit. Item in eadem congregatione regentes nationis Gallicane proposuerunt contra non regentes, quod preferendi essent in rotulo non regentibus[3], non obstante consuetudine in contrarium. Et auditis allegationibus, rationibus et motivis utriusque partis, natio pro majori parte decrevit quod regentes essent preferendi; verumptamen quia alie nationes dabant deputatos, nos pro concordia conformabamus nos ipsis, et data fuit deputatis potestas sententiandi pro una parte vel altera, ne per hoc rotulus differretur. Item circa pecunias debitas bedello, scilicet domino Johanni Ballivi, de consensu et voluntate ipsius ordinatum est quod natio nostra illam pecuniam, scilicet septem francos, tradet Johanni bedello principali nationis nostre, quamprimum natio nostra fuerit potens solvere, et requisita fuerit per dictum Johannem bedellum nostrum.

(*Fol. 20*) Item die sancte Katherine[4] in nonis Nostre Domine facta congregatione nationis apud

1. 19 *Novembris*. 26-44 *in ms^to post* 374, 46.
2. *Supra*, p. 359, 24, *etc.* Vloeme.
3. *Ms.* « non regent ».
4. *Novemb.* 25.

Sanctum Maturinum ad supplicandum, supplicavit magister Wilhelmus de Bavaria quod, cum diu fuisset in via versus Parisius propter patrie sue distantiam, et secundum ordinationem nationis imponi posset rotulo solum ut absens, quatenus natio concederet sibi quod posset imponi tamquam presens, cujus supplicatio concedebatur. Item idem magister Wilhelmus solvit unum francum pro jocundo introitu suo in primam congregationem, qui perpotatus erat per magistros ibi presentes in taberna *ad ymaginem sancti Johannis*.

Item in crastino beate Katherine in nonis Nostre Domine facta congregatione nationis per juramentum apud Sanctum Maturinum ad ordinandum et supplicandum, ordinatum fuit concorditer quod distributiones fieri consuete in missis et vesperis nationis, quia natio nullas habebat pecunias et esset pluribus debitis onerata, suspenderentur usque [ad] festum Annunciationis beate Marie vel alias, donec natio haberet pecunias et absoluta esset a debitis. Item ordinabatur quod semper in vesperis et missa notarentur seu scriberentur absentes, et quod quilibet absens solveret VIII denarios, si deficeret simul in vesperis et missa, et si in altero tantum deficeret, solveret IIII denarios, et quod hec pecunia defalcaretur eis de dimidio franco concesso nationi pro festo beati Edmundi, et quod de illis qui non interfuerunt festo, receptor exigeret et caperet dictam penam.

Item deliberatum erat quod si quidquam deficeret nuntio de summa supra taxata receptis pecuniis a singulis inrotulatis, receptor hoc suppleret nationi concedendo. Et omnibus receptis et computatis defecerunt solum pro bedello II franci cum dimidio, quos receptor exponebat. Item supplicavit magister Henricus de Hassia pro duobus scolaribus quod possent determinare sub eo, licet non esset regens, et quod natio dispensaret de juramento quo determinantes consueverunt jurare, quod nonnisi sub actu regente determinassent[1]. Cujus supplicatio fuit concessa.

Item quadam alia die facta congregatione nationis in Sancto Maturino postquam juraverunt nuntii in Universitate, ad videndum de committendis nuntio circa factum nationis super examen Sancte Genovefe, deliberabatur quod litere alias ordinate ad papam et cardinales super isto per magistrum Johannem de Pavone eidem magistro Johanni traderentur ad corrigendum, addendum vel diminuendum, si opus fuerit, et illo facto ingrossarentur et darentur nuntio. Et postquam misi minutam magistro Johanni secundum dictam ordinationem nationis cum duobus magistris nationis supplicantibus sibi nomine nationis, ut eam corrigeret : idem magister Johannes post recessum magistrorum remisit michi minutam incorrectam, et scripsit michi unam cedulam, in cujus fine continebatur quod non vellet aperire oculum pro natione ultra quam teneretur. Quo viso receptor et ego fecimus per nos ipsos sicut melius poteramus, quia fecimus literas scribi de bona litera et ipsas sigillavimus de magno sigillo nationis. Et dedit receptor pro cera XII denarios. Post sigillationem autem literarum portavimus literas nuncio in hospitio *ad signum stelle*, et ibi cum duobus bedellis expendimus XLVI denarios, quos dedit receptor. Item scriptori literarum dedit receptor X solidos.

In eadem etiam congregatione petivit nuntius sibi dari supplicationes reformatorias ab illis qui indigerent, et vellent poni in rotulo reformationis[2].

Item supplicavit nuntius, quod post reditum suum a quolibet utiliter signato daretur sibi una summa pecunie, scilicet unus francus vel alias secundum moderationem nationis tunc faciendam ; cujus supplicatio erat concessa, si diligens repertus fuerit. Item supplicavit magister Johannes Amers quatenus placeret nationi, quod nuntius poneret eum in rotulo reformationis, quamvis non esset in rotulo principali, quod natio concessit in quantum poterat et juramentis nuntii non repugnaret.

Item XVI^a die mensis Decembris facta congregatione nationis hora prime apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem et ad audiendum compotum receptoris, computavit receptor et mansit sibi natio obligata in IIII libris, XV solidis et V denariis, et fuit computus ab omnibus approbatus.

1370

(*Fol. 20 b*) Acta procuratorie magistri Arnoldi de Tricht, Trajectensis dyocesis.

Anno Domini M°.CCC°.LXX, XVI^a die mensis Decembris hora prime facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum domini receptoris, electus fuit unanimiter Arnoldus de

1. *Vid.* Chartul., II, p. 673, n° 3.

2. *Exemplum rotuli reformationis vid. in* Chartul. III, n° 1308.

Tricht, in cujus procuracione acta fuerunt hec que sequuntur.

Primo eadem die fuit concorditer deliberatum in nacione nullo reclamante ire ad tabernam, ubi prefatus magister Arnoldus solvit pro prima ejus procuracione XVIII solidos et IIII denarios, et quilibet magistrorum existencium III albos, et receptor III solidos et IIII denarios ex communi ordinacione magistrorum ibi existencium, et in casu quod nacio solvere non vellet, quilibet magistrorum partem suam solvere ibidem promisit.

Item XVIII[a] die Decembris inmediate post lectiones in nonis Nostre Domine facta congregacione apud Sanctum Maturinum super discordia rectorie, utrum expediret primitus facere congregacionem facultatis quam Universitatis, deliberatum erat unanimiter a magistris ibidem existentibus, quod expediret quod primitus fieret facultatis.

Item in eadem congregacione supplicaverunt magistri Alexander Schotus pro se et magister Nicholaus de Crucinaco ex parte magistri Wilhelmi de Herbach quod si contingeret fieri rotulus, quod imponerentur tanquam presentes, quibus concessum erat quod deberent imponi; sed utrum tanquam presentes vel absentes, hoc staret in discussione nacionis in conclusione rotuli.

Item XIX[a] die mensis Decembris facta congregacione per juramentum in primis Sancti Jacobi apud Sanctum Maturinum super discordia predicta, deliberatum erat concorditer a magistris ibidem existentibus quod fieret congregacio facultatis ante congregacionem Universitatis, et quod procurator nacionis Piccardie proponeret acta in congregacione Universitatis, quia deliberatum erat in facultate quod Gallicus haberet primum locum proponendi, et Piccardus secundum.

Item XX[a] die mensis Decembris facta congregacione nacionis in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super discordia predicta, deliberatum erat unanimiter a magistris ibidem existentibus, quod congregacio Universitatis pro concordia habenda fieret ante congregacionem facultatis.

Item penultima die ejusdem mensis facta congregacione nacionis ad Sanctum Marturinum hora terciarum ad ordinandum de magistris supervenientibus post conclusionem rotuli cum aliis tunc presentibus inrotulandis, ab omnibus magistris nacionis predicte deliberatum fuit nullo reclamante, quod omnes post conclusionem rotuli supervenientes essent postponendi aliis omnibus tunc presentibus, et michi procuratori supradicto injunctum erat a tota nacione, quod nullius magistri supervenientis vel alterius presentis ex parte ejus supplicacionem in nacione predicta proponerem, ut tanquam presens imponeretur quoad pecuniam vel quoad locum.

Item eadem die hora vesperarum facta congregacione nacionis ad eligendum officiarios, electus erat magister Wilhelmus Buser in nuncium ex parte nacionis nostre ad papam cum rotulo mittendo. Et electi erant inrotulatores, videlicet magister Bartoldus, magister Heinricus Lanchals, et magister Jordanus de Clivis.

Item in eadem congregacione erat ordinatum a nacione de supervenientibus quod quilibet eorum deberet dare nacioni II francos, et inrotulatoribus III solidos, et quilibet de presentibus unum solidum inrotulatoribus.

Item ultima die ejusdem mensis facta congregacione nacionis in primis Sancti Jacobi ad supplicandum, supplicavit bedellus ut nacio vellet ei subvenire, quia propter obitum pape [1] de officio suo illo anno nullum fructum percipere deberet, cui erat concessum a nacione quod ipse de supervenientibus deberet habere summam X francorum, et subbedellus suus summam V francorum, in casu si tot supervenientes venirent.

Item supplicaverunt plures magistri in eadem congregacione ut nacio vellet aliquos supervenientes in rotulum admittere, quorum supplicaciones erant intercmpte.

1371

Item in prima die mensis Januarii facta congregacione nacionis Anglicane immediate post sermonem in Sancto Maturino ad assignandum terminum, infra quem magistri deberent porrigere supplicaciones eorum, deliberatum erat unanimiter quod infra tres dies inclusive, in casu quod illi qui non porrigerent, quod non facerent prejudicium aliis magistris inrotulandis.

Item in eadem congregacione deliberatum erat ab omnibus non regentibus quod inrotulatores jurarent secundum consuetudinem antiquam seu secundum modum consuetum, et taliter ibidem juraverunt.

Item in eadem congregacione, que erat facta per juramentum, deliberatum erat ab omnibus unanimi-

1. 19 *Decembris. Notatu dignum, mortem papae Parisiis jam post* 11 *dies notam esse.*

ter, tantummodo quinque magistris reclamantibus, quod magister Wilhelmus Buser deberet manere nuncius, non obstante quod a majori parte nacionis in facultate erat aprobatum deliberatum. Super quam deliberationem predictus magister Wilhelmus Buser petebat instrumentum a magistro Johanne Ammers, notario, et supplicavit michi procuratori ut nomina illorum magistrorum ibidem existencium signarem, quorum nomina non recordor.

Et in eadem die erat congregacio ad supplicandum, que supplicaciones erant suspense usque ad congregacionem sequentem, quia erat nimis tarde, sic quod de supplicacionibus nichil erat factum, etc.

(*Fol. 21*) Item secunda die mensis predicti facta congregacione nacionis in nonis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum ad supplicandum, supplicaverunt quamplures magistri, quorum supplicaciones erant totaliter interempte.

Item in eadem congregacione supplicavit magister Wilhelmus Buser, quatinus nacio vellet sibi concedere literas, in quibus nacio consentiret eum esse verum nuncium nacionis Anglicane, cujus supplicacio erat concessa, saltem IIII vel V magistris reclamantibus, et nacio concessit sub ista condicione quod predictus magister Wilhelmus deberet facere literas et legere eas in plena congregacione, ita quod nacio sciret quid sigillaret.

Item quinta die mensis predicti facta congregacione nationis ad supplicandum apud Sanctum Maturinum in primis Jacobi, supplicavit magister Johannes de Sacsonia pro magistro Everardo de Sacsonia, qui voluit jurare statutum paupertatis, ut ipse imponeretur rotulo sine pecunia, quia fuit in rotulo precedenti, de quo nullum fructum optinuit, cujus supplicacio erat concessa, dummodo alicui presenti non faceret prejudicium.

Item in eadem congregacione supplicavit magister Heynricus de Angherem pro magistro Aelberto de Prusya, qui alias fuit in rotulo, ut poneretur ad rotulum solvendis solvendis, cujus supplicacio erat concessa, et qui pro pecunia rotuli, puta pro duobus francis posuit pignora, que habet Johannes noster bedellus, defalcando tamen sibi dictum francum, in quo nacio fuit sibi obligata de festo nacionis, puta Etmundi. Alie erant supplicaciones, que fuerunt interempte.

Item in eadem die facta congregacione nacionis ad videndum concurrentes in rotulo in Sancto Maturino in nonis Nostre Domine, deliberatum erat a majori parte nacionis propter concordiam habendam inter aliquos magistros, quod dies ultima in qua deberent porrigi supplicaciones magistrorum inrotulandorum, non deberet finiri ante mediam noctem.

Item in eadem nocte juravit magister Johannes de Sacsonia statutum [1] paupertatis pro magistro Everardo de Saczonia, qui deberet inrotulari ut erat concessum in nacione in predicta congregacione coram me procuratore et aliis magistris, puta magistro Rodollo de Doedenwerd et magistro Johanne Bloem.

Item octava die mensis ejusdem facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad supplicandum et ordinandum de aliquibus rebus pertinentibus ad rotulum, supplicaverunt plures magistri, quorum supplicaciones erant interempte.

Item supplicavit Johannes bedellus pro magistro Rodolpho de Lubeec, qui fuit presens reputatus, quia habuit domum Parisius, ut possit imponi rotulo tamquam presens, cujus supplicacio fuit concessa, quia rigorosa.

Item incepit domicellus Reynaldus de Vyaennen sub magistro Johanne de Pavone, cujus bursa XII s.

Item in congregacione precedenti erat deliberatum quod litera magistri Wilhelmi Buser, in qua habebatur quod erat verus nuncius nacionis nostre, deberet sigillari, et dati erant deputati ad procuratorem et receptorem magister Heynricus Langhals, magister Adam et Gherardus de Kalker, et postquam litera erat sigillata, intravimus tabernam, ubi receptor solvebat VI solidos, et ego procurator II solidos.

Item eadem die redemit magister Hermannus de Wasalia literas de archa nacionis, de quibus predictus magister Hermannus dedit receptori unum mutonem antiquum de Francia, et promisit ibidem quod si contingeret quod plures litere predicti magistri invenirentur, libenter redimere vellet; sed illis [2] plures non invenimus.

Item Xª die mensis Januarii intravimus tabernam *ad hûsiam Egidii* in vico Cytare, ubi domicellus ac magister Reynoldus de Vianen solvit unum francum de jocundo introitu suo cum istis sequentibus [3].

Item in eadem die erat congregacio ad supplicandum, ubi omnes supplicaciones erant interempte, excepta supplicacione magistri H[enrici] de Kempis, quod pro uno franco deberet poni ad rotulum, quia fuit in alio rotulo.

Item Xª die mensis Januarii, anno quo supra, intra-

1. *Ms.* statum.
2. *Ms.* ille.
3. *Non sequuntur.*

vit nacio tabernam *ad hûsiam Egidii* in vico Cythare, ubi magister Bertoldus de Ruenhove[1] solvit II francos, unum pro jocundo introitu, reliquum de sua prima procuracione[2], et unum pro magistro David Scoto pro jocundo suo introitu, quem francum, si prefatus magister David solvere eidem magistro Bertoldo recusaverit, nacio astabit magistro Bertoldo in agendo contra magistrum David, et servabit eum indempnem.

Item in eisdem tempore et loco solvit magister Hermannus Hersem de Wesalia unum francum pro jocundo introitu suo.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum XIII^a mensis Januarii hora prime, ad audiendum computum receptoris, receptis et expositis hinc inde defalcatis et compensatis mansit nacio debens receptori IIII libras, XI solidos, IX denarios.

1371

(*Fol. 21* [b]) Procuracio magistri Johannis de Duren.

Anno Domini M CCC LXXI, xiij^a die mensis Januarii hora prime, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem et ad audiendum compotum receptoris, computavit receptor ut supra, et ego Johannes Michaelis de Duren electus eram concorditer in procuratorem ab omnibus magistris.

Item ibidem deliberatum erat concorditer, quod francum quem tenebar magistris in dicta congregacione presentibus in taberna solvere pro presenti primo procuracionis officio, traderem receptori magistro Johanni Amers, ut dictus magister Johannes dictum francum defalcaret de pecunia dictis magistris presentibus concessa per eum IIII^a die presentis mensis in taberna, que dicitur *hucia Egidii*, sita in vico Cythare, ubi dicti magistri congregati erant ad potandum, et ibidem dictam pecuniam pro dictis magistris exposuit.

Item solvit magister Johannes Necken de Trajecto unum francum receptori pro suo jocundo introitu, quem francum secundum deliberata dictorum magistrorum defalcabit de summa per eum exposita in dicta taberna pro sepedictis magistris.

Item eodem die hora vesperarum facta congregacione apud Sanctum Maturinum ad supplicandum et ordinandum, supplicavit magister Wilhelmus Bûzer, tunc electus in nuncium nacionis, ut pensatis suis futuris laboribus nacio vellet ei concedere, quod sex magistri absentes possent imponi rotulo nacionis sine eo, quod ipsi solverint pecuniam nacioni; que supplicacio ab omnibus nullo contradicente ei concessa fuit, sub tali moderacione quod magister Wilhelmus daret nacioni literam obligatoriam de proprio sigillo, et instrumentum publicum in meliori forma qua fieri posset, super eo quod si idem magister Wilhelmus officium sibi a nacione commissum in eodem perseverans, fideliter et diligenter exercuerit ad utilitatem nacionis et singulorum suppositorum, et hoc ex post facto per majorem partem nacionis fuerit judicatum, posset a dictis sex magistris pro se recipere pecuniam, quam nacio recepisset secundum alias deliberata, antequam eos inrotulari permisisset; si autem dictus magister Wilhelmus ita diligens etc. repertus non fuerit, tenebitur nacioni ad restitucionem pecunie, quam dicti sex magistri secundum deliberata nacionis solvere debuissent nationi. Et ne in absentia ipsius nacio non posset super isto procedere, si opus fuerit, promisit dictus magister Wilhelmus bona fide, ubicumque fuerit, citatus tamen per nacionem tenebitnr comparere, aut alias nacio in ejus[3] absencia procedet in premissis. Et ad majorem certitudinem et firmitatem predictorum promisit sepedictus magister dare dictas literas nacioni, et dedit instrumentum publicum eciam suo sigillo sigillatum[4].

Item in eadem congregacione multi magistri supplicaverunt pro aliis magistris honestis ut imponi possent rotulo nacionis solutis solvendis, sine prejudicio alicujus inrotulati, quorum supplicaciones omnes concesse fuerunt, exceptis duabus consimilibus supplicacionibus pro duobus magistris de Scotia, que fuerunt pariter interempte.

Item supplicavit magister Wilhelmus Zurmunt ut unus de duobus francis per ipsum nacioni pro inrotulacione solutis restitueretur sibi graciose, cujus supplicacio ab omnibus concorditer erat concessa.

Item supplicavit magister Hartwicus ut placeret nationi ut ipse pignora sufficiencia receptori tradere posset pro tribus francis ex inrotulacione cujusdam magistri; que si infra mensem a data presentis congregacionis non redimerentur ab eo, ex tunc receptor ea vendere posset; et concessa fuit ab omnibus concorditer, et dicta pignora tradidit receptori.

1. *Ms.* Ruenhave.
2. *In margine* Amore Dei.
3. *Ms.* eis.
4. *In margine* dedit tali die.

Item supplicavit ballivus ut in fine rotuli nacionis posset poni, et nacio ei concessit.

Item in eadem congregacione tamen ante dictas supplicaciones propter dubium incidens declaravit tota natio, et uno dempto decrevit, quod magistro Wilhelmo Buzer nuncio nacionis nichil de rigore juris competeret de pecunia ab absentibus, si qui imponerentur pro inrotulatione secundum deliberata nacionis solvenda; quo audito supersedebat ipse, supplicans tamen postea ut supra.

Item ordinatum erat a nacione in eadem congregacione quod in proxima congregacione Universitatis satisfieret bedello pro rotulo deputato de VIII francis sibi ordinatis a facultate pro deportando rotulo, et nuncius tunc satisfecit ei.

Item in eadem congregacione nacio concorditer ordinavit quod si quos magistros absentes rotulo imponi contingat, solvat quilibet absens, seu is qui pro eo supplicavit, nacioni tres francos, et inrotulatoribus tres solidos solvat antequam imponatur.

Item quod quilibet imponendus rotulo solvat vel solvisset jocundum introitum.

Item tunc exivit rotulus [1].

Item XV^a^ die ejusdem mensis ego procurator presentibus multis magistris in generali congregacione Universitatis requisivi publicum instrumentum fieri a magistro Johanne Amers notario publico receptori nacionis supra concessione supplicacionis magistri Wilhelmi Buzer superius enarrate, qui more notariorum recepit promissionem sub ypotheca omnium suorum bonorum, etc., et inde instrumentum dixit se facturum, et fecit.

1371

(*Fol.* 22) Procuratoria magistri Johannis de Duren.

Item XVI^a^ die ejusdem mensis Januarii hora primarum facta congregacione ad supplicandum, supplicavit magister Reynerus Creyt, magister Albertus Tengnagel et magister Lubricus Bolle ut in casu, quo copia jam ultimo missi rotuli transmittatur Romano pontifici, ne forte ut alias in Universitate tactum erat, si jam missus rotulus deveniret ad manus alienas vel latronum, tunc Universitas negligeretur, sed pro ipsa alius rotulus seu copia missi rotuli Rom. pontifici presentaretur, supplicarunt inquam ut dicto rotulo vel copie imponi possent. Quibus concessa erat concorditer sua supplicacio, et hoc solutis solvendis et sine prejudicio alicujus inrotulatorum. Eodem die hora none consimilis supplicacio erat concorditer cum subsequentibus concessa magistro Johanni Webel.

Item eodem die facta congregacione ad supplicandum hora none, supplicaverunt magister Albertus Tengnagel, magister Reynerus Creyt, magister Johannes Webel, ut ipsi imponi possent rotulo reformacionis, et concorditer erant dicte supplicaciones concesse, et quilibet pro se posuit fidejussorem, ut in casu quo ipsi possint salvo juramento nuncii dicto rotulo imponi et impositi fuerint, solvant nacioni tres francos quilibet secundum alias deliberata. Magister Henricus de Tenis et magister Johannes Amers receptor fidejubebant ut supra pro magistro Reynero Creyt. Item magister Johannes Bloem fidejubebat pro magistro Alberto Tengnagel, et magister Bertoldus de Ruenhove [2] pro magistro Johanne Webel.

Item in eadem congregacione ex consensu magistrorum omnium missit nacio unam literam sigillatam sigillo procuratoris nuncio pro rotulo destinato, ut secundum concessionem dictarum supplicacionum admitteret illos tres magistros ad rotulum reformacionis, et nullum alium, nisi ex precepto nacionis sub pena, qua tenetur fideliter gerere officium nacionis. Eciam injunxit nacio in dicta litera sepedicto nuncio ut si dictos magistros vel alios rotulo reformacionis imponi contingeret, nacioni rescriberet ut pecuniam protunc debitam a fidejussoribus exigere possit.

Item vicesima prima die mensis Januarii incepit Andreas Bloyer sub magistro Johanne Ammers, cujus bursa VIII solidi. Solvit.

Item vicesima secunda die mensis Januarii facta congregacione, post sermonem, ad supplicandum, supplicavit magister Hernestus, licenciatus in medicina, ut si contingeret fieri novum rotulum, posset imponi; concessa erat [supplicacio] concorditer solutis solvendis secundum quod nacio dictaverit.

Item supplicaverunt magister Johannes de Ubaych, magister Johannes dictus Uter Spiic, magister Johannes Proeys, magister Henricus de Lecka, magister Alphardus de A, magister Thomas Nicolay de Herlem, magister Walterus de Renen, magister Rodulphus Tam, magister Andreas Bloer, magister Johannes Egidii de Herlem, mag. Lubricus Bolle, mag. Wilhelmus dictus Zale, Johannes Ruter, magister Jacobus de Purmaria, isti XIIII magistri unanimiter supplicarunt ut possent imponi rotulo reforma-

1. *In margine* Item... rotulus. *Non est conservatus.*

2. *Ms.* Ruenhave.

cionis. Concesse erant dicte supplicaciones concorditer, dummodo se obligarent in litera officialis sub pena late sentencie, quod in casu quo impositi fuerint, quod tunc infra dimidium annum a data dicte imposicionis computandum solverent nacioni tres francos, prout in literis officialis super hoc confectis continetur. Et ut imponi possent dicti magistri dicto rotulo, ordinavit nacio super hoc unam literam ad nuncium suum, que in congregacione sequentis diei erat perfecta.

Item eadem vicesima 2ª die, post dictam congregacionem immediate intravit nacio tabernam *ad huciam Egidii* in vico Cythare, et ibidem consumpsit VIII francos, quos solverunt octo magistri, quilibet unum francum, pro suo jocundo introitu. Pro jocundo introitu solvit magister Walterus de Reynen unum francum; item magister Andreas [B]loyr solvit unum francum; item magister Johannes Ruter solvit unum francum; item magister Wilhelmus Zale solvit unum francum; item magister Alphardus de A solvit unum francum; item magister Henricus de Lecka solvit unum francum; item magister Thomas de Herlem solvit unum francum; item magister Johannes Egidii solvit francum.

Item [1] XXIIIª die mensis Januarii incepit Johannes dictus Ruter sub magistro Johanne Amers, cujus bursa VII solidi. Solvit.

Item XXIIIª die mensis Januarii facta congregacione ad supplicandum in nonis Nostre Domine, supplicaverunt magister Johannes Leyenberch, magister Henricus Vorbiensun de Wesepe, alias de Muden, item magister Johannes de Inghen, ut imponi possent rotulo reformacionis, et supplicacio concorditer erat concessa, sicud quibusdam aliis precedente die, de quo et quilibet istorum etiam dedit literam obligatoriam officialis sub pena late sentencie, sicut dictum est de aliis supra. Et magister Wilhelmus Meynardi Fabri simili modo supplicavit, et sibi concedebatur, et se consimili litera obligare voluit, sed non fecit.

Super admissione seu imposicione rotuli reformacionis istorum XVIII magistrorum misit nacio, sicut supra XVI die, nuncio unam literam et in dicta litera unus, videlicet Meynardi, virgulatus fuit, cujus copiam retinuit et posita est dicta copia cum dictis XVIII literis obligatoriis in schita [2] nacionis, et eciam publicum instrumentum super concessione supplicacionis magistri Wilhelmi Buzer, de quo instrumento habetur supra XIIII et XV diebus [3].

Item redemit Alphardus de A [4] literas sue licencie et satisfecit receptori.

Item post congregacionem XXIIIe diei intravit nacio tabernam *ad huchiam Egidii* et consumpsit duos francos, de quibus magister Johannes Leyenberch solvit unum francum pro suo jocundo introitu, et alium solvit magister Johannes de Inghen etiam pro introitu jocundo.

(*Fol. 22ᵇ*) Item XXVIª die mensis quo supra facta congregacione apud Sanctum Maturinum post sermonem ad supplicandum et ad audiendum compotum receptoris et ad alium receptorem substituendum, quia tunc receptor magister Johannes Ammers se transferre voluit versus curiam Romanam, computavit dictus receptor; receptis et expositis et ei a nacione debitis hinc inde defalcatis, mansit nacio ei debens quinquaginta duos solidos et novem denarios. Et compotus ab omnibus fuit approbatus.

Item in eadem [congregacione] magister Ammers presentavit magistrum Henricum de Tenis, et rogavit quatenus placeret magistris ut dictus magister Henricus de Tenis substitueretur loco sui in receptorem. Et placuit omnibus magistris nullo penitus reclamante. Et more solito juravit dictus magister Henricus tanquam novus receptor.

Item in eadem congregacione supplicaverunt mag. Johannes [de] Venlo et magister Johannes Uden quatenus nacio vellet eis concedere ut possent imponi rotulo reformacionis, quibus supplicaciones concesse fuerunt, ea condicione ut darent literam officialis sub pena late sentencie, in casu quo non solverent III francos infra dimidium annum a data intitulacionis eorum computandum. Et nacio transmisit super isto unam literamsuo nuncio. Et quia dicti magistri dictas literas officialis non habuerunt in promptu, posuerunt VI francos in vadium quousque haberent dictas literas officialis. Et hoc placuit omnibus magistris, et dictos VI francos redimerunt XXVIIª die, et posuerunt duas literas officialis ut supra.

Item XXVIIª die ejusdem mensis facta congregacione in primis apud Sanctum Julianum ad supplicandum, supplicarunt magister Erhardus de Gamundia et Wernerus May ut possent imponi rotulo reformacionis. Et concesse sunt concorditer eorum supplicaciones sub eisdem condicionibus, quibus aliis est concessum. Super quo nacio dedit eis unam literam ad nuncium, et ipsi dederunt duas literas officialis.

Item XXVIIIª die mensis ut supra inceperunt

1. *Quae sequuntur* (25-27), *in ms. ante praemissa :* Item eadem (11) *exstant*
2. *I. e.* cista.
3. *Vid.*, p. 380, 24 *sqq.*
4. *Ms. repetit* redemit.

simul sub magistro Gerrardo Kalkar dominus Johannes Heyen de Ruremonde; item dominus Henricus Robini de Ruremonde. Bursa cujuslibet VIII solidi, de quibus ambo satisfecerunt receptori.

Item in congregacione ad supplicandum facta in primis Nostre Domine in Sancto Juliano, die quo supra, supplicaverunt magister Gerrardus Kalkar, item magister Jordanus de Clivis, ut nacio vellet eis concedere pro eodem anno futuro scolas, in quibus protunc legere consueverant; et dicte supplicaciones eis concesse fuerunt a singulis magistris presentibus. Et reddita deliberacione per me procuratorem supervenerunt aliqui magistri, dicentes quod ex quo solummodo essent vocati ad supplicandum et non ordinandum, non possent magistri protunc ordinare de scolis, ita quod dixerunt se interimere dictas supplicaciones.

Item incepit XXIX^a^ die mensis ejus[dem] dominus Wernerus May de Pfhorczhayn alias de Suevia sub magistro Henrico de Hassia, cujus bursa VII solidi. Item redemit ipse unam literam obligatoriam a nacione pro duobus francis.

Item eodem die facta congregacione in nonis ad supplicandum, supplicarunt magister Arnoldus Neve, magister Arnoldus de Oringhen et magister Ghiselbertus Groesbeich quatenus nacio vellet eis concedere, ut possent imponi rotulo reformacionis. Et concessum est eis sub eisdem condicionibus quibus aliis est concessum, et ipsi tres simul dederunt unam literam officialis ut supra, et data est eis una litera ad nuncium, ut aliis est factum.

Item intravit nacio post congregacionem tabernam *ad huchiam Egidii* in vico Cithare, et ibi consumpsit unum francum, quem solvit magister Ghiselbertus Groesbeich pro suo jocundo introitu.

Item tercia die mensis Februarii anno 1371° facta congregacione nacionis post congregacionem Universitatis in domo Predicatorum ad supplicandum, supplicarunt magister Ghiselbertus de Groesbeke quatenus, si in absencia sui contingeret fieri rotulum, quod posset imponi. Cujus supplicacio fuit concessa solutis solvendis, et in quantum steterit per nacionem. Item supplicavit magister Symon quatenus posset in[poni] rotulo reformacionis. Cujus supplicacio concedebatur in forma qua aliis fuit concessa. Posuit literam officialis.

Item secunda die facta congregacione nacionis in Sancto Maturino hora prime ad audiendum computum inrotulatorum et ad supplicandum, computarunt inrotulatores. Et solutis omnibus debitis nacionis remanserunt nacioni tot franci, sicud in libro receptoris.

Item supplicavit magister Bertholdus quatenus de receptis per eum nacio crederet sibi III francos usque ad festum Pasche. Item consimiliter supplicavit magister Jordanus de Clivis pro dilacione solucionis VI francorum, et magister Gerardus de Kalkar pro tribus francis, quos debet pro quodam magistro absente ex parte sui inrotulato. Quorum supplicaciones fuerunt concesse, dummodo facerent sufficientem caucionem nacioni, scilicet dando vel ponendo pignora vel literam officialis. Et idem postea concedebatur michi Johanni de Duren pro tribus francis, ut in libro receptoris.

Item X^a^ die mensis Februarii facta congregacione in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum, computavit dominus receptor.

1371

(*Fol. 23*)[1]. Acta procuratorie Radolfi de Lubeke.

Anno Domini et die mensis quibus supra apud Sanctum Maturinum facta congregacione nacionis ad eligendum procuratorem, ad audiendum computum domini receptoris et ad supplicandum, electus fuit in procuratorem magister Radolfus Kummerveld de Lubeke ab omnibus unanimiter. In cujus procuracione acta fuerunt infrascripta.

Primo in eadem congregacione computavit dominus receptor nacionis, et omnibus computatis, defalcatis et recompensatis, in 12 francis manserat debitor nacionis.

Item magister Johannes Michahelis de Důren supplicavit nacioni pro dilacione solucionis trium francorum usque ad festum Pasche. Quam [supplicacionem] sibi concessit sub hac condicione quod idem magister nacioni literas domini officialis Paris., in quibus dictorum francorum solucionem promitteret, presentaret.

Item die XII^a^ mensis cujus supra, facta congregacione Universitatis et nacionis hora primarum apud Sanctum Maturinum, juravit predictus Radolfus juramenta procuratorum[2], quia pro sue electionis tempore fuit absens.

Item deliberavit nacio protunc super propositis in Universitate protunc per dominum rectorem

1. *In margine superiore :* Anno Domini 1371, 10^a^ die mensis Februarii.

2. *Vid.* Chartul., II, n° 1185, 1.

quod alia congregacio generalis fieret pro eisdem.

Item scolaris Scoti spoliati, qui rogavit Universitatem et nacionem ut juvaretur ad rehabendum ablata sibi, supplicacionem concessit et reputavit nacio rigorosam.

Item deliberavit nacio ire perpotatum procuratorem, qui prius in officio procuratoris non fuit, et intravit tabernam in qua expendebat 2 francos, quorum 1 solvit idem novus procurator, reliquum vero receptor concessit singulis personis ibi presentibus de pecunia nacionis secundum deliberacionem omnium ibidem presencium magistrorum. Verumptamen magistri presentes concorditer voluerunt, quod primus francus in nacione perpotandus loco dicti franci expositi redderetur receptori.

Item 17ª die mensis cujus supra, facta congregacione Universitatis et eciam nacionis specialiter ad eligendum examinatores determinancium et ad supplicandum apud Sanctum Bernardum, magister Jordanus de Clyvis, magister Gheerardus Kalkard et magister Hartwicus de Sundis in examinatores determinancium electi fuerunt. Item supplicavit magister Johannes Uden quatenus nacio concederet sibi, quod in quocumque rotulo qui fiet tempore pape nunc regentis [1], vel cujuscumque alterius pape sibi successuri, posset imponi tanquam presens, non obstante quod protunc non erit forte presens in Universitate Parisiensi. Cujus supplicacio fuit concessa sub forma, qua nacio aliis supplicationes consimiles concedebat.

Item super propositis in Universitate, nacio deliberavit quod nec privilegia Universitatis originalia, nec copie eorundem alicui exhiberentur, sed si Universitatis facta non possent expediri coram domino rege vel suis consiliariis nisi quod ipsi informati essent quod Universitas habet talia privilegia qualia pro se allegavit, placuit nacioni quod articuli privilegiorum facta Universitatis continentes redigantur ad scripta sub manu puplica, et coram dictis domino rege et suis consiliariis perlegantur.

Item quod fiat missa pro domino papa, et sibi presentetur una missa de sancto spiritu per suam vitam.

Item quod pecunia, alias Universitati legata in quodam testamento, fundetur in Cardinali Monacho [2], dum tamen magistri de illo collegio exponere velint pecunias necessarias ad agendum contra injustos dicte pecunie possessores.

Item determinavit sub magistro Hinrico de Hassia dominus Godscalcus de Lyvonia, cujus bursa VII s.

Item die 26ª mensis cujus supra, facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum in primis Nostre Domine ad supplicandum et ordinandum de pecunia nacionis, supplicavit dominus Conradus de Růetershoven, quatenus nacio haberet eum supportatum de solucione pecunie quam bacelarii in suis determinanciis solvere consueverunt, cum esset pauper et non habens unde solvere. Cujus supplicacio fuit admissa, dum tamen statim juraret in presencia nacionis juramentum paupertatis. Quod et fecit.

Item supplicavit dominus Johannes Myldenbergh quod nacio daret sibi dilacionem pro solucione bursarum sue determinancie. Cujus supplicacio concessa erat, eo modo quo nacio consimiles supplicaciones concedere consuevit, dummodo poneret literas domini officialis, in quibus se obligatum nacioni fateretur.

Item supplicaverunt magister Jordanus de Clyvis et magister Gherardus Kalkard quatenus nacio concederet eis scolas, in quibus legere solent, per annum futurum, videlicet a festo Remigii futuro ad finem magni ordinarii. Quorum cujuslibet supplicacio erat concessa.

(*Fol.* 23ᵇ). Item supplicavit magister Hartwicus de Sundis quod nacio vellet contentari in hoc, quod ipse solveret sibi 3 francos de illis francis in quibus idem tenetur nacioni ex parte cujusdam magistri absentis inrotulati, et 4ᵘᵐ francum solvendum sibi dimitteret absolute, cum ille magister absens fuit reputatus tanquam presens, ut dictus magister allegavit. Cujus supplicacio fuit concessa, sic quod solveret 3 francos, et dilacionem consuetam haberet pro quarto.

Item supplicavit magister Radolphus de Lubeke, cum tempore inrotulacionis magistrorum ambulasset ad rehabendum res sibi ablatas [3], quas secum detulit pro continuando studium suum Parisius; cum eciam nichil de eisdem rebus rehabere potuerit; cum eciam fuerit in alio rotulo, de quo nullus habuit profectum; cum eciam eodem tempore inrotulacionis alias supplicabatur pro eo nacioni, ut posset imponi rotulo, nacio concessit unanimiter quod rigorosum esset, quod imponeretur tamquam presens, ut in actis procuratoris magistri Arnoldi de Trycht, et cum istis omnibus ipsum non juvantibus, quin oportebat suos procuratores solvere ex parte sui pro ejus inrotulacione ij francos et 3 solidos, cum eciam aliis, qui dederunt ij francos, unus francus fuerit restitutus, ut in actis procuratoris magistri Johannis de Duren : quatenus nacioni placeret quod sibi unus francus re-

1. *Gregorii XI, el.* 1370, *Decemb.* 30.
2. *Id est in collegio Cardinalis Monachi.*
3. *Supra p.* 373, 24.

stitueretur. Cujus supplicacio fuit interempta, sed concedebatur sibi quod nacio deberet sibi concedere 1 francum sub caucione, donec eundem sibi solvere bene posset.

Item determinavit dominus Johannes de Myldenbergh sub magistro Gherardo Kalkard, cujus bursa 3 solidi.

Item determinavit dominus Conradus de Ruetershoven sub magistro Wilhelmo Wadenoye, cujus bursa nichil.

Item 28ª die ejusdem mensis facta congregacione nacionis ad Sanctum Maturinum ad supplicandum, supplicavit magister Theodoricus de Unna, quatenus posset imponi uni rotulo imposterum ad dominum papam mittendo, cuicumque sibi placeret, licet pro tempore missionis illius rotuli non esset presens Parisius. Cujus supplicacio fuit concessa sub forma qua aliis tales supplicaciones sunt concesse.

Item die tercia mensis Marcii facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum examinatorem bacelariorum in examine Sancte Genovefe examinandorum, electus fuit concorditer ab omnibus magistris magister Gherardus Kalkard in examinatorem talem pro omnibus audicionibus, qui in anno presenti ibi fuerint.

Item protunc concorditer deliberatum erat intrare tabernam et intravit nacio tabernam, in qua expendebat 2 francos et 12 solidos, de quibus solvit magister Gherardus Kalkard 2 francos racione officii ad quod electus fuit, sub ista condicione quod si propter paucitatem audicionum non debuerit solvere 2 francos integraliter, quod tunc nacio precipue sibi 1 francum defalcabit, et residuum, quod de jure sibi erit restituendum, sibi reddet. Si autem propter multitudinem audicionum plus fuerit solvendum, ipse solvet. Et residuos 12 solidos ex communi consensu omnium dominus receptor persolvebat.

Item quia nacio alias deliberavit quod essent mittende 2 litere ad curiam Romanam, una magistro Wilhelmo Bůzer, et altera magistro Nicolao de Scocia, postmodum ille litere fuerunt facte et correcte per antiquos magistros nostre nacionis, et postmodum receptor nacionis et ego fecimus eas scribi in bona litera et magno sigillo nacionis sigillari; et quia sigillatis illis literis fuit ita tarde, quod jam scriptor non poterat videre ad superscribendum easdem literas, intravimus unam tabernam ad superscribendum illas et ad computandum de precio scriptoris. Et exposuit dominus receptor 5 solidos et 4 denarios omnibus computatis.

Item 9ª die Marcii facta congregacione nacionis ad supplicandum etc., apud Predicatores post sermonem [1], supplicavit dominus Alexander Fabri de Tharbato, quatenus cum determinasset questionem sub magistro secundum formam bacelariorum determinancium, et propter sui absenciam nunquam disputasset in Jejunio [2], nacio dispensaret secum ut posset ulterius disputare sicud alii determinantes, et non permitteret dictam negligenciam vergere in aliquod impedimentum sui sive dampnum. Cujus supplicacio fuit concessa.

Item determinavit ibidem dominus Alexander Fabri sub magistro Hinrico de Hassya, cujus bursa 7 solidi.

Item 10ª die Marcii facta congregacione nacionis ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, et singulis computatis mansit nacioni debens [in] XIII libris, XIIII solidis et VIII denariis. Et fuit computus ab omnibus approbatus sub hac condicione quod de prima pecunia que veniret de potabilibus, receptor reciperet ad usum nacionis servandum unum francum et XII solidos, scilicet antequam aliquis perpotaretur. Quod tunc concorditer placuit nacioni, scilicet quoad condicionem adjectam.

Item in eadem congregacione supplicatum fuit pro Hugone de Delf, quatenus nacio daret sibi dilacionem de bursis incepcionis unacum de prioribus debitis usque ad festum sancti Johannis proxime venturi, et poneret literam officialis sub pena late sentencie pro omnibus debitis. Cujus supplicacio fuit concessa, dummodo secum promitteret alius fidedignus Parisius permansurus sub eadem pena.

1371

(*Fol. 24*) Continuacio magistri Radolfi in procuratorem.

Anno Domini, etc., die mensis [3] quibus supra, facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem, ad audiendum computum receptoris et ad supplicandum in primis Nostre Domine, magister Radolfus de Lubeke continuatus fuit in procuratorem ex communi consensu omnium ibidem presencium magistrorum.

1. *Quia dominica fuit.*
2. *I. e. in Quadragesima.*
3. *Scil.* 10 *Martii.*

Item in ejus procuracionis continuacione acta fuerunt que sequuntur.

Primo in eadem congregacione computavit dominus receptor, etiam sicud prescribitur in 10ª die Marcii.

Item in eadem congregacione supplicatum fuit pro domino Hughone de Delf, eciam sicud prescribitur in eadem 10ª die Marcii.

Item 12ª die Marcii facta congregacione nacionis ad supplicandum apud Sanctum Maturinum immediate post sermonem [1], supplicavit dominus Hugho de Delf predictus, cum ipse diu fuit obligatus nacioni in pecuniis de sua determinancia et licencia solvendis, et adhuc non esset potens solvere, quatenus nacio illam diuturnam solvendi dilacionem non egre ferret, nec sibi aliquo modo indignando imputaret, sed pocius de omni negligencia commissa sibi pie parceret indulgendo. Item supplicavit idem, cum occasione dicte obligacionis facte nacioni esset involutus sentencie excommunicacionis ignoranter, quatenus nacio juvaret ipsum ut ab eadem solveretur. Item supplicavit idem, quod nacio differret sibi terminum solvendi usque ad festum Nativitatis Domini proxime venturi, sic scilicet ut ipse se obligaret ad solvendum nacioni integraliter sub pena late sentencie in eodem festo omnia, in quibus nacioni jam tenetur et in quibus tenebitur sibi usque ad festum supradictum. Item quod nacio permitteret eum incipere et solucionem pecunie solvende de sua incepcione nacioni differret sibi sicud solucionem pecunie in qua jam tenetur, quia in festo Nativitatis Domini ut dixit percipiet redditus de suo beneficio, et satisfaciet nacioni de omnibus sibi creditis integraliter et ex toto. Cujus supplicaciones, quia fuerunt aliqualiter contra statutum quoddam nacionis, admisse non fuerunt.

Item 16ª die Marcii [2] facta congregacione nacionis in domo capitulari apud Predicatores immediate post sermonem ad supplicandum, supplicaverunt dominus Hinricus de Rane Scotus, dominus Nicolaus Mathye, et dominus Johannes de Gůvan Scotus, quatenus nacio admitteret eos ad determinandum seu actus determinancie complendum, et differret eis solucionem pecunie solvende per eos nacioni de suis determinanciis. Quibus concessum fuit ut positis pigneribus bene valentibus pecuniam, in qua obligantur nacioni racione suarum determinanciarum, habeant dilacionem solvendi usque ad festum Nativitatis sancti Johannis, et non ultra. Item supplicavit dominus Tylemannus de Nůsscya, cum esset impotens in solvendo, ut nacio sibi indulgeret de pecunia solvenda nacioni racione sue determinancie, et voluit jurare juramentum paupertatis. Qui tamen fuit interrogatus, nunquid mallet habere dilacionem termini solucionis dicte pecunie usque ad tempus, in quo esset potens in solvendo, quam jurare juramentum paupertatis. Respondit quod sic. Fuit igitur sibi concessa dilacio usque ad alium gradum, dummodo nacioni procuraret literam domini officialis Parisiensis, in qua se obligaret sub pena late sentencie ad solvendum dictam pecuniam nacioni in accepcione primi gradus, nisi protunc nacio propter impotenciam suam in solvendo secum dispensaverit graciose.

Item determinavit dominus Nicolaus Mathye sub magistro Hinrico de Thenys, cujus bursa 8 solidi, qui posuit pignera.

Item determinavit dominus Johannes Ysebrandy sub eodem magistro Hinrico, cujus bursa nichil, et juravit statutum paupertatis.

Item determinavit dominus Theodoricus de Kempys sub magistro Guillelmo Wadenoye, cujus bursa 4 solidi.

Item determinavit dominus Tylemannus de Nůsscya sub eodem magistro Guillelmo, cujus bursa nichil, et juravit statutum paupertatis.

Item determinavit dominus Hinricus de Rane Scotus sub magistro Guillelmo de Trebron, cujus bursa VII solidi, et posuit pignora.

Item determinavit dominus Johannes de Gůvan Scotus sub eodem magistro Guillelmo, cujus bursa 8 solidi, et posuit pignera.

Item 18ª die Marcii facta congregacione nacionis in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum ad supplicandum, supplicavit dominus Hugho de Delf sicud prius 12ª die Marcii. Cui concessa fuit dilacio de bursis sue incepcionis et de aliis sibi creditis a nacione usque ad festum Nativitatis sancti Johannis Baptiste proxime affuturum, dummodo tamen presentaret nacioni literam domini officialis Parisiensis, in qua se obligaret ad solvendum nacioni omnia sibi credita sub pena late sentencie sine dilacione ulteriori in festo sancti Johannis supradicto.

Item die 19ª Marcii dominus receptor et ego ivimus ad archam, et recepimus de ea literam predicti domini Hughonis de Delf, ut possit sibi reddi, quandocunque pro ea literam aliam domini officialis Parisiensis predicto modo factam presentaret, sicud nacio deliberavit.

1. *Quia festum b. Gregorii.*

2. *Die dominica.*

Item visitavimus omnes literas obligatorias ad videndum, si magister Adalbertus de Bohemia haberet ibi aliquam literam. Et quia multi magistri tempore procuratorie cujusdam alterius procuratoris, scilicet prima die Februarii anni presentis, dixerunt se vidisse literam predicti magistri Adalberti in archa, quam protunc in archa non invenimus, eciam quia 2ª die Februarii anni presentis reperta fuit litera domini officialis Paris., in qua predictus mag. Adalbertus profitebatur se teneri nacioni nostre Anglicane in certa summa pecunie, et Johannes bedellus nostre nacionis asseruit, eandem literam inventam prima die Februarii anni presentis fuisse in archa et protunc fuisse furtive receptam de archa : ideo ad archam imposuimus in nomine Domini tunc eandem.

Item proposui in congregacione nacionis quod dominus Johannes Ysebrandy et dominus Thylemannus de Nusscya juraverunt michi statutum paupertatis, et adhuc non juraverunt in presencia nacionis ; unde quesivi utrum hoc deberet sufficere. Et deliberatum fuit quod non, sed deberent vocari et in plena congregacione nacionis jurare statutum paupertatis.

Item juravit predictus dominus Tylemannus in presencia nacionis statutum paupertatis.

Item lecta fuit una litera, quam misit nacioni nostre nuncius rotuli nostri magister Guillelmus Buzer.

(*Fol.* 24 ᵇ) Item dominus receptor nomine nacionis concessit michi 1 francum sicud alias nacio deliberavit, et impigneravi nacioni loco illius librum in quo habentur excerpta duorum librorum Sentenciarum et Questiones tercii.

Item proposui in congregacione nacionis quomodo faciendum esset cum nuncio rotuli nostri, utrum pecunia esset sibi mittenda, vel solum litera scribenda. Et quia pauci magistri presentes fuerunt, deliberatum fuit quod sequenti die fieret pro eodem facto alia congregacio per juramentum.

Secunda die Aprilis hora primarum facta congregacione nacionis per juramentum apud Sanctum Maturinum ad ordinandum de factis nacionis, deliberatum fuit, primo quod nuncio non esset mittenda pecunia, unanimiter per omnes magistros ; etiam deliberatum fuit per omnes magistros preter unicum, quod nacio scriberet nuncio rotuli supplicando sibi, ut fiducialiter, diligenter, sine tedio prosequeretur facta nacionis usque ad finem, et promitteret sibi ut pecuniam, quam post terminum prefixum nunciis ad laborandum pro rotulo in negociis nacionis expendet, solvat sibi, cum venerit Parisius, ut alie naciones nunciis suis solvent. Item lecta fuit una litera, quam scripsit nacioni nostre nuncius rotuli, pro qua nacio recommendatum habuit tunc eundem.

Item 7ª die mensis Aprilis immediate post sermonem[1] facta congregacione nacionis nostre apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem, ad audiendum computum domini receptoris et ad supplicandum... (*sic*).

1371

[Acta procuratorie mag. Henrici de Angeren.]

Anno Domini 13°71°, 7ᵐᵃ die mensis Aprilis. Anno Domini et die mensis quibus supra facta congregacione apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptatoris et ad supplicandum, in primis Nostre [Domine] post sermonem in Cordigeris, electus fuit concorditer in procuratorem magister Henricus de Angeren ab omnibus magistris. Et[2] cum beanus esset in officio, nacioni supplicavit ut sibi unum francum accomodaret. Quod omnibus magistris placuit ibidem protunc existentibus, tali tamen condicione adjecta, quod infra tempus sue procuracionis deberet reddere, et [si] infra non redderet nacioni, de pignere providere[t] sufficienti. In cujus procuracione acta sunt infrascripta.

Item [in] eadem congregacione computavit receptor coram magistris ibidem existentibus, et facto computo et a magistris approbato ab omnibus nacio optinuit cum receptore VI libras, V sol. et VIII denarios.

Item dominica post Pasca *Jubilate*[3] de mane post sermonem facta fuit congregacio in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit de pecunia nacionis concessa magistris, quid de illa fieri deberet, cum ipsis a nacione tali condicione fuit concessa, quod ipsi deberent certificare nacionem pigneribus vel litteris, quod ipsi non fecerunt in festo Pasche, qui fuit terminus ipsis assignatus.

2ᵘˢ articulus de perpotacione procuratoris.

3ᵘˢ fuit de supplicacionibus.

De primo articulo deliberaverunt nacionis magistri quod deberent ponere pignera sufficiencia, et deberent[4] hoc facere statim requisicione facta a procuratore, et idem procurator eos requisivit in eadem congregacione.

1. *Fuit dies lunae post Pascha.*
2. *Ab hinc usque* sufficienti (28) *postea deleta sunt.*
3. 27 *Aprilis.*
4. *Ms.* deberunt.

De alio articulo, videlicet de perpotacione procuratoris, deliberaverunt concorditer magistri[1] quod francum suum deberet perpotare et esse partyceps. Et tunc nacio intravit tabernam et potavit illum francum, et de pecunia nacionis V solidos, nam dixerunt magistri quod ipsi octo vel VII ita bene possent V solidos super nacionem potare, quemadmodum alii XII solidos, quia illi[2] in eadem multitudine potaverunt duplum et plus.

Item supplicavit magister Johannes Synneghen nacioni, ut sibi acomodaret III francos super bono pignore. Cui nacio[3] concessit tres francos per III menses super pignore prelibato, et magister Hartwicus solvit illos pro Phylosophya, quam habuit in nacione obligatam.

(*Fol.* 25) Item 4ª die mensis Maii facta fuit congregacio nacionis ad supplicandum in loco capitulari Predicatorum post sermonem, et fuit dominica 4ª post Pasca. In qua supplicaverunt magister Thomas de Clivis et magister Johannes Collech, ut si contingeret fieri rotulum in absencia eorum, quod solutis solvendis ut presentes possent inponi. Concessum fuit magistro Thome de Clivis, quod si contingeret fieri rotulum, ipse deberet inponi tamquam presens et eodem modo solvere; alter autem solum tamquam absens et solvere tamquam absens, in quantum possemus.

Item 5ª die mensis Maii facta congregacione apud Sanctum Julianum ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, facto computo receptoris nacio computavit 4ᵒʳ libras, 16 solidos, et octo denarios.

1371

Procuratoria magistri Wilhelmi de Wadenoy, Trajectens. dyoc.

Anno Domini Mº CCCº 71º, loco et die quo supra, facta congregacione nacionis ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer magister Wilhelmus de Wadenoy in procuratorem. In cujus procuratoria acta sunt hec que secuntur.

Primo eodem die in dicta congregacione deliberavit nacio concorditer, quod sibi placeret ire ad tabernam et propinare magistro Mercilio de Ynghen.

(*Fol.* 25 ᵇ) [4] Item anno Domini quo supra, facta congregacione nacionis Anglicane 14ª die mensis Maii immediate post sermonem[5] apud Cordigeros ad supplicandum, supplicavit primo magister Mercilius de Inghen nomine cujusdam bachillarii, Reynaldi nomine, quatenus nacio sibi concederet literas testimoniales de hoc, quod alias per annum studuisset in facultate arcium et bachillariatum optinuit in eadem facultate, cujus supplicacio fuit concessa.

Item [in] eadem congregacione supplicavit dominus Egidius dictus Bruun pro literis recommendatoriis ad patrem suum, cujus supplicacio fuit concessa.

Item anno Domini quo supra, vicesima tertia die mensis prescripti, facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem proposita fuerant duo in deliberacione nacionis. Primo enim supplicavit dominus Johannes de Mildeberch, quatenus nacioni placeret sibi de novo concedere dilacionem pecunie bursarum determinancie sue ad 3ᵉˢ menses, sub caucione tamen, quod poneret literam officialis sub pena excommunicacionis late sentencie. Cujus supplicacio fuit concessa sub moderacionibus, primo quod juraret quod pro nunc non haberet nec habere posset commode unde satisfaceret, omni dolo et fraude exclusis; 2º quod eciam juraret quod si tempore intermedio haberet unde commode nacioni satisfacere posset, quod adhuc satisfaceret ante terminum prefixum.

Item 2º propositum erat, cum alias concorditer deliberatum fu[er]it per magistros nacionis, quod vellet de pecunia nacionis propinare magistro Mercilio, cum alias legatus cum rotulo nacionis tempore recessus sui nacioni propinasset, quatenus protunc nacio iret ad tabernam sibi propinando. Super quo concorditer omnes magistri presentes consencierunt, licet aliqui tamen dicebant quod in alia congregacione preterita illud non poterat efficaciter deliberari, cum nacio non fuisset vocata ad ordinandum de pecuniis suis, ut ipsi dicebant. Omnibus tamen ad hoc concorditer consencientibus ivit nacio ad tabernam *ad ymaginem beate virginis* in vico Sutorum, ubi consumpsit 2ᵒˢ francos cum 4ᵒʳ solidis, quos receptor solvit.

(*Fol.* 26) Isti sunt licenciati hujus anni.

Primo licenciatus est dominus Gerardus de Hoyngen, pastor in Wasserbillich, sub magistro Jordano de Clivis, cujus quinque burse 3ᵉˢ franci. Satisfecit receptori.

1. *Hic ms. iterum* concorditer.
2. *Ms.* ille *correctum in* illi.
3. *Ms.* nacioni.

4. *In margine superiori iterum* Procuratoria mag. Wilhelmi de Wadenoy, *et sic etiam in marg. fol.* 26.
5. *Fuit vigilia Ascensionis, et nescimus quare* post sermonem. *Fortasse legi debet* 15 Maii, *i. e.* festum Ascensionis.

Item licenciatus est dominus Nicolaus Mathie sub magistro Henrico de Thenis, cujus bursa 8 solidi. Satisfecit receptori.

Item licenciatus fuit dominus Sanderus Fabri sub magistro Henrico de Hassia, cujus bursa 8 sol. Satisfecit receptori.

Item licenciatus est dominus Wilhelmus Gerlant sub magistro Guillelmo de Wadenoy, cujus bursa 6 sol. Satisfecit receptori.

Item licenciatus est dominus Johannes Boisville sub magistro Mercilio de Inghen, cujus bursa 7 sol. Satisfecit receptori.

Item licenciatus est dominus Godscalcus de Livonia sub magistro Henrico de Hassia, cujus bursa 8 s. Satisfecit receptori.

Item licenciatus est dominus Johannes de Gorinchem sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa 8 s. Satisfecit receptori.

Item licenciatus est dominus Johannes Philippi sub magistro Henrico de Thenis, et juravit statutum paupertatis.

Item licenciatus est dominus Alexander de Ethel sub magistro Thoma de Duns magistro in medicina, cujus bursa 8 solidi. Satisfecit receptori.

Item licentiatus est dominus Wilhelmus de Duysborch sub magistro Jordano de Clivis. Juravit statutum paupertatis.

Incipientes hujus anni.

Item incepit dominus Nicolaus Mathie sub magistro Heinrico de Thenis, cujus bursa 8 solidi. Satisfecit receptori.

Item incepit dominus Wilhelmus Gerland sub magistro Wilhelmo de Wadenoy, cujus bursa 6 sol.

1371

(*Fol.* 26 b) Continuacio magistri Wilhelmi de Wadenoy in procuratorem.

Anno Domini M^o CCC^o 71°, 2^a die mensis Junii facta congregacione nacionis Anglicane ad supplicandum et ad eligendum procuratorem apud Sanctum Maturinum, computavit receptor, et omnibus hinc inde defalcatis mansit receptor nacioni obligatus... (*sic*).

Item electus fuit magister Wilhelmus de Wadenoy concorditer protunc in procuratorem per magistros nacionis presentes. In cujus procur[atoria] acta sunt que secuntur. Primo, etc.

Item anno Domini quo supra, ejusdem mensis die 12^a, facta congregacione nacionis Anglicane super duobus articulis, scilicet ad ordinandum de quitancia mittenda magistro Wilhelmo Buzer, nuncio nacionis, super decem et octo francis, quos nacio sibi concesserat in casu quo non inveniretur negligens in exequendo facta nacionis; super quo non fuit concordia, nam una pars nacionis concessit dicto magistro Wilhelmo quitanciam, alia vero distulit usque ad adventum rotuli. Item ad supplicandum. Nullus tamen supplicavit.

Item anno Domini quo supra, ejusdem mensis die 13^a, facta congregacione nacionis super eisdem articulis, deliberatum fuit de primo articulo sicud prius.

Item supplicavit magister Walterus Venedou quatenus, si contingeret fieri rotulum in absencia sua, quod imponeretur cum aliis. Cui concessum fuit quod sibi fieret sicud aliis, qui ante supplicaverunt, scilicet quod si contingeret quod absentes imponerentur, poneretur cum aliis in loco suo, solutis solvendis.

Item anno Domini quo supra, mensis Julii die, etc., facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, supplicavit magister Johannes Zinnighe quatenus pro quibusdam pignoribus, obligatis nacioni per eum, posset ponere alia pignora eque bona vel meliora. Cujus supplicacio fuit concessa, et reposita fuerunt pignora in archa apud Sanctum Maturinum.

Item anno Domini quo supra, ipso die beati Jacobi apostoli[1], facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad ordinandum de debitis nacionis et ad supplicandum, deliberatum fuit concorditer per m[agistros] nacionis quod illi, quibus fuit concessa pecunia nacionis, obligarent nacioni quilibet eorum pignora dupli valoris ad pecuniam ab eo debitam, et erat summa debitorum in toto 15 franci; et data fuit eis dilacio ad 3^{es} menses, sic quod illis elapsis amplius pignora non possent redemi. Item eadem congregacione deliberatum fuit quod vocarentur magister Hartwicus de Zundis et magister Wilhelmus Trebron, magister Hartwicus scilicet pro tribus francis, in quibus per *librum nacionis* videbatur nacioni teneri, et magister Guillelmus super quadam litera que erat in archa nacionis de bursis licencie et magisterii.

(*Fol.* 27) Item anno Domini quo supra, mensis Augusti die 16^a, facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, vocatis predictis magistro Hart-

1. 25 *Julii.*

wico et Guillelmo Trebron, inventum fuit sufficienter quod magister Hartwicus in nullo nacioni teneretur; sed de magistro Guillelmo, quia pro tunc se excusaverat, deliberatum fuit quod vocaretur ad aliam congregacionem nacionis.

Item incepit dominus Johannes Boysville sub magistro Marcilio de Inghen, cujus bursa 7 solidi. Juravit et satisfecit receptori.

Item incepit dominus Gerardus de Hoyngen, pastor in Wasserbillich, sub magistro Henrico de Hassia, cujus bursa 9 sol. cum 4^{or} denariis.

1371

(*Fol.* 27^{b}) Acta in procuracione magistri Alberti de Pruscia, Pomezamensis diocesis.

Congregacio procuracionis sue prima.

1ª. — Anno Domini Mº CCCº LXXIº, facta congregacione nacionis Anglicane, XXVIª die mensis Augusti, apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, electus fuit in procuratorem predicte nacionis magister Albertus de Pruscia, in cujus procuracione acta fuerant que sequuntur.

Et primo in eadem congregacione deliberatum erat bonum esse intrare tabernam ad perpotandum novum procuratorem, et cum pro tunc hoc fieri non potuit propter missam, que pro tunc fuerat, dilatum erat ad congregacionem sequentem.

Item in eadem congregacione computus receptoris dilatus fuit usque ad primam congregacionem.

2ª. — Item facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, die 28ª mensis Augusti, proposui quod nacio deliberaret de magistro Wylelmo de Scocia et de sua litera, quam nacioni presentavit de aliquibus debitis, quod si eum ad pinguiorem fortunam devenire contingeret, quod tunc de illis debitis nacioni satisfaceret, et cum modo devenisset ad pingwiorem fortunam et solvere recusaret, quid ergo esset faciendum. Et deliberatum erat quod ejus deberet melius audiri responsio in sua presencia.

Item receptor tunc non computavit, quia dixit se esse inprovisum nec sibi esse dictum per bedellum.

Item deliberatum erat intrare tabernam ad perpotandum novum procuratorem cum duobus noviciis, quorum unus erat magister Gerardus pastor, etc., et magister Johannes Woysville, et tunc eciam dictum erat per aliquos magistros quod pecunia nacionis nullo modo deberet perpotari. Istis sic deliberatis, nacio intravit tabernam, et ibi consumpsit 4^{or} libras et 14 solidos, et 4^{or} pinctas vini, quarum quelibet constabat 20 denarios. Et pro solucione illius habuit unum francum a predicto procuratore, et duos ab aliis magistris duobus supradictis; aliud autem, multis altercacionibus prehabitis per magistros, receptor solvebat.

Item in eadem congregacione supplicavit magister Geverhardus de Saxonia quod in rotulis circa papam fiendis vel eciam aliis posset imponi, non obstante sui absencia, eo modo quo aliis esset concessum. Cujus supplicacio fuit concessa eo modo quo aliis.

3ª. — Item facta congregacione nacionis anno quo supra, 29ª die mensis Augusti, apud Sanctum Nycolaum, visa fuerant nova de rotulo et ejusdem rotuli copia inspecta. Item ibidem fuit lecta una litera missa per fratrem magistri Bozeri de curia Romana, in qua se excusavit de nimia mora legacionis rotuli, et supplicavit quod eum nacio haberet excusatum. Et per aliquos excusatus fuit, per aliquos vero non; major pars tamen eum habuit excusatum.

Item ibidem deliberatum fuit bonum esse episcopum Trajectensem adire, et nacionem sibi recommandari.

Item pro tunc supplicavit magister Arnoldus Neve quod posset imponi in rotulis, si qui fierent, eo modo quo aliis est concessum, scilicet solutis solvendis. Et ejus fuit supplicacio concessa.

Item supplicavit magister Johannes Woysville consimiliter et eo modo. Et ejus supplicacio consimiliter fuit concessa eo modo sicut et aliis.

4ª. — Item facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, prima die mensis Septembris, ad ordinandum de scolis, deliberatum erat quod de facto regentes quilibet in scolis suis remanere deberent.

Item ibidem renunciaverunt omnes regentes allegacioni juris inquilinii pro alio anno, quantum in eis esset, et super hoc non regentes requisierunt procuratorem, quod faceret congregacionem in die legibili ad illud statuendum.

Item propositum erat statui, qualiter nacio quolibet anno liberam et plenariam deberet habere disposicionem ad ordinandum de scolis. Et si quid ordinatum de eis fuerit, vel alicui concesse fuerint ante vel post mensem Septembris, hoc discernere deberet inane, sed in mense Septembris de eis disponi et ordinari deberet.

(*Fol.* 28) Item facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, die XIª mensis Septembris, apud Sanctum Maturinum ad statuendum de scolis et ad supplicandum, deliberatum erat quod tales

articuli, qui statui deberent, deberent dari quatuor deputatis, scilicet domino rectori [1] et domino magistro Ade et magistro Henrico Lanchals et magistro, etc., ad examinandum et ad corrigendum, ne aliquid statueretur contra privilegia et statuta Universitatis.

Item ibidem supplicavit dominus procurator, scilicet magister Albertus de Prucia, quod nacio dimitteret sibi unum francum de pecunia, quam nacioni debebat ex parte rotuli missi Gregorio, cum ipse in primo rotulo presens fuisset. Et ejus supplicacio fuit concessa. De alio vero franco satisfecit nacioni, quia sibi nacio obligata fuit in dimidio franco de festo Eadmundi, et alium dimidium prestitit bedello, qui ejus pignora retinebat.

Item ibidem supplicavit dominus Gotsalcus pro litera testimoniali de licencia, cujus supplicacio fuit concessa, quia rigorosa.

Item facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, XXII^a^ die mensis Septembris, apud Sanctum Marturinum ad eligendum receptorem, tunc antiquus receptor ex voluntate omnium fuit continuatus.

Item ibidem computavit dominus receptor, et hinc inde defalcatis mansit nacioni obligatus in octo libris et XIX solidis. Computus tamen ejus non erat per omnes approbatus propter quandam pecuniam perpotatam in electione domini procuratoris protunc existentis et propter pecuniam prrpotatam in propina, quam nacio magistro Mersilio in adventu suo propinavit.

Item ibidem nacio intravit tabernam, et receptor solvit unum francum; procurator vero sequens alium, scilicet magister Thomas de Haerlem.

1371

(*Fol. 28* b) Acta procuratorie magistri Thome Nicholai de Haerlem.

Anno Domini M° CCC° LXXI° facta congregacione nacionis Anglicane vicesimo tertio die mensis Septembris apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, electus fuit in procuratorem magister Thomas de Haerlem ab omnibus concorditer. In cujus procuracione acta fuerunt hec que sequuntur.

In primo facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, decimo tercio die mensis Octobris, apud Sanctum Julianum ad audiendum concordiam deputatorum ad statuendum de scolis, deliberatum erat quod deferretur usque ad proximam congregacionem, quoniam pauci magistri ibidem venerunt.

Item facta congregacione nacionis Anglicane decimo quarto die mensis Octobris anni predicti in primis apud Sanctum Julianum ad audiendum concordiam deputatorum, ad statuendum de scolis et ad ordinandum de pecunia nacionis et ad supplicandum, ubi relata fuit concordia trium deputatorum per hunc modum, quod in fine magni ordinarii nacio haberet liberam disposicionem de scolis sine allegacione juris inquilini cujuscunque, non obstante tamen quod aliquis magister in aliqua legisset per annum seu duos, sive per spacium temporis quodcunque. Preterea quod nacio non disponeret de scolis suis nisi infra festum Bartholomei et principium magni ordinarii, et hoc ipsa specialiter ad hoc vocata. Quibus tribus una pars magistrorum ibidem presencium consensit ad hoc statuendum. Verumptamen hoc quarto deputato non placuit, et eciam quibusdam aliis magistris, propter argumenta que in contrarium adduxerunt.

Item in eadem congregacione deliberatum erat, quoniam nacio careret pecunia ad observandum laudabilem consuetudinem in festo Eadmundi, quod darentur deputati ad procurandum debita nacionis. Et deputati erant procurator pro tempore, receptor nacionis et magister Jordanus de Clivis.

Item in eadem congregacione proponebatur, quoniam magister Wilhelmus Buzer electus erat anno preterito in creacione Gregorii pape XI in nuncium [et] sibi concessum erat, quod posset imponere in rotulo VI magistros, scilicet XVIII francos [2] libere, tali condicione quod si fideliter laboraret in curia pro nacione ad singula bene expediendum, nacio quitaret sibi pecuniam de illis 6 magistris recipiendam; si autem nacioni constaret de sua negligencia, solveret pro illis 6 magistris predictis XVIII francos, de quo [de]liberatum erat, quia factum erat instrumentum super predicta condicione, quod deferretur usque ad illud tempus, quo specialiter nacio vocata ad hoc fuerit, ut inspecto instrumento se sanius poterit super hoc deliberare.

Item eadem congregacione supplicavit magister Henricus, monachus quidam, quatenus nacio velit interesse prime sue misse. Cui omnes concesserunt quod libenter interesset, et quod ipsi propinarent ciphum argenteum ponderis unius marche, cum duobus francis aut cum 4^or^ coclearibus argenteis valoris duorum francorum.

1. Marsilio de Inghen. *Vid.* Chartul. III, n° 1369.

2. Scil. XVIII francos *inter lineas. Vid. supra* p. 382, 3.

Item supplicavit magister Wilhelmus Wadenoy, quia scole in quibus legerat non poterant claudi, sic quod deferrentur omnia ejus stramina, quod committerent receptori, quod emeret seram, et fortiter firmarentur. Cujus supplicacio erat admissa.

Item incepit dominus Johannes Philippi sub magistro Theodorico de Thenis, qui juravit statutum [paupertatis].

1371

Procuracio Gerardi de Calker.

Anno Domini M° CCC° LXXI[1], facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum die XXI[a] mensis Octobris, ad eligendum procuratorem et audiendum compotum receptoris, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis Gerardus de Calker, in cujus procuracione facta sunt hec que sequuntur.

Primo in eadem congregacione receptor non computavit, sed magistri unanimi consensu differebant compotum suum usque ad proximam congregacionem.

Item primo incepit dominus Godscalcus de Livonia sub magistro Henrico de Hassia.
Item incepit dominus Sanderus Fabri sub eodem.
} cujuslibet bursa IX solidi.

(*Fol. 29*) Item incepit dominus Guillelmus Lambs sub magistro Hermanno Buttenbroich, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Item in die sabbati[2] ante festum sancti Edmondi fuit facta congregacio nacionis ad ordinandum de pecunia nacionis et de festo Emondi et ad supplicandum et ad eligendum procuratores pro festo. Electi fuerunt Mercilius de Inghen et ego ipse Gerardus prescriptus in procuratores pro festo.

Item supplicavit dominus Guillelmus Duesborch, dictus Lambs, pro quitacione bursarum de magisterio, quia pauper. Cui concessum fuit, dummodo juraret statutum, et dum poneret literam officialis recognitoriam[3], et quando ad pinguiorem fortunam deveniret, istas bursas solveret bona fide.

Item deliberatum fuit ibidem quod visitaretur archa nacionis pro literis obligatoriis de debitis nacionis. Item deliberavit nacio quod eadem die intremus tabernam, quia erant duo novi magistri, quorum quilibet solvit unum francum pro jocundo introitu, quorum uni nomen magister Nicolaus Mathie, alteri nomen magister Johannes Philippi.

Item in eadem congregacione deliberavit nacio ut haberentur cantores solempnes in ecclesia pro festo sancti Emondi, et illis solveretur de pecunia nacionis.

1371

Continuacio ejusdem procuratoris.

Item die XVIII[a] mensis Novembris facta congregacione apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem et audiendum compotum receptoris, continuatus fuit idem Gerardus de Calker, differebantque magistri compotum receptoris usque ad congregacionem sequentem.

Item in die beati Emondi regis intravit nacio tabernam *ad duos gladios*, congregatisque omnibus magistris nacionis Anglicane ac bedellis facultatis, prout moris est in illa die, consumpsit nacio ibidem omnibus deductis XVI libras parisiens., defalcatis tribus francis, quos solverunt magistri Guillelmus Lambs, Sanderus Fabri, Gotscalcus de Livonia pro jocundo introitu.

Item XIII[a] die mensis Decembris facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem ad supplicandum, supplicavit magister Albertus de Pruscia quatenus, si contingeret fieri rotulum in absencia sua propter obitum domini pape[4], non obstante absencia sua posset imponi rotulo. Quam supplicacionem concesserunt omnes magistri, dummodo tamen solveret solvenda. Adjecerunt eciam quod ex quo ipse erat recessurus ad partes suas, et cum magister Michael de Pruscia esset obligatus nacioni predicte in quadam summa pecunie post compotum receptorie sue derelicte, quam nondum solvit, quatenus predictus magister Albertus reciperet in se onus monendi et extorquendi dictam

1. *Ms.* MCCCLXI.
2. 15 *Novembris.*
3. *Quae adhuc superest in Arch. Univers. Paris.*, theca XIV, n° 7 : Anno Domini M° CCC° LXXI°, die sabbati post festum beati Martini hiemalis (1371, *Novemb.* 15) coram nobis officiali Parisiensi propter hoc personaliter constitutus Wyllermus Lambs de Duysborg, clericus licentiatus in artibus ac Parisius scolaris, recognovit et confessus est se debere et legitime teneri ac solvere nacioni Anglicane quatuordecim solidos paris. causa bursarum magisterii in artibus ; quanto cito devenerit ad pinguiorem fortunam, solvet istam summam sub pena excommunicationis... Datum ut supra.
4. *Qui tamen plus quam per sex annos adhuc inter vivos fuit. Sed fama tunc duravit in Universitate Paris. papam Gregorium XI brevi moriturum, imprimis an.* 1373 ; *invenimus enim in ultimo folio* (54b) *hujus manuscripti notam a procuratore quodam quasi per jocum adscriptam :* « Datum anni LXXIII, secunda die mensis Junii, et dicebatur assertive, papam infra tres menses a data presentium moriturum sine defectu. »

summam, promiseruntque dicti magistri concorditer nomine nacionis, quod si predictam pecuniam posset obtinere a magistro Michaele predicto, quod tunc nomine nacionis sibi daret unum par caligarum in recompensam laboris sui. Qui magister Albertus ad hoc suum prebuit consensum.

Item die XVI^{a} die mensis Decembris anno eodem facta congregacione nacionis ad audiendum compotum receptoris, omnibus defalcatis remansit nacio sibi debens XX libras paris. minus uno denario, defalcatis duabus libris pro stipendio receptoris.

1371

(*Fol. 29* ^{b}) Acta in procuracione magistri Gerhardi de Hoyngen.

Anno Domini M° CCC^{mo} LXX primo, die sexta decima mensis Decembris, facta congregatione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum, computavit receptor, et omnibus defalcatis remansit nacio sibi debens XX libras paris. minus uno denario, connumeratis ij libris pro stipendio receptoris.

Item electus fuit magister Gerhardus de Hoyngen concorditer pro tunc in procuratorem per magistros nacionis presentes.

Item eodem die deliberatum erat intrare tabernam ad perpotandum novum procuratorem. Istis sic deliberatis nacio intravit tabernam [et] consumpsit XVIII solidos, VIII denarios, quos solvit novus procurator.

1372

(*Fol. 30*). Acta in procuracione Johannis de Rayntona Scoti.

Anno Domini M^{mo} CCC^{mo} LXXI^{mo} secundum stilum gallicanum [1], mensis Januarii die XIII^{a}, apud Sanctum Maturinum facta congregacione nacionis Anglicane ad eligendum procuratorem, ad audiendum compotum domini receptoris, et ad eligendum examinatores tam examinis Beate Genovefe quam examinatores determinancium, electus fuit in procuratorem nacionis predicte magister Johannes de Rayntona Scotus ex consensu magistrorum presencium. In cujus procuracione acta fuerant que sequuntur.

Item primo repertum erat per registrata superius, quod nacio domino receptori tenebatur omnibus computatis et defalcatis in XX libris parisiens. denario excepto, connumeratis tamen ij libris pro stipendiis receptoris, et usque ad presentem diem ultra minime recepit.

Item 2° in eadem congregacione deliberavit nacio et elegit in examinatores Sancte Genovefe pro duobus mensibus magistrum Guillelmum de Wadenou et magistrum Galterum de Delf, alterum eorum pro mense consequente, sed quod magister Guillelmus precederet magistrum Galterum. Et non juraverunt.

Item 3° per tres magistros antiquiores de nacione electi fuerunt in examinatores determinancium et jurati magister Marsilius de Ingham, magister Hermannus de Bodtenburc et magister Jordanus de Clyvis.

Item 4° finita congregacione ex consensu communi tabernam intravit nacio *ad huchiam* in vico Cythare, et ibidem cum quibusdam annexis exposite fuerunt 3 libre cum 12 solidis paris., de qua summa magister Johannes de Rayntona de novo procurator solvit unum francum, et magistri Gillelmus et Galterus de novo examinatores solverunt duos francos, et sic remanserunt 23 solidi solvendi, ex quo unus magistrorum optulit nacioni se soluturum unum francum tanquam in futuro plenarie solutum pro magistro Sandero Fabri, nomine procuratorie sue de novo fiende in secunda electione, vel quando placuerit nacioni in sequentibus eum eligere; residuos 8 solidos deficientes solvit magister Thomas de Arlam [2] sub spe recompensacionis in electione proxime procuracionis.

1372

Acta in procuracione Thome de Haerlem.

Anno Domini M° CCC° LXXI°, decimo die mensis Februarii, facta congregacione nacionis Anglicane ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum domini receptoris apud Sanctum Maturinum, nichil computavit receptor, quia non erat presens; verum etiam nichil recepit. Electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis Thomas de Haerlem, in cujus procuracione acta fuerunt hec que sequuntur.

In primo [1] facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum undecimo die mensis Februarii ad supplicandum, supplicaverunt quidam scolares sive determinantes pro dilacione pecunie solvende pro eorum determinacione. Super quorum supplicacionibus erat deliberatum concorditer, quod nullus

1. Sec... gallic. *inter lineas.*
2. *I. e.* Haerlem.

1. *In ms*^{to} *congregatio* 11 *Februarii ponitur post illam* 16^{i} *Februarii* (*quae ibidem incipit* In primo, *illa vero* 11 *Februarii:* Item), *et quidem post tertium determinantem* p. 409, 36.

eorum haberet dilacionem pecunie solvende nisi ad tres menses, sic tamen quod ponerent pignora valencia illam summam pecunie, pro qua dilacionem pecierunt, et cum hoc subduplum. Que si non redimerent infra tres menses predictos, receptor illam pecuniam receptam et solutam computaret, et de pignoribus autem ex tunc disponeret sicut vellet.

Item in eadem congregacione propositum erat de debitis nacionis. Super que deliberatum erat quod darentur deputati ad visitandum literas obligatorias in archa repositas super debito magistri Adalberti de Boemia; si quas invenirent, tollerent de archa et cum eis procederetur contra predictum magistrum, si solvere recusaret. Deputati erant magister Henricus Lanchals, magister Mercilius de Inghen, et procurator et receptor ex officio.

Item facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum ad supplicandum et ordinandum de pecunia nacionis, decima sexta die mensis Februarii, supplicaverunt duo determinantes, credo Rodulphus de Born et Jacobus Crayne, pro dilacione parciali pecunie eorum determinancie, cum partem pecunie in prompto se solvere obtulerunt, quibus concessum erat quod pro parte, quam non solverant, ponerent pignora duplum valencia finaliter redimenda infra III menses. Quod si non fecerint, nacio de pignoribus disponere posset sicut vellet.

Item determinavit Egbertus de Sciedam, filius Henrici, sub magistro Waltero de Delf, cujus bursa IX solidi.

Item determinavit Wigandus, filius Wigandi de Erpil, sub magistro Henrico de Hassia, cujus bursa VII solidi.

Item determinavit dominus Nicholaus Zuker sub magistro Thoma de Haerlem, cujus bursa V solidi.

(*Fol. 30* b) Item determinavit dominus Rodulphus de Born sub magistro Henrico de Hassia, cujus bursa IX solidi.

Item determinavit Jacobus Crayne [1] sub magistro Wilhelmo de Wadenoy, cujus bursa IX solidi.

Item determinavit dominus Hugo de Hervorst sub magistro Gherardo de Calker, cujus bursa III solidi.

Item determinavit dominus Johannes de Priswalch sub magistro Wilhelmo de Duusborch, cujus bursa III solidi.

Item determinavit dominus Nicholaus de Radones sub magistro Gherardo Calker, cujus bursa III sol.

Item determinavit dominus Johannes Mathie sub magistro Wilhelmo de Wadenoy, cujus bursa VIII solidi et VIII denarii.

Item determinavit dominus Johannes Scriptoris sub magistro Wilhelmo de Duusborch, cujus bursa III solidi.

Item determinavit dominus Hubertus Wild sub magistro Wilhelmo de Wadenoy, cujus bursa nichil quia juravit statutum [paupertatis].

Item determinavit dominus Walterus de Züelen [2] sub magistro Wilhelmo de Wadenoy, cujus bursa VIII solidi.

Item determinavit dominus Wilhelmus Narn sub magistro Wilhelmo de Trebron, cujus bursa VII s.

Item determinavit dominus Meynardus de Tyela [3] sub magistro Wilhelmo de Wadenoy, cujus bursa VIII solidi et VIII denarii.

Item subdeterminavit Henricus de Colonia sub domino Johanne de Priswalch, cujus bursa III solidi.

Item facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum VI^a^ die mensis Marcii ad supplicandum et ordinandum de debitis nacionis, supplicavit magister Edmarus de Gripwald, ut nacio vellet sibi sigillare unam literam testimonialem, quod reputarent ipsum fuisse verum studentem tempore conclusionis rotuli missi in creacione pape Gregorii. Cui nacio (attento quod fuit antea studens continuus per plures annos, et quod fuit in ultimo rotulo pape Urbani; eciam attenta magna distancia loci, ad quem se transtulit pro necessariis habendis, quibus studium Parisius intendebat continuare, ut asseruit, et quod tempore absencie sue semper intencionis sue erat quocicius poterat redire, et infra annum rediit, que omnia prestito suo juramento confirmavit, et requisitus quociens tociens confirmaret : super quibus inspecto et attento privilegio Universitatis Paris., quod itinerantes et se disponentes ad studium Parisiens. et presentes equaliter gaudebunt privilegiis Universitatis, etc.) concessit et admissit supplicacionem suam.

Item super ordinacione debiti nacionis, deliberavit quod debitores monerentur et citarentur. Item super supplicacione magistri Edmari deputavit nacio magistrum Mercilium, magistrum Gerardum de Hoynghen et procuratorem et receptorem, qui corrigerent literam ejus pro honore nacionis, ut melius potuerint, antequam sigillaretur.

1. *In ms^to^ clare* trayne.
2. *Ms.* Züelen.
3. *Ms.* tyela.

1372

Acta in procuracione ejusdem [Thome de Haerlem].

Item facta congregacione nacionis Anglicane 9ª die mensis Marcii apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem, et ad audiendum computum receptoris, computavit receptor sic quod omnibus defalcatis hinc inde mansit nacioni in tribus libris, 4 solidis et 4 denariis.

Item electus fuit magister Thomas de Haerlem concorditer in procuratorem, in cujus procuracione fuerunt acta.

Primo licenciatus est Johannes Hollinc de Tremonia sub magistro Mercilio de Inghen, cujus bursa nichil.

Item facta congregacione nacionis Anglicane 19ª die mensis Marcii ad deputandum et supplicandum ad Sanctum Julianum, deputati erant sex magistri, magister Gherardus de Harderwiic, magister Bertoldus canonicus Sancti Salvatoris, magister Henricus Lanchals, magister Adam de Catwiic, magister Mercilius de Inghen et magister Jordanus de Clivis, et cum istis procurator pro tempore, ad informandum deputatos facultatis theologie super quodam articulo contento et sigillato in rotulo quodam pape Gregorio mittendo, delendo vel corrigendo, si predicti magistri predictos doctores sufficientibus racionibus ad hoc adductis informarent. Qui articulus erat in forma quod ordo rotuli servaretur, quod supplicare esset in perpetuum prejudicium nacionis Anglicane [1].

Item in eadem congregacione supplicavit dominus Johannes de Tremonia ut nacio remitteret sibi bursas solvendas pro licencia et pro magisterio, si ipsum incipere contingeret, cujus supplicacionem nacio concessit jurato jurando de statuto paupertatis.

Item licenciatus fuit Johannes de Hoekelen sub magistro Wilhelmo de Waddenoy, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Item licenciatus est Theodoricus Kempem sub magistro Wilhelmo de Waddenoy, cujus bursa IIII solidi, et solvit.

Item licenciatus est Johannes de Priswalch sub magistro Wilhelmo de Duusborch, cujus bursa III solidi, et solvit.

Item incepit Johannes Hollinc de Tremonia sub magistro Mercilio de Ynghen, cujus bursa nichil.

1. *De isto rotulo seu articulis vid.* Chartul. III, nᵒˢ 1379, 1380.

Item licenciatus est Henricus de Rane sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VIII solidi.

Et [2] notandum quod in congregacione nacionis inferius, scilicet in principio carte sequentis signata, preter ibi scripta contigerunt ista. Vocata enim fuit nacio ad eligendum examinatorem pro 3° mense apud Sanctam Genovefam. Electus fuit magister Walterus de Delf pro eodem mense, in quo erat unica audicio, scilicet 5ª, et solvit francum perpotatum in *duobus gladiis*.

Et supplicavit magister Radulphus de Lubeke pro restitucione unius franci, scilicet secundi duorum alias pro inrotulacione sui per eum datorum, cum reputatus erat presens, et presentes nichil solvebant.

Item supplicaverat dominus Johannes de Hoekelem pro remissione bursarum debitarum pro magisterio, quia paratus jurare statutum paupertatis. Cujus supplicacio erat concessa. Et juravit statutum [paupertatis] in plena congregacione.

1372

(*Fol. 31*) Procuracio magistri Jordani de Clivis.

Anno Domini millesimo CCC° LXXII°, mensis Aprilis die VIᵗᵃ, facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem et audiendum computum receptoris, electus fuit in procuratorem concorditer magister Jordanus de Clivis. Factaque computacione receptor mansit nacioni obligatus in II solidis paris. et IIII denariis. In procuracione autem ejusdem Jordani acta fuerunt infrascripta.

Primo incepit Henricus Rane Scotus sub magistro Guillelmo Trebron, cujus bursa VIII solidi.

Item incepit dominus Johannes de Pryswalch sub magistro Adalberto de Bohemia, cujus bursa III s.

Item incepit dominus Johannes de Hoekelem sub eodem magistro Adelberto de Bohemia, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Caelwart sub magistro Henrico de Thenis, cujus bursa V sol.

Item licenciatus fuit dominus Rodolphus de Borne sub magistro Gerardo de Kalker, cujus bursa IX sol.

Item incepit idem Rodolphus sub magistro Gerardo de Kalker, cujus bursa IX solidi.

Item licenciatus fuit dominus Thomas de Edinhame sub magistro Gerardo Kalker, cujus bursa VIII sol.

2. *Quae sequuntur, scripta sunt charactere sequentis procuratoris Jordani de Clivis.*

1372

Magister Galterus Wenedou fuit hic procurator.

Anno Domini millesimo CCC° LXXII°, mensis Maii die IIII^a, facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem et audiendum compotum receptoris, electus fuit in procuratorem ejusdem nacionis Walterus Ghiselberti, in cujus procuracione acta fuerunt que sequuntur.

Primo incepit Thomas Etinhem Scotus sub magistro Gerardo Calker, cujus bursa VIII solidi.

Item licenciatus fuit dominus Arnoldus de Nussya sub magistro Hermanno de Bottenbroec, cujus bursa IX solidi, pro quibus solvendis et nondum solutis posuit pignora, scilicet Naturalem philosophiam cum libro Ethycorum et Rethorice in duobus voluminibus sub receptore, tanquam pro dilacione nacionis supplicaturus.

Item licenciatus fuit dominus Egidius Brune sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VIII solidi.

Item incepit dominus Egidius Brune sub magistro Hermanno de Bottenbroec, cujus bursa VIII solidi.

1372

Procuracio magistri Henrici Langhals.

Anno Domini quo supra, mensis Junii die prima, facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, electus fuit in procuratorem magister Henricus Langhals per vacaciones duraturus, in qua procuracione acta hic sequuntur.

Primo in eadem congregacione computus receptoris erat dilatus usque ad proximam congregacionem.

Item eodem tempore magistri nacionis intraverunt tabernam *ad turbotum* [1], et solvit ibi magister Johannes Priswalich pro jocundo suo introitu I francum.

Item alia vice facta congregacione nacionis ad supplicandum in Sancto Maturino, supplicavit magister Gotschalcus de Lyvonia recessurus ad curiam Romanam, quatenus si tempore absencie sue contingeret fieri rotulum ad papam, ipse imponeretur eciam in loco antiquitatis sue. Cujus supplicacio fuit concessa cum moderacione et condicione simili, qua hoc aliis erat concessum, qui ultimo ante eum supplicarunt.

Item incepit dominus Theodoricus de Kempen sub magistro Hermanno Bottenbroyc, cujus bursa IIII s.

Item anno Domini quo supra in crastino [2] Ludovici facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum ad audiendum computum receptoris, omnibus computatis et defalcatis, permansit receptor debens nacioni VI libras, XVIII solidos, VIII denarios, que pecunia tradita fuit bedellis, superiori bedello duas partes, inferiori vero terciam partem.

Notandum quod in vigilia [3] beati Johannis hujus anni electus erat unus Picardus in rectorem, qui non consenciens se excusavit [4], et processum erat ad novam electionem, et pro tunc electus [5] acceptavit.

1372

(*Fol. 31^b*) Acta in procuracione magistri Hermanni de Bottenbroich.

Anno Domini M° CCC° LXXII°, facta congregacione nacionis Anglicane XXVI^a mensis Augusti, apud anctum Julianum ad eligendum procuratorem et audiendum compotum receptoris, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Hermannus de Bottenbroich. Et facta computacione mansit receptor debens nacioni in VI libris, XVIII solidis, que pecunia tradita fuit bedellis ad supplicacionem eorum multociens factam, quia modicum lucrum dixerunt se fuisse consecutos illo anno de nacione. Et sic de unanimi consensu magistrorum optinuerunt istam summam, etc. Et ex deliberacione racionabili intraverunt magistri tabernam *ad duos gladios*, et perpotaverunt XVI solidos et XVI denarios, quos idem magister Hermannus solvit pro procuracione sua.

Item XII^a die mensis Septembris facta congregacione nacionis hora prime post sermonem [6] apud Sanctum Maturinum super ordinacione scolarum pro regentibus et rector[ibus] in ordinario instanti, — et quia V erant instantes pro scolis, qui se promiserant lecturos, et V sunt scole spectantes ad nacionem, —

1. *Seu ad* intersignium turboti, *prope S. Julianum pauperem, ut in* Chartul., III, 379, *dicitur.*

2. 26 *Augusti.*

3. 23 *Junii.*

4. *Jam duo rectores antecedentes e natione Picardorum fuerunt. Vid.* Chartul. III, *not.* 1, p. 206. *Sed etiam sequens* Joh. de Monasterio, *Picardus fuit*

5. *Scil.* Johannes de Monasterio, *seu* de Monasteriis (*vid.* Chartul., III. *not.* 1 n° 1382, p. 209). *Tempore suae rectoriae* « multos et magnos labores pro fide sustinuit, Universitatem congregando et condempnationem Begardorum procurando, prout in eadem rectoria fuerunt condempnati » (*Arch. Vat.*, Reg. Suppl. Clem. VII, *an.* 9, *p.* 2, *fol.* 3). *An. scil.* 1372, *Jul.* 4, Turlepini *Parisiis in publico condemnati sunt* (*vid.* Les grandes chron. de France, *ed.* P. Paris, VI, 334). *Eodem anno et sequenti Gregorius XI suas epistolas contra Begardos*, « qui alias Turlupini dicuntur, » *direxit.*

6. *Quia dominica fuit.*

deliberatum fuit quod quilibet haberet unam scolam, manentibus actu regentibus in scolis quas jam haberent. Supplicavit tamen magister Thomas de Clivis, quod in casu, quo ipse haberet plures audientes quam magister Wilhelmus Wadenoye, quod tunc ipse magister Wilhelmus permutaret scolas, in quibus legerat magister Marcilius. Sed de ista supplicacione nichil erat discussum per nacionem, sed ipsi Thomas et Wilhelmus predicti promiserunt se bene in hoc casu amicabiliter concordaturos. Item quia magister Jordanus de Clivis propter infirmitatem suam non fuerat presens, supplicavit pro eo et nomine ipsius Jordani magister Henricus de Thenis, quod scole ipsius Jordani ipsi Jordano remanerent, quod fuit concessum. Sed erat condicio apposita, videlicet quod si ipse Jordanus propter infirmitatem non posset regere vel alia causa impediente, quod tunc ordinacio et disposicio de illis scolis nacioni reservaretur, sicut de facto ipsa nacio sub condicione predicta sibi reservavit. Item apposita est condicio per concordem deliberacionem nullo reclamante, quod ipsi regentes seu illi, quibus assignate fuerunt scole, non deberent allegare jus inquilinii, et in hoc consenserunt presentes, quibus dicte scole assignabantur. Et ita tradite fuerunt eis scole, sicut anno proxime preterito fuerant tunc regentibus et rector[ibus] assignate. Supplicantes pro scolis fuerunt magistri Thomas de Clivis, Gerhardus de Kalker, Wilhelmus Wadenowe, et Johannes de Saxonia, et magister Henricus de Thenis vice et nomine magistri Jordani, ut predictum est.

Item mensis Septembris die XXI[a] facta est congregacio nacionis ad Sanctum Maturinum hora vesperarum ad eligendum receptorem, qui secundum consuetudinem nacionis eligi solet illo die. Continuatus est in receptorem nacionis magister Henricus de Thenis per voluntatem et consensum omnium magistrorum.

Item magister Marcilius de Inghen, quia nuper in disposicione scolarum non fuit presens, supplicavit nacioni quatenus provideretur sibi de scolis, quia intenderet regere et continuare regenciam eciam ipse; proposuit quod fuit in possessione quarundam scolarum, in quibus hyeme proximo preterita rexerat. Et sic significavit eis regenciam futuram.

Item deliberatum fuit quod receptor continuatus daret francum ad potandum. Item propositum fuit quod XXIII[a] die mensis istius esset eligendus procurator nacionis; et quia unus francus dandus per receptorem modicum sufficeret inter tantos, bonum esset quod eligendus sic in procuratorem daret et solveret jam unum francum, dummodo esset talis qui solvere teneretur de prima procuracione sua. Et inventum est quod magister Thomas de Clivis eligibilis esset in procuratorem die predicta. Et dixit se libenter velle accipere in se onus procuracionis in proxima electione. Et sic similiter solvit francum depotandum. Item placuit nacioni quod magister Nicholaus de Goulda[1], qui non fuerat prius procurator, solveret unum francum, qui defalcandus erit in procuracione sua ad quam fuerit assumptus. Et ita deliberacione prehabita intraverunt magistri tabernam *ad mallietos* cum istis tribus francis, quos debiberunt cum XII solidis, quos XII solidos secundum vota et deliberacionem magistrorum, quorum fuerunt ibi XX presentes, solvit dominus receptor predictus nomine nacionis exponens ipsos pro ea computandos.

1372

(*Fol. 32*) Acta sunt hec tempore procuracionis magistri Thome de Clivis.

Anno Domini M° CCC° LXXII°, mensis Septembris die XXIII[a], facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Juliano ad eligendum procuratorem, eligebatur magister Thomas de Clivis.

Ejusdem mensis XXIIII[a] die apud Sanctum Julianum congregata nacione hora primarum ad concordandum magistrum Wilhelmum Wadenoy et magistrum Thomam de Clivis super duarum scolarum particione, et utriusque motivis per se narratis et attentis, deliberabat nacio quod proxima dominica fieret, jam post sermonem, apud Sanctum Maturinum solemnis congregacio nacionis per juramentum ad concordandum predictos magistros et plene inter eos ordinandum super illis scolis, et quod neutrius partis obstante reclamacione vel appellacione ab illa solemniter convocate nacionis sentencia vel partis majoris, tota nacio suam exequeretur sentenciam cum effectu, non deferendo cujusquam eorum appellacioni, cum nacio de suis scolis plenam et liberam habet et habere debet disposicionem.

Et ea dominica[2] facta sic congregacione, jam post sermonem, in Sancto Maturino, decrevit nacio quod neutri, scilicet nec magistro Wilhelmo nec magistro Thome, erant scole majores deputate, sed utrique major vel brevior, et particio commissa

1. *I. e.* Gouda.

2. 26 *Septembris.*

fuerat eorum concordie, super qua tamen nequibant inter se concordari. Et ibidem de voluntate nacionis eligebat uterque duos de nacione, et illi quatuor assumpto 5° similiter indifferenti arbitrabantur, quod jactibus talorum fortuitis scole partirentur. Et ita factum est. Et magister Thomas lucratus est eas sorte pro sequenti anno ab initio magni ordinarii.

Item ejusdem mensis XXVIII^a die incepit dominus magister Johannes Caelwaert sub magistro Henrico de Thenis, cujus bursa VI solidi.

1372

Acta sunt hec tempore procuracionis Nycholay Stoter de Gouda.

Anno Domini M° CCC° LXXII°, mensis Octobris die XXI[a], facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Juliano ad eligendum procuratorem, eligebatur magister Nycholaus Stoter de Gouda.

Item XI[a] die mensis Novembris facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum super responsione quorundam debitatorum, decrevit nacio quod magister Albertus de Bohemia, qui unus fuit de numero debitatorum [1], quia non comparuit, alia die proxima vocaretur per juramentum suum coram nacione, et se, si posset, excusaret; alias procederetur contra eum coram officiali vel cancellario meliori et breviori modo, quo poterit. Magister Wilhelmus Trebron tunc temporis in nacione comparuit, et promisit munire manus domini receptoris nostri uno vel duobus francis ante festum Emundi, et reliqua pars debitorum usque quo sibi pecunia veniret expectaretur, et in hoc nacio concorditer fuerat contenta.

Item XII[a] die mensis Novembris facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad audiendum magistrum Albertum de Bohemia, venit prefatus magister Albertus in nacione et portari fecit quasdam Decretales cum alba pelle ligatas, quas nacioni tradidit ex parte debitorum trium scutatorum auri puri de cuno Philippi, quondam regis Francie, et unius mutonis auri ex causa puri mutui et concessi impignoratas, et pro tunc de consensu nacionis sibi tradita erat litera obligatoria.

Item XIIII[a] die mensis ejusdem facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum super ordinacione festi nacionis de sancto Emundo, deliberavit nacio concorditer quod esset faciendum solempniori modo quo poterit, et cantores qui divinum officium cantarent essent conducendi; sed ex quo pecunia nacionis pro festo solempniter agendo, prout temporibus preteritis consuetum fuit, non sufficiebat, decrevit nacio quod quivis magister imponeret unum dimidium francum, quem dum nacioni de pecunia provisum fuerit a [2] domino receptore esset recepturus.

Item debet nacio receptori omnibus computatis in XXXVI solidis et II denariis.

1372

(*Fol. 32 b*) Acta sunt hec tempore procuracionis magistri Arnoldi de Tricht.

Anno Domini M° CCC° LXXII°, mensis Novembris die XVII[a], facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Juliano ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer magister Arnoldus de Tricht, cujus acta secuntur.

Item eadem die et hora deliberatum fuit, ut predicta nacio intraret tabernam, in qua magister Theodericus de Kempen solvebat unum francum pro jocundo introitu suo.

Item in die sancti Eadmundi in prandio *in hospicio ymaginis sancti Johannis* omnibus computatis exposuit dominus receptor XV libras, XIX solidos, X denarios.

Item facta congregacione nacionis in Sancto Juliano ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, computavit receptor, cujus computus ab omnibus approbatus, mansit sibi nacio obligata in XII libris paris., II solidis minus.

1372

Procuracio Gerardi de Calker.

Anno Domini M° CCC° LXXII°, die XVI[a] mensis Decembris, electus fuit concorditer in procuratorem nacionis Anglicane Gerardus de Calker, in cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

Primo pro eodem tempore erat congregacio facultatis ad eligendum rectorem, et electus fuit in rectorem Universitatis magister Johannes de Luczelenborch, qui nacionis consilium et juvamen peciit in agendis, quod nacio concessit.

Item facta quadam congregacione nacionis in Sancto Maturino ad habendum consilium et ad concordandum magistros quosdam nacionis predicte, inter quos mota fuit discordia, et ad supplicandum,

1. *Vid. supra* p. 395, 1 *sqq.*

2. *Ms.* ad.

deliberaverunt omnes magistri unanimi consensu, quod predictis magistris discordantibus supplicaretur, ut vellent eligere vel nacionem, id est deputatos nacionis, vel alios quoscumque indifferentes viros, qui eos concordarent, ut non starent in processu litis pendentis coram officiali. Qui magistri responderunt quod super isto deliberacionem habere voluerunt, se responsuros domino rectori et procuratori nacionis predicte infra triduum pretendentes.

Item supplicavit quidam scolaris, quatenus cum alias posuerit pignora pro determinancia sua, et pauper esset et in Parva Sorbona beneficiarius esset, quatenus nacio vellet sibi pignora reddere, et eum de pecunia determinancie misericorditer quitare. Super qua supplicacione deliberatum fuit quod non quitaretur, si non jurarct statutum paupertatis; quod tamen si jurare se exhiberet protunc, non fuit declaratum, utrum tunc totaliter deberet quitari, ex quo ante posicionem pignorum predictum juramentum facere recusavit.

Item facta congregacione nacionis XIII^a die mensis Januarii ad audiendum compotum receptoris et ad eligendum procuratorem et supplicandum, receptor protunc non computavit, nec aliquis supplicavit, etc.

1373

Acta procuratoris Walteri de Delf.

Anno Domini M° CCC° LXXIII, die decimatercia mensis Januarii, electus fuit unanimiter in procuratorem nacionis Anglicane Walterus de Delf, in cujus procuracione acta sunt sequencia.

Item facta congregacione nacionis in Sancto Maturino die 6^a mensis Februarii ad eligendum examinatorem determinancium et bachalariorum licenciandorum in Sancta Genevefa, electi fuerunt in examinatores determinancium magistri Mercilius de Inghen, Jordanus de Clivis et Gherardus de Calker.

Item in eadem congregacione electi fuerunt in examinatores bachalariorum licenciandorum in Sancta Genovefa magistri Thomas de Clivis pro primo mense, Walterus de Delf pro secundo mense, et Wilhelmus Wadenoey pro 3° mense.

Item eadem die nacio intravit tabernam, et consumpsit duos francos cum octo solidis, de quibus magister Thomas de Clivis solvit unum francum, Walterus de Delf unum francum, et magister Wilhelmus de Wadenoey octo solidos.

Item facta congregacione nacionis die 10^a mensis Februarii apud Sanctum Julianum ad audiendum compotum, ad eligendum procuratorem et ad supplicandum, nacio mansit receptori obligata [in] XVII libris, V solidis, IIII denariis. Electus fuit in procuratorem magister Gheraerdus Calker et dispensatum fuit cum eo [de] alio optinendo [officio].

1373

(*Fol. 33*) Procuratio Gerardi de Calker.

Anno Domini quo supra, die decima mensis Februarii, facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer nullo penitus reclamante Gerardus de Calker, in cujus procuracione acta sunt que sequuntur.

Primo in eadem congregacione dispensavit nacio cum predicto Gerardo (quia electus fuit prius in quadam congregacione in examinatorem determinancium, et cum hoc in procuratorem in prefata congregacione) de hoc quod optinuit duo officia. Item predictus Gerardus, quia nacio intravit tabernam, solvit dimidium francum nacioni, non tamen quod hoc traheretur in consuetudinem pro aliis eleccionibus faciendis.

Item obtulit magister Elias de Orde[1] solvere pro nova sua procuracione sua futura, quando a nacione pro futuro eligeretur, et si aliquis alius hoc idem facere vellet, sufficienter inquisivit. Sed nullo alio hoc volente facere ibidem existente, ipse se paratum ex[h]ibuit, et introitum suum pro nova eleccione ejus in procuratorem pro futuro solvit nacione existente in taberna. Nichil tamen ibidem exponebatur de pecunia nacionis tradita a receptore.

Item facta congregacione nacionis ad audiendum juramenta examinatorum determinancium, juravit magister Mercilius de Inghen et Gerardus de Calker prescriptus in nacione; sed nacio procuratori dedit potestatem audiendi juramentum tercii examinatoris, scilicet magistri Jordani, pro se propter absenciam ejus in illa congregacione.

Determinaverunt.

Primo dominus Theodoricus Ruusch[2], diocesis Trajectens. sub magistro Waltero Giselberti, cujus bursa V solidi. Satisfecit receptori.

Item Giselbertus Scout sub magistro Nicolao de

1. *Vix idem ac* Elias de Loepwiic (p. 308, 36; 347). *Infra ad an.* 1378, *Sept.* 23, *quando procurator electus est, vocatur* Van den Oerde. *Supra* p. 360, 10 : Helias de Orne.

2. *Ms.* Rwsch.

Gouden, cujus bursa 3 solidi. Satisfecit receptori.

Item Jordanus de Gorkem sub magistro Guillelmo de Wadenoy, cujus bursa V solidi, 2 denarii. Satisfecit.

Item Theodoricus Heswic sub magistro Guillelmo Wadenoy, cujus bursa 5 solidi, 2 denarii. Satisfecit.

Item Johannes Boukil Scotus sub magistro Gerardo de Calker, cujus bursa 7 solidi. Satisfecit.

Item Ecbertus[1] Arnoldi sub magistro Nicolao de Gouda, cujus bursa 5 solidi 4 denarii. Satisfecit.

Item Johannes Theodorici sub eodem, cujus bursa 5 solidi 4 denarii. Satisfecit receptori.

Item dominus Giiskinus Diepenborch sub eodem, cujus bursa 5 solidi, 4 denarii. Satisfecit.

Item dominus Jacobus Johannes sub eodem, cujus bursa 5 solidi, 4 denarii. Satisfecit receptori.

Item Johannes de Barka sub magistro Hermanno Buttenbroch, cujus bursa nichil, quia juravit statutum [paupertatis].

Item Johannes Stralen sub magistro Hermanno Buttenbroch, cujus bursa 5 solidi 8 denarii. Satisfecit.

Item Johannes de Eydel sub magistro Johanne de Luczelenborch, cujus bursa 6 sol.; posuit pignora pro duobus francis et sex solidis, et solvit 2 francos.

Item Johannes de Sancto Vito secus rupem sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa 3 solidi; posuit pignora.

Item Johannes Log sub magistro Gerardo de Calker, cujus bursa 5 solidi et dimidius; posuit pignora.

Item Johannes de Confluencia sub magistro Henrico de Hassia, cujus bursa 22 denarii; posuit pignora.

Item Gerardus de Priswalk sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa nichil, quia juravit statutum [paupertatis].

Item Cifridus de Drunglhen sub magistro Guillelmo Wadenoy, cujus bursa 5 solidi 4 denarii; posuit pignora[2].

Item determinavit dominus Johannes de Cambusnatzan sub mag. Trebron, cujus bursa vj sol. Solvit totaliter[3].

Item facta congregacione nacionis in Sancto Maturino ad supplicandum et ordinandum de pecunia nacionis, supplicavit Johannes de Eydel pro dilacione duorum francorum et 6 solidorum, cui fuit concessum ad 3 menses, dummodo poneret pignora sufficiencia receptori.

Item supplicavit Cifridus de Drunglhen pro dilacione bursarum sue determinancie ad 3 menses, cujus supplicacio fuit concessa, dummodo poneret pignora sufficiencia, de quibus receptor esset contentus.

Item supplicavit Johannes de Confluencia pro dilacione bursarum sue determinancie, et Johannes Log et Johannes de Sancto Vito secus rupem de Saxonia consimiliter, quorum supplicaciones fuerunt concesse sicut supplicacio immediate precedens ad 3 menses.

Item supplicaverunt Johannes de Berka et Gerardus de Priswalk pro remissione bursarum suarum determinanciarum, quibus concedebatur, dummodo jurarent statutum, et quando ad pinguiorem fortunam devenirent, satisfacerent de eisdem.

Item facta congregacione ad audiendum compotum receptoris et eligendum procuratorem, computavit receptor, et omnibus defalcatis remansit Johanni obligatus in 8 solidis, 6 denariis, et fuit approbatus compotus.

(*Fol. 33*[b]) Item in fine ejusdem congregacionis deliberatum fuit, quod si quis in bursa solum poneret summam infra duos solidos et XVI denarios, solveret pro scolis X solidos.

1373

Procuracio magistri Rodolphi Taem.

Anno Domini millesimo CCC° LXXIII, mense Marcii die decima, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem et audiendum compotum receptoris, electus fuit in procuratorem concorditer magister Rodolphus Taem, in cujus procuracione acta fuerunt hec que sequuntur.

Primo eodem die concorditer deliberatum fuerat, tabernam intrare novum procuratorem, qui prius officio procuracionis usus non fuerat, perpotando. Et nacio tabernam *in grangia* intravit, ubi dictus magister Rodolphus Taem de ejus nova procuracione prima solvit XVIII solidos, et quilibet magistrorum ibidem existencium II solidos.

Item XXVI[a] die mensis predicti in completoriis facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad supplicandum, supplicavit dominus Henricus de Roshem, quatenus nacio secum dispensaret de bursis suis racione sue subdeterminancie solvendis,

1. *I. e.* Egbertus.
2. *Deinde iterum affertur* Item Johannes de Barka, *etc., sed deleta rubrica, scribebatur :* Quere istum cifratum superius.
3. *Haec rubrica infra postea inter lineas scripta est.*

quia vellet jurare statutum paupertatis. Cujus supplicacio fuit admissa, et ibidem juravit statutum. Et subdeterminavit dictus Henricus pro Egberto Arnoldi de Delf, cujus bursa nichil, quia juravit in nacione ut supra.

Item XXVIIIª die mensis ejusdem celebrata congregacione nacionis in Sancto Maturino ad supplicandum, supplicavit dominus Johannes Forestarii, quatenus nacio secum dispensaret ut subdeterminare posset, cujus supplicacionem, si et in quantum potuit, secum dispensando concessit. Et subdeterminavit sub magistro Wilhelmo Strebron[1], cujus bursa V solidi. Satisfecit receptori.

Item XXIX die mensis dicti congregacione nacionis facta in Sancto Maturino ad supplicandum, supplicavit Wilhelmus de Fothynenyn, quatenus nacio secum dispensaret ut subdeterminare posset. Cujus supplicacio in modum ut supra fuit admissa. Et subdeterminavit idem Wilhelmus pro Jacobo Johannis, cujus bursa V solidi et II denarii. Solvit totaliter.

Item subdeterminavit Jacobus Linse sub magistro Gerardo Calker, cujus bursa XVIII denarii. Satisfecit receptori.

Item facta congregacione apud Sanctum Julianum die VIIª mensis Aprilis ad audiendum computum receptoris et eligendum procuratorem, audito computo remansit nacioni obligatus in IIII libris, VI solidis, IIII denariis, et fuit compotus ab omnibus approbatus. Et electus fuit in procuratorem magister Johannes de Hokelem.

1373

(*Fol. 34*) Acta sunt hec tempore procuracionis magistri Johannis de Hokelem.

Anno Domini millesimo CCC° LXXIII°, mensis Aprilis die VIIª, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem et audiendum compotum receptoris, electus fuit in procuratorem concorditer magister Johannes de Hokelem. In cujus procuracione acta fuerunt hec que sequuntur.

Primo eodem die concorditer deliberatum fuerat tabernam intrare, procuratorem qui prius officio usus non fuerat, perpotando. Et nacio tabernam *in duobus gladiis* intravit, ubi dictus magister Johannes de Hokelem de ejus nova procuracione prima XVI solidos solvit, et quilibet magistrorum ibidem existencium unum album.

1. *I. e.* Trebron.

Item liscenciatus fuit Nicholaus Zuker de Haerlem sub magistro Gheraerdo Calker, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item liscenciatus fuit dominus Hugho de Hervorst sub magistro Thoma de Clivis, qui satisfecit pro bursis sue licencie solvendo.

Item liscenciatus fuit dominus Jacobus Johannis[2] sub magistro Heinrico de Thenis, cujus bursa V solidi et IIII denarii. Satisfecit receptori.

Item incepit dominus Hugho de Hervorst sub magistro Thoma de Clivis, cujus bursa V solidi et IIII denarii. Satisfecit receptori.

Item incepit dominus Jacobus Johannis sub magistro Heinrico de Thenis, cujus bursa V solidi et IIII denarii. Satisfecit receptori.

Item prima die Maii, facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Bernardo ad supplicandum, supplicavit magister Walterus Venedou pro ejus presencia, quoniam intencionis esset adeundi partes suas, igitur supplicavit quod quocunque modo contingeret, ipse haberetur tamquam presens. Cujus supplicacio ab omnibus ibidem fuit concessa.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum die Vª mensis Maii ad audiendum computum receptoris et eligendum procuratorem, computavit et mansit nacio obligata receptori in 33bus solidis, et VIII denariis. Et infra istam summam computate sunt omnes scole anni illius, scil. LXXIII (*sic*), et solute sunt usque ad magnum ordinarium sequentem. Et fuit compotus ab omnibus approbatus. Et electus fuit in procuratorem magister Gheraerdus de Hoingen.

1373

(*Fol. 34 b*) Acta sunt hec tempore procuracionis magistri Gerhardi de Hoyngen, pastoris in Wasserbillich.

Anno Domini M° CCCmo LXXIII, mensis Maii die quinta, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum, deliberavit nacio predicta intrare tabernam perpotando ibidem novos magistros, videlicet magistrum Hugonem de Hervorst et magistrum Jacobum Johannis, quorum quilibet solvit ibidem unum francum pro jocundo suo introitu.

Item sequenti die juravit dominus Theodoricus de Ruusch licenciaturus, cujus bursa V solidi, de quibus satisfecit domino receptori pignore.

2. *Ms.* Johannes.

[Licenciati].

Item dominus Nycolaus Zuker et dominus Theodoricus Rusch sub magistro Gerhardo Kalkar, quorum cujuslibet bursa erant V solidi, de quibus satisfecerunt domino receptori pignoribus. Juraverunt die[1]...

Item dominus H[enricus] Rossem juravit paupertatem quia licenciatus fuit in artibus.

Item dominus Jacobus Creynch licenciatus fuit sub magistro Gerhardo Kalkar, cujus bursa fuit VII solidi. Solvit.

Item Johannes Scriptoris licenciatus in artibus solvit V bursas, pro qualibet III solidos, in octava[2] Translationis sancti Nycholai.

Item Henricus Roshen cujus bursa nichil. Incepit.

Item Hubertus Wilde, cujus bursa nichil. Incepit.

Item in profesto[3] sancti Yvonis dominus Andreas Creyne licenciatus in artibus satisfecit, cujus bursa fuit VII solidi.

Item in crastino Yvonis dominus Johannes Mathye licenciatus satisfecit, cujus bursa VI solidi. Satisfecit receptori.

Item feria secunda[4] ante Ascensionem Domini dominus Gysilbertus Scout licenciatus satisfecit, cujus bursa III solidi. Satisfecit domino receptori.

Item eadem die dominus Hupertus juravit, cujus bursa nichil.

Item eadem die dominus Jacobus et dominus Andreas Creynch, incepturi in artibus, quorum cujuslibet bursa fuit VII solidi. Satisfecerunt domino receptori et michi de juramentis et eciam pignoribus.

Item eadem die satisfecit domino receptori pignore et michi juramento dominus Johannes Stralen, cujus bursa VI solidi, incepturus sub magistro Hermanno Butt[enbroch].

Item in crastino[5] Ascensionis Domini dominus Johannes Forestarii satisfecit, qui licenciaturus fuit sub magistro Petro Werelli[6], cujus bursa V solidi, de quibus satisfecit.

Item eodem die satisfecit dominus Johannes Boukel licenciatus, cujus bursa VIII solidi.

Item dominico die[7] post Ascensionem Domini satisfecit dominus Johannes Scriptoris incepturus in artibus, cujus bursa III solidi, de quibus domino receptori pignoribus satisfecit.

Item dominus Wygandus de Erpil, cujus bursa V solidi, licenciatus.

Item idem Wigandus incepit in octavo Ascensionis, cujus bursa V solidi.

Item eodem die supplicavit magister Henricus Lupi de Wesalia quod in absencia sua, si rotulus fieret, imponeretur, quod sibi nacio concessit in quantum in ipsa esset, salvo jure presencium et jure nacionis.

1373

(*Fol. 35 b*)[8] Procuratoria magistri Marcelii de Inghen.

Anno Domini 1373, mensis Junii die secunda, vocata nacione ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, mansit receptor obligatus nacioni [in] VIII solidis paris. et 4 denariis, et fuit compotus ab omnibus approbatus.

Item eodem [die] tunc electus fuit in procuratorem nacionis predicte magister Marcelius de Inghen nullo penitus reclamante. In cujus procuratoria acta sunt hec que sequuntur.

Primo deliberavit nacio quod die martis sequente[9] fieret prandium, ad quod omnes magistri vocarentur et perpotarentur bejany nacionis; ad quod prandium idem magister Marcelius electus in procuratorem dedit 22 solidos sibi racione officii a nacione debitos, quod exercere deberet per vacaciones.

Item eodem anno nacio intravit domum que intitulatur *duo enses*, ubi solverunt primum suum introitum in nacionem hii magistri qui sequuntur: Andreas Creyne, Jacobus Creyne ejus frater, dyocesis Trajectens., Wigandus Wigandi de Erpel, Theodoricus Ruusch de Hollandia, et magister Johannes Scriptoris de Swevia.

Item eodem anno incepit dominus Henricus de Rossem, cujus bursa nichil. Juravit in nacione.

Item incepit dominus Ghiselbertus Scout, cujus bursa III solidi.

Item incepit dom. Hubertus Wilde, cujus bursa nichil. Juravit in nac.

} Traject. dioc. sub mag. Guilhelmo de Wadenoy.

Item licentiatus fuit Wolterus de Zůelen sub magistro Wilhelmo de Wadenoye, cujus bursa V s. Solvit.

Item licentiatus fuit Egbertus Henrici, Trajectens. dyoc. sub magistro Woltero de Delf, cujus bursa 6 sol.

1. *Sic in ms^to.*
2. 16 *Maii.*
3. 18 *Maii.*
4. 23 *Maii.*
5. 27 *Maii.*
6. *Nat. Normann. Vid.* Chart., III, p. 264 « Vereli ».
7. 29 *Maii.*
8. *Prima pagina fol.* 35 *vacat.*
9. 7 *Junii.*

Item licentiatus fuit dominus Nycholaus Radoncs, Pragensis dyoc. sub magistro Adelberto de Bohemya, cujus bursa III solidi. Posuit pignora.

Item licentiatus fuit dominus Guilhelmus de Fothynenyn sub magistro Jordano de Clyvys, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item incepit dominus Egbertus Henrici sub magistro Woltero de Delf, cujus bursa VI solidi. Satisfecit receptori.

Item inceperunt eodem die sub eodem magistro Marcelio de Inghen : Meynardus Rodolfi de Tyla, licenciatus in 4ª [audicione] Sancte Ge[novefe] licet prius tempore, cujus bursa V solidi; Wolterus de Zůelen licenciatus in 3ª [audicione] Nostre Domine, licet posterius in tempore, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Guilhelmus de Fothynenyn sub magistro Henrico de Thenis, cujus bursa V sol.

Item incepit dominus Johannes Mathye de Campis sub magistro Gerardo de Calkar, cujus bursa VI solidi.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturynum ad supplicandum die XIª Julii, supplicavit magister Radulphus de Lubeke, quod cum repatriare proponeret propter providere sibi de necessariis, animo tamen revertendi cicius quo posset, si rotulus tempore sue absencie fieri contingeret, illi imponeretur tamquam presens. Cujus supplicacio fuit concorditer concessa, sub hoc modo quod tempore factionis rotuli natio faceret pro eo quidquid boni posset de dicta supplicacione.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem ad supplicandum, 15ª die Julii, supplicatum fuit ex parte magistri Johannis Neckens, ut si contingeret papam mori, ipse imponeretur rotulo licet absens, solutis solvendis; que supplicacio fuit concessa in quantum nacioni esset possibile.

Item supplicavit dominus Johannes de Berka, quod cum vellet jurare statutum nacionis illo juramento, sibi quitaret bursas sue licencie, et fuit supplicacio ab omnibus concessa.

Item licenciatus est dominus Johannes de Berka predictus apud Sanctam Genovefam die 16ª mensis predicti sub magistro Francisco de Sancto Mychaele, quia fuit gallicatus, cujus bursa nichil.

In die Assumpcionis pro distribucione munerum 36 solidi, et duo solidi pro herbis, et 2 sol. pro tribus (?)

Item vocata nacione ad audiendum receptoris computum et ad eligendum procuratorem, mansit receptor obligatus nacioni in 4 libris et 10 denariis parisiens.

Item supplicarunt magistri Gerardus de Honynghen et Sanderus Fabri de Lyvonya et Wigandus de Erpel pro inrotulacione sicud alii. Et fuit supplicacio concessa sicud aliorum.

Ad [1] *futuram rei memoriam.*

Notandum quod in vigilia beati Johannis hujus anni electi erant successive in rectores, scilicet duo de nacione nostra, qui non consencientes se excusaverunt, et tercius qui Gallicus erat, scilicet magister Wilhelmus de Trecis, acceptavit[2].

1373

(*Fol. 36*) Procuracio magistri Johannis de Priswalch.

Anno Domini quo supra, die XXVI mensis Augusti, facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Juliano ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, qui omnibus computatis et recompensatis in IIIIor libris et in X denariis paris. nacioni mansit obligatus, cujus computus ab omnibus fuit approbatus, quo facto ex unanimi consensu magistrorum dicte nacionis ibidem existencium, electus fuit in procuratorem magister Johannes de Priswalch. In cujus procuracione acta fuerunt hec que sequuntur.

Hiis expeditis eodem die concorditer deliberatum fuit intrare tabernam, ubi predictus magister, cum prius officium procuratoris non sustulit, francum 1 cum tribus denariis solvit.

Item die XIIª mensis Septembris facta congregacione nacionis super quadam citacione, qua citatus fuit peremptorie procurator nacionis nomine nacionis ad comparendum coram preposito Parisiensi[3] die martis proxime tunc sequenti [4] hora primarum, deliberatum fuit concorditer quod haberet deputatos, quos vocaret per juramentum eorum ad comparendum in predicta hora cum procuratore coram preposito ad petendam causam illius citacionis. Et deputati fuerunt magister Marcilius de Inghen et magister Johannes Luczellenborch.

Item die XIIIIª mensis Septembris facta congregacione nacionis in nonis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum ad audiendum quid factum fuit a

1. Ad futuram... acceptavit *alia manu scriptum.*
2. *Fortasse deest folium, et quidem jam a saec.* XVII, *ut numeratio foliorum indicat.*
3. Hugone Aubriot.
4. 13 *Septembris.*

procuratore et deputatis, et ad audiendam informacionem de facto pro quo citacio fuit facta, et ad deliberandum de modo procedendi ulterius circa istam dictam citacionem, quoad primum fuit propositum a procuratore quomodo ipse fuisset cum uno deputatorum et bedello nacionis in castelleto, quia alium deputatum habere protunc non potuit. Qui invenientes vicetenentem domini prepositi pro tribunali sedentem, quem accesserunt petentes quare citatus esset procurator nacionis Anglicane. Respondit quod deberent prius capere advocatum illius curie et per os illius facta sua proponere. Et quia nil habuerunt quoad hoc a nacione in commisso, petiverunt dilacionem ad diem XIX^{m} ejusdem mensis, qui cum difficultate datus fuit eis. Et hoc de primo.

Quoad secundum, accessit nacioni[1] quidam magister de Lumbardia dictus Petrus de Luca[2], dixit quod tempore captivitatis[3] regis Francie quidam archidyaconus de Suecia apportavit sibi quandam literam procuracionis de quadam platea seu ghardino in vico Serpentis sito, quam acceptavit; et post recessum illius archidiaconi illam locavit cuidam magistro de Britania (cujus mansio attingit illam plateam) ad XX annos, quolibet anno pro XXX solidis denariorum paris., de quibus annis jam XI essent transacti. Modo quidam magister dictus Thomas[4], secretarius regis, supplicavit sibi, ut dicit, quod dimitteret sibi illam plateam, ipse daret sibi ad annum XXXV solidos. Ad illud dixit quod non haberet posse, quia jam non esset ammodo procurator propter obitum illius archydiaconi, qui eum instituit; et eciam quia literam procuracionis sue perdidit. Ille magister Thomas videns quod plateam habere non potuit, magistrum Petrum predictum ad castellum citavit, et requisivit ab eo quod quidam murus reficeretur expensis possessoris seu procuratoris illius platee, saltem quoad medietatem expensarum, quia ille murus ruinosus per juratos prepositi esset judicatus et utriusque partis expensis reformandus. Et magister Petrus respondit quod ammodo non esset procurator, et per hoc fuit dimissus. Et ergo conclusit quod sibi videretur, quod pro eadem re nacio fuisset citata. Et dixit se habere VI libras et 1 francum, et illam summam[5] (?) debere solvere qui eam tenet adhuc de V annis. Et hoc de 2°.

Quoad tercium, deliberavit nacio quod haberem deputatos quoscunque vellem, et illos vocarem per juramentum, et specialiter magistrum Johannem de Lutzenborch, et caperemus unum advocatum super pecunia illius provincie Suecie, et per eum investigaremus a judice quid peteret a nacione, et illud nacioni referremus. Et aliqui dixerunt quod caperetur dicta pecunia, et ille murus reficeretur.

Item facta congregacione nacionis per juramentum die XVI^{a} mensis Septembris in primis apud Sanctum Maturinum ad ordinandum de scolis pro magistris regere volentibus a principio magni ordinarii usque ad finem illius anni, a principio magni ordinarii proxime affuturi incepti octo fuerunt magistri pro scolis instantes, scilicet magister Marcilius de Inghen, magister Thomas de Clivis, magister Jordanus de Clyvis, magister Walterus Ghyselberti, magister Gherardus de Kalkar, magister Wylhelmus Wadenow, magister Walterus de Delf, magister Hugo de Hervorst. Magister Marcilius instetit pro scolis nostris novis superioribus, et pro eisdem instetit magister Thomas de Clyvis. Item magister Jordanus de Clyvis pro continuacione sui in scolis novis inferioribus; magister Gherardus de Kalkar pro scolis septem arcium super terram; magister Wylhelmus pro scolis in quibus legere consuevit, sitis in fine scolarum omnium. Alii vero 3 magistri supplicaverunt, ut eis provideretur de scolis. Major pars nacionis, scilicet secundum pluralitatem vocum, magistrum Marcilium et magistrum Thomam misit ad sortem, cui sors daret, ille eas optinere deberet, exhortando tamen illum qui eas optineret, ut alium juvaret quantum posset pro aliis scolis sibi convenientibus aquirendis. Et placuit ambobus. Qui sortem mittentes in presencia nacionis, magister Thomas de Clivis eas sorte optinuit. Item magister Jordanus continuatus fuit in scolis suis, pro quibus instetit, scilicet scolis novis super terram. Item magistro Gherardo Calkar scole septem arcium concesse fuerunt; item magistro Wylhelmo de Wadnou scole ille pro quibus instetit. Pro aliis magistris deliberatum fuit quod sibi provideretur de scolis eis convenientibus, et nacio solveret pro eisdem.

Item eodem die nacio intravit tabernam *ad duos enses*, et ibi consumpsit II francos et IIII solidos. Et de illa pecunia duo magistri novi pro jocundo introitu in congregacionem solverunt II francos, et IIII^{or} solidos solvit receptor de pecunia nacionis.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum

1. Nocionem *ms.*
2. *Fuit in Universitate provinciae Bituricens. Vid.* Chartul. III, p. 84.
3. *An.* 1356 *et sqq.*
4. *Fuit* Thomas Graffardi, *nat. Normann, postea mag. in fac. medicinae, ut ex infra relatis*, p. 442, 13, *apparet. Vid.* Chartul., III, p. 265.
5. *Ms.* vertem.

Maturinum die XXI[a] mensis Septembris in nonis Nostre Domine ad eligendum receptorem vel continuandum, et ad audiendum relacionem de facto castelleti, quoad primum continuatus fuit in receptorem concorditer nullo reclamante magister Henricus de Thenis, qui de hujusmodi continuacione unum francum solvit in taberna, ad quam protunc nacio intravit ad potandum.

Quoad secundum relatum fuit in nacione per procuratorem, quomodo ipse cum magistro Johanne Lutzenborch deputato ad hoc a nacione fuisset in castelleto die 19[a] mensis Septembris, qui erat terminus dilacionis alias facte et date. Qui venientes bene mane ante tempus judicii perceperunt ab aliquibus de parte magistri Thome principalis actoris, quod ipse magister Thomas bene vellet illum murum reficiendum propriis expensis reficere, dummodo nacio sibi promitteret quod, quando veniret aliquis procurator provincie illius, scilicet Svecie, quod tunc ille satisfaceret sibi de expensis tangentibus dictam provinciam. Item perceperunt a magistro Petro de Luca, qui cum eis erat, quod magister Thomas istud factum bene vellet tenere in suspenso, quousque aliquis procurator illius provincie Parisius haberetur, dummodo nacio sibi promitteret quod illum procuratorem vellet informare, et sibi persuadere quantum posset, ut dictum ortum dicto magistro Thome pocius locaret pro precio competenti, quam uni alteri, si esset locandus, vel venderet, si esset vendendus. Predicti ergo procurator scilicet et deputatus estimantes fore bonum, ut super jam dictis magister Thomas met audiretur, et quia ipse protunc non erat in villa, petiverunt dilacionem ad quindenam, quam cum difficultate obtinuerunt. Super quibus relatis deliberavit nacio ut haberentur deputati, qui cum procuratore accederent magistrum Thomam, et ejus intencionem de pretactis inquirerent; qua inquisita eam in nacione referrent. Et fuerunt deputati magister Henricus Langhals, magister Johannes Luczenborch, magister Jordanus de Clivis, magister Wenmarus, quos procurator vocare deberet per juramentum.

1373

(*Fol. 36* [b]) Procuratoria magistri Hugonis de Hervorst.

Anno Domini millesimo trecentesimo LXXIII°, mensis Septembris die xxiij[a], vocata nacione Anglicana ad Sanctum Maturinum ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem et ad supplicandum, non comparuit receptor.

Item tunc electus fuit in procuratorem magister Hugo de Hervorst per unanimes consensus magistrorum dicte nacionis tunc assistencium, nullo eorum reclamante. In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

Primo deliberatum fuit intrandum esse tabernam, et dictum procuratorem noviter electum, quia nondum prius exercuerat officium procuratoris, esse ibidem francum soluturum. Et intravit nacio tabernam dictam *ad castellum* sitam inter duos pontes, et ibi dictus novus procurator perpotabatur in uno franco.

Item prima die mensis Octobris procurator una cum deputatis, quos habere potuit, scilicet magistris Henrico de Thenis, domino receptore[1] et Johanne Priswalch, immediate antea procuratore, iverunt cum bedello ad domum magistri Thome partis adverse de muro reparando et de orto provincie Swecie, propter quem ortum vel murum fuit citatus procurator. Et dum dicti procurator et magistri deputati veneru[n]t ad domum prefati magistri Thome volentes secum loqui de dictis orto et muro, secundum quod commissum fuit eis a nacione, jam ipse recessit de Parisius, sic quod ipsi non invenerunt ipsum.

Insuper die lune immediate sequente, que erat III[a] dies mensis Octobris, erat terminus comparendi in castelleto ad tractandum de dicto gardino. Ivit procurator cum magistro Petro de Luca sine aliis deputatis, quamvis postea supervenerunt magistri Jordanus de Clivis et Wenemarus de Goye ad castelletum, et concessa fuit dilacio per procuratorem partis adverse per duas ebdomadas, ut forte interim redeunte predicto magistro Thoma, posset fieri concordia.

Ulterius die X[a] Octobris, dum eligebatur magister Johannes de Roncuria in rectorem [2], erat congregacio nacionis in Sancto Juliano ad eligendum intrantem pro electione rectoris, et ad supplicandum. Pro tunc erant concesse per nacionem scole situate super scolas magistri Wilhelmi de Wadenoy, site prope Secanam, magistro Hugoni de Hervorst.

Item die XII[a] ejusdem mensis magistri, qui alias deputabantur ad adeundum magistrum Thomam de fundo sive gardino predicto, scilicet magistri Johannes de Lutzenbûrg, Henricus de Thenis, Wene-

1. *Scil.* Henrico de Thenis.

2. *Vid.* Chartul, III, n° 1388.

marus de Goye, Johannes de Priswalch de Saxonia et procurator una cum ipsis et bedello et subbedello iverunt ad domum magistri Thome prefati, et proposuit sibi procurator per istum modum : « Magister reverende, alias citabatur procurator nostre nacionis pluries; mirabamur unde hoc erat, et percipiebamus quod esset racione cujusdam fundi attinentis provincie Swecie situati prope domum vestram, cujus velletis refici murum, cum alter, cui erat locatus fundus, non faciebat eum refici, quem fundum libenter haberetis. Ideo nacio nostra rogat vos ut non velitis sibi inferre molestiam, cum ille fundus sibi non attineat, sed quod velitis suspendere istud factum, quousque venerint aliqui de illa provincia, et nacio nostra libenter erit tunc pro vobis, ut vobis locetur vel vendatur. » Dictusque magister Thomas respondit primo recitando facti originem. Consequenter dicebat finaliter, quod ne molestaret nacionem nostram quantum in eo esset, ipse vellet nobis dare dilacionem et suspendere istud factum simpliciter per II menses. Ymo tandem dixit, quod per tres, addendo quod si interim aliquid faceret, scilicet reedificando murum vel hujusmodi, hoc non deberet cedere in prejudicium nacionis nostre, et quod vellet dare nacioni literam de castelleto certificatoriam ipsius. Et dicebant tunc sibi procurator et dicti deputati, quod vellent ista proponere nacioni et respondere sibi infra ij ebdomadas.

Insuper die XVIII^a^ mensis predicti erat congregacio nacionis in Sancto Maturino per juramentum ad referendum acta per procuratorem et deputatos in facto predicto de gardino, et postquam recitabantur acta suprascripta, que scilicet erant acta per dictos procuratorem et deputatos prima die mensis Octobris, III^a^ die ejusdem, et ejusdem die XII^a^, et super puncto finali. scilicet de responsione facienda magistro Thome predicto, deliberabatur concorditer ut finaliter diceretur per dictos deputatos dicto magistro Thome, quod bene placeret nacioni ut reficeretur murus, quem vellet refici pro gardino, pro quanto expediret, et quod fieret racionabiliter sine expensis excessivis vel majoribus quam requirerentur, ne inde provincia Swecie gravamen pateretur, quod eciam pro illo deberet capi pecunia collecta per alium procuratorem dicti gardini, scilicet magistrum Petrum de Luca Lombardum.

Item tunc supplicavit dominus Johannes de Berka, ut ei dimitterentur burse, cum vellet incipere in artibus, quia obtulit se velle jurare statutum paupertatis. Et fuit concessa supplicacio, dum tamen daret literam recognicionis nacioni sigillatam sigillo officialis, quod solveret dum ad pinguiorem fortunam deveniret. Quam literam deberet dare nacioni, et deberet mitti in archa nacionis. Et ipse tunc juravit statutum paupertatis in nacione plena.

Item incepit dominus Johannes de Berka sub magistro Hermanno de Bůttenbrůec, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis in nacione.

1373

(*Fol. 37*) Procuratoria magistri Johannis Caelwaert.

Anno Domini M° CCC° LXXIII°, die XXI^a^ mensis Octobris, vocata nacione Anglicana in ortu solis ad Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, et computus fuit dilatus usque ad aliud tempus.

Item tunc electus fuit in procuratorem magister Johannes Caelwaert per unanimes consensus magistrorum dicte nacionis ibidem existentium. In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

Primo deliberatum fuit intrandum esse tabernam, et dictum procuratorem noviter electum, quia nondum prius exercuerat officium procuracionis, esse francum soluturum. Et intravit nacio tabernam que intitulatur *duo enses*, et ibi dictus novus procurator perpotabatur in uno franco.

Item anno Domini quo supra, die XIII^a^ mensis Novembris, facta fuit congregacio nacionis in Sancto Maturino per juramentum super quodam articulo, scilicet an expediret fieri statutum tale, quod quicumque magister nacionis recusaverit absque racionabili causa onera nacionis sepedicte non gauderet privilegiis nacionis, ad istum articulum proponendum fueram requisitus. Super quo deliberatum fuit pro majori parte, quod ego Johannes Caelwaert predictus loquerer cum senioribus nacionis dicte, quod predictus articulus scriberetur in quadam sedula, et videretur an predicto articulo esset aliquid apponendum vel auferendum, et perlegeretur in congregacione alia.

Item in eadem congregacione de ordinacione festi Eadmundi deliberatum fuit pro majori parte, quod fieret prandium expensis suppositorum volencium interesse prandio, in casu quod nacio non posset facere prandium suis expensis.

Item in eadem congregacione deliberatum fuit, quod esset festivandum in ecclesia ipso die Eadmundi, ut consuetum est.

Ulterius die XVI^a^ mensis predicti vocata nacione Anglicana in nonis Nostre Domine in Sancto Matu-

rino, deliberatum fuit concorditer pro majori parte, quod haberem me intromittere de festo convivali, non obstantibus deliberatis in ultima congregacione, quia dictum fuerat quod esset festivandum nomine nacionis.

1373

Procuratoria magistri Theodorici dicti Ruusch.

Anno Domini M° CCC° LXXIII°, XVIII^a die mensis Novembris, vocata nacione Anglicana ad Sanctum Julianum pauperem in primis Nostre Domine ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris et ad eligendum provisores festi, et electi fuerunt in provisores magister Thomas et magister Gerardus Calker. Et apparuit receptor, qui omnibus computatis et recompensatis in septem libris et novem denariis nacioni mansit obligatus. Et approbatus fuit computus.

Item tunc fuit electus in procuratorem magister Theodoricus dictus Ruusch per unanimes consensus magistrorum ejusdem nacionis ibidem existencium. In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

Primo deliberatum fuit, dictum procuratorem noviter electum, quia nondum prius officium exercuerat procuracionis, in festo nacionis, quod fuit in dominica die immediate sequente, fore ibidem francum soluturum. Et intravit nacio in prefata die *salmonem*, et ibi dictus novus procurator solvit francum. Et in eadem domo eodem die magister Johannes de Berka propter jocundum ejus introitum solvit francum.

Item in eadem die, quando novus procurator erat electus, facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum pauperem in nonis Nostre Domine, super modum festi nacionis, et ibi deliberatum fuit per omnes magistros tunc presentes, quod nacio daret sex francos, et quivis magistrorum volens interesse festo nacionis quatuor solidos, quam pecuniam levaverunt magister Thomas de Clivis et magister Gerardus Calker cum receptore dicte nacionis.

Item die dominica [1] post [festum] Katherine anno ut supra, facta congregacione generali Universitatis ad Sanctum Maturinum super rotulo ad curiam mittendo et super modis currendi, deliberatum fuit de primo per omnes facultates concorditer, quod expediret fieri et mittere rotulum. De 2° deliberatum fuit concorditer, quod omnibus aliis modis currendi obmissis solummodo reservaretur modus de notariis, videlicet quod tercia pars precii, quod recipiunt, veniret ad Universitatem.

Item [2] eadem congregacione supplicavit in Universitate mag. Wilhelmus de Marsia, quod audiretur computus ejus de quadam domo stante in angulo *platere* [3] *Alberti* in vico sine capite versus Secanam, que inquam domus remansit sibi post obbitum mag. Johannis de Marsia avunculi sui, et conducta fuit sibi ab Universitate sub forma sequenti, videlicet quod haberet domum predictam per novem annos, et omni anno cognosceret se soluturum Universitati X libras parisiens. et pro [4] reparanda de illa pecunia, et si in fine 9 annorum aliquid ultra exposuerit, dicte domus remanerent sibi, donec illa pecunia esset persoluta, vel quod Universitas solveret sibi et collocaret alibi, si posset. Cujus computus fuit 80 libre et 17 libre cum [5].... Et dati fuerunt deputati qui computum illum audiverunt, et deliberaverunt tunc quod... vellent Universitati intimare, etc.

(*Fol. 37 b*) Item die ultima Novembris vocata nacione Anglicana per juramentum ad Sanctum Maturinum super duobus articulis, videlicet ad eligendum nuncium ex parte nacionis mittendum ad curiam et inrotulatores, et de modo habendi pecunias pro nuncio, deliberatum fuit quod suspenderetur totum usque post audita in congregacione generali Universitatis, quia eadem die celebrata fuit congregacio Universitatis ad eundem locum, et quod fieret postea una congregacio super articulis prius expressis.

Item 4^a die Decembris anno ut supra congregata nacione Anglicana ad Sanctum Maturinum per juramentum super aliquibus articulis, translata fuit congregacio usque ad crastinum Nycolay mensis ut supra, propter congregacionem Universitatis, que tunc temporis fuit in eodem loco celebrata.

Item septima die Decembris anno ut supra vocata nacione Anglicana in domo predicta in capitulo, in primis Nostre Domine super aliquibus articulis, quorum primus fuit de modo habendi pecuniam pro nuncio, et deferebatur articulus.

2us fuit ad eligendum nuncium et inrotulatores. Electus fuit in nuncium a[b] ampliori parte magistrorum tunc presencium magister Hermannus de Bottenbroec; et electi fuerunt in inrotulatores reverendi magistri magister Wilhelmus Scotus, Marcilius de Inghen et magister Jordanus de Clivis.

1. 27 *Novembris.*
2. *Paragraphus tota in ms^to deleta et difficilis lectu est.*
3. *Ms.* plater.
4. *Sequitur aliquod verbum atramento maculatum, quod videtur fuisse* reparanda *bis scriptum.*
5. *Spatium in ms^to.*

3[us] articulus fuit de statuto fiendo, et legebatur ibidem in presencia omnium, et dati fuerunt sen[ior]es predicti una cum procuratore ad corrigendum ea, que essent corrigenda, et ad addendum ea que essent addenda [1].

4[us] articulus fuit de supplicacionibus, et supplicavit magister Hermannus de Bottenbroec ut nacio vellet eum eligere nuncium, et magister Hugho similiter, et magister Johannes Stralen, et solummodo magister Hermannus ut prescriptum est optinuit per vocum pluralitatem.

Item incepit 13[a] die Decembris dominus Johannes Forestarii sub magistro Wilhelmo de Trebron, cujus bursa V solidi, de quibus receptori satisfecit.

Item 13[a] die mensis Decembris incepit dominus Nicolaus Radoncs sub reverendo magistro Adalberto de Bohemia, cujus bursa III solidi, de quibus receptori posuit pignus.

1373

(*Fol. 38*) Procuratoria magistri Gevehardi Kemyn.

Anno Domini M° CCC° LXXIII, XVI[a] die mensis Decembris facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, et ad audiendum computum receptoris, dilatus fuit computus usque ad electionem proximam alterius procuratoris. Electus fuit in procuratorem magister Gevehardus Kemyn concorditer per omnes. Cujus acta sunt hec que sequuntur.

Primo, quando in rectorem electus fuit magister Wilhelmus Ghorre nacionis Normannie [2], electus fuit intrans magister Henricus de Thenis.

Item eadem die deliberavit nacio intrare tabernam *ad duos enses*, ubi dictus procurator, quia alias officium procuracionis non sustulit, exposuit XXIII solidos, quorum XVI exposuit pro eo quod alias officium procuratoris non habuit, et residuum quia placuit magistris ex eorum deliberacione; et quilibet alius magister ibi duos solidos solvit.

Item facta congregacione dicte nacionis apud Sanctum Maturinum XVIII[a] die mensis Decembris super tribus articulis, primus fuit ad sciendum numerum magistrorum volencium inrotulari, utrum tot vellent inrotulari, quod ab eis posset haberi summa pecunie pro nuncio et pro bedello; 2[us] fuit de quantitate pecunie quam quilibet inrotulandus solvere deberet; 3[us] ad prefigendum terminum, infra quem seniores porrigerent supplicaciones, ne junioribus prejudicarent in concurrendo. Et deliberatum fuit quod fieret una congregacio per juramentum, ut magis dicti articuli possent expediri.

Item in die sancti Thome [3] post sermonem vocata nacione Anglicana per juramentum apud Sanctum Maturinum super dictis articulis immediate supra precedentibus, ubi concorditer deliberatum fuit, quod quilibet inrotulandus solveret 1 francum, ut videretur quanta pecunia ab inrotulandis colligi posset. Et hoc de primis duobus articulis. De 3°, puta de termino prefigendo, etc., prefixus fuit terminus concorditer ad octo dies post festum [Nativitatis] Christi.

Item anno Domini M° CCC° LXXIIII, in octabis Circumscisionis Domini, facta congregacione dicte nacionis apud Sanctum Maturinum immediate post sermonem ad videndum de numero supplicacionum collectarum per inrotulatores, utrum pecunia tanta haberi possit quanta pro nuncio sufficeret per dictam nacionem electo, qui articulus delatus fuit propter deliberata alias in facultate. Alius articulus fuit ad dandum responsum magistro Thome de quodam gardino, spectante ad provinciam Svecie. Et deliberabatur quod procurator vocaret deputatos alias super isto facto [datos], qui una cum eis sicud ipsis deputatis videretur respondendum dicto magistro responderent.

Item die sancti Firmini [4] facta congregacione apud Sanctum Maturinum post sermonem ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, computavit receptor, et omnibus hinc inde computatis et defalcatis mansit nacio obligata receptori in quinque libris, quatuordecim solidis et VII denariis.

1374

Continuacio magistri Gevehardi Kemyn in procuratorem.

Item in die sancti Firmini[a], que XIII[a] dies mensis Januarii, facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum post sermonem ad eligendum procuratorem et audiendum computum receptoris, continuatus fuit in procuratorem magister Gevehardus Kemyn concorditer nullo reclamante. Computavit receptor, et omnibus hinc inde computatis et defalcatis mansit nacio obligata receptori in quinque libris, quatuordecim solidis, et VII denariis.

Item in dicta congregacione comparuit quidam magister Thomas, secretarius regis, ad referendum

1. *Vid.* p. 434, 30 *sqq.*
2. *Vid.* Chartul., III, n° 1390.
3. 21 *Decembris.*
4. 13 *Januarii.*

quedam de quodam gardino [1] spectante ad provinciam Suecie dicte nacionis, et ad audiendum responsum de eadem nacione. Qui quidem magister Thomas, licet pro dicto gardino annuatim XXX solidi solverentur, tamen proposuit se velle XXXV solidos soluturum, dummodo sibi perpetue locaretur, eo addito quod si alium locum invenire posset consimilem, quem traderet scolaribus dicte provincie vel nacionis, et quod hoc staret libertati eorundem scolarium et nacionis recipiendi vel non recipiendi. Ad que nacio deliberabat quod proxima die dominica sibi responsum daret super hiisdem.

Item supplicavit magister Hugo pro reparacione sedis in scolis suis, et concessa fuit supplicacio tamquam rigorosa.

Item XV^a die mensis ejusdem congregati fuerunt dicti procurator et deputati nacionis, scilicet magister Wilhelmus de Schotia, mag. Hermannus Bottenbroc, magister Jordanus de Clivis, magister Hinricus de Thenis et unus de Ordine Minorum, et quidam alius dominus dicte provincie, inter quos deliberatum fuit quod bonum et expediens esset adire dominum possessorem dicti jardini, et proponeretur sibi intencio nacionis et ad audiendum quid ipse responderet, antequam magister Thomas adiretur. Et dictis procuratore et deputatis euntibus una cum magistro Petro de Luca ad dictum possessorem jardini pulsaverunt ad hostium ipsius, ubi non reperiebant aliquem qui eis responderet. Sic ipsis reversis iverunt ad magistrum Thomam referentes sibi, quomodo nacio Anglicana non libenter vellet aliquid incipere, nisi bonum finem sortiretur, et quomodo nacio primo bene vellet audire possessorem dicti jardini, quid super isto facto responderet, et qualiter dicti deputati pulsassent ad hostium dicti possessoris, et nullus eis respondisset. Et protunc supplicabant dicti deputati magistro Thome, quod haberent dilacionem quousque dictum possessorem alloquerentur. Et respondit magister Thomas, quod placeret sibi. Sed tamen dicti procurator, magister Johannes Scotus et ille Minor, aliis retrovenientibus cum magistro Thoma, iverunt attemptantes si possent intrare domum dicti possessoris. Et postquam diu pulsaverunt, venit clericus quidam de domo possessoris, qui inquisivit quid peterent. Et dictum fuit sibi quod iret ad dominum suum, et diceret quod ibi essent deputati a nacione Anglicana, et quidam domini de Suecia, qui vellent loqui cum eo. Qui quidem clericus ivit, et reversus fuit, dicens quod dominus suus non esset in statu ad loquendum cum aliquibus protunc. Et dixit quomodo dixisset domino suo quod ibi essent quidam domini de Scocia (*sic*). Dicti deputati videntes, quod male proposuit, fecerunt eum reverti, sillabiando sibi *s. v. e*, quod diceret domino suo, quod ibi essent domini de Svecia. Et reversus dixit quod dominus suus non potest loqui cum eis. Et tunc dicti procurator et alii redeuntes ad domum magistri Thome, referentes ita ut supra, petentes a magistro Thoma quod haberent dilacionem ad referendum nacioni, et in brevi super hiis sibi responderent. Qui quidem magister Thomas bene voluit hoc, et concessit et tradidit quandam cedulam collectam per eum super convencione dicti jardini (*Fol. 38*^b) ad presentandam eam nacioni, ad corrigendum, emendandum, addendum vel subtrahendum, quidquid superfluum vel diminutum contineretur in eadem.

Item facta congregacione apud Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine, XVII^a die mensis Januarii, super tribus articulis, primus fuit ad audiendum et referendum acta per procuratorem et deputatos nacionis Anglicane, et qualiter ulterius esset procedendum super quodam jardino situato in vico Serpentis spectante ad provinciam Suecie. Et fuit relatum de verbo ad verbum, prout supra ex alio latere continetur. Quibus relatis et auditis deliberatum fuit, quod cedule protunc oblate in nacione portarentur per deputatos ad aliquem expertum, qui contenta in dictis cedulis in bona et debita forma, tamen sub expensis dicte provincie, redigeret, et quod ulterius procurator et deputati ordinarent sicut eis videretur expedire ad honorem ecclesie Upsalensis. Et deputati fuerunt magister G[uillelmus] Scotus, magister Mercilius, magister Johannes Langhals, Jordanus de Clivis, magister Henricus de Thenis. Et hoc de isto.

Secundus articulus fuit ad eligendum examinatores determinancium et bachalariorum licenciandorum in Sancta Genefefa. Electi fuerunt examinatores determinancium magister Mercilius, magister Jordanus, magister Thomas de Clivis [2].

3us articulus fuit ad supplicandum. Supplicavit magister Wilhelmus Wadenoy, magister Walterus

1. *Vid. supra* p. 429, 16 *sqq.*

2. *In margine scribitur* Dormit rotulus. *Revera non fuit missus nisi anno* 1375. *Et quidem April.* 9 *nuntii Avenionem intraverunt, et jam die sequenti papae praesentati sunt, ut infra ad an.* 1375, *April.* 30, *describitur. Iste rotulus non est conservatus. Sed in Reg. Aven. Gregorii XI an.* V (1375) *exstant multae epistolae pro magistris Paris., et in* Chartul. n° 1404 *exstat renovatio privilegii septennalis an.* 1375, *Junii* 22. *Verisimiliter sub hac temporis nota rotulus signatus est. Idem de rotulo illo atque de rotulo an.* 1383 *evenit, cujus nichil ad nos pervenit nisi confirmatio quorumdam privilegiorum. Vid.* Chartul. III, *not. ad* num 1474.

de Delf, magister...[1] ut nacio vellet eos eligere in examinatores bachalariorum licenciandorum in Sancta Genovefa. Et supplicacio eorum fuit concessa, videlicet magister Wilhelmus fuit electus pro primo mense, magister Walterus pro secundo mense...[2], pro tercio, sic quod quilibet solveret 1 francum magistris ad perpotandum, ita quod si magister...[3] non haberet plures audiciones, quod receptor nacionis restitueret dimidium francum.

Item in dicta congregacione deliberabat nacio intrare tabernam *ad salmonem*, ubi examinatores licenciandorum in Sancta Genovefa III francos exposuerunt, et examinatores determinancium solverunt III pintas de [vino] meliori.

Item XXIX^a [4] die mensis Januarii congregatis procuratore et deputatis nacionis Anglicane, post sermonem apud Predicatores, super expedicione cedularum pro sepedicto jardino, et deliberatum fuit quod ille cedule traderentur cuidam domino de provincia Svecie, sic quod ipse portaret eas ad faciendum minutas per aliquem expertum de eisdem, et protunc idem dominus ibi comparuit, et ad se onus assumpsit ordinandi.

Item facta congregacione nacionis prima die mensis Februarii, que fuit vigilia Purificacionis, post vesperas in Sancto Cosma [et] Damiano, ad audiendum minutam super dicto jardino, et deliberatum fuit, quia tarde erat, quod deputati examinarent vel saltem magister Wilhelmus Scoti, quibus vel cui nacio dabat plenam potestatem super isto faciendi, quidquid videretur expedire, et tradite fuerunt dicto magistro Wilhelmo, et eas correxit prout sibi videbatur.

1374

Procuratoria Johannis de Stralen.

Anno Domini M° CCC° LXXIIII° secundum computum curie Romane, LXXIII secundum usum Parisiensem, die decima mensis Februarii, que fuit feria sexta ante dominicam *Esto michi*, convocata nacione Anglicana apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer nullo penitus reclamante Johannes de Stralen, in cujus procuracione acta fuerunt que sequuntur.

Primo in eadem congregacione deliberatum fuit finita congregacione tabernam intrandum, et eundem perpotandum, cum prius officium procuracionis non exercuerit, qui ad placitum magistrorum protunc presencium *in duobus gladiis* perpotatus, XXI solidos et II denarios, XVI in quantum pro prima procuracione sua debitos, et residuum, 5 solidos et II denarios, ibidem exponens non tanquam debens sed tantum volens cum beneplacito magistrorum solvit et expendit.

Item eadem die circa horam vesperarum congregatis procuratore una cum deputatis nacionis sepedictis super locacione unius gardini et facto multoties prenarrato, apud Sanctum Maturinum, adiverunt magistrum Thomam Graffardi[5] cum bedello, portantes sibi unam literam seu cedulam super locacione etc. per magistrum Wilhelmum Scotum, unum deputatorum, in forma meliori et securiori, qua potuit, pro provincia Suecie et nacione Anglicana positam et ordinatam. Quo facto propter cedule prolixitatem non poterat predictus mag. Thomas nos illa die super in cedula contentis expedire. Sed dixit, se articulos in cedula contentos visurum et perlecturum et in die dominico sequente nobis reversuris responsurum. Item die dominica sequente[6] predictis in loco prefato denuo congregatis una cum bedello eundem adiverunt. Quibus magister Thomas prenominatus porrexit unam aliam cedulam ex priori extractam in forma positam et secundum voluntatem suam correctam in modo obligandi a prima data differentem, quia nullo modo voluit obligari camere apostolice, et sub parvo sigillo Montispessulani, et cum quibusdam aliis. Qua cedula per deputatos habita et perlecta deliberaverunt dicti deputati, quod expediens et securum esset, quod cedula deportaretur uni advocato de parlamento, cui daretur unus francus pro corrigendo ipsam, et videndo utrum per tales obligaciones, quales ponebantur in cedula, provincia et nacio essent satis secure et munite inposterum, qualitercunque contigerit, ad debitum extorquendum et ipsum[7] compellendum in judicio parlamenti vel officialis Parisiensis, in casu quo ipse vel aliquis sibi in hereditate successurus locagium seu censum reddituale debitis et statutis temporibus non solvendo, contractuique priori contraveniendo niteretur rebellare.

Item die lune sequente, videlicet XIII^a Fe[bruarii], iverunt procurator, mag. Mercilius, mag. Henricus de Thenis, receptor nacionis protunc, una cum

1. *Nomen deest in ms^to.*
2. *In ms^to spatium.*
3. *In ms^to spatium.*
4. *In ms^to XIX, sed falso, nam dies 19 Januarii dies jovis fuit, ideoque minime sermo apud Praedicatores. Certe ut supra scribi debet. Fuit enim dominica.*
5. *De quo supra*, p. 429, 26.
6. 12 *Februarii.*
7. *Inter lineas quaedam verba minuto charactere :* vel successurum sibi...

bedello nacionis ad magistrum Adolfum de Praellis, pro tunc in Castileto repertum, dantes sibi unum francum per bedellum a magistro Petro de Luca latum et receptum, procuratore quodam substituto ecclesie Upsalensis provincie Suecie, sibi supplicantes quatinus vellet cedulam sibi porrectam perlegere, videndo utrum per tales obligaciones et alia ut supra. Ipse respondens dixit, unum de nobis sequenti die reversurum et cedulam reperiendam correctam reportaturum.

Item die sequente, videlicet XIIIIª Fe[bruarii], reversi fuerunt magister Hinricus de Thenis et bedellus ad magistrum Adolfum et invenientes[1] cedulam sine addendo seu diminuendo, totaliter in priori forma dimissam. Dixitque magister Adolfus formam existere bonam et securam; consuleret tamen propter ampliorem securitatem instrumento super contractu locacionis facto ipsum per Universitatem transeundum sigillandum et ab ipsa confirmandum.

(*Fol. 39*) Item facta congregacione per juramentum XVª die Fe[bruarii], hora primarum, apud Sanctum Maturinum ad audiendum legi cedulam, etc., et ad audiendum, si aliquid aliud fuerit apponendum, et ad prefigendum locum et personam in quo et cui census annui de gardino solucionem fieri conveniret, qua cedula lecta et audita residuum ordinacionis causa brevitatis totaliter in illa parte ordinacioni deputatorum plenarie fuit commissum.

Item in eadem congregacione recepta fuerunt a nacione juramenta examinatorum determinancium, videlicet magistri Mercilii de Inghen, magistri Thome de Clivis, et magistri Jordani de Clivis.

Item facta congregacione per juramentum apud Sanctum Maturinum, XVIIª die Fe[bruarii], hora primarum et convocatis scolaribus de regno Suecie protunc Parisius existentibus ad audiendum relaciones deputatorum super facto unius gardini sepedicto, et ad exequendum et concludendum contractum dicti gardini in emphiteosim factum seu faciendum inter nacionem Anglicanam una cum scolaribus provincie Suecie ex una parte, et magistrum Thomam Graffardi ex alia parte, contulit et transportavit nacio Anglicana una cum prenominatis scolaribus Suecie, jure suo et scolarium predictorum transportu solemni, omnibus magistris per juramentum convocatis solemniter consencientibus cum predictis scolaribus, magistro Thome Graffardi, secretario regis, unum gardinum in vico Serpentis situm, mansioni seu domui predicti magistri contiguum, suisque heredibus legitimis et successoribus perpetim in emphiteosim, coram notario publico specialiter ad hoc rogato, annuatim pro XL solidis parisiens. annui census in quatuor terminis Parisius consuetis persolvendis, cum quibusdam aliis sub modo seu obligacione tali qualis, una cum singulis in contractu factis et fiendis, semper juribus nacionis et predicte provincie seu ecclesie Upsalensis in hoc salvis, [ut] in instrumentis super hoc factis seu faciendis manifeste exprimitur seu de verbo ad verbum explicatur.

Isti sunt qui hoc anno determinaverunt.

Item determinavit dominus Andreas Symonis de Prusia sub magistro Thoma de Clivis, cujus bursa V solidi. Satisfecit receptori.

Item determinavit dominus Johannes de Mambren sub magistro Johanne de Lutzellenborch, cujus bursa VI solidi.

Item determinavit dominus Johannes de Kare sub magistro Johanne de Lutzellenborch, cujus bursa VI solidi.

Item determinavit dominus Tilmannus de Lutzellenborch sub magistro Johanne de Lutzellenborch, cujus bursa VI solidi.

Posuerunt pignora.

Item determinavit dominus Johannes Fay de Trajecto superiori sub magistro Waltero Ghiselberti, cujus bursa nichil. Juravit statutum [paupertatis].

Item determinavit dominus Johannes de Wolgast sub magistro Johanne de Priswalch, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Johannes Coc sub magistro Mercilio de Inghen, cujus bursa V solidi et IIII denarii.

Item determinavit dominus Johannes Gout sub magistro Mercilio de Inghen, cujus bursa V solidi et IIII denarii.

Item determinavit dominus Ricoldus Milde sub magistro Mercilio de Inghen, cujus bursa V solidi et IIII denarii.

Posuerunt pignora.

Item determinavit dominus Jacobus de Lion sub magistro Gerardo de Kalker, cujus bursa V solidi.

Item incepit Arnoldus de Nussia sub magistro Hermanno de Buttenbruch, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Hinricus de Odendorp sub magistro Thoma de Clivis, cujus bursa V solidi et IIII denarii.

Satisfecerunt receptori.

1. *Ms.* fentes.

Item determinavit dominus Hector de Xanctroia sub magistro Waltero Ghiselberti, cujus bursa nichil. Statutum juravit.

Item determinavit dominus Gerardus Visker sub magistro Waltero de Delft, cujus bursa V solidi et VIII denarii.

Item determinavit dominus Hinricus Spronc sub magistro Thoma de Clivis, cujus bursa V solidi et VIII denarii.

Item determinavit dominus Petrus de Trebron sub magistro Wilhelmo de Trebron, cujus bursa V solidi et VIII denarii.

Item determinavit dominus Johannes Vlaminc de Leyden sub magistro Waltero de Delft, cujus bursa V solidi.

Posuerunt pignora.

Item facta congregacione XX^a^ die Fe[bruarii] apud Sanctum Julianum ad supplicandum, supplicaverunt Johannes Coc, Johannes Gout, Ricoldus Milde, Johannes Vlaminc de Leyden pro dilacione pecunie seu bursarum racione sue determinancie debitarum usque ad festum Pasche, fidejussoribus fidedignis et pignoribus certis positis, supplicavitque Johannes Wolgast pro eo eodem modo usque ad festum Penthecostes, narrans se non posse certificare nacionem nec certificari de adventu pecunie sue, cum multum distaret a partibus suis. Et fuerunt supplicaciones eorum concesse, dummodo apud receptorem pignera posuerint sufficencia ipsum contentancia. In eadem congregacione supplicaverunt Johannes Fay de Trajecto superiori et Hector de Xanctroia pro dimissione hujusmodi pecunie racione sue determinancie debite, narrantes se pauperes statutum paupertatis jurare volentes, quod juraverunt. Et supplicaciones eorum concesse fuerunt sub condicione, que in juramento seu statuto paupertatis exprimitur, videlicet si ad pinguiorem fortunam, etc.

(*Fol. 39* ^b^) Item facta congregacione nacionis V^a^ die Marcii, que fuit 3^a^ dominica Quadragesime, post sermonem, apud Sanctum Maturinum primo ad recipiendum literas seu instrumenta a notariis facta super contractu gardini in emphiteosim facto inter nacionem etc., ut prenarratum est, deliberatum fuit literas illas a notariis alias seu ultimo deputatis pro tali facto recipiendas per eosque servandas et nacioni presentendas.

2° ad supplicandum. Et supplicavit magister Gherardus Kemyn, cum ante obitum pape Urbani pie memorie infra mensem de studio Parisiensi recesserit et versus curiam ambulaverit, et in firmo proposito et intencione revertendi extiterit, ymmo infra eundem ordinarium, videlicet post festum Pasche immediate reversus usque ad festum Michaelis studium continuando Parisius moram traxerit et in absencia sua papa mortuo ad rotulum positus graciam seu expectanciam obtinuerit, quam post per vacanciam assecutus fuit; unus suus adversarius sibi objecit quod ex quo Parisius tempore conclusionis rotuli non fuit, racione bulle papalis gracias superveniencium absencium et non continue Parisius studencium revocantis, ipsum gratia sua legitime frustrari et a beneficio racione gracie sibi facte postmodum assecuto de jure privari : quatinus nacio vellet sibi dare litteram testimonialem testificantem, ipsum ante et post continuum scolarem in studio Parisiensi extitisse, et per nacionem presentem reputatum fuisse. Et postquam ipse dixit in consciencia sua, se fuisse intencionis revertendi ad studium Parisius, quando recessit, fuit supplicacio ejus concessa.

Deinde supplicavit magister Sanderus de Livonia ad partes suas iturus sua dispositurus et post reversurus, quod cum magna esset distancia patrie sue de Parisius, sic quod vix infra annum posset ire, redire et sua in partibus disponere, quatinus si contigerit papam mori infra tempus [1], per quod esset in partibus, ipsum tamquam presentem rotulo permittere vellet imponi solutis solvendis, et quatinus in loco suo ex antiquitate magisterii sibi competente tanquam presens eo absente permanere posset. Et fuit prima pars supplicacionis sue secundum quod petivit ad annum duntaxat concessa; et 2^a^ pars de loco fuit a nacione et a magistris protunc in congregacione existentibus, quantum possibile ab eis concedere fuit, plenarie concessa.

Istis factis intraverunt magistri tabernam *ad duos gladios* nuncupatam et consumpserunt ibidem XXXIX solidos, de quibus magister Arnoldus de Nussia solvit II francos, et magistri residuum; solvit, inquam, predictus magister Arnoldus 1 francum pro jocundo suo introitu in nacionis primam suam congregacionem, et ex deliberacione et beneplacito magistrorum solvit alium pro quitando se de franco pro procuracione prima sibi a nacione conferenda debito, secundum consuetudinem moremque laudabilem hucusque observatum.

Item facta congregacione VIII^a^ die Marcii apud Sanctum Julianum ad supplicandum, supplicavit Johannes Mambren determinans in artibus, necessi-

1. *Sed adhuc per quatuor annos vixit.*

tate sibi imminente et cogente, quod oportuit ipsum necessario ire Avinionem propter placita, que habuit, quatinus nacio vellet secum dispensare super disputacionibus ulterioribus usque ad festum Palmarum faciendis, cum non posset habere subdeterminatorem, causis ipsum recedere cogentibus attentis. Et dispensavit secum nacio ex auctoritate et potestate sua omni modo, quo potuit et in quo potestas sibi super hoc dispensandi commissa fuerit. Dixit tamen, ipsum unum loco sui positurum, pro eo disputaturum vicesque suas suppleturum.

Item facta congregacione apud Sanctum Maturinum X^a^ die Marcii ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, computavit receptor, et mansit nacio sibi obligata in III libris, VII solidis et 1 denario.

1374

Continuacio Johannis Stralen in procuratorem.

Anno quo supra, facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum X^a^ die Marcii hora primarum ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, computavit protunc dominus receptor, cui omnibus expositis et receptis computatis et defalcatis mansit nacio obligata in III libris, VII solidis et 1 denario, fuitque protunc Johannes Stralen continuatus in procuratorem, nullo alio penitus reclamante.

Item facta congregacione nacionis XIIII^a^ die Marcii, que fuit feria 3^a^ post *Letare*, hora primarum ad supplicandum, supplicaverunt Johannes Lubberti, Gilbertus Scotus, Wilhelmus Fenton Scotus, Johannes Gray et Symon Creych, Scoti, quatinus nacio dispensaret cum eis atque eis concederet, quod possent subdeterminare, cum prius per partem Quadragesime precedentem non determinaverint, solutis solvendis, non obstante quod non essent pauperes, aut previum juramentum subdeterminancium jurare nolentes. Et fuerunt supplicaciones omnium protunc supplicancium per nacionem concesse, solutis solvendis.

Supplicavitque in eadem congregacione Johannes Lubberti pro dilacione bursarum sue determinancie ad 3 menses, pignoribus positis sufficientibus, et fuit sibi concessa.

Item in eadem congregacione supplicavit magister Gherardus Kemyn per deputatos literam testimonialem sibi alias a nacione concessam confecturos et in forma decenti posituros; et erant sibi dati deputati una cum procuratore magister Mercilius de Inghen et magister Jordanus de Clivis.

Item in eadem congregacione fuit propositum, procuratorem seu collectorem monasterii (*Fol. 40*) Sancte Genovefe velle citare procuratorem et receptorem nacionis nostre pro mortizando seu vendendo scolas magnas et novas Almannorum in cono vici Straminis versus Secanam sitas, quia domini dicti monasterii racione juris, quod habebant in fundo seu area dictarum scolarum, nacionem nostram ad unum premissorum faciendum compellere nitebantur. Et consuluerunt protunc magistri, quod magister Mercilius de Inghen adiret unum advocatum, cujus haberet noticiam, querens ab eo attente, utrum racione dicti juris in tali casu nacionem ad unum illorum faciendum compellere possent, et quod postea videretur quid faciendum.

Item in eadem congregacione fuit propositum quod scole magne Piccardorum scolis novis Almannorum contigue minarentur ruinam, unde dampnum magnum, si caderent super scolas nostras, nacioni nostre provenire posset. Quare hoc expediens esset prevenire. Et super hoc fuit deliberatum, quod in prima congregacione nacionis Piccardie procurator nacionis Anglie adiret nacionem Piccardie, dicens magistris quatinus periculum et dampnum nostrum in istis precaverent; alias prepositum[1] implorari oporteret super mittendo juratos, predictas scolas visitaturos, et si nollent remedio narrato compelli, nos ipsos oporteret.

Item in predicta congregacione fui requisitus, cum essem in principio procuratorie mee, quatinus facerem fieri quater[2] congregacionem nacionis ad statuendum, quod amplius infuturum nullus pauper statutum paupertatis jurare volens determinaret, sed subdeterminaret in medio Quadragesime, et quod nullus dives bursas suas soluturus amplius subdeterminaret nec ad subdeterminandum admitteretur, postquam infra diem mercurii post brandones determinare non inceperit, omni nacionis dispensacione super hoc penitus interdicta, visis dampnis, defectibus et defraudacionibus nacioni ex hoc imminere seu incumbere potentibus.

Item in eadem eciam fui requisitus, quod prosequerer statutum, ad statuendum alias propositum, adhuc nondum perfectum seu elaboratum, de hoc, quod nullus ab unanimi consensu magistrorum

1. *I. e.* Hugonem Aubriot, *praepositum Paris.*

2. *Ms. clare* quater.

in procuratorem electus, quamvis vellet, procuratoriam refutare posset.

Item subdeterminavit dominus Wilhelmus Fenton pro domino Jacobo Lion, cujus bursa V solidi. Satisfecit.

Item subdeterminavit dominus Johannes Lubberti pro domino Johanne Gout, cujus bursa 3 solidi. Satisfecit.

Item subdeterminavit dominus Johannes Gray Scotus pro domino Petro Trebron, cujus bursa V solidi, VI denarii. Satisfecit.

Item subdeterminavit dominus Symon Creych Scotus pro domino Gerardo Visker, cujus bursa V solidi, VI denarii. Satisfecit.

Item facta congregacione nacionis XVI[a] die Marcii hora primarum apud Sanctum Julianum super tribus articulis, primus ad videndum, an libri in uno fardello ligati per magistrum Sanderum de Livonia rogatu suo ad archam nacionis depositi, Johanni de Prusia pertinentes, ut predictus magister Sanderus fatebatur et ut in cedula fardello colligata continebatur, dicto Johanni de Prusia libros suos repetenti, sive jussu magistri Sanderi librorum ad archam depositorum ipso absente, deberent expediri. Nacione informata quod petens libros fuit verus Johannes de Prusia, cui libri principaliter pertinebant, deliberavit, sibi libros seu fardellum expediendos et restituendos. Et fuit sibi fardellus firmiter corda ligatus, V sigillis signatus, eadem die post prandium deliberatus.

2[us] articulus fuit ad statuendum. Et propositum fuit in ista congregacione, primo nundum alias propositum, quod expediret statuere, nunquam in futurum divitem bursas solvere potentem in medio Quadragesime subdeterminare posse, nunquamque pauperem in principio determinare, visis nonnullis nostris temporibus determinare, bursasque suas racione determinancie debitas exponere nolentibus, prius quam se ad examen viderint vocatos, quo molito et per sequentes in consuetudinem ducto nacio defraudaretur, atque sibi super isto dampnum contingeret ingeri et generari. Quare placuit omnibus protunc presentibus hoc per modum expedientis statuendum.

3[us] articulus fuit ad supplicandum. Et supplicavit magister Jordanus de Clivis, regens de mane in scolis novis Anglicorum super terram, multis narracionibus premissis intentum suum persuadentibus, quatinus expensis nacionis fieret unum hostiolum seu parvum hostium infra magnum hostium predicte scole, de quo ipse clavem esset portaturus, volens legere aperturus, et post se lectione facta reclausurus, sic quod semper in horis extraordinariis predicte scole essent clause, preterquam quando sibi constiterit, in predictis aliquos debere fieri scolasticos actus. Et concesserunt omnes istam supplicacionem, preter procuratorem, non totum sed partem concedentem, scilicet ut ipsemet magister Jordanus faceret apponi seram [1].

Item facta congregacione nacionis XX[a] die Marcii hora primarum apud Sanctum Maturinum ad statuendum vel ad ordinandum de articulo statuendo prescripto una cum statuto proposito alias, scilicet nullum posse seu debere refutare procuracionem, deputacionem vel quamcumque aliam commissionem sibi per nacionem ex electione collatam seu deputatam, nisi excusacione legitima constante, propter quam nacio merito quem deberet supportare, fuit in ista congregacione 2[a], super isto articulo statuendo facta, deliberatum et ordinatum minutam de isto articulo conficiendam, et predicta secundum quod fuerunt proposita fore statuenda.

Item facta tercia vice congregacione nacionis XXIII[a] die Marcii hora primarum apud Sanctum Julianum in electione rectoris super eodem immediate prenarrato, ordinatum et deliberatum fuit penitus secundum quod prius. Et fuit in eadem congregacione electus in intrantem pro electione rectoris magister Mercilius de Inghen. Aliqui alii supplicaverunt, verumptamen nil obtinuerunt, etc.

(*Fol. 40* [b]) Item facta congregacione nacionis VI[a] die Aprilis hora primarum apud Sanctum Julianum ad supplicandum, supplicavit magister Johannes de Inghen quod rotulo pro nunc mittendo tamquam presens admitteretur imponi, cum de curia veniens ad patriam gradiens et in brevi fuerit reversurus et studium continuaturus. Supplicavit ultra quod si interim papa decedente alium contingeret rotulum formari, eodem modo illi ut presens permitteretur imponi, solutis solvendis. Et fuit supplicacio ejus concessa eodem modo, quo aliorum taliter supplicancium fuerunt concesse, videlicet in quantum possibile fuit concedi a magistris pro tunc congregatis, sine prejudicio alicujus illorum protunc congregatorum.

Item licenciatus est dominus Johannes Gout sub magistro Marcilio de Inghen, cujus bursa V solidi, IIII denarii. Posuit pignora.

1. *Ms.* ceram. — Scil..... ceram *postea adjuncta sunt.*

1374

Procuracio magistri Jordani Wanghe de Clivis.

Anno Domini millesimo CCC° LXXIIII° secundum stilum Gallicanum[1] facta congregacione nacionis Anglicane ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, electus fuit in procuratorem nullo penitus reclamante magister Jordanus de Clivis mense Aprilis die VII^a^, que fuit dies veneris post festum Pasche. In cujus procuracione acta fuerunt infrascripta.

Primo et eadem congregacione dilatus fuit computus receptoris usque ad proximam electionem, quia sufficienter expectatus non comparuit.

Item licenciatus fuit die sabbati sequente dominus Henricus Spronc sub magistro Thoma de Clivis, cujus bursa VI solidi.

Item eodem die licenciatus fuit dominus Johannes Cambisnathan Scotus sub magistro Wilhelmo Trebron, cujus bursa VII solidi.

Item eodem die licenciatus fuit dominus Johannes Lubberti de Daventria sub magistro Willelmo Wadenoy, cujus bursa III solidi.

Item eodem die licenciabatur dominus Johannes Schurpfer de Phullendorph sub magistro Johanne Scriptoris, cujus bursa V s.

Item eodem die licenciatus erat dominus Johannes Coc, sub magistro Mercilio de Inghen, cujus bursa V solidi et IIII denarii.

Item licenciatus fuit eodem die Johannes Theodorici de Scoenhovia sub magistro Waltero Wolf[2], cujus bursa V solidi et 4 denarii.

Isti sex simul licenciati fuerunt in prima audicione Nostre Domine.

Deinde die lune proxime sequente, que fuit X^a^ dies Aprilis, incepit et magistratus erat dominus Henricus Spronc sub magistro Thoma de Clivis, cujus bursa VI solidi.

Item die martis XVIII^a^ Aprilis licenciatus fuit dominus Willelmus Fenton Scotus sub magistro Gerardo Kalker, cujus bursa V solidi.

Item die jovis[3] post festum beati Marci ewangeliste licenciatus est Johannes Gray Scotus sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa V solidi et VI denarii.

Item eodem die licenciabatur Gilbertus Grenlau Scotus sub magistro Willelmo Trebron, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit Gerardus Viskaer sub magistro Gerardo de Kalker, cujus bursa VI solidi.

Deinde XXIII^a^ die mensis Aprilis facta congregacione nacionis apud Predicatores post sermonem[4] ad supplicandum, supplicavit magister Thomas de Herlem recessurus ad partes, quod si tempore absencie sue rotulus ante Natale Domini conclusus, aut eciam si illo dimisso de novo alius rotulus, scilicet si papam interim mori contigerit, ad curiam Romanam transmitteretur, ipse tanquam presens imponeretur, et omnibus prerogativis presencium gauderet. Cujus supplicacio concessa erat, dummodo in festo Dyonisii vel ante presens esset, et interim rotulus, licet eo absente, transmitteretur, prestito eciam juramento, sicud recepi ab eo, quod esset firme intencionis redeundi Parisius ante terminum prefixum.

(*Fol. 41*) Deinde XXV^a^ die Aprilis facta congregacione nacionis Anglicane sollempni post sermonem, apud Sanctum Maturinum omnium magistrorum regencium et non regencium per juramentum principaliter ad statuendum, statuta erant concorditer illa duo, super quibus statuendis plures congregaciones precesserant, ne sine deliberacione matura digestoque consilio quidquam novi statueretur. In quarum qualibet eciam concorditer, aut saltem per majorem partem, deliberatum erat illa statui expedire.

Primum igitur, quod dicta nacio tunc statuit et ordinavit perpetuis temporibus inviolabiliter observandum ex certis et justis motivis, hic brevitatis gracia pretermissis, est istud, quod de cetero nullus scolaris dicte nacionis nolens jurare statutum, quo communiter pauperes scolares a solucione bursarum in gradus recepcione debitarum per nacionem consueverunt absolvi, donec ad pinguiorem etc., ultra diem mercurii post brandones ad determinandum vel subdeterminandum seu ad recepcionem gradus bachalariatus in artibus eodem anno, omni dispensacione interdicta, quovis modo admittatur, excusacione seu exceptione quacunque in contrarium sibi non profutura. De pauperibus vero et statutum paupertatis jurare paratis statuit, quod nullus talium, sicut etiam antiquitus observabatur, ad principaliter determinandum in principio Quadragesime, sed dumtaxat ad subdeterminandum (si principalem volentem eum subordinare et vices ejus committere poterit reperire, vel saltem tamquam subdeterminans quoad actus per eum fiendos, si substituentem ipsum habere

1. *Sed et secundum atium stilum, cum festum Paschae fuisset* 2 *Aprilis.*
2. *Alias* de Delf.
3. 27 Aprilis.
4. *Quia dominica fuit.*

non poterit) in medio Quadragesime admittatur, dummodo tamen, ne fraus intercedat, in principio Quadragesime nacioni se presentaverit et de firmo proposito suo subdeterminandi in eadem Quadragesima in presentia nacionis fide media fuerit protestatus.

Secundum protunc similiter statutum est, quod deinceps nullus magistrorum in congregacione nacionis a majori parte presencium in procuratorem electus aut in quacunque causa per nacionem deputatus, hujusmodi procuratoriam, deputacionem seu quamvis aliam commissionem ex parte nacionis recusare valeat aut eam non acceptare, nisi impedimentum sufficiens et causam legitimam pretenderit, et super hoc nacionem extunc plene informaverit, propter quod vel quam merito debeat haberi supportatus et excusatus. Si vero allegato impedimento quisquam magistrorum in dubium revocaverit, an ipsum debeat sufficiens et legitimum reputari, et propter ipsum electus ab electione supportari : extunc procurator a magistro super hoc dubitante requisitus proponet in deliberacione nacionis de sufficiencia impedimenti et circa excusacionem, et quidquid protunc major pars magistrorum super hoc determinaverit, habebitur pro concluso.

2us articulus ejusdem congregacionis erat super collectione statutorum omnium nacionis et inscriptione eorum in fine *libri rubei nacionis* [1] post statuta facultatis. Et deliberatum erat concorditer quod hoc expediret. Et dati erant super hoc deputati. Sed negocium suspensum est usque ad reditum magistri Hartwici de Sundis, apud quem ut dicebatur esset *parvus liber nacionis*, in quo ut dicebatur multa statuta continebantur.

Post congregacionem dictam deliberacione seu concordia magistrorum super hoc previa intravit nacio tabernam in vico Sutorum, alias Husie, *ad ymaginem nostre domine*, ubi trium magistrorum quilibet, scilicet magister Nicolaus Suker, magister Henricus Spronc, et magister Guillelmus Gerland Scotus, solvit 1 francum pro jocundo introitu in primam congregacionem, residuum magistri solverunt de bursis propriis.

Item facta congregacione nacionis V^a die mensis Maii apud Sanctum Maturinum ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, computavit dominus receptor, et solutis XXX solidis pro scolis nostris novis, et IIII francis pro scolis in quibus magister Marcilius illo anno legebat, pro anno illo et soluto sibi emolumento suo sibi debito racione officii anno tunc currente, scilicet II libr., mansit nacioni obligatus in VIII libris, IIII albis minus, et fuit compotus ab omnibus approbatus.

1374

Procuratoria magistri Willelmi Gerland Scoti.

Anno Domini millesimo CCC° LXXIIII°, facta congregacione nacionis Anglicane ad eligendum procuratorem, et ad audiendum compotum receptoris, electus fuit in procuratorem, nullo penitus reclamante, magister Willelmus Gerland Scotus, V^a die mensis Maii. In cujus procuratoria acta fuerunt hec que sequuntur.

Et predicta die plures magistri predicte nacionis unanimi consensu tabernam quandam intraverunt, ubi predictum procuratorem in uno franco, VI denariis minus, perpotabant, laudabilem consuetudinem actenus conservatam humiliter (*sic*) approbantes.

Item XIII^a die mensis Maii incepit et magistratus erat dominus Johannes Choc sub magistro Mercilio, cujus bursa V solidi, IIII denarii, pro quibus posuit pignora receptori, que [2] postea redemit.

Item eodem die sabati, scilicet XIII^a die mensis Maii, licenciatus fuit dominus Petrus de Trebrun Scotus, cujus bursa VI solidi.

Item eodem die licenciatus fuit Ghijskynus de Diepenborch, cujus bursa VI solidi.

Item XVI^a die mensis Maii incepit et magistratus fuit Ghuskynus de Diepenborch sub magistro Gerardo Kalkar, cujus bursa VI solidi.

(*Fol. 41* b) Item eodem die, scilicet XVI^a die mensis Maii, incepit et magistratus fuit dominus Gerardus Viskaer sub predicto magistro, cujus bursa VI sol.

Item XXVII^a die mensis Maij licenciatus fuit Symon Creych sub magistro Willelmo de Trebrun, cujus bursa V solidi, VI denarii.

Item eodem die licenciatus fuit dominus Hector sub magistro Thoma de Clivis, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Item predicto die licenciatus fuit dominus Conrardus de Haghenoya sub predicto magistro, cujus bursa nichil.

Item dominus Conrardus predictus die ultima mensis Maii incepit et magistratus fuit sub magistro Thoma de Clivis, cujus bursa nichil.

Item dominus Hector Vilt de Huessen incepit et magistratus fuit sub predicto magistro eodem die, cujus bursa nichil.

1. *Vid. supra* p. 321, *not.* 4.

2. Que *etc.*, *alio charactere.*

1374

Procuracio magistri Jordani Wang de Clivis per vacaciones.

Anno Domini quo supra, mensis Junii die IIa, que fuit crastinum Sacramenti, facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum pauperem in primis Nostre Domine, ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, computavit dominus receptor, et solutis omnibus scolis pro illo anno, tam propriis nacionis quam conductis, et solutis quampluribus magistris, qui alias in festo beati Eadmundi dimidios francos seu VIII solidos nacioni accomodarunt, mansit receptor obligatus nacioni in quinque libris, III solidis et IX denariis.

In fine vero ejusdem congregacionis intravit nacio tabernam *ad malleos* ad potandum, et ibidem procurator electus, cui racione officii per vacaciones nacio debebat XX solidos, libere dedit nacioni hujusmodi XX solidos in adventagium ad perpotandum, et eadem vice magister Ghyskinus de Diepenborich solvit 1 francum pro jocundo introitu in primam congregacionem, et que ultra predicta erant exposita, soluta erant per magistros ibi presentes equaliter.

Demum die sabbati sequente[1] inceperunt domini Johannes Gout et Ricoldus Milde sub magistro Mercilio de Inghen, quorum utriusque bursa V solidi et IIII denarii.

Item VIIIa die Junii incepit dominus Johannes Cambisnathan Scotus sub magistro Willelmo de Trebron, cujus bursa VIII solidi.

Item eodem die incepit dominus Symon Creych Scotus sub eodem magistro Willelmo Trebron, cujus bursa V solidi cum VI denariis.

Deinde facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum hora primarum principaliter ad supplicandum, supplicavit magister Johannes Cambisnathana Scotus, paratus animo statim redeundi adire Scociam ut dicebat, quatinus si contigerit rotulum jamdiu ventilatum in Universitate emitti ad curiam aut alium de novo concludi, ipse posset imponi eidem tanquam presens solutis solvendis. Postea in quadam alia congregacione super hoc specialiter facta supplicavit idem in eadem forma magister Guillelmus Gerland Scotus, quorum supplicaciones concesse fuerunt in tali forma et tanta ubertate sicut aliis similibus supplicantibus ante ipsos hoc concedebatur. Adjecta tamen fuit condicio in concessione supplicacionis magistri Johannis, videlicet quod juxta consuetudinem laudabilem nacionis, cum jam primo venisset ad congregacionem nacionis, solveret 1 francum ad potandum. Et magistro Johanne exhibente se paratum, ad requestam magistrorum intravit nacio in fine congregacionis tabernam *ad salmonem*, ubi dictus magister Johannes Cambisnathan, magister Conradus de Hagnoya et magister Gerardus Viskaer solverunt quilibet ipsorum unum francum pro jocundo introitu in primam congregacionem.

(*Fol.* 42) Deinde facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum per juramentum prehabita congregacione simplici vocata super eodem articulo in Sancto Juliano, cujus congregacionis deliberacio differebatur et remittebatur ad istam 2am per juramentum. Articulus erat iste. Magister Gilbertus[2] medicus fecit erigi edificium retro scolas novas nostre nacionis, contigue muro posteriori dictarum scolarum, privando nos lumine ingredi solito per fenestras posteriores scolarum, ipsas per hoc in prejudicium nacionis non modicum deteriorando et quasi inutiles faciendo in parte posteriori. Super quo deliberavit nacio, dando deputatos, qui se facerent informari per consuetudinarios clericos et laycos, scilicet lathomos et eciam apud jurisperitos, si opus foret, sub expensis nacionis, si jure, consuetudine vel privilegio possemus dicto magistro Gilberto inhibere dictam structuram nobis prejudicialem. Similiter iidem deputati erant dati pro adeundo dictum magistrum Gilbertum ad supplicacionem ipsius, quia dicebat se libenter velle tractare cum nacione vel ejus deputatis. Et magistris ad hoc deputatis in domo sua eo presente comparentibus et congregatis, principalis intencio sua stabat in ista questione : An aliqua via justa et racionabili possemus docere et ostendere, quod non liceret ei nec posset racionabiliter in loco predicto taliter edificare. Et addebat, quod credit firmiter, quod neque jus neque consuetudinem vel privilegium haberemus pro nobis; quorum tamen aliquod si haberemus, et ipsum de hoc sufficienter doceremus, ipse desisteret ab inceptis et contra nos attemptatis, et quod quanto graciosius posset, nobiscum procederet, scilicet dimittendo nobis graciose saltem partem aperture posterioris. Nos dicebamus, quod ista referremus nacioni, nec aliter sibi ex tunc respondere possemus, regraciando de gratuita exhibicione, in quantum solum sub gracia caderet, et habita deliberacione nacionis sibi respon-

1. 3 *Junii.*

2. *Utique* Gilbertus de Celseto, *de quo saepe in* Chartul. III.

deremus. Et verum est quod deputati non poterant reperire, quantum de jure possent vel forte consuetudine, nec de privilegio scolarum non poterant statim certificari, et stante ista dilacione responsionis dande magistro Gilberto ipse continue edificavit eciam usque ad complementum edificii sui, et reliquit nobis unam fenestram apertam. Et habebam a nacione quod non responderemus sibi, nisi quod non possemus ita cito informari de jure nostro sicut desiderabat, tenendo pocius negocium in suspenso, quam quod ex toto jure nostro, si quod imposterum reperire poterimus, renunciaremus. Et ita, si in futurum poterimus sufficienter informari, quod bene fundati essemus, possemus agere ad demolicionem edificii, si placeret.

1374

Acta in procuratoria magistri Conrardi de Hagenoya.

Anno Domini quo supra, mensis Augusti die 26ª, facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum pauperem in primis Nostre Domine ad audiendum computum receptoris, et ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem magister Conradus de Hagenoya nullo contradicente, in cujus procuratoria acta fuerunt infrascripta.

Primo et eadem congregacione dilatus fuit computus receptoris ex voluntate nacionis.

Deinde facta congregacione, scilicet 4ª die mensis Septembris, apud Sanctum Julianum hora primarum principaliter ad supplicandum, supplicavit magister Wenemarus then Ghoye de Zutphania paratus animo ire ad partes suas propter provisionem ibidem sibi factam de expectancia sua, sperans se tamen reversurum ad studium, quatinus si congerit rotulum jamdiu ventilatum in Universitate emitti ad curiam, aut alium de novo concludi, ipse posset imponi eidem tamquam presens, solutis solvendis. Item predictus magister Wenemarus supplicavit in eadem congregacione quod posset literas suas testimoniales temporis acquisiti in medicina ad archam nacionis deponere.

Item eadem die et in eadem congregacione supplicavit magister Gotschalcus Viferman, asserens se aditurum curiam Romanam pro libris et rebus suis ibi dimissis, ut si medio tempore rotulus concluderetur, ipse posset similiter imponi. Quorum supplicaciones omnes fuerunt admisse.

(*Fol. 42 b*) Item facta congregacione in die sancti Mathei[1] ad Sanctum Maturinum hora vesperarum ad audiendum computum receptoris et ad electionem novi vel continuacionem antiqui, continuatus fuit receptor antiquus concorditer ab omnibus, et computus ultimus dilatus usque ad congregacionem sequentem.

Item[2] die XXIIIª mensis Septembris hora primarum facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, computavit dominus receptor, et omnibus tam expositis quam receptis computatis mansit nacioni obligatus in XI libris parisien., XVII solidis et X denariis, et fuit computus ab omnibus approbatus.

1374

Procuratoria magistri Marcelii de Inghen.

Anno quo supra et die, facta congregacione nacionis ad audiendum computum receptoris, et ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer in procuratorem magister M[arcelius] de Inghen, nullo penitus reclamante. In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

Item 1° tunc supplicavit magister Conrardus de Hagenoya, quod nacio sibi parceret de solucione pecunie, quam nacioni debebat pro precedente procuratoria. Quod fuit concessum usque ad instans festum sancti Emondi[3].

Item facta congregacione nacionis 4° die Octobris apud fratres Minores post sermonem[4], ad supplicandum, supplicavit magister Hermannus de Bottenbroich quod, cum pro rebus suis in studio sibi debentibus deservire, necessario haberet repatriare, cumque recederet animo revertendi, ut juramento asseruit, in cujus eciam signum res suas omnes, quas prius communiter habuit, Parisius dereliquit; cum eciam scolares Parisienses tempore recessus et adventus, ymo et tempore preparacionis sue ad studium gaudeant privilegiis Universitatis et reputentur Parisius presentes : quatinus si papam mori contigerit, aut rotulum fieri, quod ipse eidem imponeretur tamquam presens et in loco suo secundum senectutem magisterii. Que supplicacio fuit concessa pro tempore sequente usque ad Natale, si et in quantum interim reversus esset; si autem diucius remaneret in partibus post Natale, absens erit reputatus.

1. 21 *Septembris.*
2. *Sequentia alio charactere scripta sunt.*
3. *Postea spatium decem linearum.*
4. *Quia festum S. Francisci.*

Item supplicavit magister Jordanus Wanghe de Clyvis pro magistro Arnoldo de Nucia, tunc non in congregacione existente, similiter sicud magister Hermannus, que supplicacio fuit sibi concessa.

Item supplicavit idem magister Hermannus, quod in rotulo anno preterito concluso, si et in quantum eum mitti contingeret, presens reputaretur, quod fuit concessum.

Item[1] facta congregacione nacionis Anglicane ipso die Michaelis[2] hora prime in Sancto Maturino regencium et non regencium per juramentum ad ordinandum de scolis, deliberatum fuit concorditer quod quilibet regencium pro tunc inciperet in scolis, in quibus consuevit legere, et magister Marcilius de Inghen inciperet in scolis magistri Wilhelmi de Wadenoy[3], vel in aliis ubi vellet, dummodo poneret ibi alium nacionis predicte. Et si contingeret, quod dictus magister Marcilius tot haberet scolares, quod commode non possent sedere in scolis dictis sibi deputatis, et aliquis aliorum, in cujus scolis scolares dicti Marcilii commode intrare possent, ita modicos haberet scolares, quod commode intrare possent in scolas Wadenoy: tunc magister Marcilius de Inghen sepedictus supplicaret illi habenti paucos scolares, ut sibi suas scolas concedere dignaretur, et alter, quicumque esset, suam supplicacionem concederet[4].

Nota[5] ad futuram rei memoriam, quod in crastino[6] sancti Dyonisii hujus anni electi erant successive V rectores : duo Gallici, unus Picardus, unus Normannus, et unus nacionis nostre, quorum IIII primi recusando seu non acceptando officium rectorie se excusaverunt, et ultimus seu quintus, qui Gallicus erat[7], acceptavit.

1374

(*Fol. 43*) Procuratoria magistri Hugonis de Hervorst.

Anno Domini M° CCC° LXXIIII, XXI^a^ die Octobris facta congregacione apud Sanctum Julianum ad audiendum computum receptoris, et ad eligendum procuratorem vel ad priorem continuandum, affuit receptor asserens, se non habere aliquid computandum. Sed electus fuit concorditer nullo reclamante magister Hugo de Hervorst in procuratorem. In cujus procuratoria sunt acta que sequuntur.

Et primo facta congregacione nacionis VIII^a^ die Novembris in ambitu ecclesie Sancti Maturini ad supplicandum, supplicavit magister Johannes de Berka, quod ex quo ad expedienda quedam sua negocia propter quandam beneficii ecclesiastici provisionem sibi factam, sicut speravit protunc, repatriare proponeret, intendens reverti ad studium prout cicius posset, rotulo protunc incepto posset tamquam presens imponi, cum et ipse vere presens esset in tempore, quod prefixum erat ad porrigendum supplicaciones. Et supplicacio ejus fuit concorditer concessa.

Item facta congregacione nacionis XIIII^a^ die Novembris in Sancto Maturino ad providendum de nuncio pro rotulo, et ad ordinandum et disponendum de festo sancti Eadmundi, videlicet quantum ad sollempnitates faciendas in ecclesia et in officiis divinis ipso die ejusdem sancti, et quantum ad prandium faciendum pro magistris nacionis, ut si prandium fieri deberet provideretur concorditer de modo faciendi ipsum, et darentur sive deputarentur aliqui magistri ad procurandum oportuna. Et erat concorditer conclusum ut fieret condecens sollempnitas in ecclesia in divinis officiis, et ut haberentur alieni cantores sub expensis nacionis. Ulterius tandem concorditer concludebatur, quod fieret prandium honestum pro magistris nacionis volentibus interesse, ita tamen, quod quilibet eorum daret antea V solidos parisiens. et nacio solveret residuum. Et deputabantur ad procurandum magister Henricus de Thenis receptor tanquam ex officio, et magistri Marsilius de Inghen et Thomas de Harlem. De primo autem articulo, scilicet de provisione nuncii pro rotulo, dictum erat ut expectaretur usque ad unam aliam congregacionem per juramentum faciendam, ut tunc plures convocati sanius deliberare valerent.

Item facta congregacione nacionis XVIII^a^ die Novembris in ecclesia Sancti Juliani pauperis ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem vel ad priorem continuandum, et ad supplicandum, primo absens fuit receptor. Demum concorditer fuit continuatus in procuratorem nullo reclamante magister Hugo de Hervorst. Et supplicavit idem ut in casu, quo procuratores aliarum nacionum pro mense precedenti immediate ponerentur in rotulo protunc concluso tanquam procuratores, ipse eciam inter magistros nacionis Anglicane in eodem rotulo, si imponeretur, posset imponi

1. *Quae sequuntur, minime manu Marsilii scripta sunt.*
2. 29 *Septembris.*
3. *Vid. supra* p. 415, 6.
4. *Haec probant, Marsilium maxima fama in Universitate gavisum esse.*
5. *Iterum alio charactere.*
6. 10 *Octobris.*
7. *Scil.* Nicolaus de Cussangeyo. *Vid.* Chartul. III, n° 1395.

tamquam procurator. Cujus supplicacio fuit concorditer concessa.

1374

Continuacio in procuratorem magistri Hugonis de Hervorst.

Anno, mense et die quibus immediate supra facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem vel ad continuandum priorem, fuit ut supra scribitur continuatus in procuratorem magister Hugo de Hervorst concorditer, nullo reclamante. In cujus procuratoria sunt acta que sequuntur.

Primo ejusdem mensis die XXI^a incepit dominus Jordanus de Goerinchem sub predicto magistro Hugone de Hervost, cujus bursa VII solidi.

1374

(*Fol. 43 b*) Procuratoria magistri Henrici Spronc.

Anno Domini M CCC° LXXIIII°, XVI^a die Decembris facta congregacione apud Sanctum Julianum ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem nullo penitus reclamante magister Henricus Spronc, in cujus procuratoria acta fuerunt infrascripta.

Computavit dominus receptor, cui expositis et receptis compensatis mansit nacio obligata in II libris, XVIII solidis et VIII denariis.

Post congregacionem dictam, deliberacione sive concordia magistrorum super hoc previa, intravit nacio tabernam *ad duos gladios* in vico Sancti Jacobi, et ibi dictus procurator perpotabatur in uno franco, quia officium procuratoris ante hoc nunquam exercebat.

Item eodem die solvit magister Jordanus de Baerdwiic, alias de Gorinchem, 1 francum pro jocundo suo introitu in primam congregacionem.

Item facta congregacione nacionis penultima die mensis Decembris apud Sanctum Julianum hora primarum Nostre Domine ad supplicandum, supplicavit magister Ulricus Kellaer de Constancia, quod cum continue presens in studio fuerat a 6 annis citra, et nunc noviter unus casus sibi emersisset, racione cujus oporteret eum aliquanto tempore se absentare a villa Parisius, proponens tamen firmiter quantocicius posset redire, quatenus quantum ad rotulum diu in Universitate ventilatum, si processum habuerit, vel quantum ad alium rotulum forte concludendum, si tempore absencie sue papam mori contigerit, tanquam presens reputaretur. Dixit tamen, si papa moriretur, de situ sue supplicacionis in rotulo se non curare. Cujus supplicacio fuit concorditer concessa.

Deinde supplicavit magister Jordanus de Clivis, quod cum sicud audiverat dici, nacio haberet unam cistam, qua non uteretur in Sancto Bernardo, ut credebat, quatenus nacioni placeret sibi concedere usum illius ciste, que eciam fere tanto tempore steterat ibidem sine usu nacionis, quod forte alii possent verisimiliter sibi illam attrahere vel ascribere, cujus supplicacio fuit concorditer concessa, donec nacioni occurreret indigencia ac causa eam ad se reassumendi.

1375

Item X^a die mensis Januarii facta congregacione nacionis in Sancto Maturino ad eligendum examinatores determinancium et bacalariorum licenciandorum in Sancta Genovefa, electi fuerunt in examinatores determinancium magistri Marcilius de Ynghen, Jordanus de Clivis et Gherardus Calker. In eadem vero congregacione electi fuerunt in examinatores licenciandorum magister Johannes Stralen pro primo mense, et pro 2° mense magister Walterus Venedau, et pro 3° magister Nicolaus Suker de Haerlem.

Item eodem die intravit nacio tabernam *ad duos gladios*, et ibi solverunt magistri Johannes de Stralen 1 francum, Walterus Venedau 1 francum, Nicolaus Suker de Haerlem VIII solidos, Hector de Hus[sen] 1 francum, pro suo jocundo introitu in primam congregacionem, Jordanus de Baerdwiic alias dictus de Goerkem 1 francum super procuratoria proxime ventura. Et hoc fecit, quia magistri nacionis supplicarunt.

1375

(*Fol. 44*) Procuratoria magistri Jordani de Ghorinchem.

Anno Domini M CCC° LXXIIII, XIII^a die mensis Januarii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem nullo penitus reclamante magister Jordanus de Ghorinchem. In cujus procuratoria acta fuerunt infrascripta.

Primo et [in] eadem congregacione dilatus fuit computus receptoris ex voluntate nacionis.

1375

Procuratoria magistri Heinrici de Roshem.

Anno Domini M° CCCLXXIIII° secundum stilum gallicanum[1], decima die mensis Februarii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, electus autem fuit pro tunc in procuratorem, nullo penitus reclamante, magister Heynricus de Roshem. In cujus procuratoria acta fuerunt infrascripta.

Primo et in eadem congregacione fuit dilatus computus receptoris per voluntatem nacionis. Et facta ista congregacione intravit nacio tabernam *ad duos gladios* nullo dissenciente, et ibidem perpotatus fuit iste procurator electus de novo in uno franco, quia nunquam prius officium procuratoris exercuisset.

Item ultima die mensis Februarii dominus Johannes Lubberti incepturus in artibus, cujus bursa fuit III solidi, satisfecit domino receptori et michi procuratori de juramento.

Item in die sequenti immediate, scilicet in primo die Marcii, incepit idem dominus Johannes Lubberti sub magistro Waltero Veneda[u].

Item decima die ejusdem mensis computavit dominus receptor, cui expositis et receptis computatis mansit nacio obligata in VIII libris, X solidis et II denariis, et fuit computus ejus approbatus.

1375

(*Fol. 44 b*) Procuratoria magistri Egidii Brune.

Anno Domini M° CCC° LXXIIII secundum stilum gallicanum, die decima mensis Marcii, facta congregacione apud Sanctum Julianum ad audiendum computum receptoris et ad eligendum novum procuratorem, electus fuit in procuratorem magister Egidius Brune nullo penitus reclamante. In cujus procuratoria acta fuerunt que sequuntur.

Primo eodem die intravit nacio tabernam *ad duos gladios*, ubi dictus magister Egidius solvit 1 francum pro prima sua procuratoria, et unum francum alium, quem recipere debuit a determinantibus, quorum quilibet grossum turonens. debuit pro sigillo. Eodem die et hora solvit magister Johannes Koc unum francum pro prima procuratoria sua ventura. Item eodem loco et tempore solvit magister Johannes Lubberti de Davantria unum francum pro jocundo introitu.

Die dominico sequenti[2] facta congregacione nacionis ad eligendum nuncium, electus fuit magister Hermannus de Bottenbroec concorditer, et sibi pro salario suo per nacionem dati fuerunt quinquaginta franci, quorum XXV ab Universitate reciperet, et alios XXV ab inrotulandis, si posset, reciperet, si non, nacio defectum suppleret, et si quid excresceret, sibi ad utilitatem veniret. Et ultra hoc nacio communi bedello solveret.

Item determinavit dominus Thomas Dobbelsteyn sub magistro Gherardo de Kalker, cujus bursa VIII sol., et dominus Johannes Heze sub magistro Johanne de Stralen, cujus bursa VII solidi. Ambo satisfecerunt in pignore, scilicet Apparatu Innocentii.

Item determinavit dominus Busco de Scopitem sub magistro Alberto de Bohemia, cujus bursa II solidi. Satisfecit.

Item determinavit dominus Wilhelmus Appeldorn sub magistro Waltero Venedau, cujus bursa IIII solidi. Satisfecit per pignora.

Item determinavit dominus Theodericus Baec sub magistro Marcilio, cujus bursa IIII solidi. Satisfecit.

Item determinavit dominus Johannes Beersword sub magistro Thoma de Clivis, cujus bursa VII sol. Satisfecit.

Item determinavit dominus Hermannus Roeve[3] sub magistro Thoma de Clivis, cujus bursa VIII solidi. Satisfecit.

Item determinavit dominus Hermannus de Adenrode sub magistro Thoma de Clivis, cujus bursa VII solidi. Satisfecit.

Item determinavit Paulus de Ghelria sub magistro Thomas de Clivis, cujus bursa XVIII denarii.

Item determinavit dominus Johannes Mercir sub magistro Guilhelmo Treb[r]on, cujus bursa VII solidi.

Item Galterus Forestarii sub eodem magistro, cujus bursa VI solidi.

Item Andreas Scoti sub magistro Gerardo de Calker, cujus bursa VI solidi.

Item Alexander Bur sub magistro Galtero Venedou, cujus bursa VI solidi.

Item Bernardus Luttic sub magistro Marcilio de Inghen, cujus bursa VI solidi, VI denarii.

} Satisfecerunt in pignoribus.

1. Sec... gallic. *inter lineas. Sic et* 35.
2. 11 *Martii.*
3. *Ms. clare* Roene, *sicut et postea.*

Item Arnoldus de Ghise sub magistro Waltero Venedou, cujus bursa IIII solidi.

Item Paulus Johannis, qui determinavit sub magistro Thoma de Harlem, cujus bursa VII solidi.

Item dominus Johannes de Kempen sub magistro Marcilio de Inghen, cujus bursa VI solidi, VI denarii. Satisfecit in pignoribus.

Item die lune[1] post brandones facta congregacione nacionis regencium et non regencium per juramentum super declaracione rotuli, qui essent in eo presentes vel non, declaratum fuit concorditer et diffinitum per omnes, quod illi qui tempore conclusionis rotuli vel a tempore ordinarii Parisius fuerunt pro studio usque ad tempus emissionis ejusdem, essent omnes presentes, et quilibet volencium inrotulari unum frankum solveret; qui vero post conclusionem rotuli inceperunt et tempore emissionis non erant presentes, supervenientes reputantur. Similiter et alii magistri, qui licet tempore conclusionis erant magistri, nondum tamen erant Parisius, licet postea per aliquod tempus supervenerunt, et tempore emissionis rotuli non fuerunt[2], similiter supervenientes reputantur, et quilibet eorum XXIIII solidos pro inrotulacione solveret. Qui vero nec tempore conclusionis, nec emissionis, nec interim Parisius fuerunt causa studii, absentes reputantur et eorum quilibet inrotulandorum duos francos solveret.

(*Fol. 45*). Item facta congregacione Universitatis die veneris[3] ante Annunciacionem beate Marie super juramentis nunciorum, juraverunt ex tunc consueta juramenta. Eadem hora in nacione nostra de pecunia tradenda bedello communi, scilicet XV francos, mutuavit dominus receptor nacioni tres francos[4] mag. Marcilius de Inghen III francos, mag. Limphardus de Dattlen 1 francum, mag. Thomas de Clivis II fr., mag. Jordanus de Clivis tres fr., mag. Gherardus de Kalker III fr., quia extunc nacio pecuniam non habuit, et predictis magistris de prima pecunia levanda solvere promisit.

Item subdeterminaverunt dominus Andreas de Lederdam, et Petrus Michaelis, quorum bursa nichil.

Item subdeterminavit dominus Gherardus Muchgaert sub magistro Johanne Stralen, cujus bursa VII solidi. Satisfecit in pignore.

Item subdeterminavit dominus Falkyland sub magistro Guilhelmo Trebron, cujus bursa V solidi. Satisfecit in pignore.

Item subdeterminavit dominus Alexander de Dalgarnoc sub magistro Wilhelmo Trebron, cujus bursa VI solidi. Solvit 1 francum; de residuo in pignore satisfecit.

Item licenciatus est dominus Lambertus de Ghelria. Item licenciatus est dominus Henricus de Odendorp, quorum bursa septem solidi. Satisfecerunt simul in pignore. } sub magistro Thoma de Clivis in prima audicione Nostre Domine.

Item licenciatus est dominus Johannes de Wolgast sub magistro Johanne de Saxonia in prima audicione Nostre Domine, cujus bursa VI s. Satisfecit in pignore.

1375

Procuratoria magistri Johannis Koc anno Domini M° CCC° LXXIIII.

Item septima die mensis Aprilis facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, et audito compoto tenebatur receptori nacio [in] II libris, IX solidis, II denariis, et erat compotus approbatus. Et electus fuit in procuratorem magister Johannes Koc.

Item ex tunc supplicavit receptor declarari sibi per nacionem, ut, in casu quo Lambertus de Ghelria ad eum pro bursis magisterii veniret, quomodo secum procederet, ex quo non est determinans Parisius. Et deliberavit nacio quod admitteretur quantum in ea esset solutis bursis determinancie more solito Parisius, et juratis jurari consuetis per determinantes Parisius.

Item[5] eodem die placuit nacioni quod aperiretur archa nacionis et reponeretur[6] *liber nacionis de papiro*[7], in quo continentur multe procuratorie magistrorum, et modus inrotulandi magistros, et juramentum nunciorum rotuli, et litera in gallico scripta de proprietatibus scolarum, et tunc factum fuit illo die post completorium per receptorem et bedellum et me Johannem Koc protunc procuratorem existentem, et ivimus protunc ad tabernam que dicitur *turboet*, ubi potavimus bonum vinum.

Item die dominica immediate sequenti[8] facta con-

1. 12 *Martii.*
2. *Ms.* sunt.
3. 23 *Martii.*
4. Nacioni... francos, *et postea* mag. Thomas *etc. deleta sunt.*
5. *Abhinc tantum manus procuratoris.*
6. *Ms.* reponerentur.
7. *Videtur esse n° 3 Reg. de l'Université, supra p. 104 — 312 edit. In fine ms^ti juramenta, et documentum in lingua gallica.*
8. 8 *Aprilis.*

gregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum post sermonem eadem hora illius diei fuit congregacio nacionis ad supplicandum, et supplicavit magister Hinricus de Angheren, curatus in Erfordia de Saxonia, nacioni, ex quo ipsum oporteret recedere ad patriam propter quedam obstacula sive impedimenta, que Erfordenses sibi facerent de suo beneficio nisi repatriaret, quatenus nacio, si dominum nostrum papam contingeret mori, ipsum vellet habere inrotulatum, saltem tanquam absentem, et hoc solutis illis, que debent solvi ad hoc. Et nacio protunc habita deliberacione supplicacioni sue acquievit.

Item in die lune immediate sequenti facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Julianum in nonis Nostre Domine ad supplicandum, et supplicavit protunc Lambertus de Ghelrea incepturus in artibus pro dilacione pecunie, quam debuit dare pro determinancia, quia Parysius non determinavit. Et nacio dedit sibi dilacionem predicte pecunie usque ad octavam Pasche proxime venture, positis pigneribus sufficientibus.

Item in die martis immediate sequenti[1] inceperunt magister Lambertus de Ghelrea et magister Hinricus de Odendorp sub magistro Thoma de Clivis in scolis novis Almannorum super terram, quorum bursa septem solidi[2], et dedi eis *signetum procuratorie* die lune de vespere immediate precedenti, et dedi protunc eciam *signetum* domino Johanni de Wolgast, qui fuit cum eis licenciatus; sed ille non incepit quando ipsi inceperunt, sed alia die sequenti.

(*Fol. 45* [b]). Item eadem die martis fuit congregacio nacionis ad Sanctum Julianum in primis Nostre Domine ad videndum de scolis novis nacionis super terram, videlicet qualiter fieret de calce, quam magister Gylbertus medicus fecit apponi fenestris predicte scole[3]. Et deliberatum est protunc per magistros, quod fieret congregacio nacionis per juramentum regencium et non regencium ad videndum modum procedendi contra predicta.

Item in die mercurii fuit congregacio nacionis apud Sanctum Julianum post missam, et proposuit magister Johannes de Stralen, qualiter esset faciendum de ordinacione bachalariorum in Sancta Genovefa examinatorum, et dixit quod secundum conscienciam suam tres primi secunde audicionis deberent esse ultimi, et penultimus primus, et ultimus 2[us]; et quia habent ibi talem ordinacionem, quod Gallici precedunt, deinde Piccardi, et deinde Normanni et demum in ultimo nacio nostra ponitur, supplicavit vel saltem consilium peciit a nacione, utrum ille ordo posset perverti, ita quod secundum dignitatem scienciarum collocarentur. Et dixerunt aliqui, quod ille modus Gallicorum esset noviter inventus, et quod adhuc esset unus magister, scilicet magister Linphardus, qui fuit ibidem primus in prima audicione, et est de nostra nacione. Sed magistri de hoc protunc nichil deliberaverunt, quia dixerunt quod nescirent aliqua remedia super hoc.

Item in die jovis fuit congregacio nacionis per juramentum regencium et non regencium apud Sanctum Julianum pro disposicione scolarum novarum nacionis nostre, et magistri protunc non fuerunt concordes, quia aliqui dixerunt, quod bonum esset removere calcem de fenestris, et quod melius esset nos esse defensores quam actores; et multi alii dixerunt oppositum, scilicet quod cum consilio juristarum esset procedendum. Et sic videbatur aliquibus quod, quia tunc non fuit concordia, fieret congregacio iterum per juramentum in die dominica sequenti apud Sanctum Maturinum post prandium, scilicet in nonis Jacobi.

Item in die Palmarum[4] fuit congregacio nacionis post sermonem apud Predicatores ad supplicandum, et supplicavit primo magister Lambertus de Ghelrea, ex quo protunc oportuit eum recedere, ut nacio vellet sibi dare dilacionem ulteriorem, quam prius peciit, de pecunia determinancie, incepcionis et licenciacionis. Et concessit sibi nacio quod haberet tres menses pro dilacione predicte pecunie, computando a tempore prime supplicacionis que fuit in die lune immediate precedenti, et hoc positis pignoribus sufficientibus vel saltem receptore contento sufficienter.

Item pro tunc in eadem congregacione supplicavit magister Gherardus Calkar nacioni ex parte cujusdam scolaris captivati in dyocesi Treverensi a quodam milite, quatenus nacio vellet sibi assistere, ut indicaretur bonus modus ad ipsum redimendum. Et deliberavit nacio quod sibi libenter vellet assistere ubicumque posset et in quibuscunque, dum tamen ille scolaris expensas met faceret. Et ista fuit prima supplicacio ibidem facta, quamvis aliam preposui.

Item supplicavit eciam tunc magister Nycholaus Suker de Haerlem ut refunderetur sibi dimidius

1. 10 *Aprilis.*
2. *Ms.* solidos.
3. *Vid. supra* p. 456, 17.
4. 15 *Aprilis.*

francus, quem exposuit ante pro tercio mense examinis Sancte Genovefe, quia non fuit quinta audicio facta. Et nacio remisit eum ad receptorem.

Item in die martis[1] post diem Palmarum fuit congregacio nacionis apud Sanctum Julianum in nonis Nostre Domine ad supplicandum, et supplicavit Paulus Johannis pro dilacione pecunie, quam debuit dare pro licencia, quia protunc pecuniam non habuit. Et deliberavit nacio quod haberet tres menses, sub tali condicione quod si prius posset solvere, quod prius solveret predictam pecuniam; et hoc ibidem promisit facere.

Item licenciatus fuit Bernhardus Luttic[2], et protunc fuit eciam licenciatus Paulus Johannis apud Sanctam Genovefam in 2ª audicione, videlicet in die mercurii post Ramos Palmarum, quorum cujuslibet bursa fuit VI solidi et VI denarii, et unus, scilicet Bernhardus Luttic, solvit cum pecunia, et alter cum pignoribus satisfecit.

Item in octava[3] Pasche fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum, in nonis Nostre Domine ad supplicandum, et supplicavit Wilhelmus de Apeldoren pro dilacione pecunie, quam debuit dare nacioni pro sua licencia, et habita deliberacione acquievit nacio sue supplicacioni, dando sibi dilacionem usque ad festum Penthecostes proxime venturum sub tali forma, quod si prius haberet, prius daret.

(*Fol. 46*) Item in die lune[4] post *Quasi modo* immediate sequenti fuit congregacio nacionis apud Sanctum Julianum in primis Nostre Domine ad audiendum nova scripta in quadam litera missa nacioni a nuncio Universitatis de Avinione, et continebat illa litera, primo salutem sive salutis optacionem magistris nostre nacionis, et dictum quod ipsi intraverunt in die lune[5] post *Judica* Avinionem salvi et sani, et in die immediate sequenti fuerunt[6] adducti sive presentati domino nostro pape per plures cardinales, et quod dominus papa graciose eos recepit. Eciam predictus nuncius scripsit nobis, quod immediate in prima die, quando intraverunt Avinionem, ipse vendidit equum suum. Et de aliis novis remisit nos ad audiendum in literis Universitatis.

Item eodem die fuerunt licenciati Wilhelmus de Apeldoren, cujus bursa IIII solidi (satisfecit cum pignore) et Johannes Logghe, cujus bursa VII solidi (solvit), in secunda audicione apud Nostram Dominam.

Item in die mercurii[7] Hermannus Roeve fuit licenciatus in 2ª audicione apud Nostram Dominam, cujus bursa VIII solidi. Solvit.

Item in die jovis, que fuit dies Invencionis sancte crucis, fuit congregacio nacionis per juramentum apud Sanctum Maturynum post sermonem de modo procedendi circa scolas novas, videlicet utrum calx fenestris nostre scole imposita deberet deponi, an non. Et fuit tunc concorditer deliberatum per omnes magistros nacionis ibidem presentes, quod calx sive plaustrum deberet deponi de nostris fenestris quantocicius fieri posset, et tociens deberet deponi, quociens apponeretur.

Item in die veneris fuit licenciatus dominus Johannes Mercir Scotus sub magistro Jordano de Clyvis in tercia audicione apud Sanctam Genovefam, cujus bursa VII solidi. Solvit.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum sabbato[8] post *Quasimodo*, hora prime, quinta die mensis Maii, ad computandum cum receptore et ad eligendum procuratorem, computavit receptor, et facta computacione omnium receptorum et expositorum, mansit nacioni obligatus [in] tribus libris, XVI solidis et 1 denario. Et fuit iste compotus approbatus. Et placuit nacioni, quod magister Walterus Wolf[9] continuaret officium receptorie loco Henrici de Thenis. Et electus fuit protunc in procuratorem magister Hugo de Hervoerst concorditer.

1375

Procuratoria magistri Hugonis de Hervorst.

Anno Domini M° CCC° LXX° V° secundum stilum gallicanum[10], quinta die mensis Maii, facta congregacione nacionis ad Sanctum Julianum pauperem hora primarum ad audiendum computum receptoris, ad supplicandum et ad eligendum procuratorem, approbato computo receptoris, et admissa supplicacione quadam, prout supra scriptum est, electus fuit concorditer in procuratorem nacionis magister Hugo de Hervorst nullo reclamante. In cujus procuratoria sunt acta que sequuntur.

1. 17 *Aprilis.*
2. *Ms.* Luctic. *In* Chartul., III, p. 282 : Luctit.
3. 29 *Aprilis.*
4. 30 *Aprilis.*
5. 9 *Aprilis. Supra agitur de nuntiis Universitatis, qui rotulum, jam. an.* 1373 *incoeptum* (*vid. supra* p. 436, 43), *ad curiam portaverunt.*
6. *Ms.* fuerent.
7. 2 *Maii.*
8. 5 *Maii.*
9. *I. e.* de Delf.
10. *Et stilum curiae Rom.*

Primo dominus Hermannus Roeve incepit die lune sequenti, que erat VII^a dies Maij, sub eodem magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa VIII sol.

Item eodem die dominus Johannes Logghe incepit sub magistro Henrico Spronch, cujus bursa VII sol.

Item die XII^a ejusdem mensis, scilicet die sabbati sequenti immediate, licenciatus fuit dominus Johannes Scafrayt de Kempene sub magistro Lamberto de Marchia [1], quia gallicatus, cujus bursa VII solidi.

Item eodem die licenciatus fuit dominus Andreas Symonis de Prusya sub magistro Thoma de Clivis, cujus bursa VII solidi.

Item eodem die licenciatus fuit dominus Alexander de Dalgarnok, gallicatus, sub magistro Lamberto de Marchia, cujus bursa V solidi.

Item tunc licenciatus fuit dominus Jacobus Lyon, picardisatus, sub magistro Johanne de Ponte, cujus bursa V solidi.

Item XIIII^a die ejusdem mensis, que erat dies lune, incepit dominus Bernardus Luttic sub magistro Mercilio de Inghen, cujus bursa VI solidi et VI denarii.

Item eodem die dominus Paulus Johannis incepit sub eodem magistro Mercilio de Inghen, cujus bursa VI solidi.

Item predicta XIIII^a die Maii, facta congregacione nacionis in terciis ad supplicandum apud Sanctum Maturinum, supplicavit procurator nomine cujusdam scolaris de nacione, ut cum ille esset bachallarius in artibus, et vellet visitare patriam suam ad regendum ibidem scolas, nacio daret sibi litteram recommandatoriam et testimonialem de bachallariatu et sufficiencia literature, cujus supplicacio fuit concorditer concessa.

Item XVI^a die ejusdem mensis, que erat dies mercurii, facta congregacione nacionis in terciis ad Sanctum Maturinum ad supplicandum, supplicavit dominus quidam, nomine Wynandus, prepositus ecclesie Aboensis, quatenus cum esset coram domino rectore quedam lis inter ipsum una cum quibusdam suis sociis de provincia Swecie, et magistrum Johannem de Gortenbeke, doctorem decretorum ex alia parte super administracione quorundam domuum dicte provincie, et ipse dictus dominus Winandus esset per dominum episcopum Lincopensem [2], ad cujus disposicionem pertine[n]t ille domus, procurator constitutus ad intromittendum se de amministracione dictarum domorum, prout asseruit se, si opus esset, docturum literis et instrumentis; quo non obstante prefatus magister Johannes (*Fol. 46^b*) se intromitteret de illarum domuum disposicione, allegans se substitutum a quodam alias ante promocionem moderni episcopi dicti in procuratorem constituto; cum tamen et predecessor illius episcopi obiisset, et modernus episcopus procuracionem factam a suo predecessore illi, a quo idem magister Johannes erat substitutus, publice revocasset, prout idem dominus Wynandus asseruit se docturum, si opus esset, vellet sibi assistere nacio in prosequendo suam causam, ut optineret justicie complementum, attento quod dictus magister Johannes quereret pro posse in curia domini rectoris evasiones et dilaciones fraudulentas. Et deliberavit nacio concorditer, quod dicto domino Winando deputarentur ex parte nacionis magistri Mercilius de Inghen et Lyphardus de Dattilen, quos ei nacio deputavit, ut informarentur ipsi, an ipse dominus Wynandus sepefatus erga dictrum magistrum Johannem pretenderet et haberet causam justam; qui si taliter esse reperirent, assistere deberent dicto domino Wynando in curia domini rectoris nomine nacionis.

Item XXI^a die mensis Maii, que erat dies lune, dominus Andreas Symonis de Prusya incepit sub magistro Lyfardo de Dattilen, cujus bursa VII sol.

Item [3] XXII^a die mensis Maii, que erat dies martis, facta congregacione nacionis hora vesperarum ad Sanctum Maturinum ad supplicandum, supplicaverunt quidam bachallarii, et primo domini Galterus Forestarii, Theodericus de Hesewyc, Arnoldus de Gise et Johannes de Sancto Vito, sequenti die licenciandi, quod cum non haberent de presenti sufficientes pecunias ad solvendum nacioni bursas solvi debitas et consuetas pro licencia, daret sibi nacio dilacionem trium mensium, infra quos solvere tenerentur indilate. Quorum supplicaciones admittebantur, dummodo ponerent pignora receptori. Et tunc supplicavit quidam alius bachalarius nomine Johannes Curt, quod sibi daretur per nacionem dilacio unius mensis de bursis solvendis pro licencia. Cujus supplicacio erat ampliata, et concessa erat ei dilacio trium mensium una cum aliis, dummodo eciam poneret pignora receptori.

Item protunc supplicavit dominus Thomas Dobbelsteyn quatenus, cum ipse adhuc teneretur nacioni de bursis sue determinancie, de quibus ei fuit a principio concessa dilacio trium mensium, cumque esset statim licenciandus, et non haberet de pre-

1. *Postea etiam plures sub ipso actus fecerunt.*
2. Nicolaum Hermanni, *ab. an.* 1374.
3. *Quae sequuntur usque* 473, 18, *in ms^to post* 473, 36.

senti, unde posset nacioni satisfacere de bursis determinancie et de bursis optinende licencie: daret ei nacio dilacionem usque ad festum sancti Michaelis proxime futurum, vel saltem prefigeret ei alium terminum, infra quem dictam pecuniam haberet solvere. Et deliberavit nacio quod, quantum est de bursis determinancie, ut dicebant magistri protunc presentes pro majori parte, non posset nacio sibi dilacionem ampliorem concedere, cum jam ei a principio concesserit terminum trium mensium, et esset statutum nacionis in contrarium. Verumtamen quantum est de bursis licencie, erat concessa sua supplicacio sicut aliorum supplicancium, ut scilicet haberet dilacionem trium mensium. Nichilominus predictis supplicantibus injunxit nacio quod, licet supplicaciones eorum erant sic concesse, si tamen ante finem illorum trium mensium eis concessorum possent commode nacioni satisfacere, hoc facere deberent.

Item XXIII^a die ejusdem mensis, que erat dies mercurii, licenciatus fuit dominus Johannes Bersword sub magistro Thoma de Clivis, cujus bursa VIII solidi.

Item eodem die licenciatus fuit dominus Theodericus de Hesewiic sub magistro Hugone de Hervorst, tunc procuratore, cujus bursa VIII solidi.

Item tunc licenciatus fuit dominus Alexander Bur sub magistro Wilhelmo de Trebron, cujus bursa VI s.

Item tunc licenciati fuerunt domini Galterus Forestarii et Andreas Scoti sub magistro Gerardo de Calker, et cujuslibet eorum bursa VI solidi.

Item tunc licenciatus fuit dominus Johannes de Sancto Vito sub magistro Henrico Spronck, cujus bursa IIII solidi.

Item tunc licenciatus fuit dominus Arnoldus de Gise sub magistro Wilhelmo de Wadenoy, cujus bursa IIII solidi.

Item sequenti die, scilicet die jovis [1], dominus Johannes Bersword incepit sub magistro Thoma de Clivis, cujus bursa VIII solidi.

Item eodem die licenciatus fuit dominus Johannes Curt sub magistro Johanne Priswalch de Saxonia, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item tunc licenciatus fuit dominus Thomas Dobbelsteyn sub magistro Henrico de Hassya, cujus bursa VIII solidi. Posuit pignora.

Item penultima die Maii, que erat vigilia Ascensionis, facta congregacione nacionis hora nonarum Nostre Domine ad Sanctum Maturinum ad audiendum contenta in quadam litera missa procuratori et nacioni a magistro Hermanno Buottenbroich, nuncio ex parte nacionis, de curia Romana, que juxta tenorem sue date scripta erat XX^a die Maij [2], et aperta ipsa habebatur in effectu, primo, quod licet nondum essent expediti rotulus supplicacionum magistrorum et articulus de privilegio septennali [3], esset tamen sperandum, quod Universitas finaliter, licet difficulter, tamen honorifice, intentum tam quo ad rotulum quam eciam quo ad *communes articulos* optinebit. Addebatur postea, quod in brevi essemus scituri finem saltem de rotulo supplicacionum et signacionibus eorundem. Inserta erant quedam alia, de quibus non est opus ut memoria habeatur.

(*Fol. 47*) Item secunda die Junii, que fuit dies sabbati, incepit dominus Johannes Cůrt sub magistro Johanne Priswalch, cujus bursa V solidi. Solvit.

Insuper eadem die Junii facta congregacione nacionis Anglicane hora primarum apud Sanctum Maturinum ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem et ad supplicandum si qui vellent supplicare..... (*sic*).

1375

Acta tempore procuratorie magistri Jordani Wang de Clivis per vacaciones.

Anno Domini quo supra, mensis Junii die 2^a, congregata nacione Anglicana hora primarum in domo capitulari ecclesie Sancti Maturini ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, dilatus erat computus de communi consensu magistrorum usque ad ultimum diem ordinarii magni, scilicet vigiliam beati Petri. Et ex causa deinde electus erat concorditer magister Jordanus Wang de Clivis in procuratorem dicte nacionis. Post congregacionem vero nacio intravit tabernam *ad duos enses*, et ibidem magister Andreas Symonis de Prucia solvit II francos, unum pro jocundo introitu in primam congregacionem, 2um vero pro procuratoria proxime per eum acceptanda.

Item magister Arnoldus de Emelisse [4] Zelandrinus ex affectione ejus ad magistros nacionis et magistrorum ad ipsum inivit confraternitatem seu amicabilem unionem cum magistris nacionis solvendo unum francum, quatenus de cetero ad societates

1. 24 *Maii.*
2. *Cum congregatio* 30 *Maii teneretur, et litterne Avenione* 20 *Maii scriptae essent, litterarum perlator* 9-10 *tantum dies in itinere fuit.*
3. *Anno eodem, Junii* 22, *a Gregorio XI, renovatum est. Vid.* Chartul, III, n° 1404.
4. *Fuit nationis Picard. De* Arnoldo de Emelisse *pluries in* Chartul III. *Vid.* n°° 1422, 1424.

convivales nacionis una cum aliis magistris admitteretur, quod concorditer placuit magistris ibi congregatis.

Item receptor solvit XX solidos michi debitos racione procuratorie per vacationes, ut dicebat.

Item incepit dominus Johannes de Sancto Vito sub magistro Conrardo de Hagnoya, cujus bursa IIII solidi.

Item incepit dominus Thomas Dobbelsteyn sub magistro Gerardo de Hoynghen, cujus bursa VIII s.

Item in vigilia beati Johannis Baptiste facta congregacione facultatis ad eligendum rectorem, electus erat in rectorem Universitatis magister Lyphardus de Datlen de Prucia, magister nacionis nostre, et post receptionem specierum a rectore intravit nacio tabernam *ad duos enses*, et solvit ibidem magister Johannes Wolgast de Saxonia II francos, 1 pro jocundo introitu in primam congregacionem, et alium pro procuratoria ad quam primo contingeret ipsum eligi. Et erant ante electiouem hujus rectoris successive electi duo magistri nacionis Picardie, quorum uterque non consenciens electioni de se facte se excusavit. 2[m] francum debet Wolgast receptori nomine nacionis et est computatus.

Item XXV[a] die mensis predicti, que fuit crastinum Nativitatis Johannis Baptiste, congregata nacione in Sancto Maturino hora nonarum Nostre Domine ad supplicandum, supplicaverunt Theodericus de Hesewiic et Johannes de Kempen pro dilacione bursarum incepcionis. Quorum supplicaciones erant concesse secundum formam statuti nacionis.

Item die sequenti incepit dominus Theodericus de Hesewiic sub magistro Marcilio de Inghen, cujus bursa VII sol.

Item eodem die et sub eodem magistro incepit dominus Johannes Scafrayt de Kempene, cujus bursa VII solidi.

} Posuerunt pignora.

Item in fine cujusdam congregacionis generalis nacio intravit tabernam in vico Cithare *ad epitogium Gileti*[1], et ibidem trium magistrorum quilibet, scilicet magister Hermannus Roeve de Hammone, magister Theodericus Hesewiich et magister Johannes Cůrt de Marchia, solvit unum francum pro jocundo introitu in primam congregacionem.

(*Fol.* 47 [b]) Item XXII[a] die mensis Julii facta congregacione nacionis apud Predicatores post sermonem[2] ad supplicandum, supplicavit magister Bernardus Luttyc aditurus curiam Romanam certis de causis animo cito redeundi, ut dicebat, quatenus si contigerit fieri rotulum ad papam ipso absente, admitteretur imponi rotulo; cujus supplicacio erat concessa in forma consueta. Et intravit nacio tabernam *ad salmonen*, ubi dictus magister Bernardus solvit francum pro jocundo introitu in primam congregacionem. Item in quadam alia congregacione similis supplicacio omnino similiter erat concessa magistro Theoderico de Hesewiich ad partes ituro animo cito redeundi.

Item magister Hermannus Bottenbroich, nuncius ex parte nacionis cum rotulo destinatus, rediit apportans secum signaciones magistrorum, et nominavit unum abbreviatorem pro tota nacione, duobus magistris exceptis, concessum, scilicet... (*sic*).

Item incepit dominus Arnoldus de Ghise de Arnhem sub magistro Willelmo Wadenoy, cujus bursa IIII solidi, XXVII[a] die mensis Augusti.

Item XXVII[a] die mensis Augusti facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum hora primarum Nostre Domine ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris ac eciam ad supplicandum, et audito computo, computatis receptis et defalcatis expositis, mansit receptor obligatus nacioni in XII libris, IIII solidis et II denariis, solutis scolis novis et *septem arcium* pro isto anno, et receptis LXX solidis ab Universitate. Verum est quod magister Henricus de Thenis non tradidit suo successori[3] nisi tres libras, XVI solidos et 1 denarium, quos ultimo suo [computo] computavit se habere a nacione. Item idem magister Henricus reliquit III bursas solvendas rectori per nacionem et solutas per suum successorem, scilicet XIX solidos et VI denarios pro incipientibus, a quibus habuit pignera, sed non constat de nominibus debitorum nisi de uno, scilicet magistro Lamberto de Ghelria. Et fuit computus ab omnibus approbatus.

1375

[Procuratoria mag. Andree Symonis de Prussia].

Item anno ut supra, XXVII[a] die Augusti, congregacione nacionis ut supra facta apud Sanctum Julianum hora primarum, electus fuit concorditer magister Andreas Symonis de Prussia in procuratorem dicte nacionis, videlicet Anglicane; in cujus procuratoria acta fuerunt que secuntur.

1. *I. e.* ad. huchiam Egidii, *ubi pendebat signum ad modum epitogii magistrorum. Vide infra ad an.* 1376, p. 496, 15.

2. *Quia fuit dies dominica.*

3. Waltero de Delf.

Primo XIXa die Septembris congregacione nacionis facta apud Sanctum Julianum, supplicavit magister Johannes de Inghen quatenus si contingeret rotulum ex parte Universitatis mitti ad papam ante reditum suum Parisius, ipse admitteretur imponi. Quam supplicacionem nacio concessit quantum potuit.

Item XXIIa die mensis ejusdem facta congregacione apud Sanctum Maturinum hora vesperorum ad audiendum computum receptoris et ad eligendum receptorem et ad supplicandum, audito computo computatis omnibus, mansit receptor obligatus nacioni in IX libris, III solidis et I denario. Et de consenso (*sic*) omnium magistrorum fuit idem receptor continuatus. Deinde supplicavit quidam magister nomine Radolphus van den Dodenwerde, quatinus nacio de quibusdam debitis,. in quibus tenebatur nacioni, videlicet de determinacione ipsius ac eciam de licencia et incepcione ipsius, ipsum quitaret, cum impotens esset ad solvendum. Cujus supplicacio sic fuit concessa, si quando ipsum venire contingeret ad pingwiorem fortunam quod tunc solveret, committendo tamen hoc consciencie sue; sin autem, videlicet quod intraret religionem vel interim moriretur, simpliciter esset quitus. Postea vero in fine nacio intravit tabernam in vico Cithare *ad epitogium*, et fuit ibi perpotatus unus francus, quem solvit receptor racione officii.

1375

Acta procuratorie magistri Marcelii de Inghen.

Item facta congregacione nacionis 24a die mensis ejusdem apud Sanctum Julianum pauperem ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, de consensu omnium magistrornm fuit compotus dilatus usque ad proximam procuracionem, et electus in procuratorem magister Marcelius de Inghen. In cujus procuratoria fuerunt hec que sequuntur.

Primo ultima die Septembris sequente facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturynum ad ordinandum de scolis, ordinatum fuit quod quinque seniores retinerent scolas in quibus essent. Ceteri vero si qui essent providerent sibi expensis nacionis, dum tamen fideliter continnarent lecturam.

(*Fol. 48*) Item tunc eciam facto articulo ad concordandum aliqualem dissencionem que erat inter supposita nacionis, videlicet magistrum Jordanum de Clyvis parte ex una, et magistrum Hugonem de Hervorst parte ex altera, compromiserunt iidem magistri ad instanciam et amore nacionis in venerabiles et discretos viros magistros Liphardum de Datlem, protunc Universitatis Parisiensis rectorem, et Hermannum Rueb[1], in quantum concorditer aliquid pronunciarent, et in casu discordie in superiorem magistrum Henricum de Hassia, bachalarium formatum in sacra theologia, sub pena 20 librarum parisiens. mediatim nacioni et mediatim parti tenenti arbitrium solvendarum, se servaturos pronunciatum.

Item eadem die facta congregacione nacionis ad supplicandum, supplicavit magister Hermannus de Bottenbroich, alias nuncius nacionis ad curiam Romanam, quatenus nacio sibi solvi faceret sex francos quos tunc nacio mutuavit, quos quidem sex francos nacio levare debebat a receptore communi Universitatis. Item conquestus est nacioni de multitudine expensarum habitarum pro nacione in curia, dicens si nacio posset, bene vellet quod ipsum aliquantum alleviaret. Et fuit supplicacio prima concessa, similiter 2a, vero moderata sic fuit, quod pro toto magister Hermannus a nacione 12 francos acciperet, et primos sex in prompto, de aliis vero sex proventus determinancium in XLma futura expectaret et tunc solverentur eidem.

Item Xa die Octobris facta congregacione pro eligendo rectorem, nacione tunc congregata, supplicavit magister Hugo de Hervorst quod cum scole sue in muris fracte forent, sic quod claudi non possent, expensis nacionis reficerentur. Que supplicacio concessa fuit.

Item facta congregacione nacionis ad audiendum computum receptoris, et omnibus hinc inde defalcatis, mansit receptor obligatus nacioni in VIII libris, XIII denariis.

1375

Procuratoria magistri Johannis Levenhaghen.

Anno Domini quo supra, XXIIa die mensis Octobris, congregata nacione Anglicana hora primarum Nostre Domine apud Sanctum Julianum pauperem ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, computavit dominus receptor, et omnibus hinc inde defalcatis, mansit receptor obligatus nacioni in VIII libris et XIII denariis; qui compu-

1. *Alias* Reve, Roeve.

tus ab omnibus erat approbatus. Deinde electus erat concorditer in procuratorem magister Johannes Levenhaghen de Wolgast. In cujus procuratoria acta sunt hec que sequuntur.

Primo facta congregacione nacionis Anglicane per juramentum XII^a die mensis Novembris hora primarum Nostre Domine in domo capitulari Sancti Maturini ad ordinandum et disponendum de festo sancti Eadmundi regis, videlicet quantum ad sollempnitates faciendas in ecclesia, in officiis divinis ipso die ejusdem sancti et quantum ad prandium faciendum pro magistris nacionis, ut si prandium fieri deberet provideretur, et de modo faciendi ipsum, et ut darentur et deputarentur aliqui magistri ad procurandum oportuna.

2us articulus erat ad videndum de expedicione pignorum in nacione obligatorum.

Quantum ad primum concorditer erat conclusum ut fieret condecens sollempnitas in ecclesia in divinis officiis, et ut haberentur alieni cantores et ornamenta ecclesie et cetera cerimonialia, ut alias fieri consueverunt sub expensis nacionis. Concludebatur etiam concorditer quod fieret prandium honestum more solito pro magistris nacionis interesse volentibus; ita tamen quod quilibet eorum daret antea III solidos parisiens., et nacio solveret residuum, et quia erant magistri quidam presentes, scilicet duo vel tres, quorum quilibet debebat 1 francum pro jocundo introitu eorum ad congregacionem nacionis, quos quidem II vel III francos nacio reciperet in sublevamen predictorum. Erant eciam concorditer una cum receptore nacionis deputati ad procurandum magister Guillelmus de Trebron de Scocia et magister Andreas Symonis de Prucia.

De 2° autem articulo concludebatur unanimiter ut illi, quorum sunt pignora et qui sunt presentes, monerentur, et monicione habita, si non statim redimerent extunc pignora ipsorum, una cum pignoribus absencium vendantur juxta statuta nacionis.

Inter [1] illos magistros, quorum quilibet debebat franckum pro jocundo introitu, fuit magister Arnoldus de Ghyse unus, qui solvit unum franckum pro jocundo introitu congregacionis Anglicane in festo sancti Eadmundi pro prandio nacionis, quod fuit celebratum in palacio *Terminorum* sito in opposito vici Sorbone, ut in *libro receptoris* est explicatum.

1375

(*Fol. 48* [b]) Acta in procuratoria magistri Johannis Forestarii.

Anno quo supra, 20^a die mensis Novembris, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem, electus fuit hora primarum Beate Marie nullo magistrorum contradicente magister Johannes Forestarii, qui in festo sancti Edmundi proximo sequente, celebrata missa nacionis, post prandium magistrorum ad tabernam solverit bedello nacionis pro primo introitu in officio sue procuratorie unum francum, quem nondum perpotarunt. In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

Congregata nacione predicta apud Sanctum Julianum XVII^a die mensis Decembris ad audiendum computum receptoris nec non ad eligendum procuratorem, computavit receptor, et omnibus hinc inde computatis, tenebatur nacio dicto receptori in VIII solidis et VII denariis.

1375

Acta in procuracione magistri Johannis Lubberti de Daventria.

Anno quo supra, XVII^a die mensis Decembris, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, electus fuit hora primarum Beate Marie nullo magistrorum contradicente magister Johannes Lubberti de Daventria, qui nacioni die 3^a ante sui electionem solvit unum francum pro prima sui procuratoria; quem magistri perpotarunt. In cujus procuratoria acta sunt hec que sequuntur.

Primo, nacionis facta congregacione una cum con gregacione Universitatis XXIX^a die mensis Decembris apud Sanctum Matulinum super duobus articulis; primo super pecunia habenda ad solvendum domino receptori, ubi deliberatum fuit concorditer quod libri quos in vadiis teneret venderentur, et quod de gracia solum, et non de jure, illis quibus libri pertinerent, diceretur, si Parisius essent.

Item 2us articulus fuit super festo Concepcionis Virginis, utrum bonum esset celebrare festum Conceptionis sicud alia quatuor nostre Domine. Deliberatum fuit primum concorditer quod sic. Sed quia concludi non poterat de illo festo nisi primitus factis

1. *Quae sequuntur, scripta sunt alia manu.*

duabus aliis congregacionibus ad statuendum, facta est una congregacio apud Predicatores. ad statuendum, ubi concorditer deliberatum fuit quod statueretur, factis distribucionibus magistris secundum modum in aliis festis nacionis observatum.

1376

Deinde facta 2ª congregacione ad statuendum apud Sanctum Julianum 12ª die mensis Januarii, concorditer deliberatum fuit ut prius.

Item facta congregacione apud Sanctum Julianum hora primarum, die XIIIª mensis Januarii, ad eligendum procuratorem et audiendum compotum receptoris et ad concludendum de celebrando festo Conceptionis beate Virginis, continuatus fuit procurator predictus magister Johannes Lubberti nullo magistrorum contradicente. Ceterum compotus receptoris dilatus fuit usque ad electionem sequentis procuratoris.

Iterum finaliter conclusum fuit, quod istud festum statueretur et celebraretur a nacione quemadmodum alia festa beate Virginis, et quod fierent magistris (*Fol. 49*), ut in aliis festis solitum est fieri, distribuciones [1]. Nulla fuit tunc temporis alia supplicacio.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum XIª die mensis Februarii hora prime ad audiendum computum receptoris et super quibusdam aliis, de quibus infra, audito computo receptoris et eo ab omnibus approbato, mansit nacio obligata domino receptori in IX libris et XV denariis.

1376

Sequuntur acta tempore procuratorie magistri Hugonis de Hervorst.

Primo facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum XIª die Februarii, anno Domini quo supra, ad eligendum procuratorem vel ad continuandum priorem, et ad eligendum alios officiarios, scilicet examinatores determinancium et licenciandorum in examine Sancte Genovefe, et ad audiendum computum receptoris, facto primo computo et ab omnibus approbato, ut supra scriptum est, electi fuerunt in examinatores determinancium magistri Mercelius de Inghen, Jordanus de Clivis et Gerardus de Kalker, et in examinatores licenciandorum in Sancta Genovefa magister Henricus de Rossem pro primo mense, et magister Johannes Lubberti pro secundo mense.

Item postea electus fuit in procuratorem nacionis magister Hugo de Hervorst concorditer, nullo reclamante. Sed protunc differebatur capere juramenta ab examinatoribus determinancium suprascriptorum propter impedimentum ex parte congregacionis facultatis arcium.

Item tunc ex consensu majoris partis magistrorum protunc presencium deliberatum fuit intrandum esse tabernam, nam uterque electorum in examinatorem licenciandorum in Sancta Genovefa dedit 1 francum ad perpotandum, et procurator tunc electus eciam graciose et liberaliter tradidit francum, eo quod levaturus esset a quolibet determinancium sibi juraturo 1 g[rossum] turonens.

Item penultima die Februarii facta congregacione nacionis per juramentum apud Sanctum Maturinum hora terciarum ad videndum de modo procedendi cum magistro Michaele de Prusya, decano ecclesie Warmiensis, de pecunia quam, ut dicebatur alias a quibusdam suppositis nacionis, ipse debet nacioni, et proposuit procurator, congregatis magistris, quomodo ipse et receptor una cum bedello adierant ipsum decanum predictum, prout ipsis erat injunctum a quibusdam magistris nacionis pro utilitate nacionis, rogantes eundem quatenus solveret nacioni pecuniam quam sibi deberet, et ipse statim graciose respondit. Primo tamen simpliciter asseruit se nullam pecuniam debere nacioni; si vero aliquam sibi deberet, eam sibi solvere vellet libentissime. Et statim dixit bedellus quod crederet (et audivit frequenter de hoc mencionem in nacione) quod deberet circa V francos et IIII solidos ex computo receptorie sue, quando resignavit suam receptoriam. Ad quod ipse respondit quod bene verum est, quod semel tempore procuratorie magistri Henrici de Hassia audiverat de hoc mencionem fieri, et tunc ipse se excusavit, eo quod in libro receptoris, prout dixit, erat deleta illa pecunia, licet non fuisset deleta in libro procuratoris. Et quesitum tunc fuit a magistro Henrico de Hassia de isto, qui respondit se nec esse certum de solucione illius pecunie, nec esse certum de hoc quod ipse non solverit eam. Et subjunxit idem dominus decanus, quod si esset aliquis in nacione qui diceret in consciencia sua, eum debere illam pecuniam nacioni, libenter eam vellet sibi persolvere. Tunc procurator et receptor ei responderunt quod

1. *Natio gallicana post quatuor annos duntaxat simile statutum edidit. Vid.* Chartul. III, n° 1456.

hanc responsionem vellent referre nacioni. Cum itaque hec proposuisset procurator, requirens magistros tunc presentes ut deliberarent qualiter esset ulterius procedendum super istis, deliberatum fuit saltem a majori parte nacionis quod vocarentur aliqui ex senioribus de nacione, quibus melius constaret istud factum, et specialiter magistri Adam de Catwyc, Marcilius de Inghen, Jordanus de Clivis et Gerardus de Kalker, ut illi audirentur, et secundum quod illi dicerent, ulterius procederetur. Et quia, ut dicebatur, magister Marcilius ante adventum procuratoris dixerat aliquibus magistris nacionis quod bene recordaretur, quod idem magister Michael semel supplicavit pro remissione illius pecunie, et tunc sua supplicacio fuit interempta, dixerunt plures ymmo major pars nacionis, quod auditis magistris prenominatis requiretur illa pecunia ab eo, nisi doceret se interim satisfecisse nacioni.

Item eadem penultima die Februarii hora nonarum Nostre Domine vel quasi, vocatis per juramentum ad Sanctum Maturinum magistris Adam de Catwijc, Marcilio de Inghen, Jordano de Clivis, Gerardo de Kalker et Waltero de Delf receptore, procurator quesivit ab eis tunc presentibus quid eis constaret de illa pecunia suprascripta. Et dixerunt concorditer quod bene scirent eum debere nacioni V francos aut circiter; ymmo dicebant aliqui eorum, se bene recordari de hoc quod ipse supplicaverat nacioni pro remissione illius pecunie, sed sua supplicacio fuit interempta, et interim non satisfecit. Et postea advenit magister Albertus de Prusya tanquam missus ex parte domini decani predicti ut informaretur de veritate istius facti; qui finaliter informatus sufficienter promisit nacioni ex parte predicti domini decani solvere V francos et IIII solidos. Quos IIII solidos postea perpotaverunt procurator una cum receptore et magistris Adam de Catwijc et Gerardo de Kalker, et Hermanno Roeve ac eciam bedello et subbedello in taberna *ad epitogium Gilleti*[1] in vico Cithare. Et statim postea idem magister Albertus nacioni de dicta pecunia satisfecit.

Item tunc juraverunt procuratori examinatores determinancium superius electi.

(*Fol.* 49^b) Insuper III^a die Marcii facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum post prandium circa horam secundam ad ordinandum de pecuniis nacionis et ad supplicandum, supplicaverunt ibidem Hermannus de Sittert, Theodericus Jacobi de Alcmaria, Jacobus de Praga, magister Jordanus de Clivis ex parte Arnoldi de Kempen et Gisonis de Ratinghen, magister Johannes de Stralen nomine Hermanni de Kempen, Mertinus Gijsberti, Petrus Jacobus de Catwijc, Nicolaus Johannis, Theodericus Jacobi de Alcmaria, Philippus Pingh, Bernardus Pistoris, Gotfridus Florencii de Kalker, Johannes de Colonia Scotus, Nicolaus Pyech et Jacobus Tolnaer pro dilacionibus bursarum debitarum racione determinanciarum suarum, et fuit omnibus predictis concessa dilacio trium mensium, licet aliqui pro minore et quidam pro majori dilacione supplicassent, sub hijs tamen condicionibus : primo quod quilibet eorum ponens pignora ex nunc consentiret quod lapsis illis tribus mensibus, nisi interim redimeret pignora sua, receptor sine consensu eorum aut monicione previa libere posset ea vendere, et quod tunc receptor haberet computare pecunias de bursis ipsorum tanquam receptas in congregacione nacionis tunc facienda. Secundo quod quilibet eorum in consciencia sua assereret quod pro presenti non posset nacioni satisfacere in promptis pecuniis. Tercio quod quilibet eorum existens de provincia Almannie antea satisfaceret provincie seu procuratoribus ipsius, si prius non satisfecerit; alias supplicaciones eorum essent concorditer interempte. Item supplicacio domini Jacobi de Praga non fuit concessa sed interempta per magistrum Johannem de Berka, nisi ipse submitteret nacioni aut aliquibus magistris de nacione de quadam pace facienda inter eos racione cujusdam discordie alias mote inter ipsos. Item tunc supplicaverunt Michael de Mar et Stanislaus de Polonia[2], quatinus cum vellent libenter determinare vel subdeterminare, et racione paupertatis nimie non haberent unde possent satisfacere nacioni pro bursis debitis propter suas determinancias, nacio vellet eis remittere pecunias debitas pro bursis suarum determinanciarum. Et fuerunt amborum supplicaciones concesse, dum tamen jurarent statutum paupertatis; quod et ipsi ibidem juraverunt, et ita fuerunt admissi ad subdeterminandum.

Item die sequenti, scilicet quarta die Marcii, facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum hora terciarum ad supplicandum et ordinandum de pecuniis nacionis, et supplicavit ibi primo magister Gerardus de Hoynghen, pastor in Wasserpillich, quatenus, cum alias jamdiu quidam magister de nacione debuisset nacioni circa iij francos cum dimidio aut circiter, et eciam magistro Henrico de Hassya 1 florenum, et jam circa festum incepcionis

1. *Seu* Egidii (ad huchiam Egidii) *ut alias dicitur.*

2. *Seu de* Mylonow.

in theologia ejusdem magistri Henrici idem debitor misisset tam pecuniam debitam sibi quam eciam pecuniam, in qua tenebatur nacioni, predicto magistro Henrico, quas quidem pecunias idem magister Henricus exposuisset in dicto suo festo; cumque idem mag. Henricus adhuc racione festi sui pluribus debitis esset obligatus : nacio vellet dicto magistro Henrico graciose propinare illam pecuniam solvendam nacioni, quam dictus debitor sibi miserat. Cujus supplicacio fuit concorditer ab omnibus concessa.

Item tunc supplicaverunt ibi Henricus de Ysenbůrgh et duo alii, quorum nomina ignorat procurator, quia non venerunt ad jurandum. Postea et Fredericus Junghen supplicavit quatinus, cum de facto non haberet promptam pecuniam aut eciam vadia ad satisfaciendum receptori pro bursis determinancie sue, placeret nacioni, quod ipse expectaret usque ad medium Quadragesime, et tunc subdeterminaret. Item proposuit procurator quod ex quo heri supplicaciones supplicancium pro dilacionibus bursarum suarum, qui fuerunt de provincia Almannie, non fuerunt admisse, nisi quilibet eorum debens adhuc provincie de beyanio suo prius satisfaceret procuratoribus provincie, antequam determinaret : numquid expediret, quod procurator nullum eorum sibi jurare permitteret, nisi prius constaret sibi quod ipse satisfecisset provincie? Item proposuit magister Johannes de Berka, quod ex quo ipse heri supplicacionem domini Jacobi de Praga non admiserat, nisi sub condicione tali, scilicet quod ipse submitteret se una cum eo nacioni aut aliquibus suppositis nacionis ad pacificandum eos, scilicet dictos magistrum Johannem et Jacobum, racione cujusdam discordie alias mote inter ipsos, placeret nacioni impedire dictum Jacobum a determinancia, donec illam condicionem adimplevisset.

Super quibus deliberavit nacio, et primo de volentibus determinare et supplicantibus pro dilacione bursarum nacio concessit cuilibet eorum dilacionem trium mensium; sed de supplicacione Frederici Junghen dixit nacio quod supplicacionem suam non posset admittere, salvo alias statuto in procuratoria magistri Jordani de Clivis anno Domini M°CCC°LXX°IIII [1] secundum stilum gallicanum, electi VII^a die Aprilis, cum ibi habeatur illa clausula, « omni dispensacione interdicta. » Et ideo concessit sibi nacio quod poneret pignora aut quod poneret fidejussores alios a magistris nacionis; et dedit sibi dilacionem per tres menses sicut aliis. Et ita eciam concessit nacio predicto Henrico de Ysenbůrgh supplicanti protunc. De secundo scilicet proposito a procuratore placuit nacioni et dicebat nacio concorditer illud expedire, ex quo supplicaciones eorum taliter fuerunt admisse. Sed de tercio quod proponebat magister Johannes de Berka, requirebat nacio ipsum et eciam dictum Jacobum ut se submitterent quibusdam magistris ipsis deputandis per nacionem ad concordandum eos; quod ipsis placuit. Et fuerunt eis assignati procurator, scilicet magister Hugo de Hervorst, et magister Johannes Priswalch alias de Saxonia, et magister Mercilius de Inghen in casu, quo dicti duo magistri ejus assistencia indigerent.

(*Fol. 50*) Determinantes hujus anni.

Primo determinavit nobilis vir domicellus Fredericus de Ropa, provisor provincie Almannie, sub magistro Hermanno Roeve magistro suo, cujus bursa VIII solidi. Solvit receptori et juravit procuratori.

Item Goswinus de Bredenschede. Item Henricus Tuve.	Sub magistro Lyphardo de Dattilen, quorum cujuslibet bursa VIII solidi. Solverunt receptori et procuratori juraverunt.

Item Hartmannus de Sittert sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa VII solidi. Posuit pignora et juravit procuratori.

Item Johannes Johannis de Aemsterdam sub eodem magistro Hugone, cujus bursa IIII solidi. Solvit receptori et juravit procuratori.

Item Jacobus de Praga sub magistro Adalberto de Boemia, cujus bursa IIII solidi. Posuit pignora receptori et juravit procuratori.

Item Henricus de Ysenbůrgh sub magistro Johanne de Lutzenbůrgh, cujus bursa VI solidi et IIII denarii. Posuit pignora et juravit procuratori.

Item Wilhelmus Danielis sub magistro Mercilio de Inghen, cujus bursa IIII solidi. Solvit receptori et juravit procuratori.

Item Michael de Mar subdeterminavit sub magistro Johanne Lubberti, cujus bursa nichil, quia juravit coram nacione statutum paupertatis, et juravit procuratori.

Item Fredericus Junghen sub magistro Johanne de Wolgast, cujus bursa IIII solidi. Posuit pignora receptori et juravit procuratori.

1. *Ms.* MCCC LXX° *Agitur de statuto an.* 1374, *April.* 25. *Vid.* p. 452, 28; 38.

Item Mertinus Giisberti.
Item Petrus Jacobus de Catwiic.
Sub magistro Mercelio de Inghen, quorum cujuslibet bursa V solidi et VIII denarii. Posuerunt pignora et juraverunt procuratori.

Item Petrus Bartholomeus de Aemsterdam sub eodem magistro Mercelio, cujus bursa V solidi et VIII denarii. Solvit receptori et juravit procuratori.

Item Nicolaus Johannis sub magistro Johanne de Stralen, cujus bursa V solidi et VIII denarii. Posuit pignora receptori et juravit procuratori.

Item Theodericus Jacobi de Alcmaria sub magistro Mercelio de Inghen, cujus bursa IIII solidi. Posuit pignora et juravit procuratori.

Item Philippus Pingh.
Item Bernardus Pistoris.
Item Gotfridus Florencii de Kalker
Sub magistro Hugone de Hervorst, quorum cujuslibet bursa III solidi et IIII denarii. Posuerunt pignora et juraverunt procuratori.

Item Johannes de Colonia Scotus sub magistro Johanne Lubberti, cujus bursa VI solidi. Posuit pignora receptori et juravit procuratori.

Item Giso Duyse, alias de Ratinghen.
Item Arnoldus de Brûechhusen, alias de Kempen.
Sub magistro Johanne de Stralen, quorum cujuslibet bursa VII et dimid. solidi. Giso solvit receptori; Arnoldus solvit XV solidos, et pro residuo posuit pignus, et ambo juraverunt procuratori.

Item Nicolaus Pyec sub magistro Henrico de Rossem, cujus bursa VII solidi et dimid. Posuit pignus et juravit procuratori.

Item Stanislaus de Polonia sub magistro Conrado de Hagenoya subdeterminavit pro domicello Frederico suprascripto, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Item Jacobus Tolnaer sub magistro Johanne de Stralen, cujus bursa V solidi. Posuit pignora et juravit procuratori.

Item Hermannus de Kempen sub magistro Johanne de Stralen, cujus bursa V solidi. Posuit pignora et juravit procuratori.

Item Thomas Wisse subdeterminavit sub magistro Gerardo de Kalker ex dispensacione nacionis, cujus bursa VI sol. Posuit pignus et juravit procuratori.

Item subdeterminavit Gerardus Dullert pro Theoderico Jacobi de Alcmaria sub magistro Thoma de Harlem, cujus bursa nichil. Juravit statutum [paupertatis] et juravit procuratori.

Item IX^a^ die Marcii facta congregacione nacionis regencium et non regencium per juramentum post sermonem [1] apud Predicatores ad habendum concilium et ad supplicandum, propositum fuit quomodo in magnum prejudicium nacionis esset, quod temptatores in examine Sancte Genovefe quosdam nolebant temptare, qui erant de nacione nostra, eo quod licet determinassent in artibus in alia Universitate, non tamen determinaverant Parisius, cum tamen iidem temptatores nullum haberent ad contrarium juramentum. Item postea supplicavit magister Johannes de Stralen nomine cujusdam scolaris nacionis nostre volentis determinare, nomine Hermanni de Kempen, quatenus ipse adhuc admitteretur ad determinandum, non obstante statuto alias ultra II annos [2], quod nullus scolaris nostre nacionis nolens jurare, etc., quia illud fuit statutum ne nacio defraudaretur in hoc, quod aliquando permisit aliquos expectare usque ad medium Quadragesime, et tunc primo determinare, qui tamen erant divites et bursas suas solvere potentes; modo ista racio non haberet locum in Hermanno predicto, quia ut asseruerunt tam magister Johannes predictus quam eciam idem Hermannus, ipse Hermannus non expectavit in fraudem nacionis, sed ideo quia non fuit presens Parisius die mercurii, qua debuisset incepisse determinare, sed absens fuit ex causa racionabili et necessaria, nec constitit sibi quod oporteret eum tunc utique incipere determinare.

Et deliberavit nacio : primo quod essent deputandi aliqui magistri nacionis, et deputabantur procurator, scilicet magister Hugo de Hervorst, et magister Mercelius de Inghen, qui haberent requirere dominum rectorem, ut sequenti die faceret congregacionem facultatis arcium, et tunc iidem deputati ex motivis que ipsi possent invenire proponerent istud negocium facultati nomine nacionis supplicantis, quod dominus rector et facultas injungerent ipsis temptatoribus, ut eos temptarent, non obstante quod Parisius non determinaverunt, dum tamen fuissent debito tempore Parisius pro determinancia, et jurassent solita jurari, solutis eciam solvendis. Et fuit additum quod tunc nacio esset presens tempestive in congregacione facultatis ad supplicandum, et quod non fieret tunc congregacio nacionis per juramentum. (*Fol. 50* ^b^)

Sed de supplicacione magistri Johannis de Stralen, quia a principio cum proponebatur fuit facta difficultas, quia in eodem statuto, de quo superius facta est mencio, habetur illa clausula, « omni dispensa-

1. *Quia dies dominica fuit.*

2. *An.* 1374, *April.* 25. *Vid. supra*, p. 452.

cione interdicta[1], » fuit concessa tamen supplicacio ipsius in quantum supplicacio sua salvo statuto posset concedi, dum tamen juraret se non expectasse ultra debitum tempus determinandi in fraudem nacionis. Et postea procurator et magister Mercelius accesserunt dominum rectorem sicut ipsis fuit injunctum per nacionem, et quia periculum erat in mora, eo quod temptamen Sancte Genovefe cito claudendum foret, requirebant ipsi rectorem, quod ipse faceret congregacionem facultatis in septima hora.

1376

Continuacio procuratorie magistri Hugonis de Hervorst.

Insuper sequenti die, que erat dies X^a Marcii, facta congregacione nacionis hora septima in Sancto Juliano ad supplicandum facultati arcium, sicut superius est premissum, et ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem seu continuandum precedentem, primo magister Mercelius de Inghen nomine nacionis ex certis motivis per ipsum tactis supplicavit facultati, quatinus injungeret temptatoribus examinis Sancte Genovefe, ut ipsi admittant ad temptamen eos qui alibi determinaverunt, dum tamen jurent juranda, solutis etiam solvendis. Que supplicacio interempta fuit per nacionem Gallicanam; sed fuit concessa a nacione Pycardie. Sed dicebat nacio Normannie quod vellent ut darentur deputati, habentes inquirere an illa supplicacio esset racionabilis et statutis facultatis compossibilis; quo inquisito ipsi concederent illam supplicacionem. Et tunc procurator prout sibi injunctum fuit a nacione, appellavit nomine nacionis ab interempcione facta per nacionem Gallicanam de illa supplicacione ad facultatem; supplicans eciam aliis nacionibus, ut dispensarent cum domino rectore ut sequenti die posset facere aliam congregacionem facultatis per juramentum, quia periculum erat in mora.

Item tunc fuit dilatus computus, quia receptor[2] debebat ire ad aulam domini episcopi Parisiensis pro licencia [obtinenda] in medicina.

Item fuit continuatus concorditer in procuratorem magister Hugo de Hervorst nullo reclamante. In cujus procuratoria continuata sunt acta que sequuntur.

Item die sequenti, que erat XI^a Marcii, facta congregacione nacionis per juramentum regencium et non regencium hora primarum apud Sanctum Julianum ad reiterandum requestam nacionis faciendam facultati arcium pro hiis qui non determinaverant Parisius, quod ipsi existentes in secundo anno solutis solvendis pro determinantibus reputentur, et ad temptamen Sancte Genovefe admittantur : tunc magister Mercilius de Inghen nomine nacionis, adductis multis motivis ex statutis facultatis et ex consuetudinibus, dissolvendo eciam motiva allegata per nacionem Gallicanam, propter que eandem requestam sive supplicacionem ipsa interemit die precedenti, requisivit facultatem et supplicavit eidem, prout supra scriptum est. Et deliberando dicebat nacio Gallicana se admittere hujusmodi supplicacionem graciose ista vice, addito tamen quod expediret, quod alias fieret una congregacio ad maturius deliberandum super isto negocio et ad statuendum quod tales decetero non admitterentur. Nacio vero Pycardorum simpliciter admisit supplicacionem et requestam nacionis nostre; sed nacio Normannie conformabat se nacioni Gallicane et admisit graciose supplicacionem nostram.

Insuper sequenti die, que erat XII^a Marcii[3], facta congregacione nacionis ad supplicandum in Sancto Maturino, post sermonem, ad instanciam unius Scoti scolaris[4] volentis supplicare quod admitteretur ad determinandum, quamvis non incepisset determinare die mercurii preterita; sed ipse non comparuit in congregacione ad supplicandum.

(*Fol. 51*) Item XIX^a die Marcii facta congregacione nacionis ad supplicandum hora primarum in Sancto Maturino, supplicavit dom. Thomas Wisse, quatenus adhuc admitteretur ad determinandum juratis jurandis et solutis solvendis, quia obtulit se juraturum quod sibi non constitit de illo statuto [facto] ante duos annos, quod nemo admitteretur ad determinandum post diem mercurii post brandones, qui nollet jurare statutum paupertatis; item quod non expectaverat usque ad istud tempus in fraudem nacionis. Unde nacio, attento quod alias consimilis concedebatur magistro Johanni de Stralen pro Hermanno de Kempen supplicanti, et quod illud erat statutum, ut vitaretur fraus nacionis, quam se non intendisse, ut premittitur, idem dominus Thomas se obtulit juraturum, concessit supplicacionem suam, prius per ipsum juratis hiis que se obtulit juraturum;

1. P. 452, 38.
2. *Scil.* Walterus de Delf. *Nihilominus in natione Anglicana remansit, sicut olim Thomas de Duns* (*vid.* p. 399, 23), *et coetaneus Walteri mag. Henricus de Thenis. Vid.* Chartul. III. n° 1417.
3. *Festum S. Gregorii.*
4. Thomae Wisse, *de quo infra.*

eciam attento quod prout ipse asseruit et quidam magistri presentes attestabantur, quod non poterat cicius pecuniam debitam pro determinancia habere paratam.

Item XXIIII[a] die Marcii facta congregacione nacionis hora primarum in Sancto Juliano ad supplicandum et ad eligendum intrantem pro electione rectoris, supplicaverunt primo magistri Johannes de Berka et Thomas Dobbelsteyn quatenus, cum ipsi essent statim ituri ad partes suas, intendentes reverti ad studium prout cicius possent, ipsi possent imponi tanquam presentes rotulo, si quis fieret interim quod ipsi essent absentes. Quorum supplicaciones concorditer ab omnibus, in quantum erat ipsis possibile, fuerunt concesse. Item supplicaverunt domini Hertmannus de Sittert et Fredericus Jůnghen, ut, ex quo ipsi essent vocati ad licencias optinendas in artibus, et ad procurandum pecuniam oportunam pro licenciis ipsorum et pro debitis suis persolvendis essent ituri ad partes, statim reversuri ad examina suarum audicionum, in quibus erant jam vocati, placeret nacioni dispensare cum eis de disputacionibus seu determinacionibus per eosdem racione bachallariatus usque ad finem Quadragesime faciendis. Et eorum supplicaciones concorditer ab omnibus fuerunt concesse. Item supplicavit dominus Gerardus Dullert, quatenus nacio quitaret eum de bursis per ipsum solvendis nacioni racione determinancie, cum esset pauper et paratus jurare statutum paupertatis. Cujus supplicacio fuit ab omnibus concessa, et ita juravit ipse statutum paupertatis.

Ulterius electus fuit pro intrante ad eligendum rectorem magister Mercelius de Inghen, et postea electus fuit in rectorem Universitatis concorditer ab omnibus intrantibus magister Gerardus de Kalker[1].

Item VII[a] die Aprilis facta congregacione nacionis in Sancto Juliano hora primarum ad audiendum computum receptoris, ad eligendum procuratorem et ad supplicandum : primo computavit receptor, et omnibus tam receptis quam expositis hinc inde computatis et defalcatis, computatis etiam tribus francis solutis magistro Mercelio de Inghen ex parte magistri Hermanni de Bottenbrůec, mansit receptor obligatus nacioni in XVIII libris, VI solidis et X denariis, et fuit computus ab omnibus approbatus.

1376

Acta in procuratoria magistri Meynaerdi Rodolphi de Tyla, Trajectensis dyocesis.

Anno Domini quo supra, mensis Aprilis die septima, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem, electus fuit magister Meynaerdus Rodolphi de Tyela per communem magistrorum consensum tunc in dicta congregacione presencium.

Item deliberatum fuit per magistros in eadem congregacione intrandum esse tabernam ad predictum procuratorem noviter electum, quia nondum ante officium procuratorie exercuerat, perpotandum. Et intraverunt magistri dicte nacionis in taberna *ad duos enses* juxta parvum pontem, ubi dictus novus procurator solvit unum francum, quem nacio sibi concessit, ut in fine sue procuracionis eumdem nacioni haberet restituere. Et idem procurator prefatus solvit cum predicto franco unum francum pro jocundo suo introitu eodem prandio et in eadem taberna, quem antea solvere credebat (quia[2] post magisterium diu in partibus rexit), et quilibet magistrorum in eodem prandio existencium XII denarios. Item magister Johannes de Marcia pro procuratoria unum francum solvit futura, quia nundum adhuc illud officium nacionis predicte exercuit.

(*Fol. 51*[b]) Isti sunt licenciati hujus anni[3].

Primo licenciatus fuit dominus Philippus Pinghe sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa III solidi cum octo denariis. Et satisfecit receptori et juravit michi procuratori.

Item licenciatus fuit dominus Paulus de Ghelria sub magistro Hermanno Roeve, cujus bursa II solidi. Et satisfecit receptori.

Item licenciatus fuit dominus Arnoldus de Broechusen sub magistro Johanne de Stralen, cujus bursa VII solidi. Et satisfecit receptori.

Anno Domini quo supra, XVIII[a] die Aprilis, facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum hora terciarum ad supplicandum, supplicavit primo dominus Philippus Pinghe, incepturus in artibus, nacioni pro dilacione bursarum solvendarum pro magisterio. Cujus supplicacio communiter concessa fuit, et hoc positis pigneribus sufficientibus. Item in eadem congregacione et eadem hora sup-

1. *Rector Martii* 24-*Junii* 23.
2. Quia... rexit *inter lineas.*
3. *Postea* : proc. mag. Meynardi Rodolfi de Tyela.

plicavit idem Philippus, quia post magisterium esset intencionis repatriandi, quatenus si dominum nostrum papam contingeret mori, quod ipsum nacio vellet habere inrotulatum. Et habita deliberacione nacio sue supplicacioni acquievit sub ista condicione, soluto jocundo suo introitu, de cujus solucione nacio sibi dilacionem usque ad reversum ejus de patria concessit, ut tunc solveret.

Item eadem congregacione et in eadem hora supplicavit magister Theodericus de Heswiic, ex quo ipsum oportet repatriare propter certas causas, si contingeret dominum nostrum papam mori tempore sue absencie, quia intencionis est reveniendi, quatenus nacio ipsum vellet habere inrotulatum. Et habita deliberacione nacio sibi supplicacionem concessit juxta consuetudinem.

Item incepit dominus Philippus Pinghe sub magistro Hugone de Hervorst regente, cujus bursa III solidi cum VIII denariis. Et satisfecit receptori in pecunia, non obstante supplicacione de dilacione pecunie sibi communiter et concorditer concessa.

Item [1] licenciatus fuit dominus Tyelmannus de Lutselborch sub magistro Gherardo de Calker, rectore Universitatis Parisiensis, cujus bursa VII sol. Et satisfecit receptori in pecuniis.

Item incepit dominus Paulus de Ghelria sub magistro Johanne de Stralen, cujus bursa IIII solidi. Et satisfecit receptori in pecuniis.

Anno Domini quo supra facta congregacione nacionis in nonis Nostre Domine, XXIIIIª die mensis Aprilis, ad supplicandum apud Sanctum Maturinum, supplicavit magister Theodericus de Heeswiic, quia actu est regens in facultate arcium, quod si contingeret dominum nostrum papam mori tempore sue absencie, quia ipsum oportet repatriare propter certas causas, quatenus nacio ipsum vellet habere inrotulatum tanquam regentem. Et habita deliberacione nacionis predicta nacio sibi supplicacionem unanimiter concessit, non obstante supplicacione precedente, qua nacio sibi concessit quod esset inrotulatus tanquam non regens, quia nundum tunc regenciam acceptavit. Sed in posterum per duos aut tres dies regencie onus adeptus fuit.

(*Fol.* 52) [2] Anno Domini quo supra facta congregacione nacionis, penultima die mensis Aprilis, apud Sanctum Julianum hora terciarum ad eligendum examinatorem baculariorum in Sancta Genovefa pro tercio mense, electus fuit magister Meynardus Rodolfi tunc temporis procurator ex communi consensu omnium magistrorum in tali congregacione existencium.

Item in eadem congregacione deliberatum fuit intrare tabernam, et intraverunt magistri predicte nacionis tabernam *ad duos gladios* juxta parvum pontem, ubi predictus examinator dedit unum francum ad perpotandum propter officium quod acceptavit. Item eodem tempore et loco solvit magister Arnoldus de Ghise de Arnem unum francum pro procuratoria futura, quia nundum illud officium exercuerat, non obstante illo quod magister Johannes de Marchia antea procurator esse deberet, ut habetur in principio istius procuratorie, propter hoc quia legittime excusavit se, et eciam supplicavit in eadem congregacione ut magistri ipsum vellent habere excusatum. Cujus supplicacio communiter fuit concessa.

1376

Acta in procuratoria magistri Arnoldi de Ghijse, alias de Arnhem.

Anno Domini quo supra, quinta die mensis Maii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem hora primarum ad audiendum computum receptoris, et ad eligendum procuratorem, dilatus erat computus de communi consensu magistrorum usque ad proximam electionem procuratoris, quia receptor tarde venit et magistri habebant agere in negociis specialibus.

Deinde electus erat concorditer magister Arnoldus de Ghijse in procuratorem dicte nacionis nullo magistrorum reclamante. In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

Nota. Predictus magister Arnoldus die penultima mensis Aprilis ante sui electionem solvit unum franckum pro prima sui procuratoria, qui fuit perpotatus *in duobus gladiis* juxta parvum pontem, ut superius in ultima congregacione procuratorie precedentis est explicatum.

Item secunda die, scilicet sexta die mensis Maii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum hora primarum ad supplicandum, supplicavit dominus Petrus de Catwijc pro dilacione bursarum licencie sue. Cujus supplicacio erat concessa, dummodo poneret vadia sufficiencia ad tres menses.

Item VIIª die mensis Maii facta congregacione

1. *Quae sequuntur in hac procuratoria, scripta sunt alia manu.*

2. *In margine superiori* Acta in procuratoria mag. Meynardi Rodolfi de Tyela.

nacionis predicte apud Sanctum Maturinum hora IIIª post prandium ad supplicandum, supplicavit dominus Stanislaus de Polonia nacioni, quatenus nacio vellet ipsum habere supportatum de solucione bursarum licencie sue, cum ipse non haberet unde solveret, dempto opere manuali. Cujus supplicacio fuit concessa ex communi consensu magistrorum ibidem in congregacione existencium, dummodo vellet jurare statutum paupertatis, quod alias juraverat in determinancia sua. Ipse respondit quod vellet jurare predictum statutum; quod juravit non in presencia ibidem nacionis, sed juravit procuratori in domo sua, quia liber in quo continentur juramenta non erat ibi in presencia nacionis.

(*Fol.* 52ᵇ) Isti sunt licenciati in procuratoria magistri Arnoldi de Ghyse.

Primo licenciatus fuit domicellus Fredericus de Ropa sub magistro Hermanno Roeve, cujus bursa VIII solidi. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Henricus Tuve sub magistro Liphardo de Dattelen, cujus bursa VIII s.

Item licenciatus fuit dominus Martinus Ghiseberti, cujus bursa V sol. VIII denarii. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Petrus Catwijc, bursa V solidi, VIII denarii. [Posuit] pignus.

(Sub magistro Galtero de Delf.)

Item licenciatus fuit dominus Jacobus de Praga sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa IIII sol. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Ghiso de Ratingen sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VII sol. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Thomas de Wys sub magistro Gherardo de Calker, rectore Parisiensi, cujus bursa VI solidi. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Stanislaus de Polonia [1] sub magistro Johanne de Polonia, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Primo incepit domicellus Fredericus de Ropa sub magistro Hermanno Roeve, cujus bursa VIII s. Solvit.

Item incepit dominus Henricus Tuve sub magistro Liphardo de Dattlen, cujus bursa VIII solidi. Solvit.

Item XIIIª die Maii facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum hora IIIª post prandium ad supplicandum, supplicavit magister Fredericus de Ropa, quia ipse esset intencionis eundi ad patriam suam et redeundi Parisius prout cicius poterit, quatinus nacio vellet ipsum admittere ad inrotulandum tanquam presentem, in casu quod infra suum reditum de patria fieret rotulus et mitteretur ad curiam Romanam. Et simili forma supplicavit magister Hermannus Roeve. Quorum supplicaciones fuerunt admisse a nacione, dummodo solverent solvenda.

Item in eadem congregacione nacionis predicte deliberatum fuit ex communi consensu magistrorum intrare tabernam ad perpotandum novum magistrum, et intravit nacio tabernam nuncupatam *al le hoeze* [2], ante quam pendet signum ad modum epytogii magistrorum, sitam in vico Cythare, ubi nacio pro cena consumpsit XXXVIII solidos, de quibus solvit magister Fredericus pro jocundo introitu suo XVIII solidos, et magistri inter se solverunt residuum, videlicet quilibet magistrorum V albos [3].

(*Fol.* 53) Item XVIª die mensis Maii, facta congregacione facultatis artium hora primarum apud Sanctum Julianum pauperem ad audiendum juramenta examinatorum quinte et sexte audicionum Sancte Genofeve, etc., ad audiendum juramenta bachillariorum earundem audicionum, et eciam ad dandum deputatos, qui audirent quedam statuta facultatis arcium et viderent, quid esset de talibus faciendum et ordinandum, etc., propositum fuit in eadem congregacione in deliberacione facultatis, cum expediret et honestum esset facultati quod quelibet nacio haberet unam capam honestam, quas procuratores nacionis induerent, quando deberent adire regem vel cardinales, episcopos, duces vel aliquos tales, et eciam super supplicacionibus et injuriis.

Et in eadem congregacione ego procurator proposui nacioni, cum iste presens liber, in quo scripta sunt acta et facta nacionis Anglicane jam sit quasi finitus, utrum melius esset alligare isti libro novam papirum, vel istum librum presentem ponere in archa nacionis et emere novum librum. Super quo dixit nacio viso libro, quod ego procurator irem ad receptorem et dicerem sibi, quod ipse emeret novum librum, et quod iste liber, postquam computus suus esset a nacione auditus [4], poneretur in archa nacionis, et quod postea cetera agenda in nacione inscriberentur alio libro novo.

1. *Seu ut alias scribitur* de Mylonow.
2. *Quae prius vocatur* ad hûsiam. huchiam Egidii. *Vid. e. g.* p. 380, 40; 386, 4; 483, 39.
3. *Vacat dimidia pagina, et scriptum est* : Vacat quia papirus fluit. *In margine superiori fol.* 53, *iterum scribitur:* Acta in procuratoria mag. Arnoldi de Ghise.
4. *Ms. iterum* iste liber.

2° proposui in nacione Anglicana, ex quo primus quinte audicionis Sancte Genofeve, videlicet dominus Johannes [Muntschemannus][1] de Maguncia determinavit in studio Pragensi, et adhuc nondum solvit nacioni ut consuetum est, et esset de nacione nostra, utrum deberet solvere nacioni et satisfacere, antequam caperet licenciam magisterii, de determinancia simul cum bursis licencie. Super quo dixit nacio quod ego procurator, quando dicerem rectori deliberata nacionis super propositis facultati arcium per dictum dominum rectorem, quod ipse injungeret sibi antequam, juraret quod satisfaceret nacioni sue de pecunia determinancie sue, antequam caperet licenciam. Quod ipse ibidem promisit. Et eciam nacio injunxit michi procuratori quod non permitterem ipsum transire ad licenciam, nisi prius satisfecerat nacioni de solvendis racione determinancie et licencie.

Item XVIII[a] die mensis Maii facta congregacione generali per juramentum apud Sanctum Maturinum hora terciarum ad habendum proponentem, qui proponeret coram rege quomodo aliqui magistri, bedelli et scriptores tribularentur ab imposicionibus, quia magister Johannes[2] Thome de Ordine Predicatorum, qui prius onus proponendi arripuit, postea refutavit se excusando. In qua congregacione fuerunt duo magistri novi, qui nundum adhuc suum jocundum [introitum] solverunt nacioni, scilicet magister Paulus de Gelria, et magister Henricus Tuve de Livonia. Propterea deliberatum fuit concorditer in nacione illos magistros novos perpotare. Et intravit nacio tabernam in prandio nuncupatam *duo gladii*, sitam juxta parvum pontem, in qua nacio consumpsit XXXVIII solidos, de quibus solvit magister Henricus Tuve 1 francum pro jocundo introitu, et magister Mercilius de Ingen et magister Guillelmus de Wadenoy promiserunt hospiti pro uno francko ex parte magistri Pauli de Gelria, qui dixit se venturum ad prandium, ut multi magistrorum in eodem retulerunt. Sed quia presens non fuit, ideo ad manus predictorum duorum fidejussorum, scilicet magistrorum Mercilii et Wilhelmi, promiserunt ulterius eos tenere indempnes magistri Henricus de Roshem, Hector Vilt de Hůessen, Johannes Wolgast de Saxonia et Henricus Tuve.

Item inceperunt domini Arnoldus de Broechusen et Ghiso de Ratinghen sub magistro Johanne de Stralen. Et cujuslibet bursa VII s. Solverunt receptori.

(*Fol. 53* [b]) Item in vigilia[3] Ascensionis facta congregacione nacionis Anglicane ad supplicandum, supplicavit apud Sanctum Maturinum hora terciarum dominus Henricus de Ysenburch, cum ipse jam pro presenti non haberet pecuniam nec pignora, quatenus nacio vellet sibi dare dylacionem de pecunia licencie sue ad tres menses, quia vellet ponere fidejussorem alterius nacionis sufficientem pro tanta summa pecunie, sicut se extendebat summa quam debet pro licencia. Cujus supplicacio fuit concessa, dummodo poneret fidejussorem, sicut expressum est. Et posuit in presencia nacionis magistrum Arnoldum de Emelisse, nacionis Piccardie, in fidejussorem, qui scilicet magister Arnoldus promisit nacioni pro dicto Henrico in casu, quod non solveret bursas suas racione licencie infra tres menses, quod magister Arnoldus predictus tunc easdem solvere deberet nacioni.

Item licenciatus fuit dominus Henricus de Ysenburch sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa VI solidi. Posuit fidejussorem.

Item incepit dominus Jacobus Lyon Scotus sub magistro...[4], cujus bursa VII et dimid. solidi. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Thomas de Ungaria sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VII solidi, et solvit receptori pro determinancia et licencia sua, quia determinavit in alio studio generali, scilicet Pragensi.

Item licenciatus fuit dominus Hertmannus de Sittert sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa VII solidi. Solvit.

Item anno quo supra, die[5] mensis Maii, facta congregacione nacionis Anglicane hora primarum apud Sanctum Julianum pauperem super duobus articulis, primus erat iste. Cum alias facta congregacione Universitatis per juramentum apud Sanctum Maturinum, ad quam venerunt duo magistri novi, scilicet magister Paulus de Gelria et magister Henricus Tuve de Livonia[6], habita deliberacione super articulis propositis per dominum rectorem ex parte Universitatis, procurator proposuit in nacione, cum in congregacione essent duo novi magistri nacionis Anglicane, qui nondum adhuc solverunt jocundum suum introitum, si nacio vellet eos perpotare, et concorditer deliberatum fuit nullo reclamante, quod sic, et procurator requisivit ambos illos magistros quod solverent suum jocundum introitum. Quorum unus,

1. *Loco hujus nominis spatium in ms.*
2. *Ms.* Guillelmus. *Sed est* Johannes Thomae, *mag. in theol., de quo in* Chartul. III, n° 1355, *et qui an.* 1375-1376 *actu regens in theol. Parisiis fuit. Vid. ibid.* p. 225, *et* n° 1572.
3. 21 *Maii.*
4. *Postea spatium.*
5. *Deest diei nota.*
6. *Vid.* p. 497, 27.

scilicet magister Henricus Tuve, non reddidit se difficilem, sed dixit se libenter soluturum, ut fecit; alter autem, scilicet magister Paulus, multas evasiones querebat, excusando se quod non haberet pecuniam. Unus autem magister nacionis, scilicet magister Hector Vilt de Huessen, dixit sibi quod non timeret de hoc, quia ipse vellet bene pro ipso respondere hospiti. Ipse autem, scilicet magister Paulus respondens sibi dixit : « certe, si scirem hoc certe, placeret michi, et ego venirem ad prandium, » que condicio adimpleta erat quia se paratum ad hoc prandio facto obtulit. Super quibus verbis electi fuerunt procuratores, qui emerent pisces ex parte nacionis, sicut fecerunt, scilicet tot pisces, quod sufficienter manserunt pro cena, quia pro magistro Paulo fuit emptum, et super responsionem suam assertivam, quia vellet venire. [Sed] prandio facto magister Paulus non venit [1], ita quod computacione facta magister Marcilius de Yngen et magister Guillelmus de Wadenoy promiserunt hospiti satisfacere de 1° franco sub condicione superius explicata, scilicet XVIII[a] die mensis Maii. Postea termino solucionis istius franci appropinquante et magistro Paulo monito, ipse dixit quod nollet solvere, et dixit quod non solveret, quia personaliter non potaverat. Et istis attentis positum fuit in deliberacionibus magistrorum nacionis, utrum deberet solvere istum francum vel non. Et magistri tunc existentes in congregacione nil deliberaverunt, quia omnes fuerunt in prandio predicto, excepto magistro Paulo, sed dixerunt quod super hoc fieret alia congregacio nacionis, et quod omnes magistri nacionis vocarentur.

1376

(*Fol. 1*) [2] Anno Domini M°CCC° septuagesimo sexto.
Procuratoria magistri Wilhelmi de Wadenoy.

Anno Domini quo supra, mensis Junii die secunda, facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem et audiendum computum receptoris, electus fuit concorditer in procuratorem magister Wilhelmus de Wadenoy. In cujus procuratoria facta sunt que sequuntur.

Primo in eadem congregacione deliberatum fuit concorditer quod compotus receptoris differretur usque ad sequentem electionem procuratoris.

Isti sunt licenciati in procuratoria predicta.

Primo licenciatus fuit dominus Mathias de Janov sub magistro Gerardo de Kalker, qui juravit in plena congregacione nacionis statutum paupertatis.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Muntschemannus bacalarius Studii Pragensis, sub magistro Lamb[erto] [3] de Marchia, cujus bursa IIII solidi. Posuit pignus tam pro determinancia quam licencia. Similiter juravit juramenta solita pro utroque graduum predictorum.

Item licenciatus fuit dominus Buzco de Scopitecz sub magistro Johanne de Polonia, cujus bursa II solidi. Satisfecit receptori.

Item licenciatus fuit dominus Fredericus Junghe sub magistro Johanne [de] Wolga[st], cujus bursa IIII solidi. Posuit pignus.

Item licenciatus fuit dominus Nicolaus Piec de Ghorinchem sub magistro Heinrico [de Rossem], cujus bursa VII solidi. Posuit pignus receptori.

Item licenciatus fuit dominus Wilhelmus Falkland Scotus sub magistro Wilhelmo de Trebron, cujus bursa VI solidi. Satisfecit receptori et solvit totum.

Isti sunt incipientes ejusdem procuratorie Whilhelmi de Wadenoy.

Incepit dominus Jacobus de Praga sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa IIII solidi. Posuit pignus. Solvit.

Item incepit dominus Stanislaus de Polonia sub magistro Johanne de Polonia. Juravit paupertatem.

(*Fol. 1* [b]) Item incepit dominus Mathias de Janov sub magistro Gerardo de Kalker. Juravit statutum paupertatis.

Item incepit dominus Johannes Muntschenmannus sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa IIII solidi. Posuit pignus.

Item incepit dominus Fredericus Junghe sub magistro Johanne de Wolgast, cujus bursa IIII sol. Posuit pignus.

Item incepit dominus Thomas de Ungaria sub magistro Johanne de Polonia, cujus bursa V solidi cum dimidio. Solvit.

Item incepit dominus Buzco de Scopitecz sub dicto magistro Johanne de Polonia, cujus bursa II solidi. Solvit.

1. *Ms. addit* ad.
2. Arch. Univers. Paris. *Reg. de l'Université n°* 5.
3. *Locus in ms. vetustate pessumdatus, ut multa alia nomina hujus primae paginæ.*

Item incepit dominus Nicolaus Piec sub magistro Henrico de Rossem, cujus bursa VII solidi. Posuit pignus de consensu nacionis.

Item incepit dominus Wilhelmus Falklant Scotus sub magistro Wilhelmo de Trebron, cujus bursa VI solidi. Satisfecit nacioni. Solvit totum.

Item incepit dominus Thomas Wis sub magistro Gherardo de Calker, cujus bursa VI solidi. Solvit.

Isti sunt magistri qui in procuratoria prescripta intraverunt de novo congregaciones et solverunt quilibet pro jocundo introitu francum.

Magister Stanislaus de Polonia solvit francum.

Magister Mathias de Janov solvit francum.

Magister Johannes Muntschemannus de Maguncia solvit francum.

Magister Fredericus Junghe solvit francum.

Magister Arnoldus de Brucchuesen solvit francum.

Magister Jacobus Lyon Scotus solvit francum.

Magister Thomas de Ungaria solvit francum.

Magister Buzco de Scopitecz solvit francum.

Item magister Philippus Pinghe de Embrica solvit francum.

(*Fol.* 2) Item magister Guillelmus Falkland Scotus solvit francum pro jocundo introitu.

Item anno Domini quo supra facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, mensis Augusti die quinta, ad substituendum aliquem in procuratorem et ad supplicandum, substitutus fuit concorditer, nullo reclamante, magister Johannes Lubberti de Daventria in procuratorem, eo quod magister Wilhelmus prescriptus recessurus erat nec amplius intendere poterat ad exercendum officium procuracionis ejusdem.

Item in electione magistri Wilhelmi antedicti, licet facta fuerat congregacio ad eligendum procuratorem, similiter ad audiendum compotum receptoris, dilatus fuit compotus usque ad electionem sequentem.

Item facta congregacione apud Sanctum Bernardum nacionis simul et Universitatis, supplicavit magister Fredericus Junioris [1] ut daretur sibi litera testimonialis de magisterio. Que supplicacio admissa fuit.

1376

Acta procuratorie magistri Johannis Mūntschemanni de Maguncia.

Anno Domini quo supra, XXVI[a] die mensis Augusti que fuit crastinum sancti Lodowici, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum ad elegendum procuratorem et ad audiendum compotum receptoris, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Johannes Muntschemannus de Maguncia concorditer nullo contradicente. In cujus procuracione agebantur infrascripta.

Fuit enim in eadem congregacione concorditer deliberatum ut compotus receptoris defferretur usque ad adventum magistri Walteri Delf [2]. Item in eadem congregacione fuit deliberatum ut idem procurator solveret francum propter primam procuratoriam ejus, et ita factum erat in taberna *ad duos gladios*.

Item XXVII[a] die congregacione facta apud Sanctum Maturinum 4[a] hora post meridiem ad supplicandum, supplicavit magister Thomas Wiis Scotus quod si fieri contingeret rotulum, ut illi tanquam presens imponeretur, aut si illud fieri non posset, quod tunc illi eo modo imponatur quo alii absentes illi rotulo imponerentur. Et illa supplicacio fuit concorditer admissa eo modo, quo commodose fieri potest.

Item idem magister solvit post eandem congregacionem unum francum pro jocundo introitu.

Item in eadem congregacione fui requisitus per magistros, ut in libro signarem supplicacionem magistri Johannis de Berka fuisse concessam, qua supplicavit quod in casu quo fieret rotulus, illi imponeretur.

Item VI[a] die Septembris congregacione nacionis facta ad Sanctum Maturinum ad ordinandum pecuniam nuncio ex parte nacionis, fuit concorditer deliberando conclusum quod nuncio nacionis, videlicet magistro Marsilio, darentur de pecunia nacionis XXV aut XXX franci, ita tamen quod si nacionem contingeret solvere pecuniam per dictum nuncium pro facto Universitatis exponendam, quod ex tunc ipse nuncius tenebitur in hujusmodi facto per ipsum exponenda fideliter computare, et sibi super hujusmodi expositis fideliter computatis a nacione satisfiet; si autem pecunia pro ipso et aliis Universitatis nunciis per contribucionem capitum colligetur, ex tunc debet habere tantum quantum alterius

1. *Ms.* Vredericus muonis. *Designatur* Fridericus Junghen.

2. *Receptoris.*

nacionis facultatis arcium nuncius habebit, videlicet C francos.

(*Fol. 2*ᵇ) Item facta congregacione nacionis ad Sanctum Maturinum XXᵃ die Septembris ad supplicandum, supplicavit magister Hector quod si contingeret fieri rotulum, quod illi imponeretur. Volebat enim tunc ire ad curiam pro quibusdam factis suis expediendis intencione redeundi Parisius infra duos menses, et fuit ejus supplicacio concessa.

Item facta congregacione nacionis ad Sanctum Maturinum XXIᵃ die ad audiendum compotum receptoris, fuerunt recepta et exposita omnia computata, et omnibus computatis remansit summa XXVIII librarum, IX solidorum, III denariorum.

Item in eadem congregacione post dictam computacionem solvit magister Philippus Pingh unum francum pro procuratoria sua, quia tunc promittebatur sibi officium procuratorie, et istum francum consumpsit nacio *ad duos gladios* cum pecunia, quam ad hunc exposuit receptor.

Item eadem congregacione facta ad elegendum receptorem, fuit idem magister, videlicet Walterus Delf, in receptorem concorditer electus.

1376

Acta procuratorie magistri Philippi Pingh de Embr[ica].

Anno Domini quo supra, XXIIIᵃ die mensis Septembris, facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum pauperem hora primarum ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Philippus Pingh concorditer nullo reclamante. In cujus procuratoria acta sunt hec que subsequuntur.

De computo receptoris non erat mencio facta, quia per tres dies ante, puta in die beati Mathei apostoli et ewangeliste, apud Sanctum Maturinum computavit.

Item facta congregacione nacionis Anglicane per juramentum ultima die mensis Septembris, que fuit dies sancti Jeronimi, in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum in domo capitulari ad ordinandum de scolis et avizandam quandam literam obligatoriam, in qua nacio prefata obligaretur magistro Mercilio de Inghen ad restitucionem pecunie, quam consumet in legacione sua, in casu in quo non fieret contribucio capitalis per Universitatem ordinata.

Et erant decem magistri per annum regere volentes a principio magni ordinarii proxime venturi usque in finem anni supplicantes pro scolis. Primo magister Jordanus de Clivis supplicavit pro scolis novis Almannorum inferioribus, 2° magister Gerardus Kalker pro scolis *septem artium* super terram, 3° magister Hugo de Hervorst pro scolis novis Almannorum superioribus. Postea supplicaverunt pro scolis parvis Almannorum versus Secanam super terram magister Johannes de Hockelem, magister Johannes Stralen, magister Meynardus de Tiela, magister Henricus de Rossem, magister Johannes Coc, magister Johannes de Marcia et magister Johannes Mũnchsemannus de Maguncia. Tribus primis, scilicet magistro Jordano, magistro Gerardo Calker et magistro Hugoni de Hervo[r]st, nacio concessit scolas has (*Fol. 3*)[1] pro quibus supplicaverunt, sub hac forma quod pro temporibus et horis quibus non exercerent ibi actus scolasticos, alter magister nacionis predicte posset ibi regere, dummodo non esset ibi junior vel senior regens. Item concessit nacio magistro Johanni Stralen scolas parvas Almannorum versus Secanam, dum tamen in consciencia sua promitteret quod per totum annum continue deberet regere et libros inceptos continuare. Ulterius major pars nacionis secundum pluralitatem vocum mittebat magistros Johannem de Hockelem et Johannem Coc ad sortem pro scolis parvis Almannorum superioribus versus Secanam, et sorte inter eos habita cecidit sors super magistrum Johannem Coc; pro aliis magistris qui pro scolis tunc supplicaverunt ut eis de scolis sibi convenientibus provideretur et nacio solveret, nacio deliberavit.

Pro litera predicta dati erant deputati magister Ricoldus de Trajecto, magister Jordanus de Clivis, magister Gherardus Pillich, magister Gerardus Kalker et magister Hugho de Hervorst, quod ipsi ordinarent literam obligatoriam pro profectu magistri Mercilii et nacionis.

Item eodem die in eadem congregacione supplicavit magister Henricus de Angheren de Saxonia, quia ipse propter causas speciales esset ad partes iturus et in brevi Parisius reversurus, quod si contingeret tempore absencie sue fieri rotulum, quod posset inrotulari eo modo, quo hoc conceditur absentibus.

Item die 2ᵃ mensis Octobris incepit dominus Tielmannus de Lutzenborch sub magistro Gerardo Pillich, cujus bursa VII solidi. Solvit.

1. *In margine superiori :* Procuratoria mag. Philippi Pingh de Embrica, Traj. dioc., *quod repetitur in margine superiori fol.* 3ᵇ, 4 *et* 4ᵇ.

Item facta fuit congregacio nacionis Anglicane, quinta die mensis Octobris, que fuit crastina sancti Francisci, apud Predicatores in domo capitulari ad supplicandum, et erant quatuor supplicantes, scilicet magister Henricus Langhals, magister Hugo de Hervorst, magister Johannes Coc et magister Johannes Mûnchemannus de Maguncia. Primo supplicavit magister Henricus Langhals, cum propter causas speciales esset iturus ad partes et cum, ut asseruit, esset in brevi Parysius reversurus colendo studium suum sicut hactenus fecit, quod si contingeret papam mori et rotulum ad curiam destinari, quod posset inrotulari tanquam presens; cujus supplicacio erat concessa secundum quod nacio poterat concedere.

2° Magister Hugo de Hervorst supplicavit pro reparacione suarum scolarum, quas sibi nacio per annum concessit. Et super hiis nacio deliberavit, cum nacio nostra usum et proprietatem haberet in illis scolis, racionabile erat suam supplicacionem concedere.

Magister Johannes Coc 3° supplicavit pro reparacione suarum scolarum, quas sibi nacio concessit. Super qua nacio deliberavit, cum non haberet proprietatem in illis scolis, sed solum usum, quod proprietarius esset adeundus et deberet requiri, quod faceret scolas restaurari, et si negaret, fieret protestacio contra eum et doceretur eum, quod esset necessarium scolas illas reparare, si aliquis magister in eis deberet regere, et tunc nacio jure inquilinii [1] faceret eas restaurari sub expensis predicti proprietarii, defalcando sibi tantum de locagio quantum restauracio scolarum deconstaverit.

Ultimo supplicavit magister Johannes Mûnchemannus de Maguncia quod, cum non potuit habere scolas in vico Straminum, ipse conduxit *aulam* in domo barbitonsoris per annum et, cum non esset ibi pulpitus nec cathedra, quod nacio sibi ordinaret pulpitum et cathedram. Super qua nacio nostra predicta deliberavit quod non esset moris cathedram aut pulpitum regentibus extra vicum concedi per nacionem, sed solum teneretur solvere locagium aule, et magister regens sibi de aliis necessariis providere, et non nacio.

(*Fol. 3b*) Item facta fuit congregacio nacionis decima die mensis Octobris, que fuit crastinum sancti Dyonisii, apud Sanctum Julianum pauperem in primis Nostre Domine, quando fuit congregacio facultatis pro electione rectoris, ad supplicandum. Et supplicavit magister Johannes de Stralen, cum de facto, quod inter ipsum vertitur et scolarem quendam nomine Henricum, nacio Pickardorum aut saltem aliqua illius nacionis supposita se de illo facto intromitterent, favorem auxilium et consilium predicto Henrico prebendo, quatenus nacio nostra secundum illud statutum : « si contingat alicui regenti injuriari, quantum secundum Deum, » etc., vellet dare deputatos qui haberent accedere nacionem Pickardorum aut supposita eum fovencia, supplicando eis, quod nec directe nec indirecte nec publice nec clandestine eum contra magistrum Johannem prefatum in aliquo dignentur fovere, quod in sui honoris derogacionem queat cedere aliquo modo.

Item duodecima die mensis Octobris [2] facta fuit congregacio nacionis apud Predicatores post sermonem Universitatis in domo capitulari ad audiendum nova de nuncio nacionis destinato ad curiam Romanam, et ad supplicandum. Et supplicavit magister Johannes Lubberti de Davantria quatenus, cum non potuit habere scolas in vico Straminis et oportebat eum regere, conduxit *aulam ad rotam fortune* pro scolis pro 56 solidis, quatenus nacio vellet solvere illam pecuniam et servare eum indempnem. Super qua supplicacione nacio deliberavit quod habere scolas esset rigorosum, sed solvere tantam pecuniam vel tantam esset graciosum, et ergo concorditer nacio pro prima parte, scilicet quod conduxit aulam, supplicacionem suam concessit; et pro 2°, scilicet quod solverentur illi 56 solidi per nacionem, major pars nacionis concessit, sed minor pars interimebat, allegando quod non esset rigorosum.

Item decimanona die mensis Octobris, que fuit crastina beati Luce ewangeliste, facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, quando ibidem fuit congregacio Universitatis, super quatuor articulis. Primus erat ad audiendum literas nacioni per nuncium existentem in curia destinatas et [quid] super contentis in eisdem esset agendum. Secundus erat ad ordinandum de pecunia nacionis. Tertius erat ad ordinandum de pecunia quam deberet habere nuncius, qui cum aliis deputatis deberet adire regem, cum esset decretum per Universitatem et per deputatos quod rex esset adeundus. Ultimus erat ad habendum concordiam super supplicacione magistri Johannis Lubberti ultima die VIIa precedente [3] facta, utrum nacio deberet solvere illos 3 francos cum VIII solidis.

1. *Ms.* incolunii.
2. *Quae dies dominica fuit.*
3. *Scil.* 12 *Octob.*

De primo articulo nacio regraciabatur nuncio, et quid esset agendum super contentis in literis, nacio submisit se ordinacioni Universitatis, cum illi totaliter illud idem esset scriptum; de 2° nacio subticuit; de 3° deliberavit quod forte aggressus Universitatis ad regem propter literas nuncio missas suspenderetur : et tunc non oporteret providere nuncio; verumptamen si deputati [1] accederent regem, nacio provideret nuncio eorum de pecunia sibi pro itinere sufficienti. Super quarto deliberavit nacio quod placeret sibi quod nacio solveret illam pecuniam, in quantum magister Johannes predictus posset docere et probare evidenter quod apposuit totam diligenciam suam, sic quod pro minori non potuit habere; voluerunt tamen multi quod ipse solveret illos VIII solidos et de illis nacionem relevaret.

1376

(*Fol.* 4) Continuacio magistri Philippi Pinghen in procuratorem.

Item vicesima prima die mensis Octobris facta fuit congregacio nacionis Anglicane in primis Nostre Domine apud Sanctum Julianum pauperem ad audiendum computum receptoris et ad eligendum [2] procuratorem. Continuatus fuit concorditer in procuratorem magister Philippus Pingh [3] nullo reclamante, et tunc computus receptoris deferabatur usque ad aliam congregacionem.

Item facta fuit congregacio nacionis Anglicane in Sancto Maturino, quando fuit congregacio Universitatis, vicesima octava [4] die mensis Octobris, que fuit dies Apostolorum Symonis et Jude, ad audiendum literas nacioni per nuncium ipsorum in curia Romana existenti missas, et quid esset agendum super contentis in eisdem. Et habuit nacio principaliter nuncium gratum et recommendatum. De contentis in litera nacio submisit se deliberacioni Universitatis, cum contenta in literis proposita erant in congregacione Universitatis.

Item secunda die mensis Novembris, que fuit dies Commemoracionis animarum et crastina Omnium Sanctorum, facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum in domo capitulari in primis Nostre Domine super duobus articulis. Primus erat ad audiendum formam et tenorem cujusdam litere obligatorie, in qua nacio nostra obligatur magistro Mercilio de Inghen, utrum talis forma deberet admitti. Super quo nacio deliberavit quod illa litera in tali forma et tenore esset admittenda et aliter non, et quod sic deberet sigillari. Secundus articulus erat super supplicacionibus; sed nullus supplicavit.

Item nona die mensis Novembris facta fuit congregacio nacionis Anglicane per juramentum in primis Nostre Domine in Sancto Maturino super quatuor articulis. Primus erat ad ordinandum et disponendum de festo sancti Eadmondi regis, videlicet quantum ad solempnitates faciendas in ecclesia in officiis divinis ipso die ejusdem sancti et quantum ad prandium faciendum pro magistris nacionis, ut si prandium fieri deberet, provideretur et de modo faciendi ipsum, et ut darentur et deputarentur aliqui magistri ad procurandum oportuna. Super quo nacio deliberavit quod fieret condecens sollempnitas in ecclesia in officiis divinis, et ut haberentur alieni cantores et ornamenta ecclesie et cetera cerimonialia, ut alias fieri consueverit, sub expensis nacionis. Deliberavit eciam pro 2ª parte istius articuli quod fieret prandium honestum pro magistris nacionis more solito interesse volentibus, ita tamen quod quilibet eorum daret antea III solidos parisiens. et nacio solveret residuum. Et erant tres magistri presentes, scilicet Ghiselbertus Scout, magister Ghiso de Ratinghen et magister Nicolaus Piec, quorum quilibet debebat unum francum pro jocundo introitu eorum ad congregacionem nacionis in sublevamen predictorum. Et erant dati provisores una cum receptore magister Arnoldus de Emelisse [5] et magister Gherardus Calker.

(*Fol.* 4 b) Secundus articulus erat ad videndum de expedicione pignerum in nacione obligatorum. Super quo nacio deliberavit quod servarentur alias de hoc statuta et deliberata per nacionem.

Tercius articulus erat super scolis, quas nacio alias concessit magistro Johanni de Stralen, cum ipse non esset actu regens, quid esset agendum de illis scolis. Super quo nacio deliberavit, cum magister Johannes Stralen, ut asseruit, non erat intencionis regendi, quod nacio libere haberet disponere de scolis illis et in potestate ejus esset easdem dare, et amplius magister Johannes Stralen non deberet habere.

Quartus articulus erat super supplicacionibus, et supplicaverunt pro illis scolis mag. Johannes de Hockelem, mag. Henricus Rossem et magister

1. *Ms.* deputari.
2. *Ms.* eligigendum.
3. *Ms. add.* in procuratorem.
4. *Ms.* nona.
5. *Nationis Picard, de quo jam pluries.*

Johannes Coc. Et nacio concessit eas magistro Johanni de Hocklem. Et supplicaciones aliorum erant interempte.

1376

Acta procurarie magistri Ghiselberti Scout de Hokelem.

In anno Domini M° CCC° septuagesimo sexto, decima octava die mensis Novembris, facta congregacione nacionis Anglicane in primis Nostre Domine ad Sanctum Maturinum ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem magister Ghiselbertus Scout per unanimes consensus magistrorum dicte nacionis tunc presencium, nullo eorum penitus reclamante. In cujus procuraria acta sunt infrascripta.

Primo deliberatum fuit in eadem congregacione quod dictus procurator solveret unum francum, quia nondum prius officium procuracionis excercuerat, quem solvebat; sed protunc non perpotabatur, quia nacio illum francum reservavit usque ad festum sancti Eadmundi regis, in cujus festo dictus procurator perpotabatur in uno franco in vico Cythare *ad epitogium*. Item in eadem congregacione dilatus fuit computus receptoris ad aliud tempus per voluntatem nacionis.

Item in festo sancti Eadmundi regis in ecclesia sanctorum martirum Cosme et Damiani infra officium misse recepi unum album a magistro Thoma Graffardi de fundo terre sive de gardino quodam[1].

Item XXVII^a die mensis Novembris facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum hora primarum ad supplicandum, supplicavit magister Arnoldus de Ghiise, quia ipse esset intencionis eundi ad partes suas, sperans tamen ad studium Parisius se breviter reversurum, quatenus nacio vellet ipsum admittere ad inrotulandum ac si esset presens, in casu quo contigerit rotulum formari seu concludi et conclusum ad curiam Romanam destinari. Et supplicacio ejus fuit concorditer pro tunc admissa, dummodo solveret solvenda.

Item prima die mensis Decembris facta fuit congregacio nacionis ad Sanctum Maturinum hora nonarum Nostre Domine ad supplicandum. Et supplicavit dominus Hartmannus de Zittert pro dilacione bursarum sue incepcionis ad tres menses. Cujus supplicacio fuit concorditer concessa, dummodo poneret pignora sufficientia.

Item tercia die mensis Decembris incepit dominus Hartmannus de Zittert sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa VI solidi. Posuit pignora.

(*Fol. 5*) Item XVI^a die Decembris facta congregacione nacionis ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, computavit receptor, et omnibus hinc inde computatis, mansit nacioni obligatus in VI libris, XIX solidis et VIII denariis.

1376

Acta procuratorie magistri Johannis de Leyden.

Anno Domini M° CCC° LXXVI°, mensis Decembris XVI^a die facta congregacione facultatis ad Sanctum Julianum ad eligendum rectorem, etiam nacionis Anglicane, ad audiendum compotum receptoris et ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem magister Johannes de Leyden per consensus unanimes magistrorum, nullo reclamante. In cujus procuratoria acta sunt infrascripta.

Primo ibidem concorditer fuit deliberatum quod procurator predictus solveret unum francum, quia prius officium illud non exercuit; deinde magister Hartmannus de Zittert pro jocundo suo introitu solveret similiter unum francum, quos extunc magistri perpotaverunt, demptis novem solidis qui restabant, de quibus magister Hartmannus et receptor habent respondere.

Item dominica[2] post Circumcisionem pervulgata fuit congregacio apud Predicatores post sermonem, sed propter absenciam bedellorum fuit dilata usque ad profestum[3] Epyphanye, et fuit iterato facta apud Sanctum Julianum, ubi fuit deliberatum quod expediret adire dominum episcopum de Scotia[4], sibi ex parte nacionis aliquam reverenciam exhibendo. Et elegerunt magistrum Heynricum de Hassia pro proponente.

1377

Acta procuratorie magistri Gisonis Duysse de Ratinghen.

Anno Domini M° CCC° LXXVI secundum stilum gallicanum, XIII^a die mensis Januarii, que fuit dies beati Firmini, facta congregacione nacionis in Sancto Maturino, post sermonem ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, dilatus

1. *Vid. supra* p. 429, 16 *sqq.*
2. 4 *Januarii* 1377.
3. 5 *Januar.*
4. Walterum de Wardelaw. *Vid. etiam supra* p. 357, *not.* 2.

erat computus receptoris, et electus erat concorditer in procuratorem magister Giso Dŭysse de Ratinghen, in cujus procuratoria acta sunt infrascripta.

Primo solvit dictus procurator II francos, unum pro prima procuratoria, et alium quia percepturus erat emolomenta a determinantibus hujus anni, videlicet a quolibet unum antiquum grossum. Et licet dicta procuratoria ante tempus receptionis juramentorum a bacalariis expiraret, tamen concorditer nacio extunc deliberavit ipsum continuandum fore pro proxima procuratoria, et quod hoc dicte nacioni videbatur expedire.

Item incepit dominus Petrus de Catwiic sub magistro Waltero de Delf, cujus bursa V solidi. Solvit receptori.

Item incepit dominus Martinus Gisberti de Delf eodem die sub eodem magistro, cujus bursa V solidi. Solvit receptori.

1377

(*Fol.* 5ᵇ) Continuacio magistri Gisonis Duysse de Ratinghen in procuratorem.

Anno Domini M° CCC° LXXVI secundum stilum gallicanum, die decima mensis Februarii, convocata nacione Anglicana apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris et ad eligendum examinatores determinancium hujus anni et officiarios pro bacul̃ariis isto anno apud Sanctam Genovefam licenciandis, continuatus fuit magister Giso Dŭysse de Ratinghen in procuratorem. Et facto computo receptoris ab omnibus approbato, mansit obligatus nacioni in XXXVIII solidis parisiens.

Item electi fuerunt in examinatores determinancium magistri Mercilius, Jordanus [de Clivis], Gerardus Kalkar. Item electi fuerunt in examinatores baculariorum licenciandorum apud Sanctam Genovefam pro primo mense magister Henricus de Rossem, pro 2° mense magister Johannes Luberti, quorum uterque solvit unum francum. Item magistri Petrus de Catwic et Martinus de Delf solverunt uterque francum pro jocundo introitu in primam congregacionem nacionis, qui quidem 4ᵒʳ franci expositi erant in taberna *ad epitogium Gillcti* per nacionem ibi congregatam.

Item die martis [1] post dominicam *Invocavit* facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum hora prime ad supplicandum et ordinandum de pecuniis nacionis, supplicaverunt pro dilacionibus bursarum XIIII, quorum nomina inferius [2] habentur, quorum supplicaciones erant concesse, sicud alio anno in procuratoria magistri Hugonis de Hervorst.

Determinantes hujus anni [3].

Primo determinavit dominus Petrus de Porta, alias de Bacharacho, sub magistro Johanne de Moguncia, cujus bursa VI solidi. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Hermannus de Renen [4] sub magistro Philippo de Pinghe, cujus bursa V solidi, VI denarii. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Wilhelmus Tauwe sub magistro Johanne Stralen, cujus bursa III solidi. Posuit pignus.

Item determinavit Johannes Boemel de Dordraco sub magistro Johanne Forestarii, cujus bursa III s. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Lambertus Cluvinc sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa III solidi. Posuit pignus. Solvit.

Item determinavit dominus Petrus Prutenus sub magistro Johanne de Stralen, cujus bursa IIII sol; Posuit pignus. Noluit jurare [5].

Item determinavit dominus Nicolaus Udenheym de Maghuncia sub magistro Nicolao Zuker, cujus bursa III solidi. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Walterus Borro sub magistro Johanne Luberti, cujus bursa VI solidi. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Nicolaus de Lutzenburch sub magistro Mercilio de Inghen, cujus bursa XVI denarii. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Gerardus Engelberti sub magistro Philippo Pingh, cujus bursa III solidi. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Henricus Gorley [6] sub magistro Johanne Forestarii, cujus bursa V solidi. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Nicolaus Jacobi de Goch sub magistro Johanne Koc, cujus bursa II sol. Posuit pignus.

1. 17 *Februarii.*
2. *Scil. inter determinantes hujus anni.*
3. *Paene omnes sequentium determinantium scribuntur etiam in fol. ante fol.* 1 *Reg.* 4.
4. *Ms.* Nenen.
5. *Tota rubrica deleta est, exceptis verbis* noluit jurare. *Revera Petrus Prutenus in sequentibus non apparet.*
6. *Reg.* 4, *fol.* 1 *scribitur* Gouerlay Scotus.

Item determinavit dominus Henricus Lovenscheide[1] sub magistro Mercil[i]o de Inghen, cujus bursa VI solidi.

Item determinavit dominus Heinricus Moel sub magistro Henrico Rossem, cujus bursa V solidi, IIII denarii. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Engelbertus Institoris sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa III solidi. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Heinricus Selder sub magistro Johanne Wolgast, cujus bursa IIII solidi. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Theodericus de Nienborch sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa III solidi. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Jacobus Tumsun sub magistro Wilhelmo Trebrun, cujus bursa VI solidi. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Fredericus de Warend[orpe] sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa III solidi, VIII denarii. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Henricus de Reno sub magistro Meynardo de Tiela, cujus bursa V solidi, VIII denarii. Posuit pignus.

Item subdeterminavit dominus Bernardus Klync[2] loco domini Engelberti Institoris sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa nichil, etc. quia juravit statutum paupertatis in plena nacione.

Item dominus Nicolaus de Westerborch[3] subdeterminavit loco Petri de Bacharaco sub magistro Hartwico, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis in plena nacione.

Item in crastino[4] *Oculi* facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pro supplicacionibus, supplicaverunt magistri Johannes de Inghen et Henricus Tůve de Livonia, quatenus si contingeret mitti rotulum ad papam ipsis absentibus, possent imponi solutis solvendis tanquam presentes, cum haberent animum quantocicius possent redeundi Parisius. Quorum supplicaciones fuerunt concesse in illa forma qua aliorum, qui ante eos supplicaverunt.

Et facta congregacione nacio intravit tabernam *ad duos gladios*, ubi dictus magister Henricus Tuve solvit unum francum pro proxima procuratoria ad quam eligeretur.

1377

(*Fol. 6*) Acta procuratorie magistri Nycholai Piec de Gorinchem etc. Talfstert.

Item X[a] die Marcii facta congregacione apud Sanctum Julianum ad audiendum computum receptoris et eligendum procuratorem, computavit receptor, et omnibus hinc inde computatis mansit nacioni obligatus in XVI libris parisiens., II solidis et III denariis, et fuit computus ab omnibus approbatus. Et electus erat in procuratorem nacionis concorditer magister Nicolaus Pyec de Goryncheym. In cujus procuratoria acta erant ea que sequuntur.

Primo nacione intrante tabernam ante ecclesiam sancti Severini, procurator predictus racione sue nove electionis more debito solvebat unum francum.

Item habita congregacione facultatis in Sancto Juliano ad eligendum rectorem, et facta congregacione nacionis Anglicane ad supplicandum, venit dominus Bernardus Pistoris, supplicans ut sibi una litera recommendatoria ad dominos patrie sue a nacione concederetur, cujus supplicacio simpliciter erat concessa, vicesima die mensis Marcii.

Item septima die mensis Aprilis facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum in primis Nostre Domine ad eligendum examinatorem bacalariorum Sancte Genovefe pro tercio mense, ad ordinandum pecuniam pro solucione scolarum, et ad audiendum computum receptoris, ad supplicandum et ad eligendum procuratorem. Item electus fuit pro examinatore bacalariorum pro 3° mense et pro aliis 4[or] bachelariis restantibus magister Meynardus Rodolfi, qui pro officio exercendo daret nacioni XX solidos ad perpotandum. Item dictum erat de solucione scolarum, quod scole solverentur, et in proxima congregacione fieret compotus receptoris de solucione et de aliis, et de toto anno non alie fierent soluciones scolarum, sed omnes solverentur elapso termino solucionis.

Item supplicavit magister Mathias de Janow, in casu quo concluderetur rotulus, quod posset imponi, quia iturus esset ad partes suas et in brevi reversurus; cujus supplicacio concessa erat sicut aliis, scilicet juxta posse nacionis.

Item supplicavit magister Stanislaus de Milonow idem quod petivit magister predictus; cujus supplicacio concedebatur sicut precedentis magistri.

1. *Ms.* Loivenscheide. *Ne confundas cum cum* Henrico Ludenscheide, *qui infra ad an.* 1378, *Jun.* 10, *ut determinans affertur, et solummodo post an.* 1381 *licentiatus est. Vid.* Chartul., III, p. 362.

2. *Ms.* clinc.

3. *Ms.* Wasserborch, *sicut etiam in ultimo fol. Reg.* 4. *Sed infra scribitur semper ut supra.*

4. 2 *Martii.*

Item supplicavit magister Ulricus, cum in collegio Narbone esset propositum quod nullus in ipso deberet habitare, nisi Francigene aut Narbonenses, et provisores collegii predicti aliquos de nacione Picardie vellent abicere, et hoc idem magistro Ulrico predicto potest contingere, cum ipse nec Francigena nec Narbonensis erat, supplicavit ut si nacio aliquid inde perciperet, quod ipsa vellet eum juvare et ei assistere; cujus supplicacio concessa erat.

Item electus erat eodem die in procuratorem magister Johannes Stralen, in cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

Finiuntur acta procuratorie magistri Nicolay Piec.

1377

Procuratoria Johannis Thome de Stralen.

Anno Domini M° CCC° LXXVII°, die VII[a] mensis Aprilis, facta congregacione nacionis Anglicane hora primarum apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum et ad ordinandum et ad supplicandum et, ut prescriptum est, ad audiendum compotum receptoris et ad eligendum novum procuratorem, dilato pro tunc compoto receptoris usque ad proximam electionem procuratoris, electus fuit in procuratorem concorditer Johannes de Stralen, nullo penitus reclamante. In cujus procuratoria acta fuerunt que sequuntur.

Item facta congregacione nacionis XVI[a] die mensis Aprilis anni prescripti apud Sanctum Julianum super duobus : primus ad ordinandum aliqua pro honore nacionis. Primum quod examinatores Sancte Genovefe amplius eligendi nisi prius officium non exercuissent, nichil solverent; cujus oppositum hactenus volitum[1] est. Secundum quod illa consuetudo antiqua innovaretur et statueretur, utputa, quod nullus ad officium aliquod nacionis recipiatur nisi prius officium procuratoris exercuerit.

2[us] super supplicacionibus, etc.

De primo deliberatum fuit quod fieret una congregacio solemnis per juramentum, in qua eadem proponerentur cum motivis tunc adductis et aliis adducendis, et postea statueretur, si visum fuerit expediens. Supplicaverunt tunc dominus Colmannus et dominus Petrus dicti de Austria, et dominus Hinricus Selder de Swevia pro dilacione bursarum suarum licencie et magisterii. Quorum supplicaciones fuerunt secundum modum consuetum [et] moderaciones in nacione usitatas concesse.

(*Fol. 6* [b]) Isti sunt licenciati in procuratoria mea presenti.

Primo licenciatus est dominus Theodericus de Alcmaria sub magistro Gerardo de Calker, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item licenciatus est dominus Pe[trus] Bartholomeus de Aemsterdam sub magistro Galtero de Delft, cujus bursa VI solidi. Solvit.

Item licenciatus est dominus Colmannus de Austrea (*sic*) sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VI solidi. Posuit pignora.

Item licenciatus est dominus Hinricus Selder de Swevia sub magistro Johanne Wolgast, cujus bursa IIII solidi, IIII denarii. Posuit pignora.

Item licenciatus est dominus Petrus de Austria sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VI sol. Posuit pignora.

Item licenciatus est dominus Andreas de Lederdamme sub magistro Meynardo de Tyla, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Isti sunt qui de novo venientes ad congregaciones, in dicta procuratoria suum jocundum solverunt introitum.

Primo magister Petrus de Austria. Item magister Hinricus de Ysenborgh. Item magister Cholomannus de Austria. Item magister Nicolaus de Wavaria.	Quilibet solvit 1 francum.

Item anno, etc. ut prius, XIX[a] die mensis Aprilis, facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum per juramentum immediate post sermonem super 4[or] articulis.

Primus fuit ad deliberandum seu refundendum magistro Mersilio, nuncio alias ad curiam Romanam pro nacione, pecuniam pro legacione per nacionem sibi promissam, dummodo tamen fieret contribucio in Universitate. Qua facta et pecunia aliqua collecta et singulis facultatibus et nacionibus distributa, receptaque die precedenti summa L francorum per receptorem nacionis nostre proporcionaliter divisione pecuniarum tunc existencium facta nacioni nostre pertinente, narravit dictus magister Mercilius circa hoc contractum alias inter nacionem et

1. *Ms.* molitum, *sed cf.* p. 517, 29 *eamdem sententiam.*

ipsum nuncium, et petivit ex quo sibi deberentur de illis L francis receptis per receptorem XLI vel circiter (quomodo et qualiter tantum de dicta summa sibi dicebat de jure competere, dimitto causa brevitatis quia esset nimis prolixum), quod sibi dicti XLI fr. deliberarentur, quia pecuniam mutuavit et quia iturus esset indilate ad curiam. Ultra supplicavit quatenus nacio faceret sibi tantam graciam, quod illos IX francos ultra recipere posset, et consequenter illos L francos totaliter, et eos expectare vellet de contribucione ultra fienda, quia iturus est ad partes longinquas [1], et nacio melius expectare posset quam ipse. Super quo articulo deliberatum fuit una cum supplicacione dicti Marsilii concorditer ab omnibus, quod dictus magister Mersilius reciperet dictos L francos totaliter; multi tamen dixerunt, qui minorem partem secuntur, quod XLI franci, quos petebat de jure, non debebantur sibi de ista summa de jure, sed solum XX vel XXI franci sibi debebantur. Tamen omnes concorditer, sive de jure sibi competerent, sive non, favorabiliter sibi concesserunt.

2us articulus fuit ad statuendum, si visum fuerit expediens, quod examinatores Sancte Genovefe de cetero eligendi nichil darent pro officio; ad statuendum eciam quod nullus aliquod officium nacionis acceptare posset, nisi prius officium procuracionis exercuerit. Quoad primum illius articuli major pars dixit, quod non esset expediens hoc statuere, sed placuit majori parti quod illa consuetudo, qua volitum est quod dicti examinatores sic electi aliquid dant, simpliciter amoveatur et deponatur, sic quod de cetero nullus sic electus aliquid dabit pro officio examinatoris. Quoad 2^{m} illius articuli, majori parti placuit quod illa antiqua consuetudo observaretur, scilicet quod *nullus aliquod officium nacionis acceptare possit, nisi prius procurator extiterit*.

3us articulus fuit ad ordinandum de pecunia nacionis. Ordinatum fuit primo de pecunia data magistro Mersilio, de qua prius. Et 2° deliberatum fuit et ordinatum per nacionem quod priori Sancti Juliani pauperis darentur quinque franci pro elemosinis in subsidium edificacionis ecclesie sue, in qua facultas arcium suas consue[vi]t facere congregaciones, etc.

4us fuit super supplicacionibus. Et supplicavit magister Mersilius ut prius, etc., et fuit concessa sua supplicacio, ut prius, et injunctum fuit tunc receptori nacionis nostre per nacionem, quatenus ipse moneret illos pro quibus ipse alias de consensu nacionis francos debitos pro procuratore exposuit, quia ab aliquibus fui requisitus ante congregacionem quatenus de hoc mencionem facerem, etc.

Isti sunt qui inceperunt in dicta procuratoria.

Primo incepit dominus Hinricus de Ysenborgh sub magistro Gerardo Peelchen, cujus bursa IIII sol. Solvit.

Item incepit dominus Theodericus de Alcmaria sub magistro Gerardo de Calker, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item incepit dominus Colmannus de Austria sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa VI solidi. Posuit pignus et pro determinancia.

Item incepit dominus Petrus de Austria sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa VI solidi. Posuit pignus et pro determinancia.

(*Fol.* 7) Item facta congregacione nacionis XXIII^{a} die Aprilis in Carmelitis hora primarum ad supplicandum, supplicaverunt magister Ghiselbertus Scout, magister Nyc[olaus] Piec repatriaturi, quatenus si in eorum absencia papam contigerit mori vel rotulum fieri ad eundem, quod eidem rotulo tanquam presentes possent imponi; quorum supplicacio more solito aliis predecessoribus suis supplicantibus concedi fuit concessa. Item supplicavit dominus Andreas Lederdamme, cum esset paratus jurare statutum paupertatis, quatinus nacio sibi bursas sue licencie et magisterii remitteret et quitaret; cujus supplicacio fuit concessa, sicut et aliis statutum paupertatis jurantibus solet concedi.

Item facta congregacione nacionis III^{a} die Maij hora vesperarum apud Sanctum Maturinum ad supplicandum, supplicavit magister Johannes de Saxonia Parvus, ad patriam iturus, quatenus si contigerit rotulum fieri seu papam mori in absencia sua, ex quo esset firmi propositi revertendi cicius quam posset, quia res suas dimitteret, etc., quod tanquam presens rotulo posset imponi. Cujus supplicacio eo modo quo consuetum est consimiles concedi, fuit concessa.

Item facta congregacione nacionis V^{a} die Maii hora primarum apud Sanctum Julianum pauperem ad audiendum compotum receptoris, ad eligendum procuratorem et ad supplicandum, primo computavit dominus receptor, et defalcatis expositis per eum a

1. *Primo* Avenionem, *postea Italiam quae intelligitur per partes longinquas, id est* Romam (*ubi tunc curia existebat*), *quam urbem an.* 1377, *Januar.* 17, *Gregorius XI solemniter ingressus est.*

receptis tam de ultimo computo restantibus quam de presenti resultantibus, remansit dictus receptor obligatus nacioni in XVII libris, XIIII sol., X denariis.

Item 2° supplicavit magister Mersilius de Inghen, cum esset iturus ad curiam Romanam ex parte seu pro factis Universitatis et pro communi utilitate, quatinus si contigerit ipso existente in curia, etc., rotulum fieri seu papam mori, quod eidem rotulo tanquam presens et in loco suo possit imponi. Cujus supplicacio fuit reputata racionabilis et concessa[1]. Item supplicavit magister Walterus de Delft receptor nacionis, ex quo iturus esset ad partes et reversurus ut crederet infra mensem, quatenus placeret nacioni quod possit unum substituere in officio suo et compotum differre de mense sequenti, usquequo reverteretur, et postea de omnibus simul ipso reverso computaret. Cujus supplicacio fuit eo modo concessa quo supplicavit. Item supplicavit magister Johannes de Leyden, cum iturus esset ad partes et firme intencionis revertendi, quatenus si contigerit in absencia ejus papam mori seu rotulum fieri, eidem tanquam presens possit imponi. Cujus supplicacio fuit concessa sub modo solito et consueto.

Item continuatus fui in procuratorem, omnibus, licet me invito, volentibus et me eligentibus.

1377

Continuacio procuratorie Johannis Thome de Stralen.

Anno quo supra facta congregacione V^a^ die mensis Maij hora primarum apud Sanctum Julianum pauperem ad audiendum, et ad eligendum, et ad supplicandum, computo facto receptoris, de quo debet XVII libras, XIIII solidos, X denarios, et supplicacionibus formatis et concessis, ut prius, continuatus fui in procuratorem, nullo contradicente, etc.

Item facta congregacione nacionis VIII^a^ die Maij in primis Sancti Jacobi apud Sanctum Julianum pauperem ad supplicandum, supplicavit Gerardus Muchart de Aquis pro dilacione bursarum sue licencie, positis pignoribus sufficientibus penes receptorem; cujus supplicacio fuit concessa.

Item dictus Gerardus XIII^a^ die Maij, facta congregacione nacionis ad supplicandum in primis ubi prius, supplicavit pro dilacione bursarum magisterii. Cujus supplicacio iterum sub moderacionibus consuetis fuit concessa; persolvit tamen dictus tam pro licencia quam magisterio IIII bursas, et tunc remanserunt VI solidi, pro quibus posuit pignora.

Isti sunt licenciati in dicta procuratoria.

Primo licenciatus [est] dominus Gerardus Muchart de Aquis sub magistro Gerardo de Calker, cujus bursa VI solidi. Posuit pro parte pignus.

Item dominus Nycolaus Jacobi de Goch sub magistro Jo[hanne] Coc, cujus bursa II solidi. Posuit pignus.

Item licenciatus est dominus Petrus de Porta sub magistro Gerardo Pellich, cujus bursa VI solidi. Posuit pignus.

Item licenciatus est dominus Fredericus de Warendorpe sub magistro Hughone de Hervorst, cujus bursa V solidi, VIII denarii. Solvit.

Item licenciatus est dominus Nycolaus de Westerborgha sub magistro Hardewico de Mesonde[2], cujus bursa nichil.

Item licenciatus est dominus Jacobus Thomsum sub magistro Lamberto de Marchia, cujus bursa VI s. Posuit pignus.

Item licenciatus est dominus Johannes de Kare sub magistro Gerardo de Calker, cujus bursa VI sol., VIII denarii. Solvit.

(*Fol.* 7 ^b^) Item anno quo prius facta congregacione nacionis XX^a^ die Maij apud Sanctum Maturinum post sermonem ad supplicandum, supplicaverunt domini Nycolaus Jacobi de Goch pro dilacione bursarum sue licencie, dominus Petrus de Porta pro dilacione bursarum tam licencie quam magisterii, quibus dilacio ad III menses fuit concessa, positis pignoribus dupli vel sufficientis valoris, que post terminum prefixum vendi possint, si redempta non fuerint.

Item supplicavit dominus Nycolaus de Westerborgha, cum esset pauper, quatenus nacio sibi bursas tam licencie quam magisterii remitteret, cujus supplicacio fuit concessa, jurato tamen procuratori statuto paupertatis.

Isti sunt qui inceperunt in dicta procuratoria.

Primo incepit Gerardus Muchart de Aquis sub magistro Johanne de Stralen, cujus bursa V solidi. Posuit pignus et partem solvit.

Item incepit Fredericus de Warendorpe sub magi-

1. *Postea Marsilius Avenionem profectus est, ubi saltem usque ad Novemb. 23 stetit. Vid. infra.*

2. Meschede?

stro Hugone de Hervorst, cujus bursa V solidi, VIII denarii. Solvit.

Item incepit dominus Petrus de Porta, alias de Bacheraco sub magistro Gerardo Pellich, cujus bursa VI solidi. Posuit pignus.

Item incepit dominus Nycolaus de Westerborgha sub magistro Hardwico, cujus bursa nichil.

Item facta congregacione nacionis XXIIª die Maii hora primarum apud Sanctum Julianum pauperem ad supplicandum, supplicavit dominus Jacobus Thomsun Scotus pro dilacione bursarum sue licencie, cujus supplicacio fuit concessa cum istis moderacionibus, quod poneret pignora sufficiencia, que si non redemerit infra tres menses, essent perdita, promittendo eciam cum hoc, quod si cicius vel quam cito habuerit pecunias, pignora sua medio tempore redimeret.

1377

[Procuratoria mag. Johannis Lubberti de Daventria.]

Anno Domini ut prius, die 2ª mensis Junii, facta congregacione nacionis apud Sanctum Matulinum ad audiendum compotum receptoris et ad eligendum procuratorem, electus fuit concorditer nemine contradicente magister Johannes Lubberti de Daventria, cujus procuratoria secundum antiquum morem durat per tempus vacacionis, racione cujus dominus receptor sibi dedit XX solidos, quos pro majori parte *in scuto Francie* ante Sanctum Severinum sociis ad perpotandum propinavit. Compotus autem receptoris [1] tunc auditus non fuit. Acta sunt hec in procuratoria dicti Johannis Lubberti de Daventria.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum die 3ª mensis Junii ad supplicandum, supplicavit dominus Hermannus de Aldenrode de Colonia ut haberet dilacionem pecuniarum pro licencia et magisterio. Concessum sibi fuit per tres menses, dum tamen sufficiencia pignora poneret receptori cum ceteris condicionibus communibus additis, scilicet quod pignora post tres menses ad libitum nacionis vendicioni exponantur, nisi redemerit ante, satisfactis ante eciam budellis nacionis.

Item facta congregacione die XIIIIª mensis [2] apud Predicatores post sermonem, supplicaverunt dominus Thomas Wys Scotus et Hermannus de Renen, dominus Theodericus de Nyenborch et Nycolaus de Maguncia, ut haberent dilacionem pro bursis licencie ipsorum. Et concessum eis erat positis pigneribus ut precedenti Hermanno et sub eisdem condicionibus.

Isti sunt licenciati in hac procuratoria.

Primo dominus Hermannus de Aldenrode sub Gherardo Pylke [3] incepturo (*sic*), cujus bursa V sol. et VIII denarii.

Item dominus Hermannus de Renen sub magistro Meynardo de Tyela, cujus bursa V solidi.

Item dominus Nycolaus de Maguncia sub magistro Johanne de Maguncia, cujus bursa III solidi.

Item dominus Thomas Wys, cujus bursa V solidi.

Item dominus Wernerus de Austria, cujus bursa V solidi.

Item dominus Henricus Lovenstede [4], cujus bursa VI denarii.

Item dominus Johannes Wilde, cujus bursa IIII s. Item posuit pignus.

Item dominus Johannes Kaer sub magistro Pilke, cujus bursa V solidi et VIII denarii.

Item dominus Johannes de Eydel sub magistro Gherardo Pilic, cujus bursa V solidi et VIIII denarii.

Item dominus Theodericus de Nywemborch, cujus bursa IIII solidi. Posuit pignus.

Item dominus Gherardus Engelberti, cujus bursa X albi.

Item dominus Henricus de Renen, cujus bursa X albi.

} Sub magistro Lamberto de Marcia.

Item facta congregacione facultatis et nacionis ad eligendum examinatores pro 4° mense die XIIIIª mensis Junii, electus fuit magister Nycolaus de Harlem.

(*Fol. 8*) Isti sunt qui inceperunt in procuratoria dicti magistri Johannis.

Primo incepit dominus Hermannus de Aldenrode sub magistro Gherardo Pylich, cujus bursa V solidi et VIII denarii.

Item dominus Johannes de Eydel sub eodem magistro Gherardo dicto, cujus bursa VI solidi et VIII denarii.

Item dominus Johannes Kaer sub eodem dicto, cujus bursa VI solidi et VIII denarii.

Item dominus Johannes Wilde sub magistro Piillic, cujus bursa IIII solidi.

1. *Ms. add.* illo.
2. *Dies dominica.*
3. *Qui supra* Pillich *nominatur.*
4. *Idem ac* Lovenscheide *supra* p. 513, 1.

Item incepit dominus Andreas de Lederdam sub magistro Meynardo de Tyela, cujus bursa nichil.

Item incepit dominus Wernerus de Austria sub magistro [1], cujus bursa VI solidi. Solvit eciam pro determinancia.

Item incepit dominus Fredericus, cujus bursa V solidi, VIII denarii.

Item dominus Henricus Lovenschede, cujus bursa VI solidi, sub magistro Hugone de Hervorst.

Item facta congregacione per juramentum apud Sanctum Matulinum Universitatis et nacionis, supplicavit magister Hugo de Hervorst pro domino Conrado de Lutselenborch pro litera recommendatoria, et concessa sibi fuit illa die, que fuit dies XXII^a mensis Junii, anno supradicto.

Item facta congregacione die IIII^a mensis Julii, anno ut prius, nacionis facultatisque apud Sanctum Julianum, nacionis autem ad supplicandum, supplicaverunt magistri Henricus Bornecothen de Ysenborch et Johannes Wilde, quod imponerentur rotulo, si fieret, quia ituri erant ad partes suas. Quibus concessum fuerat secundum posse nacionis modo et forma, quo aliis precedentibus erat concessum.

Item facta congregacione Universitatis, facultatis et nacionis apud Sanctum Matulinum ad audiendum literam missam per magistrum Mercilium, nuncium Universitatis [2], et audita fuit.

Item facta congregacione nacionis die dominica [3] post [festum] Jacobi apud Predicatores ad supplicandum, supplicavit magister Hermannus de Aldenrode de Colonia ut imponeretur rotulo, quia iturus erat ad partes et intencionis revertendi. Cui concessum erat simili modo sicud aliis, soluto tamen bejanio nacionis, pro quo magister Hugho de Hervorst se obligavit.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Matulinum ad audiendum nova per magistrum Mercilium, tunc Avinione existentem, lecte fuerunt litere misse per eundem.

Item facta congregacione apud Sanctum Matulinum die VII^a mensis Augusti pro rescribendo magistro Mercilio responsum et alia supra primitus scripta per eundem, dati fuerunt deputati ad ordinandum idem [4] magistri Jordanus de Clivis et Hugo de Hervorst.

Item eadem die congregacio facta erat per juramentum per modum expedientis ad habendum virgam budelli argenteam. Et concessum fuit quod ex parte nacionis reciperentur XXX franci pro faciendo et non plus, una cum argento existente in virga, et dati fuerunt deputati ad ordinandum et ad faciendum forum cum aurifabro et ad audiendum dominum receptorem pro pecuniis magister Martinus Hollandus et magister Johannes Wolgaest Saxo, dominus receptor et magister Johannes Lubberti.

Item supplicavit magister Nycolaus de Maguncia ut imponeretur rotulo, quia iturus erat ad partes; quod sibi concessum fuerat forma et modis consimilibus ut prioribus.

(*Fol. 8* ^b^) Item facta congregacione in Sancto Matulino pro habendo pecunias, quibus virga fieri deberet, quia ex parte nacionis non erat plus deliberatum dari quam XXX franci, et virga constare debebat bene quinquaginta francos; quare pro concordia habenda dati fuerunt deputati magistri Jordanus de Clivis, Johannes Wolgast, Hugho de Hervorst et Martinus receptoris vicem gerens, ad inveniendum modum vel modos quibus possent haberi pecunie.

Item eadem die positum erat in deliberacione ut pecunie que communiter de magistris noviter venientibus ad congregaciones et de procuratoribus novis capiebantur et perpotabantur, in profectum et usum nacionis tenerentur, quousque nacioni aliter videretur expedire.

1377

Procuratoria magistri Johannis Levenhaghen de Wolgast.

Anno Domini M° CCC° LXXVII°, XXVI^a die Augusti, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem hora primarum Beate Marie ad audiendum compotum receptoris et ad eligendum novum procuratorem; unde non audito compoto receptoris, quia receptor non comparuit, nec aliquis nomine ipsius, electus fuit concorditer in procuratorem eciam nullo reclamante magister Johannes Levenhaghen de Wolgast. In cujus procuratoria acta sunt hec que sequuntur, etc.

Item die I^a Septembris facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad audiendum compotum receptoris, ut videretur summa pecuniarum nacionis, et quod receptor traderet XXX francos ad faciendum virgam nacionis, et tunc

1. *In ms^to^ postea spatium.*
2. *Avenione.*
3. 26 *Julii.*
4. *Ms.* eandem. *Minime tamen Marsilius responso accepto Romam profectus est. Vid. infra Novemb.* 23.

comparuit magister Martinus vicem tenens receptoris, supplicans nacioni quatinus differet compotum donec veniret dominus receptor, quia speraret eum in brevi venire. Et predictus vicereceptor obtulit prompte tradere XXX francos predictos. Cujus supplicacio fuit concessa, et quod traderet pecuniam predictam.

Item facta congregacione nacionis Anglicane die XXI[a] mensis Septembris apud Sanctum Maturinum hora nonarum Beate Marie virginis ad audiendum compotum domini receptoris et ad eligendum receptorem pro anno futuro, ut moris; unde non audito compoto propter absenciam receptoris, electus fuit in receptorem magister Walterus de Delf, qui protunc erat absens, sub tali condicione : si infra diem sabbati post festum Omnium Sanctorum veniret Parisius et dictum officium acceptaret; si autem in predicto termino non veniret, vel eciam si veniret et predictum officium nollet acceptare, tunc exnunc aliqui elegerunt magistrum Hughonem de Hervorst. Alii dicebant quod elapso termino predicto fieret congregacio nacionis, et eligeretur receptor, ut tunc videretur expedire.

1377

Acta sunt hec in procuratoria magistri Pauli de Gelria.

Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo septimo, XXIIII[a] die mensis Septembris, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Paulus Fabri de Gelria. Et tunc receptor non comparuit nec aliquis nomine sui. Et ex unanimi consensu magistrorum tunc presencium intraverunt ipsi tabernam, et consumpserunt XVIII solidos cum II albis, de quibus dictus magister Paulus, quia procurator novus, solvit francum cum I albo. Et quia in procuratoria magistri Johannis Lubberti propositum erat in deliberacionem, quod novi procuratores francos suos darent nacioni ad reparandum virgam nacionis argenteam, et non erat de hoc aliquid scriptum in procuratoria dicti magistri Johannis Lubberti, an esset deliberatum per nacionem quod pecunia deberet dari vel non, et sicud magistris tunc presentibus videbatur, quod in dubiis via cercior est eligenda : ideo juxta consuetudinem antea observatam magistri illum francum novi procuratoris decreverunt perpotare. In nomine Domini [1].

Item eodem anno, penultima die mensis Septembris, que erat dies sancti Michaelis archangeli, facta congregacione sollempni nacionis regencium et non regencium per juramentum apud Sanctum Maturinum super tribus articulis, scilicet quorum primus erat de pecunia quam tenerentur dare novi procuratores ac noviter intrantes congregacionem, que consuevit ante perpotari inter magistros nacionis, an expediret illam reservare pro factura virge, quia nacio non habuit tantas pecunias vel saltem noluit exponere tantas quante dabantur pro virga argentea facienda; et eciam attento quod alibi meliori modo ille pecunie procurari vel haberi non possent, ad honorem et profectum nacionis. Extunc nacio simpliciter deliberavit nullo reclamante, quod ille pecunie postmodum reservarentur pro virga dicta, et suspenderentur perpotaciones, donec pecunia pro virga esset soluta, et tunc iterum perpotarent magistri ut prius [2].

(*Fol. 9*) Secundus articulus erat, an esset expediens nacioni quod haberentur boni modi distribuendi scolas pro ordinario et toto anno continue regentibus de vico Straminum. Et si qui boni et acceptabiles modi possent reperiri, an bonum esset hujusmodi redigere in scriptis, attento quod omni anno turbaciones et mociones excessive inter magistros, unde aliquando rancor et invidia generarentur. Et tunc super hujusmodi articulis nacio dedit deputatos, scilicet 4[or] de senioribus regentibus, et 4[or] de senioribus non regentibus, qui de hoc haberent disponere. Et erant tunc seniores regentes magistri Jordanus de Clivis, Gerardus de Kalker, Hugo de Hervorst et Johannes Koc. Seniores non regentes protunc erant magistri Arnoldus de Trycht, Egidius Brûne, Johannes Wolgast et magister Galterus Giselberti.

Tercius et ultimus articulus erat de supplicacionibus. Et supplicabant primo antiquiores regentes tres pro scolis suis, quas ante eciam a longo tempore obtinuerant et sunt eis concesse, et erant illi tres magistri Jordanus de Clivis, Gerardus de Kalker, Hugo de Hervorst. Postea supplicaverunt magistri Johannes Hokelem et magister Meynardus Radulphi pro quibusdam scolis inferioribus ante scolas novas Almannorum. Et attentis motivis utriusque partis nacio dimisit illas scolas magistro Johanni Hokelem, qui ante eciam anno immediate preterito rexerat in

1. *Ea tria verba extra textum scripta.*

2. *In margine add.* Nota quod tunc nacio de suo dedit pro virga XXX francos, et residuum debebat colligi.

eisdem. Postea supplicavit magister Johannes Koc pro scolis suis, et sunt sibi concesse. Ultimo supplicaverunt alii recturi, quia non possent habere scolas in vico Straminum, quod ad minus nacio eis provideret de scolis extra vicum, et si ipsi possent reperire scolas, quod nacio vellet solvere locagium. Et erant ille supplicaciones omnes tanquam rigorose concesse. Et [1] nota quod tunc in illo anno erant bene XI regentes in artibus de nacione Anglicana.

Incepit dominus Gerardus Engelberti de Embrica sub magistro Philippo Pinghe, cujus bursa X albi. Satisfecit [2] receptori et juravit.

1377

Continuacio magistri Pauli de Gelria in procuratoria.

Anno Domini quo supra, facta congregacione nacionis Anglicane XXIIª die mensis Octobris ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem et ad supplicandum, continuatus fuit magister Paulus de Gelria pro procuratore. Et tunc receptor comparuit paratus reddere computum; sed propter paucitatem magistrorum dilatus fuit computus usque alias.

Item in crastino [3] sancti Martini hyemalis facta congregacione nacionis Anglicane per juramentum regencium et non regencium ad disponendum de festo sancti Eadmundi regis, deliberatum fuit concorditer quod quilibet magistrorum dicte nacionis contribueret III solidos, natione predicta residuum solvente. Et tunc electi erant in procuratores pro illis, que concernebant honestatem nacionis specialiter in ecclesia et in mensa pro prandio, magistri Johannes Stralen et magister Johannes Wolgast, una cum domino receptore, qui ex debito servicii, scilicet receptorie, ad hoc obligatur.

Item eadem congregacione supplicavit magister Gerardus de Pellikem [4] quatinus nacio admitteret magistros Henricum de Euta [5] et Jacobum de Krakovia, quia essent magistri alibi et non Parisius, ad festum consimiliter cum aliis magistris, et quilibet eorum solveret francum pro bejanio sicut et alii novicii consueverunt. Cujus supplicacio fuit interempta.

Incepit dominus Thomas Marthon Scotus sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa VI solidi. Solvit receptori et juravit.

Item XVIIIª die Novembris facta congregacione nacionis per juramentum apud Sanctum Julianum pauperem super tribus articulis, quorum primus erat ad inveniendum motiva, propter que racionabiliter ostenderetur, tractatum oblatum Universitati de concordia inter ipsam Universitatem ex una parte, et dominum episcopum et ejus officialem ex alia parte, non esse acceptandum [6], erant quedam motiva tacta et media, que tunc dedit presens procurator domino rectori in quadam cedula.

Item secundus articulus erat ad audiendum computum receptoris. Et computo facto, dominus receptor mansit debens nacioni [in] XXV libris, XIIII solidis et XI denariis.

Item tercius articulus erat ad eligendum procuratorem. Et electus fuit concorditer nullo reclamante magister Colmannus, etc. In cujus procuratoria sunt hec.

1377

(*Fol. 9 b*) Acta sunt hec in procuratoria magistri Cholmanni Cholb [7] de Austria.

Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo septimo, XVIIIª die mensis Novembris, facta congregacione nacionis Anglicane per juramentum apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem, et electus fuit concorditer nullo reclamante magister Cholomannus Cholb de Austria. Et quia erat novus procurator, dedit secundum ordinacionem alias factam per nacionem unum francum pro festo sancti Eadmundi regis.

Item in die Eadmundi magister Thomas Graffhardi solvit de quodam gerdino [8] nacioni Anglicane I album.

Item in crastino sancti Eadmundi regis facta fuit congregacio facultatis per juramentum ad Sanctum Julianum pauperem super uno articulo et uno annexo. Articulus erat : si tres facultates requirerent rectorem ut proponeret per modum expedientis, an tractatus inter episcopum, etc., deberet acceptari, utrum tunc dominus rector teneretur hoc facere. Fuit concorditer dictum, quod nullo modo. Annexum erat, an magister Petrus de Duroforti [9], doctor in theologya,

1. *Alia manu inter lineas add.*
2. *Add.* solvit *supra* satisfecit.
3. 12 *Novembris.*
4. *Qui supra vocatur* de Pillich, Pellich, Pilke, *etc.*
5. *Seu de* Oyta. *In* Catal. licent. in theol. *Bibl. nat. Paris. mss. lat.* 5657ª *et* 12850 *ad an.* 1380 (1381) *scribitur* Heuca. *Fuit mag. artium Pragensis.*
6. *Vid. de discordia* Chartul. III, nis 1410, 1415, 1419.
7. *Ms.* Chow.
8. *Vid. supra* p. 429, 16.
9. *In* Cat. licent. theol. *vocatur* frater Petrus, *lic. an.* 1377.

cognatus pape, deberet jurare secundum quod alii magistri novi in theologya consueverunt. Fuit deliberatum concorditer per omnes naciones, quod sic.

Item XXIII[a] die Novembris facta fuit congregacio Universitatis ad Sanctum Matulinum super quatuor articulis. Primus erat ad audiendum literas missas de Avinione [1], que fuerunt lecte, et satis fuit concordatum ut rescriberetur ex superhabundanti.

Item de factis et narratis magistri Francisci de Sancto Michaele fuerunt dati deputati, quid ageretur de istis litteris.

Item de abusoribus fuerunt dati deputati omnibus facultatibus. Facultas theologorum non deliberavit super isto propter paucitatem eorum.

Item sigilliferi excusacio habebatur pro sufficienti ex gracia.

Item supplicaciones pro citatoriis fuerunt admisse pro omnibus supplicantibus.

Item anno quo supra, proxima die [2] post [festum]. Eligii, incepit dominus Petrus de Amsterdam, cujus bursa quinque solidorum et quatuor denariorum. Solvit.

Item XVI[a] die Decembris facta congregacione nacionis ad Sanctum Julianum pauperem super duobus articulis, primus erat ad audiendum computum receptoris. Et computo facto dominus receptor mansit debens nacioni [in] II libris, XVII solidis et IX denariis.

Secundus articulus erat ad eligendum procuratorem. Et continuatus fuit magister Cholomannus de Austria.

1378

Anno Domini M° CCC° septuagesimo octavo, quinta die Januarii facta fuit congregacio nacionis Anglicane ad Sanctum Maturinum ad habendum consilium de modo adeundi dominum imperatorem [3] et peticionibus fiendis eidem. Et erant tacte tres peticiones. Prima de mutacione nominis nacionis Anglicane in nomen nacionis Almannorum [4]. Secunda peticio erat, quatenus dignaretur scribere pro nacione ad domnum appostolicum, ut cessaret illa opressio examinis Sancte Genoveffe [5], secundum quod nostri vocarentur secundum merita personarum, etc. Tercia erat de fundacione unius collegii.

Item anno et die quibus supra facta, etc., ad habendum deputatum, qui proponeret verbum coram imperatore, et magister Henricus de Hassia ad rogacionem nacionis acceptavit honus. Et concorditer erant predicte tres peticiones petende a domino imperatore per nacionem concluse, etc.

Item eodem anno quo supra, undecima die Januarii, facta congregacione nacionis Anglicane in primis Nostre Domine ad Sanctum Maturinum ad habendum consilium de modo procurandi accessum [6], et erant deputati procurator et magister Johannes de Saxonia et magister Hinricus Tuve, quod adirent magistrum Albertum, et magistrum Andream, et magistrum Henricum de Oyta, et magistrum Jacobum de Prucia, qui una cum deputatis adiverunt dominum episcopum, etc.

Item eodem die in nonis Nostre Domine facta congregacione solempni per juramentum tam regencium quam non regencium ad audiendum relacionem deputatorum et ad habendum consilium et eciam [ad eligendos] deputatos, qui ponerent in scriptis articulos petendos ab imperatore, et erant deputati dominus rector et magister Johannes de Saxonia.

Item supplicavit dominus rector, scilicet magister Jordanus de Clivis, ut in recommendatione nacionis ipse eciam in persona sua specialiter domino imperatori recommendaretur, que concorditer ab omnibus nullo contradicente fuit concessa [7], etc.

1378

(*Fol. 10*) Acta in procuratoria magistri Johannis Levenhaghen de Wolgast.

Anno Domini M° CCC° LXXVII° secundum stilum gallicum seu gallicanum, XIII[a] die mensis Januarii [8], facta congregacione nacionis Anglicane post sermonem in Sancto Maturino ad audiendum compotum receptoris et ad eligendum procuratorem, unde delato compoto receptoris, electus erat in procuratorem magister Johannes Levenhagen de Wolgast nullo reclamante. In cujus procuratoria acta sunt inferius scripta.

1. *Utique a* Marsilio de Inghen *missas, qui ut videtur tunc adhuc Avenione marabatur.*
2. *2 Decembris.*
3. Carolum IV, *cum* Wenceslao. *In Arch. nat. Paris.* X[1a], 1471 (*Cons.*), *fol.* 5, *legitur ad an.* 1377, 21 *Decemb., quod* vacat curia per adventum Imperatoris. *Januarii* 4 *an.* 1378 *Parisios intravit; Januarii* 5 *prandium in ejus honorem. Manebat usque ad* 11 *Januarii. Vid.* Winkelmann, Acta Imperii inedita, II, 625 sq. *De iis quae Universitas egerit, vid.* Les grandes chron. de France, *ed.* P. Paris, VI, 391 *sq.*
4. *Vid. supra* p. 310, *not.* 5. *Alemanni tunc temporis in natione Anglicana alios numera superabant.*
5. *Vid. supra* p. 357, *not.* 3.
6. *Ad episcopum.*
7. *Sed imperator eodem die profectus est.*
8. *In festo S. Firmini.*

Item anno Domini quo supra, III^a die mensis Februarii, facta congregacione nacionis Anglicane per juramentum hora primarum beate Marie Virginis n domo capitulari fratrum Predicatorum super tribus articulis, quorum articulorum primus fuit ad habendum consilium de virga nacionis, utrum magis expediret infra virgam ponere ferrum vel lignum vel cornu, vel quid [aliud]. Super quo articulo erant dati deputati ad terminandum cum aurifabro negocium, scilicet receptor nacionis, magister Hugho de Hervorst, magister Johannes Luberti, magister Johannes Levenhagen de Wolgast.

2us articulus erat de modo habendi francum de magistris noviter intrantibus congregacionem magistrorum, et ab illis qui prius non erant procuratores. Super quo articulo erat concorditer conclusum, ut magistri novicii compellerentur solvere jocundum introitum eorum per penam amissionis vocis in deliberacionibus et eciam carenciam emolumentorum in nacione, et quod in electione procuratoris vocarentur per juramentum ipsorum, et tunc compellerentur ad solucionem secundi franci.

3us articulus erat super supplicacionibus, in quo articulo comparuit magister Walterus Ghyselberti conquerens qualiter Johannes de Treveris bedellus nacionis Anglicane injuriatus esset ei de quadam candela in die Purificationis Virginis gloriose, requirens nacionem et singulos magistros nacionis, quatenus eum juvarent habere emendam condignam de hujusmodi injuria sibi facta. Super quo facto ipse magister predictus submisit se omnimode determinacioni nacionis et ordinacioni. Et dedit nacio deputatos, scilicet magistrum Jordanum de Clyvis, tunc rectorem Universitatis, magistrum Arnoldum de Lochgen et magistrum Walterum de Delft, tunc receptorem nacionis, qui convocatis et auditis partibus et cognitis meritis cause negocium fine debito desciderent et terminarent, etc.

1378

Continuacio magistri Johannis Levenhaghen de Wolgast in procuratoria.

Anno Domini quo supra, X^a die mensis Februarii facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem hora primarum beate Marie Virginis ad eligendum procuratorem, et ad audiendum compotum receptoris, unde facto computo receptoris et ab omnibus approbato, mansit nacio debens receptori IIII libras, II solidos et III denarios. Et continuatus fuit unanimi voce omnium magistrorum in procuratorem magister Johannes Levenhaghen de Wolgast. In cujus procuratoria acta sunt hec que sequuntur.

In primo concorditer fuit ibidem deliberatum, ut magistri nacionis intrarent tabernam *ad ymaginem sancti Johannis* prope portam Sancti Jacobi ad potandum, et ibidem consumpserunt XXIIII solidos parisiens. in prandio, de quibus magister Walterus de Delf receptor nacionis solvit unum francum, et magister Johannes Levenhaghen de Wolgast VIII s., quia pauci fuerunt disputaturi bachalarii per Quadragesimam.

Item anno Domini quo supra, XXI^a die mensis Februarii, que erat dies dominica, facta congregacione nacionis Anglicane post sermonem per juramentum in domo capitulari Sancti Maturini ad eligendum examinatores determinancium hujus anni, et ad habendum officiarios pro bachalariis in isto anno apud Sanctam Genoveffam licenciandis, electi igitur fuerunt in examinatores determinancium, scilicet magister Walterus Ghyselberti, magister Gherardus de Calker et magister Hugo de Hervorst. Item electi fuerunt in examinatores pro bachalariis apud Sanctam Genoveffam licenciandis, scilicet pro primo mense magister Theodericus de Kempis, pro secundo mense magister Hinricus Rossem, pro tercio mense magister Johannes de Hœkelem, quorum trium quilibet solvit unum francum nacioni, et primi duo solverunt kathegorice, sed tercius, scilicet magister Johannes de Hoekelem, solvit ypothetice, scilicet si in tercio mense fierent duo audiciones, simpliciter solveret unum francum; si autem fieret nisi una audicio, ut sepe contingit, nacio restitueret sibi dimidium francum. Et hoc nacio simpliciter approbavit. Extunc nacio deliberavit intrare tabernam *ad ymaginem sancti Johannis* prope portam Sancti Jacobi, et ibidem consumpsit predictos tres francos et unum francum, quem solvit magister Petrus de Bacharaco pro jocundo introitu suo, qui nondum erat in societatibus magistrorum per modum nacionis congregatorum, etc. Item cum ibidem in prandio compareret magister Conrardus de Hagnoya, requisivit eum receptor ut francum, quem debebat nacioni, ibidem solveret, qui magister Conrardus dicens se protunc non habundare in pecunia, solvit ibidem quinque solidos, et alios XI promisit solvere quantocicius posset, etc.

Item anno Domini quo supra, ultima die mensis Februarii, facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum, unde cum nacio traxisset se ad partem ut deliberaret super articulis per rectorem

Universitatis propositis, ut moris est, comparuit in nacione Johannes de Treveris bedellus nacionis, supplicans ex parte magistri Johannis de Inghen, tunc alibi legitime impediti, ut dicebat, cum dictus magister esset iturus ad partes suas et esset intencionis redeundi quantocicius posset, quatinus placeret nacioni, quod si in absencia sui contingeret rotulum mitti ad papam, quod ipse poneretur in rotulo tanquam absens. Cujus supplicacio concessa fuit, ut aliis consuetum est concedere, etc.

(*Fol. 10* [b]) Item anno Domini quo supra, VIII[a] die Marcii, facta congregacione nacionis Anglicane hora primarum Beate Marie virginis apud Sanctum Julianum pauperem ad ordinandum de pecunia nacionis et ad supplicandum, et protunc supplicaverunt in numero X vel XI, pro dilacione bursarum sue determinancie, et quod ponerent pignora. Quorum supplicacio fuit concessa cum ista modificacione que sequitur, scilicet quod primo jurarent quod istam pecuniam pro nunc non possent nacioni per se vel per alios solvere; secundo quod super ista pignora que vellent nacioni obligare, non possent alibi tantam pecuniam mutuare; tercio quod si vellent ista duo predicta jurare, ponerent apud receptorem pignora duplicis valoris, que pignora nisi redimerentur infra tres menses computandos a tempore obligacionis, ab eis non possent repeti, sed omnimoda disposicio eorum maneret in voluntate nacionis, sine contradictione cujuscunque. Deinde supplicaverunt duo quatenus nacio eis faceret graciam de bursis sue determinancie; quorum supplicacio fuit concessa more solito, quia pauperes et juraverunt ibidem statutum paupertatis in plena nacione. Deinde supplicavit dominus Conrardus de Hallis quatinus sibi nacio daret dilacionem bursarum determinancie sue et quod nacio eum quitaret de posicione pignorum, quia paratus erat jurare quod nec per se nec per amicos posset jam dictas bursas solvere, nec haberet pignora que posset obligare. Cujus supplicacio fuit concessa, cum moderamine tamen tali quod prestito juramento de predictis, ut obtulit, obligaret se in litera officialis sub pena excommunicacionis late sentencie, quod infra hinc et festum Omnium Sanctorum inclusive solvat nacioni pro sua determinancia. Si tamen prius posset, prius solveret. Nomina istorum supplicancium scribuntur hic inferius.

Determinantes hujus anni.

Primo determinavit dominus Johannes Menteller de Swevia sub magistro Johanne de Maguncia, cujus bursa IIII solidi. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Mychael de Pratis sub magistro Philippo Pingh, cujus bursa III solidi. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Hermannus de Sconenbeke sub magistro Philippo Pingh, cujus bursa V solidi. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Johannes Nicholai de Gouda sub magistro Johanne de Hoekelem, cujus bursa V solidi. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Wernerus de Swevia sub magistro Johanne de Maguncia, cujus bursa IIII solidi et IIII denarii. Solvit receptori XXVII solidos et VIII denarios et posuit pignus pro residuo.

Item determinavit dominus Nicolaus de Kůngisteyn sub magistro Philippo Pingh, cujus bursa IIII solidi et III denarii. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Laurentius de Alemaria sub magistro Johanne de Maguncia, cujus bursa V solidi. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Nicolaus de Prusia sub magistro Johanne Luberti, cujus bursa III solidi, IIII denarii. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Otto de Tuningh [1] sub magistro Johanne de Maguncia, cujus bursa VI sol. VI denarii. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Hartmannus de Maguncia sub magistro Johanne de Maguncia, cujus bursa VI solidi, VI denarii. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Hermannus de Hassia sub magistro Johanne de Maguncia, cujus bursa IIII solidi, IIII denarii. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Martinus Theoderici de Delf sub magistro Johanne de Hoekelem, cujus bursa V solidi, IIII denarii. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Hugo Theoderici de Delf sub magistro Johanne de Hoekelem, cujus bursa V solidi, IIII denarii. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Voppo de Delf sub magistro Johanne de Hoekelem, cujus bursa V sol., IIII denarii. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Johannes de Yselsteyn sub Philippo Pingh; cujus bursa V solidi. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Theodericus de Dordraco sub magistro Johanne de Hoekelem, cujus bursa V solidi, IIII denarii. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Conradus de Hallis

1. *Seu* Tunningh.

sub magistro Johanne de Maguncia, cujus bursa III solidi. Obligavit se litera officialis.

Item determinavit dominus Thomas Kingorn sub magistro Paulo de Ghelria, cujus bursa V solidi. Solvit II francos, pro residuo posuit pignus.

Item determinavit dominus Allardus de Delf sub magistro Johanne de Hoekelem, cujus bursa V sol. et IIII denarii. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Engelbertus de Ostenwolde sub magistro Johanne Luberti, cujus bursa VI solidi. Solvit XXX solidos, pro residuo pignus.

Item determinavit dominus Hermannus de Warendorp sub magistro Philippo Pingh, cujus bursa IIII solidi. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Adam Forestarii sub magistro Paulo de Ghelria, cujus bursa II solidi, IIII denarii. Posuit pignus.

1378

(*Fol. 11*) Acta sunt hec in procuratoria magistri Petri de Bacheraco.

Anno Domini milles. trecent. septuagesimo octavo, X[a] die mensis Martii facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem hora primarum super tribus articulis, quorum primus erat ad eligendum procuratorem. Et electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Petrus de Bacheraco concorditer, nullo contradicente. Et ex unanimi magistrorum consensu tunc presencium ipsi tabernam intrantes consumpserunt II francos cum IX solidis, de quibus prefatus magister Petrus, cum novus extiterat procurator, francum solvit, et magister Petrus de Amsterdam pro jocundo introitu reliquum francum solvere non recusavit; residuam vero partem, scilicet IX solidos, magistri ibidem presentes proporcionalem divisionem facientes solverunt. Non obstante quod propositum erat in deliberacione quod novi procuratores francos suos pro virga argenta facienda nacioni deputarent, quoniam per magistros tunc presentes deliberatum erat, cum pecuniarum sufficiencia pro predicta virga haberetur, juxta consuetudinem antea observatam, illos prefatos francos fore amplius perpotandos.

2[us] articulus erat ad audiendum computum domini receptoris. Et computavit dominus receptor et omnibus tam receptis quam expositis hinc inde computatis, debitis ejusdem receptoris defalcatis, mansit predictus receptor obligatus nacioni in XXXIII libris, XI solidis et III denariis, et computus dictus ab omnibus fuit approbatus.

3[us] articulus erat ad supplicandum. Et supplicavit dominus receptor, cum animum recedendi breviter ad partes haberet, quatenus XL solidos qui sibi ex parte officii, scilicet receptorie, debentur solvi non denegarentur. Et supplicacio ejus fuit concessa concorditer in casu in quo alium loco sui substituere non recusaret.

Item anno Domini quo supra, XVII[a] mensis Marcii, facta congregacione nacionis Anglicane hora primarum ad Sanctum Julianum pauperem ad supplicandum, supplicavit magister Philippus Pynch repatriaturus et breviter reversurus, quatenus si in ejus absencia papam decedere contigerit, vel rotulum destinari ad eundem, quod eidem rotulo tanquam presens posset imponi. Cujus supplicacio more solito aliis predecessoribus suis supplicantibus concedi fuit concessa.

Primo subdeterminavit dominus Johannes Petri de Scoonhovia sub magistro Johanne Hoeklen, cujus bursa nichil, quia statutum paupertatis juravit in plena congregacione.

1378

Acta sunt hec in procuratoria magistri Johannis de Kare.

Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, septima die mensis Aprilis facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem hora primarum super duobus articulis, quorum primus erat ad eligendum procuratorem dicte nacionis. Et electus fuit in procuratorem magister Johannes de Kare concorditer, nullo penitus reclamante. In cujus procuratoria acta sunt infrascripta. Et ex unanimi consensu magistrorum tunc presencium ipsi tabernam intrantes consumpserunt XXVIII solidos, de quibus predictus procurator solvit 1 francum, quia novus erat, et illum francum quem dedit procurator predictus concessit nacio dicto procuratori sub tali condicione, quod eum dicte nacioni ad festum Penthecostes redderet.

(*Fol. 11 b*) Secundus articulus erat ad audiendum computum receptoris, et omnibus computatis et defalcatis remansit dictus receptor obligatus nacioni predicte in XXIX libris, III solidis et IX denariis, et fuit computus ejus ab omnibus approbatus.

Item magister Johannes Bersvord pro jocundo suo introitu solvit 1 francum.

Item scripti sunt isti licenciati et magistrati sicud venerunt sine prejudicio tamen alicujus.

Item incepit dominus Bertoldus de Mulhûsen sub

magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Laurencius de Alcmaria sub magistro Johanne de Hoeklem, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Johannes Nycholai sub magistro Johanne de Hoeklem, cujus bursa V sol.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Yselstein sub magistro Johanne Hoeklem, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Yselstein sub magistro Johanne Hoeklem, cujus bursa 5 solidi.

Item licenciatus fuit dominus Hugo de Delf sub magistro Johanne de Hoeklem, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit dominus Bernardus de Embrica sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit dominus Hermannus de Warendorp sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit dominus Walterus Borro sub magistro Johanne Luberti, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit dominus Martinus de Delf sub magistro Johanne de Hoeklem, cujus bursa V s., IIII denarii.

Item licenciatus fuit dominus Nycholaus de Prucia sub magistro Colmanno de Austria, cujus bursa III solidi, IIII denarii.

Item licenciatus fuit dominus Godefridus de Kalker sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa IIII solidi.

Item licenciatus fuit dominus Thomas [Kingorn] Scotus sub magistro Guillelmo Gorren[1] rectore Universitatis, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit dominus Eggbertus de Embrica sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa V solidi.

Isti sunt licenciati in procuratoria ista et eciam magistrati.

Primo licenciatus fuit dominus Lambertus Cluvinc sub magistro Hugone de Hervorst, incepturus sub eodem, cujus bursa, IIII solidi.

Item licenciatus fuit dominus Laurencius de Alcmaria sub magistro Johanne de Hoeklem, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus fuit dominus Hermannus Sconenbeke de Monasterio sub magistro Johanne Koc, cujus bursa V solidi, VI denarii.

Item licenciatus fuit dominus Otto de Tuninck sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VI solidi, VI denarii.

Item licenciatus fuit dominus Conradus de Hallis sub magistro Colmanno de Austria, cujus bursa III s.

Item licenciatus fuit dominus Bertoldus de Mulhûsen sub magistro Johanne de Kare protunc procuratore, cujus bursa V solidi.

Primo incepit dominus Hermannus Sconenbeke sub magistro Johanne Koc, cujus bursa V solidi, VI denarii.

Item incepit dominus Lambertus Cluvinck sub magistro Johanne Koc, cujus bursa IIII solidi.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Nycholai sub magistro Johanne de Hoeklem, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Conradus de Hallis sub magistro Colmanno de Austria, cujus bursa III sol.

Item incepit dominus Otto de Tuninck sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa VI solidi, VI denarii.

(*Fol. 12*) Anno Domini quo supra, XV^a^ die mensis Aprilis, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum in nonis Nostre Domine ad habendum aurum ad virgam deaurandam, et ad habendum unum magistrum qui esset cum magistro Johanne de Wolgast, tempore quo virga deberet deaurari, quia supplicavit dictus magister Johannes ut sibi daretur unus accessor, et fuit deputatus magister Theodericus de Ysellenstein una cum dicto magistro Johanne, qui prius erat deputatus ex parte nacionis.

Item in eadem congregacione supplicavit dominus Bertoldus de Mûlheusen (*sic*) pro dilacione bursarum suarum tam de licencia quam de bachalariatu, quam etiam magisterii, quia non solvit, quod nacio sibi vellet dare terminum infra quem satisfaceret nacioni, quia jam non haberet nec posset habere pecuniam ut solveret nacioni, nec eciam haberet pignora ad ponendum pro pecunia. Deinde supplicavit magister Colmannus de Austria pro dilacione bursarum domini Conradi de Hallis, quia non erat ibi dominus Conradus. Supplicacio istorum fuit concessa sub tali condicione quod quilibet eorum prestito juramento de predictis, ut obtulit, obligaret se in litera officialis sub pena excommunicacionis late sentencie, quod infra tres menses solveret nacioni, et si prius posset, prius solveret.

Item[2] anno Domini quo supra, XVII^a^ die mensis Aprilis hora nonarum Beate Marie Virginis facta

1. *Nat. Norman nicae, fuit rector a 24 Martii usque ad 23 Junii.*

2. *Hic in margine additur :* Nota : in ista congregacione sciebatur de morte pape Gregorii XI. *Obiit Martii* 27.

congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum super duobus articulis, quorum primus erat ad eligendum officiarios, videlicet nuncium rotuli mittendi ad papam creandum, eodem die conclusi per Universitatem, et inrotulatores seu ordinatores rotuli. Ex tunc supplicarunt pro officio nuncii rotuli illi que sequuntur : Primo magister Jordanus de Clivis, deinde magister Gerardus de Kalker, deinde magister Theodericus de Yselstein, deinde magister Wilhelmus Trebron Scotus et finaliter magister Jacobus de Dacia. Et erat electus in nuncium rotuli per majorem partem vocum magister Gerardus de Kalker. Deinde supplicaverunt plures pro officio inrotulacionis, et fuerunt electi pro officio predicto secundum pluralitatem vocum magister Jordanus de Clivis, magister Hugo de Hervorst et magister Johannes Levenhaghen de Saxonia. Sed duo magistri videlicet Wilhelmus Trebron et Matheus [1] Scoti fortiter instliterunt ut unus illorum ex parte inrotulandorum de regno Scotie esset inrotulator. Qui post multas altercaciones, cum per illas non poterant proficere, supplicarunt quatinus nacio graciose unum eorum ad hoc officium pro nunc admitteret. Quorum supplicacio fuit concessa per istum modum, ut magister Matheus [2] esset cum aliis prius electus inrotulator, cum tali moderacione quod non perciperet aliquod emolumentum ab inrotulandis, nisi ab illis de sua provincia.

Item anno Domini quo supra, XX[a] die mensis Aprilis hora nonarum Beate Marie Virginis, facta congregacione solempni nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum per juramentum super tribus articulis, quorum primus erat propositus per modum expedientis, et erat ad ordinandum de precio dando nuncio pro rotulo Universitatis Parisien. ex parte nacionis Anglicane. Et deliberatum fuit per nacionem quod ipse haberet C et L francos, et cum hoc quod si in reditu suo de curia Romana computaret in consciencia sua de expensis racionabiliter ultra per ipsum factis pro illa legacione, nacio sibi hoc promisit refundere.

(*Fol. 12* [b]) Secundus articulus erat ad taxandum secundum modum consuetum pecuniam quam dabunt inrotulandi et erat super isto concorditer deliberatum quod quilibet presens daret 1 francum, superveniens II francos, et absens III francos ; et si aliqua deficeret postea pecunia, tam pro nuncio quam pro bedello, proportionaliter solverent presentes, supervenientes et absentes.

Tercius erat super supplicacionibus et injuriis. Primo supplicarunt magistri domicellus Reynaldus de Vyanen, Albertus de Kalbe, Henricus de Odendorp et Andreas Symonis, quatenus nacio declararet eos presentes quantum ad rotulum formandum, et ita fuerunt ipsi concorditer presentes declarati in quantum nacio potuit, absque tamen prejudicio cujuscunque alterius tunc presentis. Item supplicavit magister Johannes de Stralen pro utilitate tocius nacionis, quod nullus magister debens aliquid nacioni sive de jocundo introitu sive alias inrotularetur, nisi prius satisfaceret nacioni. Item supplicarunt diversi alii magistri pro pluribus magistris absentibus, ut ipsi possent inrotulari, quorum supplicacio cum supplicacione magistri Johannis de Stralen fuit ab omnibus concessa.

Item supplicavit Lambertus Cluvinc de Embrica licenciatus, et Otto de Tuninck breviter licenciandus in artibus pro dilacione bursarum ; primus vero pro incepcione, et alius tam pro licencia quam pro incepcione, positis tamen pignoribus. Quorum supplicacio concessa fuit secundum consuetudinem nacionis.

Item anno Domini quo supra, XXII[a] die mensis Aprilis, facta congregacione nacionis Anglicane hora primarum Beate Marie apud Sanctum Maturinum ad supplicandum, supplicavit primo magister Lyphardus, qui tempore apercionis rotuli non erat Parisius, quatinus nacio reputaret eum presentem, sine tamen prejudicio alicujus magistri tunc presentis. Cujus supplicacionem nacio concessit in quantum potuit, dum tamen nec in ordine nec in loco nec in collacione nec eciam in reformacione supplicacionis alicui presenti magistro prejudicaret vel intenderet de precedentibus.

Deinde supplicavit magister H[enricus] de Euta, magister in Praga, quatinus nacio vellet ordinare aliquos qui adirent facultatem theologie, et supplicarent facultati ut ipsa supplicaret in Universitate pro eo ut posset poni ad rotulum, sine tamen prejudicio cujuscunque magistri Parisiensis. Cujus supplicacio fuit concessa.

Item anno Domini quo supra, XXV[a] die mensis Aprilis, facta congregacione nacionis Anglicane immediate post sermonem apud Sanctum Maturinum per juramentum super 4[or] articulis, quorum primus erat, quia in una congregacione prius facta, videlicet in illa qua fuerant electi inrotulatores, supplicarunt magistri Theodericus Yselstein et Johannes de Saxo-

1. *In ms*[to] *spatium.*

2. *Postea spatium.*

nia ut ipsi possent habere illud officium, et idem officium obtinuit magister Johannes, et hoc per vocum pluralitatem, una cum aliis inrotulatoribus: modo dictus magister Theodericus una cum aliquibus aliis magistris se opposuerunt illi electioni, dicentes quod magister Theodericus plures habuisset voces quam alter, et dicebant quod hoc crederent, non tamen hoc volebant jurare. Ponebat igitur in deliberacione magistrorum procurator et hoc per modum expedientis, quia tetigit aliqualiter eum, quid expediret ad honorem nacionis, an expediret electionem illam reiterare, vel audire voces amborum, que in illa congregacione, in qua fuerunt electi alii inrotulatores, eis dabantur. Super quo deliberatum fuit per magistros tunc presentes, quod standum est judicio procuratoris qui signavit voces amborum, quia juratus est procurator fideliter exercere officium suum, et quia non est verisimile quod ipse procurator male signasset, quia paratus erat jurare quod magister Johannes de Saxonia plures haberet voces quam magister Theodericus.

(*Fol. 13*) Secundus articulus erat ad taxandum precium inrotulatorum, et super isto articulo fuit per majorem partem magistrorum deliberatum quod quilibet presens magister, qui vellet inrotulari, daret II solidos et quilibet superveniens et eciam absens III solidos. Et circa istum articulum querebatur an placeret nacioni, quod daretur terminus infra quem seniores porrigerent suas supplicaciones, ad hoc quod juvenes scirent ubi se figere, quia non erat in principio propositum vel in deliberacione positum. Placuit tamen magistris, et in hoc concorditer steterunt quod daretur terminus X dierum.

Tertius articulus erat ad ordinandum quid esset faciendum de illis literis obligatoriis et de pignoribus tam in archa nacionis quam apud receptorem existentibus. Super quo fuit deliberatum quod illi qui deberent imponi rotulo et essent obligati nacioni, quod nullo modo imponerentur nisi satisfecissent ei.

4[us] articulus erat super supplicacionibus, etc. Et supplicavit magister Petrus de Amsterdam pro uno magistro absente qui vocatur magister Reynerus Kreit, quia eciam tenetur nacioni IX francis, ut imponeretur rotulo cum protestacione quod nulli prejudicaret; ipse in casu quo nacio vellet ei mittere literam sigillatam sigillo ejus, se obligaret nacioni satisfacere de illis IX francis in casu quo magister Reynerus non eos mitteret. Cujus supplicacio fuit concessa.

Item anno Domini quo supra, XXVI[a] die mensis Aprilis, facta congregacione nacionis Anglicane hora nonarum Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super duobus articulis, quorum primus erat ad prefigendum terminum infra quem seniores deberent suas supplicaciones porrigere, et si infra illum non se determinarent, quod non deberent ultra junioribus prejudicare. Super quo per majorem partem magistrorum fuit deliberatum quod assignaretur terminus X dierum a data presencium inclusive, et si infra illum non se determinarent, quod non amplius junioribus prejudicarent. Secundus articulus erat super supplicacionibus, etc. Et supplicaverunt VII magistri noviter incipientes, scilicet Otto Tuninck, Lambertus Cluvinch, Bertoldus de Mulhůsen, Conradus de Hallis, Hermannus de Monasterio, Laurentius de Alcmaria, Johannes Nycholai et duo supervenientes, scilicet magister Radulphus de Tiele et magister Thomas [Wys] Scotus quatinus ipsi reputarentur presentes per nacionem, sine tamen prejudicio cujuscunque magistri presentis vel cui concessum fuit ante diem prefatum. Quorum supplicaciones nacio concessit in quantum potuit, dum tamen nulli magistro presenti, vel cui ante fuit per nacionem concessum, prejudicarent. Item supplicavit magister Conradus de Hallis pro dilacione duorum francorum de inrotulacione et unius de jocundo suo introitu, ut ipse poneret literam officialis, quia non haberet pecuniam. Cujus supplicacio fuit concessa, dum tamen cicius quam posset solveret. Item supplicavit procurator ut predicti septem magistri noviter incipientes solverent jocundum introitum; cujus supplicacio fuit concessa et fuit deliberatum quod darentur illi septem franci pro virga nacionis.

Item anno Domini quo supra, XXVIII[a] die mensis Aprilis, hora nonarum Domine Nostre, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum super duobus articulis, quorum primus erat ad audiendum juramenta inrotulatorum, et placuit omnibus magistris quod ipsi jurarent.

Item in illa eadem congregacione proposuit magister Egidius Brune, cum ipse et magister Arnoldus de Triecht recesserint, habuissent tamen animum infra breve tempus sicut potuissent redeundi, quatenus nacio declararet eos presentes simpliciter, ex quo haberent domicilium Parisius, prout alias erat conclusum in quadam congregacione Universitatis quod qui haberent domicilium Parisius, reputarentur simpliciter presentes, et fuit per majorem partem deliberatum quod ipsi deberent similiter presentes reputari, si hoc vellent in consciencia sua jurare. Et idem proposuit magister Martinus de Delft ex parte magistri Wolteri de Delft, super quo similiter fuit

deliberatum sicut de magistris Egidio et Arnoldo. Sed dicebant tamen aliqui quod si illud cujus magister Egidius petivit declaracionem, esset graciosum, ipsi interimerent.

Secundus articulus erat super supplicacionibus, et supplicarunt in numero V scilicet tres magistri, duo bacalarii; magistri primo: magister Gerardus Visker, Johannes Gout et Henricus de Lecka, quatinus nacio admitteret eos presentes et quod ponerentur in locis suis secundum antiquitatem inter supervenientes. Quorum supplicaciones fuerunt concesse, isto modo quod non prejudicarent alicui precedenti datam istam scilicet nec loco, nec reformatione, etc., sicut aliis erat concessum. Deinde bachallarii, primo dominus Hugo de Delft quatenus nacio faceret sibi graciam de bursis licencie et magisterii, positis tamen pignoribus. Cujus supplicacio fuit concessa secundum consuetudinem nacionis. Item supplicavit dominus Johannes de Hœklem quatenus nacio faceret sibi graciam, quia esset determinans et non disputasset, ut ipse reputaretur bacalarius solutis solvendis. Cujus supplicacio fuit concessa in quantum nacio potuit. Item in plena congregacione juravit statutum paupertatis.

Item magister Hermannus Sconenbeke pro jocundo introitu solvit 1 francum.

Item magister Johannes Nycholai de Gouda pro jocundo introitu solvit 1 francum.

Anno Domini quo supra, XXX[a] die mensis Aprilis, facta congregacione solempni nacionis Anglicane hora nonarum Sancti Jacobi apud Sanctum Maturinum super duobus articulis, quorum primus erat ad ordinandum quid esset faciendum de illis magistris qui juraverunt statutum paupertatis et modo bene possent nacioni satisfacere, an deberent imponi rotulo ante satisfaccionem vel non. Super quo fuit deliberatum quod inrotulatores deberent habere nomina talium magistrorum qui talia juramenta jurarent, et quod ipsi jurarent quod adhuc non essent ad pinguiorem fortunam quam erant tempore quo idem juramentum jurarunt, vel quod nacioni satisfacerent; si illud non vellent jurare, et quod inrotulatores non caperent supplicaciones talium nisi satisfacerent vel in solucione vel juramento nacioni.

(*Fol. 14*) Secundus articulus erat super supplicacionibus. Et supplicaverunt IIII in numero, primo magistri Alphardus de Aa, Thomas Wys Scotus, Hermannus de Aldenrode et...[1].

Primus, quatinus nacio reputaret eum presentem, et quod poneretur loco sue antiquitatis; alii autem tres quatinus nacio reputaret eos presentes nemini prejudicando presenti. Supplicacio vero primi non concedebatur ut petivit, sed sicut aliis precedentibus concessum est concedebatur ei. Supplicaciones aliorum trium concedebantur modo et forma quibus precedentibus concedebantur, videlicet quod nec loco nec collacione, etc.

Item in eadem congregacione magister Johannes de Ynghen petivit per nacionem eum declarari[2] presentem simpliciter (sine tamen prejudicio alicujus presentis magistri in collacione, quia vellet extra dyocesim petere), quia cum recesserat supplicavit in nacione quod si contingeret rotulum fieri, quod ipse reputaretur presens. Cujus supplicacio fuit concessa per nacionem in quantum ipsa potuit. Fuit ergo super illa petitione dictus magister Johannes declaratus per majorem partem magistrorum presens; aliqui autem remiserunt eum ad Universitatem, quia dicebant quod nacio non posset eum declarare presentem, sed Universitas tantum, et idem intenderetur de magistris Woltero de Delft, Arnoldo de Triecht et Egidio Brûne, qui per majorem partem magistrorum reputabantur presentes simpliciter, et dicebant illi quod hoc solum staret in conscienciis suis, alii autem remiserunt eos ad Universitatem licet pauci.

Anno Domini quo supra, secunda die mensis Maij, facta congregacione Universitatis regencium et non regencium apud Sanctum Maturinum, tracta congregacione nostra videlicet Anglicana ad partem, supplicaverunt magistri, primo Thilmannus Thilmanni Balistarii de Luczembûrch et Albertus Bestun quatinus ipsi reputarentur presentes per nacionem sine prejudicio, etc., sicut predecessoribus eorum concessum fuerat. Quorum supplicacio fuit concessa eodem modo sicut supplicaciones precedencium, etc.

Item anno quo supra facta congregacione facultatis arcium III[a] die mensis Maij apud Sanctum Maturinum et nacione nostra tracta ad partem, supplicavit pro dilacione bursarum licencie et magisterii Godefridus de Kalker et Bernardus de Embrica. Quorum supplicacio fuit concessa secundum consuetudinem nacionis, positis tamen etiam pignoribus.

Anno Domini quo supra, IIII[a] die mensis Maij facta congregacione nacionis Anglicane ante primas Sancti Jacobi apud Sanctum Maturinum ad presentandum virgam argenteam nacioni per aurifabrum et ad supplicandum, presentata fuit virga, et protunc petivit aurifaber pecuniam, sed ex quo magister

1. *Deest nomen, spatio vacuo ad id relicto.*

2. *Ms.* declarare.

Johannes de Saxonia, cui de facto constabat, non erat presens, dicebatur aurifabro quod in proxima congregacione rediret, et satisfieret ei de suo precio per nacionem [1]. Item protunc magister Hugo de Hervorst pro domino Eggelberto de Embrica supplicavit ut nacio daret sibi dilacionem bursarum suarum licencie et magisterii, positis tamen pignoribus. Cujus supplicacio fuit concessa juxta consuetudinem nacionis.

(*Fol. 14* ᵇ) Item incepit dominus Godefridus de Kalker sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa IIII solidi.

Item incepit dominus Walterus Borro sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Hermannus de Warendorpe sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa V s.

Item incepit dominus Nycholaus Grosetyle de Prucia sub magistro Colmanno de Austria, cujus bursa III solidi, IIII denarii.

Item incepit dominus Bernardus de Embrica sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Eggbertus de Embrica sub eodem, cujus bursa V solidi.

1378

Procuratoria magistri Johannis de Stralen.

Anno Domini M° CCC° LXXVIII°, facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum Vª die Maij hora primarum ad eligendum procuratorem et ad audiendum compotum receptoris, dilato computo receptoris usque ad sequentem procuratoris electionem, electus fuit in procuratorem concorditer magister Johannes de Stralen, nullo penitus reclamante. In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

Primo facta congregacione nacionis anno quo supra die VIIª mensis Maij, apud Sanctum Julianum hora primarum, et in eadem hora ipsa translata ad Sanctum Maturinum, super 4ᵒʳ articulis, quorum primus fuit : cum in alia congregacione nacionis deliberatum fuerit quod terminus porreccionis supplicacionum magistrorum seniorum debebat durare ad X dies inclusive, qui terminus VIª die Maij expiravit, et tres fuerint inrotulatores, quorum quilibet seorsum recepit supplicaciones magistrorum, nec dicti inrotulatores poterant in termino prefixo concordare de dicendo collaciones magistrorum a quibus supplicaciones receperunt, nec eciam seniores cum dictis inrotulatoribus congregati volebant dicere cathegorice collacionem, in qua voluissent stetisse, racione cujus nullus nec senex nec juvenis poterat esse certus de concurrencia et per consequens de perdicione collacionum post illam ad quam supplicavit, ita quod non fuit processum more solito, quo inrotulatores omnes simul solebant congregari ad recipiendum, vel saltem unus eorum omnes supplicaciones recipiebat, ubi videre poterat, quam et quomodo seniores eo eligebant, et quia nullo modo hoc scire poterant, quia diversi diversorum supplicaciones recipiebant, nec unus eorum hoc alteri referre volebat et in hoc multe potuerunt fieri fraudes per inrotulatores et per alios : proponebatur per modum expedientis an expediret attentis predictis et aliis dicendis presentem diem adhuc cedere sicud alios X preteritos in favorem magistrorum, non solum juniorum sed eciam seniorum, ad porrigendum suas supplicaciones jure quo prius, et quod fieret congregacio nacionis in nonis Nostre Domine per juramentum ad quam omnes venirent et secundum ordinem antiquitatis quilibet unam collacionem in presencia tocius nacionis eligeret cathegorice et irrevocabiliter, non condicionaliter, ad finem quod totum bene et sine fraude fuisset expeditum. Et isti articulo fuit annexum quod nacio declararet in casu in quo aliquis magister senior eligeret collacionem, quam non vellet tenere ad reservandum uni juniori, quod quilibet senior illo juniore postquam sibi constaret quod primus elector eam non vellet tenere, ipsam posset capere in prejudicium dicti junioris, et si essent plures seniores inter juniorem et primum seniorem electorem, quod inter illos senior si vellet eam pre ceteris obtineret.

2ᵘˢ articulus fuit utrum supervenientes deberent ponere in supplicacionibus suis titulos in aliis Universitatibus acquisitos et adeptos.

3ᵘˢ cum alias deliberatum fuerit, omnes supervenientes debere habere signetum a receptore nacionis super hoc, quod si quid nacioni debuissent et illud solvissent, et de pluribus repериretur quod posuerunt pignora, sed non reperiebantur postea quod redemissent ea vel solvissent, quomodo cum illis procedendum.

4ᵘˢ super supplicacionibus et injuriis, circa quem proposuit magister Johannes de Saxonia (et magister Hugo hoc confirmabat) quod esset requisitus a multis magistris de nacione dicere verum quod eis innotuit, quia viderunt antiquum librum procu-

1. *Vid. supra* p. 524, 1.

ratoris et eciam receptoris, et invenerunt de uno magistro vel pluribus, quod in *libro receptoris* scriptum fuit quod dictus magister juravit, immo eciam promisit quod, cum ad pinguiorem fortunam pervenerit, nacioni de bursis sibi propter paupertatem tunc remissis satisfaceret, et in *libro procuratoris* de eodem reperit « cujus bursa VIII solidi », et hoc in loco raso seu abraso prius, sic quod habebatur de illo suspicio : deliberatum fuit sic quod super isto dati fuerunt deputati qui haberent examinare dictos libros, et ordinare circa hoc quid expediens.

Super 4° articulo nichil, quia nullus supplicavit. Super 3° dicebatur quod in illo casu receptor debebat stare juramento magistri petentis signetum. Super 2° videtur notandum quod sanior pars vel eciam major deliberavit quod super hoc deberet adiri rector et interrogari, quid de hoc alias fuerit deliberatum in Universitate et hoc quod in Universitate super hoc fuit deliberatum, nacio nostra gratum haberet et deliberatum.

Super primo articulo annexo fuit deliberatum secundum formam qua propositum fuit. Super primo et principali per majorem partem de multo fuit deliberatum, quod non obstante processu habito et inconsueto non fieret prorogacio nec alia congregacio ad eligendum secundum ordinem, a qua deliberacione Johannes de Stralen appellavit. Sed quia eam prosecutus non fuit, processum super eadem non scripsit [1].

(*Fol. 15*) Solvit jocundum introitum magister Tilmannus Tilmanni Balestarii de Luzenburgh 1 francum.

Solvit eciam magister Johannes Kare pro prima procuratoria sua preterita 1 francum.

Item dominus Johannes de Yselsteyn.

Incepit dominus Hermannus de Rynen sub magistro Meynardo, cujus bursa V solidi, VI denarii. Solvit.

Item incepit dominus Thomas Kingorn sub eodem, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item incepit dominus Hinricus Selder sub magistro Johanne Levenhaghen, cujus bursa IIII solidi, IIII denarii. Solvit.

Item facta congregacione nacionis die VIIIa mensis Maii apud Sanctum Julianum hora primarum translata ad Sanctum Maturinum eadem hora super tribus articulis, quorum primus ad prefigendum terminum supervenientibus infra quem suas supplicaciones porrigere possent; 2us ad expediendum factum inrotulacionis quoad concurrencias. Cui annexus fuit modus dandi pecunias nuncio receptas per inrotulatores. 3us super supplicacionibus et injuriis. Deliberatum fuit super primo pro majori parte, ut michi videtur, quod infra presentem diem tenerentur porrigere omnes suas supplicaciones, alias junior prejudicare posset seniori in isto; tamen non fuit concordia quia diverse partes diversimode dixerunt.

Super annexo uno dixit major pars quod si aliqui superventuri seniores supervenerint postquam presente superveniente juniore supplicaciones suas porrexerint, quod illi, licet potuerint prejudicare prioribus supervenientibus, qui supplicaciones suas porrexerunt infra terminum prefixum, in loco (quia omnes secundum ordinem antiquitatis in magisterio debent imponi ex alia deliberacione habita), non in collacione; verumptamen multi dixerunt quod nacio non posset superventuros astringere ad istud vel eis in aliquo prejudicare, dummodo venerint ante terminum clausionis rotuli prefixum ab Universitate.

Super 2° fuit deliberatum quod fieret congregacio per juramentum magistrorum et specialiter inrotulatorum in nonis Nostre Domine vel in 2a hora post prandium ejusdem diei, et quod inrotulatores portarent ibi omnes supplicaciones per eos receptas et ibidem videretur tunc de concurrenciis. Consimiliter super annexo modo fuit deliberatum, quod in eadem congregacione inrotulatores deberent dare pecunias per eos receptas nuncio nostro, scilicet magistro Gerardo de Calker.

Super 3° nichil, quia licet aliqui supplicaverunt, tamen quia videbatur magistris quod ille supplicaciones non poterant breviter expediri antequam esset expeditum de concurrenciis, distulerunt ad aliam horam convenientem.

Item redemit pignora sue determinancie et licencie dominus Hinricus Selder prescriptus inter incipientes istius lateris.

Item incepit dominus Martinus Theoderici sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa V sol., IIII denarii. Solvit.

Item facta congregacione nacionis die VIIIa mensis Maii hora nonarum Nostre Domine apud Sanctum Maturinum ad videndum concurrencias et ad regi-

1. *Postea sequitur* : 2us ad deliberandum nuncios (*sic*) pecunias receptas per inrotulatores, super quod deliberatum fuit quod inrotulatores tenerentur dare nuncio nostro pecunias omnes quas de facto receperant ex supplicacionibus porrectis. *Sed perperam hic articulus ponitur; nam de illo Maii* 8 *solum agebatur. vid.* p. 548, 3; 30.

strandos magistros et eorum collaciones, registrate fuerunt collaciones omnium magistrorum tam presencium quam superveniencium secundum cujuslibet electionem sibi debitam in ordine sue antiquitatis per magistrum Helyam de Tyla notarium publicum, et isto facto deliberatum fuit quod nullus de cetero alteri in collacione sua electa ibidem possit prejudicare.

Item facta congregacione deputatorum nacionis die IXª mensis Maii apud Sanctum Maturinum hora vesperorum ad perficiendum sallarium aurifabro de factura virge seu ad taxandum sibi precium pro illo quod in virga fecit, ultra illa pro quibus principalis convencio facta fuit secum de XXV francis, deputaverunt deputati dicto aurifabro, ultra summam XXV francorum, X francos, quos deberet habere tam pro eo quod ultra fecit, quam pro curialitate. Item iidem[1] deputati deputaverunt magistro Johanni Wolgast de Saxonia sollicitatori in faccione virge pro expensis quas fecit sollicitando, que in consciencia sua, ut asseruit, ascendebant bene ad IIII francos vel plus, tantum, scilicet IIII francos, et pro laboribus et curialitate unum par caligarum de uno franco, et sic fuerunt sibi deputati V franci.

Item Xª die Maii magister Erhardus Buhel de Gamundia solvit nacioni III florenos, quorum quilibet valuit XIIII solidos et VI (franco valente XVI solidos) de LXXII solidis in quibus nacioni prius fuit obligatus, promittens protunc residuum solvere cicius quam poterit, ut in litera sua in archa nacionis posita super hoc data continetur.

Item facta congregacione nacionis die Xª mensis Maii apud Sanctum Maturinum hora primarum ad concordandum concurrencias et ad videndum modum de concordando concurrencias, fuerunt dati deputati magister Arnoldus Loehem, magister Johannes de Luczenburgh, magister Jordanus de Clivis, magister Wilhelmus Wadenoy una cum procuratore ad videndum concurrencias magistrorum tam veras quam alias, et ad referendum super hoc intencionem eorum in nacione. Item eadem die facta fuit congregacio deputatorum dictorum bis, semel in terciis et semel in nonis Nostre Domine, et vise fuerunt ibidem concurrencie inter deputatos, ubi libenter aliquos concurrentes composuissent si potuissent, et apparuit eis concorditer quod si duo supplicassent, unus de canonicatu sub expectacione prebende, alius eudem vel addendo dignitatem et officium etc., quod esset concurrencia; 2° si duo supplicassent, unus ad collacionem prepositi, decani et capituli (*Fol. 15* b), alius ad collacionem decani et capituli tantum, quod ibi fuisset concurrencia. Alia pacta particularium concurrencium dimitto causa brevitatis.

Item facta congregacione nacionis hora nonarum Nostre Domine ejusdem diei apud Sanctum Maturinum ad videndum relacionem deputatorum super concurrenciis et ad expediendum concurrencias, retulit procurator, nullo aliorum deputatorum in principio ibidem comparente, factum et ordinatum per deputatos. Et post hoc processum fuit ad declarandum concurrencias IIIIor, quarum una fuit inter magistrum Ricoldum et domicellum de Vianne de canonicatu sub expectacione prebende in ecclesia Trajectensi; 2ª inter magistrum Jacobum de Dacia et magistrum Radulfum de Lubec, de canonicatu sub expectacione prebende in ecclesia Lubicensi; 3ª inter magistrum Wilhelmum Trebron et magistrum Matheum Scotum, de canonicatu sub expectacione prebende alicujus dignitatis et officii etc. in ecclesia Glascuensi; 4ª inter magistrum Walterum de Delft et magistrum Radulfum Taem de canonicatu sub expectacione prebende in ecclesia Sancti Salvatoris Trajectensis.

Super prima declaratum fuit, ex quo magister Ricoldus prius in congregacione alia nacionis dixit quod bene placeret sibi, quod alii concurrerent secum, specialiter eciam precedenti die, quod bene vellet pati quod domicellus Reynoldus secum concurreret, dummodo tamen sibi promitteret quod literas suas ante eum non presentaret, quod placeret eciam nacioni quod concurrerent; et quia magister Ricoldus in illa congregacione prius dicta renunciavit, ab illa ordinacione nacionis appellavit, vel saltem protestavit de appellando. Super 2ª deliberatum fuit magistrum Radulfum debere cedere magistro Jacobo de Dacia, quia senior eo esset et quod ex hoc eligere posset ubi vellet. Super 3ª concurrencia concorditer de principali deliberatum fuit, sed tamen quia aliqui dixerunt quod magister Wilhelmus Trebron adhuc deberet nacioni et prius deliberatum fuit, ut aliqui dixerunt, quod supplicaciones nullius deberent recipi nisi prius solvisset nacioni : quod ante porreccionem supplicacionis debitum non solvisset, deberet censeri supplicacionem non porrexisse, et per consequens junior sibi prejudicare potest. Quare ex illa radice XVI deliberaverunt quod si debitum non solvisset, censeri deberet supplicationem non dedisse, et per consequens magister

1. *Ms.* eidem.

Matheus non deberet sibi cedere; XVI vero et alii et procurator, qui cum voce sua fecit XVII et majorem partem, referebant se ad ordinacionem deputatorum, que in istis duobus fuit eadem, secundum quod in duobus precedentibus, quia in eodem morbo laborabant. Super 4^{a} declaravit nacio quod non obstantibus racionibus tribus per magistrum Radulfum Taem prius in nacione et post coram deputatis adductis et auditis una cum responsione magistri Walteri eciam in presenti congregacione relata seu relatis, quod magister Wolterus deberet tenere locum suum in ecclesia sancti Salvatoris Trajectensis et magister Radulfus sibi deberet cedere in dicta collacione quia junior dicto magistro Waltero.

Ista sunt que fuerunt expedita in presenti congregacione; alia vero fuerunt reservata usque ad aliam congregacionem, quia non poterant omnia in illa congregacione expediri. Unum tamen obmisi, scilicet quod quia XVII deliberaverunt et major pars quod magister Matheus deberet cedere sicud et alii senior; vel secum concurrenti quemadmodum alius prius bene volebat pati, tamen nichil dicebatur de hoc in dicta congregacione, dictus magister Matheus d[icens] se in hoc gravari, appellavit vel saltem protestatus se appellaturum ad Universitatem, quia dixit se habere jus concurrencie pre alio in dicta ecclesia, quia de dyocesi, alius vero magister Wilhelmus non; 2° quia de facto ibidem canonicus et adhuc expectans ad prebendam, sic quod propter hoc papa facilius eum signaret ibidem seu confirmaret. Et iste raciones omnibus videbantur multum fortes; sed tamen quia si in isto fuisset permissum, in aliis similiter oporteret permitti et sic consuetudinem nacionis infringi, que semper fuit ad evitandas concurrencias et ad non permittendum eas, et sic seniores semper fuerunt hucusque ut dicitur potenciores in eleccione: non obstante taliter fuit declaratum per majorem tamen partem, ut dictum est, et procurator multiplicavit per vocem suam unam partem, non ex favore, quia magistro Matheo magis favit quam magistro Wilhelmo, ut Deus scit, sed ad observandum antiquam consuetudinem, et ex alio, quia illi qui fuerunt causa deliberacionis in contrarium, processerunt ex radice simulata, non vera, credentes aliquid facere pro magistro Matheo, licet nichil facientes.

Item incepit dominus Hugho de Delft sub magistro Johanne de Saxonia, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Enghelbertus de Oestwolde sub magistro Wilhelmo Gorren [1], cujus bursa V solidi. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Nycholaus de Kungissteen sub magistro Johanne de Maguncia, cujus bursa IIII solidi. Solvit.

Item incepit dominus Nycolaus de Kungissten sub magistro Johanne de Maguncia, cujus bursa IIII sol. Solvit.

Item incepit dominus Enghelbertus de Oestwolde sub magistro Johanne de Maguncia, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum XVII^{a} die Maii hora primarum super IIII^{or} articulis, primus de modo accelerandi rotulum, 2us ad ordinandum nuncio ulteriorem pecuniam si visum fuerit expedire; 3us ad concordandum concurrenciam predictam; 4us super supplicacionibus et injuriis. Deliberatum fuit super primo quod inrotulatores congregarentur cicius quam potuerint et quod fieret minuta supplicacionum, postea grossa, etc.

Super 2°, narratis quibusdam motivis per procuratorem et nuncium, deliberatum fuit concorditer per omnes, duobus vel tribus duntaxat exceptis, quod nuncius debere recipere ultra 150 francos prius sibi promissos, totam pecuniam venientem de inrotulandis excrescentem predictam summam 150 francorum, manente sibi promissione seu caucione sua per nacionem facta de tenendo eum indempnem, de ulterioribus expediendis semper salva. Duo tamen vel tres moderaverunt, dicentes quod bene placeret eis dicto modo, dummodo tamen nacio posset solvere bedello; et si non, quod tunc reciperet omnem pecuniam venientem de inrotulandis tam ultra summam sibi promissam quam ultra summam bedello dandam; aliqui tamen dixerunt quod placeret eis quod haberet 200 francos in prompto, undecunque venirent.

Super 3° dati fuerunt deputati. Super 4° concessa fuit supplicacio supplicantis pro solucione scolarum suarum; concessa fuit eciam supplicacio magistri Alfardi de A supplicantis quod nacio velit eum reputare presentem, cum ipse fuerit in via pro eundo Parisius ad studium, antequam sibi constiterit de obitu pape, attento quod Universitatis deputati ordinaverunt de mandato Universitatis omnes illos supervenientes debere precedere de novo incipientes qui fuerunt parati et dispositi pro eundo ad studium Parisiense, antequam eis constitit de obitu pape et qui in eodem tempore venissent, supposito quod

1. *Nat. Normann.*

papa moriturus non fuisset. Supplicacio magistri Theoderici de Yselsteyn supplicantis, quod ipse posset facere imponi IIII magistros absentes pro IIII francis, transivit cum alia quia multi supervenientes deliberacioni nesciverunt quid supplicaverunt; qui eciam postea reclamaverunt, sic quod si omnes scivissent, credo quod non transivisse valeat quantum nec etiam valere potest.

(*Fol. 16*) Item in eadem congregacione facta fuit relacio deputatorum super duobus articulis. Unum magister Hugho retulit, quod ipse una cum aliis erant deputati ad taxandum aurifabro (qui fecit virgam nostram) precium tam pro hiis que fecit ultra illa pro quibus convencio secum erat facta principaliter quam eciam pro curialitatibus, pro quibus omnibus deputati ultra summam principalem sibi prius solutam eidem deputaverunt X francos, magistro Johanni vero de Saxonia sollicitatori in factione, quia suprascripsit in consciencia sua quod ultra IIII francos de pecunia sua in sollicitando etc. exposuit, deputaverunt IIII francos et unum par caligarum de uno franco.

2° retulit, quomodo unus magister nacionis nostre esset, qui alias posuisset literam obligatoriam pro bursis, sue determinancie credo, et de illo non reperiretur quod solvisset, sed bene reperiebatur quod litera sibi fuit restituta, et multa alia discordancia de eodem, tam in libro receptoris quam procuratoris, fuerunt inventa, ut dixit, sic quod deputati, ut dixit, crediderunt, vel opinabantur quod illa pecunia non fuerit soluta, nisi melius doceret quam per scripta patere potuit : super quo magistri deliberabant, quod dictus magister non admitteretur ad rotulum nisi pecunia soluta, pro qua per dictam literam se obligavit, vel saltem de solutione doceret similiter de licencia et magisterio, quia de illis majus fuit dubium quam de determinancia, ut in libris apparere potest, ut dixerunt dicti deputati.

Item facta congregacione nacionis XXI^a^ die Maii hora vesperorum apud Sanctum Maturinum per juramentum super III articulis, primus ad concordandum quandam concurrenciam et ad declarandum super ea; 2us ad accelerandum grossacionem rotuli, ad declarandum utrum procurator esset inrotulatus, ad videndum de inrotulacione, ne tardaretur rotulus; 3us super supplicacionibus et injuriis.

Deliberatum fuit super primo de concurrencia inter magistrum Johannem Coc et magistrum Martinum de Delft per majorem partem, quod magister Martinus debebat tenere collacionem illam de canonicatu Sancti Petri, et quod magister Johannes Coc non habebat jus in ea, attentis racionibus et motivis utriusque (que non scribo hic propter brevitatem); et fuerunt 14 pro magistro Martino, VI pro magistro Johanne Coc, IX ad dandum deputatos; sed major pars improbabat [1] dans magistro Martino jus in dicta collacione pre magistro Johanne Coc. Et ab illa deliberacione per modum sentencie data contra magistrum Johannem Coc et pro magistro Martino, magister Johannes Coc appellavit seu protestatus appellare ad facultatem.

Super 2° deliberatum fuit quod rotulus acceleraretur quantum esset possibile, et quod procurator congregaret inrotulatores ad domum suam vel in loco pro expediendo, et quod fieret minuta et grossacio infra dies sequentes.

Super 2° annexo dicebant, quod si esset alias visum procuratorem esse inrotulatorem, quod eciam modo esset, scilicet in percepcione emo[lumentorum] [2], sic et quod in hoc traderentur libri procuratoris nacionis et specialiter illius procuratoris protunc presentis, qui fuit procurator in factione rotuli tempore creacionis pape. Eciam multi dixerunt quod si non fuisset consuetudinis, adhuc placeret eis quod procurator haberet emolumentum sicud alii inrotulatores, quia ipse haberet tot labores vel plures sicud inrotulatores.

De 3° annexo placuit pluribus quod magister Jordanus ingrossaret rotulum, quia alias sepe fecit. Multis eciam placuit quod magister Hugo fecisset; plures tamen fuerunt qui voluerunt quod magister Jordanus, cum istis tamen moderacionibus quod alii inrotulatores omnes essent presentes, et hoc in loco ubi convocarentur per procuratorem [3] et sequenti die hoc in nacione plena in congregacione facultatis deliberabatur.

Super 3°, supplicaciones nulle fuerunt, nisi una recommendatoria, que fuit concessa, et una nacionis Piccardorum de assistencia eorum quoad electionem bedelli ipsorum, que fuit concessa per istum modum, quod nacio nostra libenter staret in bedello ipsorum ut prius, et faceret pro eis quicquid racionabiliter facere posset.

Determinavit dominus Johannes de Monasterio sub magistro Hugone de Hervorst, cujus bursa XI albi. Posuit pignus.

1. *Ms.* improcabat.
2. Scil. in percepcione emo *inter lineas.*
3. *Deinde vox quaedam illegibilis.*

Isti sunt qui solverunt jocundum introitum nacioni in procuratoria presenti, et pecunia ista deputabatur pro virga, etc.

Primo magister Johannes Bersworde pro jocundo introitu 1 francum.

Item magister Hinricus de Odendorpe pro eodem 1 francum.

Item magister Lambertus de Gelria pro eodem 1 francum.

Item magister Johannes Nycholaus de Gouda pro eodem 1 francum.

Item magister Hermannus Sconenbeke pro eodem 1 francum.

Item magister Lambertus Cluvinc pro eodem 1 francum.

Item magister Hermannus de Warendorpe pro eodem 1 francum.

Item magister Nycholaus de Prusia pro eodem 1 francum.

Item magister Gotfridus Calker pro eodem 1 francum.

Item magister Bernardus de Embrica pro eodem 1 francum.

Item magister Wolterus Borro de Davantria pro eodem 1 francum.

Item magister Enghelbertus de Embrica pro eodem 1 francum.

Item magister Johannes de Kingorn Scotus pro eodem 1 francum.

Item magister Hermannus de Rynen pro eodem 1 francum.

Item magister Laurencius de Alcmaria pro eodem 1 francum.

Item magister Nycolaus de Kungisteyn pro eodem 1 francum.

Item magister Martinus Theoderici pro eodem 1 francum.

Item magister Theodericus de Alcmaria pro eodem 1 francum.

Item magister Johannes Gout pro eodem 1 francum.

Item magister Bertoldus Bauson de Mulhûsen pro eodem 1 francum.

Item magister Enghelbertus de Oestenwolde pro [eodem] 1 francum.

Item magister Hinricus Selder de Swevia pro, etc. 1 francum.

Item magister Theodericus de Novo Castro, 1 francum.

(*Fol. 16*[b]) Item XXIII[a] die Maii in congregacione apud Sanctum Maturinum supplicavi ego procurator una cum aliis magistris nostre nacionis gravatis per supervenientes quosdam nacionis Piccardie concurrentes nobiscum in collacionibus nostris, quod cum alias fuerit deliberatum per Universitatem, et postea per deputatos ejusdem declaratum, quod nullus superveniens deberet prejudicare alicui presenti, quod attento illo vellent facere injungi inrotulatoribus nacionis Piccardie per juramenta sua, ut amoverent illos supervenientes nobiscum in collacionibus nostris concurrentes. Super qua supplicacione una et super aliis erant dati deputati, quibus in nonis ejusdem diei in domo capitulari Sancti Maturini invicem congregatis proposui ego pro me et sociis meis, quod non deberet esse merito dubium intelligenti latinum hoc, quod supervenientes nacionis Piccardie non possent nobiscum concurrere, sicud apparet in primo ex vi verborum hujus proposicionis deliberate et declarate per Universitatem et deputatos ejusdem, quod nullus superveniens debet prejudicare alicui presenti, nam illa proposicio est generalis et universalis segregacionis, ad quam sequitur quod nec iste superveniens cum isto presente, nec iste superveniens, et omnes. 2° dixi quod supposito quod istud non apparet de veritate sermonis predicte proposicionis, adhuc tamen istud fuisset de mente deputatorum, qui predictam ordinaverunt declaracionem, ut apparere posset ex motivo, quoad sic declarare movebantur, quod fuit solum hoc quod alias Universitas deliberaverat hoc in congregacione, qua graciose supervenientes admittebantur ad imponendum rotulo cum ista moderacione, quod nulli presencium prejudicarent. Et talis moderacio non solum fuit adjecta per nacionem nostram, sed per omnes facultates et naciones. Et sic dixi ultra quod nacio nostra nullo modo aliter admisisset, quia nulli dubium quod non magis volebat prejudicari a supervenientibus alterius nacionis, quam a supervenientibus proprie nacionis, et tamen a supervenientibus proprie nacionis nullo modo poterat prejudicari, ut adversa pars concessit. 3° dixi, ex quo Universitas, mater nostra, secundum ordinacionem suam non permitteret unum socium meum de villa mea et dyocesi presentem contra voluntatem meam mecum concurrere, a forciori non deberet eciam permittere unum alterum alterius nacionis, alterius dyocesis et supervenientem de gracia nostra admissum mecum concurrere. 4° dixi quod multum iniquum esset, cum m[agistri] nacionis nostre essent ejusdem facultatis cum m[agistris] aliarum nacionum, quod tantum

prejudicium eis deberet fieri racione distinctionis nacionum, quod forte unus magister unius anni superveniens et beanus de nacione Piccardorum de gracia nostra ad hoc admissus prejudicaret seniori et valenciori magistro nostre nacionis secum concurrendo. Istis propositis cum quibusdam aliis magister Arnoldus de Emelisse [dixit] quod ad hoc factum non tangebat ex parte quorundam Selandinorum[1] superveniencium concurrencium cum quibusdam magistris nostre nacionis dyocesis Trajectensis.

1378

Acta sunt hec in procuratoria magistri Petri Engelhardi de Austria.

Anno Domini M CCC° LXXVIII, facta congregacione Universitatis ad Sanctum Maturinum, post hanc ibidem immediate erat congregacio nacionis ad eligendum procuratorem. Electus fuit concorditer in procuratorem magister Petrus Engelhardi de Austria ex unanimi consensu magistrorum predicte nacionis tunc presencium, in cujus procuratoria acta sunt que subsequuntur. Et predicta congregacio erat anno quo supra, IIª die mensis Junii, que erat proxima feria quarta ante festum Penthecostes.

Primo facta congregacione ad Sanctum Maturinum nacionis anno quo supra, die VIIIª mensis Junii in nonis Nostre Domine ad supplicandum, supplicavit magister Gerhardus de Calcar, protunc nuncius rotuli ad curiam mittendus, cum alias in plena congregacione nacionis predicte fuerit concorditer deliberatum, quod si in negociis rotuli faceret expensas ultra summam a nacione sibi traditam, quod in redditu suo prestito computo de expensis ultra factis secundum suam conscienciam nacio illas expensas ultra summam racionabiliter factas per eum sibi plene refunderet, et ut relinqueretur de hoc memoria, petivit literam nacionis. Cujus supplicacio protunc extiterat exaudita. Itemque predictus magister in eadem congregacione insinuavit magistris nacionis predicte, quod si aliquid sibi velint injungere ex parte nacionis, quod in curia Romana possit exequi, salvo suo juramento, ipse redderet se paratum ad exequendum, quantum in eo esset ad suscipiendum onus cujuslibet talis a nacione sibi commissi. Et tunc nacio dedit deputatos, qui juxta tenorem bulle conciperent aliquem modum juxta quem scriberetur ad curiam Romanam ad tollendum gravamen, quod in temptamine Sancte Genefefe singulis annis nacionem nostram, licet minus juste, contra honorem suum aggravaret. Deputati erant magister Matheus Scotus, magister Hugo de Hervorst, magister Johannes de Saxonia. Itemque magistri tunc presentes de introitu taberne consencientes XXVI solidos consumserunt, quos ego protunc procurator nominatus libenter exsolvi, cum XX eorundem a domino receptore juxta morem illius procuratorie datos habuerim pro labore.

Item Xª die mensis Junii facta fuit congregacio ad Sanctum Maturinum ad supplicandum. Supplicavit magister Johannes Stral[en] ex parte magistri Gerhardi protunc nuncii ex parte rotuli, quatinus nacio dignaretur sibi concedere XII francos, et pro illis a quibusdam magistris, videlicet magistro Johanne de Saxonia et de magistro Matheo Scoto accipere sufficientem caucionem aut sufficiencia pignora pro predicta summa, qui in eadem ex quibusdam ad rotulum impositis sibi obligabantur quilibet eorum in VI francis. Et erat supplicacio ab omnibus concorditer concessa secundum tenorem expressum, videlicet ut quilibet eorum sufficientem cautionem faceret aut sufficiencia pignora obligaret pro porcione sibi contingente infra certum terminum redimenda.

(*Fol. 17*) Item determinavit dominus Heinricus Ludenschede sub magistro Marsilio de Inghen[2], cujus bursa sex solidi cum dimidio. Solvit receptori.

Item 12ª die mensis Junii fuit congregacio ad Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat iterum ad videndum de remedio super gravamine, quod nacionem urget in temptamine Sancte Genofefe; 2ᵘˢ ad audiendum aliqua que nuncius haberet nacioni referre; 3ᵘˢ an domini rotularii deberent nuncio contribuere sicut et ceteri, et maxime cum

1. *l. e.* de Zelandia, *Trajectens. dioec.*

2. *Ab an. 1377, mense Maii, Marsilius de Inghen absens, tam Avenione, quam Romae, pro negotiis Universitatis (vid. supra* p. 517, 519) *morabatur, et ejus nomen ultimo in* Lib. proc. *ad. an.* 1377, *Aug.* 7, *reperitur (vid. supra* p. 523, 42), *nec unquam hoc tempore ut praesens Parisiis affertur, cum tamen interim in natione de negotiis gravibus ageretur, immo seniores magistri nationis enumerarentur, ipso, uno de gravioribus senioribus, amisso (vid.* p. 526, 33; 529; 539). *Quo pacto igitur supra scribi potuit, Henricum Ludenschede sub mag. Marsilio de Inghen determinasse, cum statim postea, ad Jun.* 12, *referatur, Marsilium in curia morari? Diversimode explicari potest. Vel Marsilius, quamvis absens, ut praesens reputabatur, licet in statutis artium non permitteretur determinare sub magistro non praesente (vid.* Chartul., II, 673, n° 3). *Fortasse tunc temporis in artium facultate hoc tolerabatur, sicut in facult. theol. (vid.* Chartul., II, p. 699, n° 24; 700, n° 31), « si talis fuerit per facultatem presens et regens reputatus. » *Et revera Marsilius saltem quoad inscribendum in rotulo ut praesens reputabatur (vid. supra* p. 519, 8). *Vel supra error irrepsit, ita ut scribi debeat* « sub magistro Johanne de Inghen », *vel sub aliquo alio magistro.*

jam duo eorum dedissent, et solum tercius nondum dedisset.

Super primo fuerat concorditer deliberatum, quod esset scribendum magistro Heinrico de Thenis [1] et magistro Marsilio, protunc existentibus in curia [2], quatenus hoc factum velint sollicitare et meliori modo quo possent elaborare; et si laboribus seu quovis alio modo expensas facerent, nacio refunderet, nec haberet pro ingrato si pro ea contingeret eos occupari.

Super secundo nuncius primo retulit (cum alias nacio sibi promiserat quod si contingeret eum in laboribus ejus aliquas expensas ultra sibi datas racionabiliter facere, de quibus post redditum daret fidelem compotum, quod in hujusmodi expensis eum redderet indempnem) quatinus hujusmodi promissio magis memorie commendaretur, nacio litteram testimonialem hujusmodi facti sibi ordinaret. Et ex plena concordia magistrorum fuit sibi data littera, cujus tenor talis extiterat :

« Universis presencia visuris seu audituris, nos procurator et omnes ac singuli magistri nacionis Anglicane studii Parisiensis, recognoscimus et publice protestamur in hiis scriptis, quod cum venerabilem et discretum virum magistrum Gerardum Kypot de Kalker, bacallarium in theologia et canonicum Sanctorum apostolorum ecclesie Coloniensis ad Romanam curiam destinaverimus in rotulo et aliis negociis nostris expediendis in eadem, sibi ad omnes et singulas expensas racionabiles et pro dicta legacione necessarias, quas dictus magister Gerardus secundum conscienciam suam et fidele testimonium duxerit legittime computandum, sumus et erimus veraciter obligati, facto tamen prius fideli computo de receptis ex parte nostra defalcandis per eumdem. In cujus testimonium, etc. [3] »

Super 3° deliberatum fuit quod contribuerent nuncio sicut et alii, maxime cum jam duo eorum contribuissent.

Item 28ª die mensis Junii fuit congregacio ad Sanctum Maturinum in nonis Nostre Domine ad supplicandum. Supplicavit magister Johannes Bebel repatriaturus animo pro studio revertendi, quatinus in ejus absencia, ut est moris in talibus negociis Universitatis, ut in formacione rotuli etiam presens reputaretur. Cujus supplicacio erat concessa.

Item XIª die mensis Julii fuit congregacio nacionis ad Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad ordinandum pecuniam pro reparacione scole Almannorum; 2us ad supplicandum.

Item XVIIIª die mensis Augusti fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum ad audiendum compotum domini receptoris, et fuerunt dati deputat ad audiendum, et computo facto fuit summa in qua receptor mansit obligatus nacioni omnibus expositis defalcatis XVIII libre, VII solidi et III denarii. Et fuit computacio ab omnibus approbata [4].

1378

(*Fol. 17* ᵇ) Procuratoria magistri Ottonis Thunnync.

Anno Domini quo supra, mensis Augusti die XXVIª, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem hora primarum Nostre Domine ad audiendum computum receptoris, ad eligendum procuratorem et ad supplicandum, dilatus erat computus receptoris propter ejus absenciam; fuit autem electus in procuratorem nacionis magister Otto Thunnync Sleswicensis diocesis concorditer a tota nacione. In cujus procuratoria acta fuerunt que sequuntur.

Primo in eadem congregacione supplicavit magister Hartwicus de Hamis paratus adire partes suas pro disponendo de rebus suis gracia studii, cum animo statim redeundi Parisius, rebus suis ad hoc dispositis, ut in plena nacione protestabatur, quatinus si contingeret tempore absencie sue rotulum mitti ad papam, placeret nacioni ipsum in eodem rotulo admittere tanquam presentem. Cujus supplicacio concorditer erat concessa. Itemque dictus magister Hartwicus in presencia nacionis tradidit procuratori nomine nacionis II scuta Philippina valoris XXXVIII solidorum missa nacioni per eum a domino decano ecclesie Camynensis, scilicet magistro Wyskyno, alias regenti nacionis predicte. Tradidit eciam ex parte ejusdem magistri Wyskyni II florenos magistro domus Alemanorum, scilicet magi-

1. *Ms.* Athenis. *Agitur de* Henrico de Tenis, *de quo supra post* p. 320, 24, *saepe in hoc libro. Vid. et* Chartul. III, nº 1417.

2. *Certe Romae vel in partibus vicinis, ubi tunc curia Urbani VI. Marsilium Jul.* 27 *in curia, et quidem Tiburae exstitisse, invenies in* Chartul. III, *De Schismate.*

3. *Nuntii postea Avenionem profecti sunt. De hoc et de rotulo, non signato, vid.* Chartul. III, nº 1419, *not.* 2. *Infra, an.* 1379, 5 *Februarii, expresse dicitur, rotulum fuisse directum ad Urbanum VI, qui tamen Romae commorabatur.*

4. *In margine inferiori scribitur :* Summa in qua receptor mansit obligatus nacioni, omnibus expositis defalcatis, xix libre, iij sol. et iij den., computacione facta xviij die mensis Augusti. Et fuit computus ab omnibus approbatus. *Sed postea omnia deleta sunt.*

stro Johanni de Moguncia, ad usus dicte domus et scolarium. In fine eciam dicte congregaciónis nacio intravit tabernam *ad malletos*, et expositus erat ibidem francus quem solvit dictus procurator pro prima procuratoria, sicut consuetudinarium est.

Item ipso die[1] beati Mathei apostoli, sicut de antiquo more observatum est in nacione, facta fuit congregacio nacionis sollempnis in nonis Nostre Domine in Sancto Maturino super articulis sequentibus. Primus ad ordinandum aliqua circa officium receptorie, super quibus procurator antea erat requisitus, scilicet in institucione sua a pluribus magistris. Ordinata autem erant protunc duo de communi consensu et concordia nacionis. Primum est quod si contingeret nationem alicui graciose pecunias debitas pro bursis vel aliunde credere seu accomodare usque ad certum terminum per nacionem sibi indultum, positis certis pigneribus loco caucionis, receptor qui pro tempore fuerit tenebitur statim hujusmodi pignera procuratore et bedello presentibus ponere ad archam nacionis cum apposicione vel consucione cedule ad dicta pignera continentis nomen debitoris et quantitatem pecunie sibi credite, et quod in redempcione pignerum procurator et bedellus ut prius teneantur interesse, et procurator tenebitur in actis sue procuratorie predicta signare sicud receptor.

2[us] placuit nacioni, et ordinavit quod, quia officium receptorie secundum consuetudinem nacionis est an[n]uale, si ante finem anni contingeret receptorem a Parisius recedere vel decedere, aut eciam officium dimittere seu resignare, receptor ille non habebit potestatem substituendi alium aut committendi sibi vices suas seu transferendi in ipsum auctoritate propria officium receptorie, sed tenebitur antea suum recessum vel resignacionem nacioni denunciare; et nacio ordinabit et providebit de substituendo qui officium exercebit usque ad reditum illius receptoris, si infra terminum sui anni redierit, aut qui stabit in officio usque ad finem anni, si decesserit idem receptor vel officio renunciaverit.

Alius articulus erat ad eligendum receptorem et ad audiendum computum antiqui receptoris. Dilatus erat computus usque ad proximam electionem procuratoris. Electus autem erat in receptorem a majori parte nacionis magister Johannes de Stralen, qui statim post congregacionem tradidit et exposuit francum sicud moris est pro potacionibus *in epilogio Gilleti*. A predicta tamen eleccione magister Nicolaus de Haerlem se dicte electioni opponendo appellavit.

1378

[Procuratoria mag. Helie van den Oerde.]

(*Fol. 18*) Anno Domini millesimo CCC[mo] LXXVIII, die jovis que fuit XXIII[a] mensis Septembris, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem hora primarum Nostre Domine ad audiendum compotum receptoris, eligendum procuratorem, et ad supplicandum, computavit dominus receptor, qui mansit obligatus nacioni omnibus expositis defalcatis in summa VII librar., X solidor. et III denarior. Fuit autem electus in procuratorem nacionis magister Helyas van den Oerde Trajectensis diocesis. In cujus procuratoria facta fuerunt ista que sequuntur.

Primo in eadem congregacione magister Otto Thunnync, qui jam in dicta congregacione procuratoriam resignaverat, tradidit receptori duo scuta faciencia XXXVIII solidos parisiens. nacioni missa a magistro Wyskino decano ecclesie Caminensis.

In fine eciam congregacionis nacio intravit tabernam dictam *turbot*, ubi dictus procurator, quia prius non fuerat procurator, exposuit XVII solidos, et quilibet magister ibidem existens XII denarios, non obstante quod dictus magister Helyas pro futura sua procuratoria prius unum francum exposuerat. Et hoc nota.

Item die lune, que fuit mensis jam dicti XXVII[a], facta congregacione omnium magistrorum nacionis Anglicane per juramentum apud Sanctum Maturinum super expedicione nuncii[2], in qua congregacione erant dati deputati super facto nuncii, qui propter quasdam literas a domino rege Universitati missas nichil determinaverunt.

Item[3] die Michaelis, que fuit dies mercurii et XXIX[a] mensis predicti, congregatis apud Sanctum Maturinum procuratore et receptore noviter electo (videlicet ipso die Mathei que fuit dies martis et XXI[a] dies mensis predicti) videlicet Johanne de Stralen, et antiquo receptore, videlicet magistro Martino de Delph, ibidem magistris Jordano de Clivis, G. de Calkar, Johanne Webel, Nicholao de Haerlem, Philippo Pinghe et Hugone de Hervorst presentibus, omnes libri nacioni repositi in pigneribus sine numero reponebantur in archa nacionis.

1. 21 *Septemb.*
2. *Agitur de nuntio ad regem.*
3. *Quae sequuntur usque* p. 563, 7 *in ms[to] ponuntur ante* p. 563, 44.

Item eisdem hora et loco dictus antiquus receptor presentavit dicto novo receptori pecuniam nacionis extendentem se ad summam XI francorum, II antiquorum scudatorum, VI solidorum et IX denariorum parisiens., que pecunia dictis magistris presentibus ibidem reponebatur in archa nacionis. Quo facto ivimus in tabernam, potum bonum vinum.

Item die jovis, que fuit prefati mensis ultima, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum super distribucione scolarum, et supplicaverunt 4or magistri, videlicet magistri Jordanus de Clivis, Gherardus de Calker, Johannes de Hûekelem et Hugho de Hervorst pro scolis suis, eciam quas longis temporibus habuerant. Et erant eis concesse. Et dictus magister Gherardus de Kalker addidit tamen, in casu quo ipsum oporteret transferre se versus curiam Romanam cum rotulo[1], quod tunc aliquem posset ad libitum suum substituere, qui in dictis scolis legeret loco dicti magistri G., hoc tamen attento quod ille substitutus in casu, quo magister G. non debito tempore rediret, nulli in eisdem scolis prejudicaret; quod magistro Gherardo fuit concessum. Postea resignavit magister Johannes Coc quasdam scolas parvas (in quibus idem per aliquod tempus rexerat) libere in potestate dicte nacionis, pro quibus scolis quatuor magistri, videlicet Nicholaus de Haerlem, Meynardus (*Fol. 18* b) Rodolphi de Tyela, Johannes de Maguncia et Vredericus de Werendorp [supplicarunt], et auditis hinc inde motivis nacio dictas scolas per magistrum Johannem Koc resignatas magistro Meynardo concessit. Eciam in eadem congregacione presentaverunt se aliqui magistri volentes et proponentes regere, non habentes aliquas scolas nacioni pertinentes, qui supplicaverunt nacioni, in casu quo ipsi sibimetipsis more solito providerent de scolis, quod nacio vellet solvere.

Item eodem die et eodem loco immediate post congregacionem magister Martinus de Delph antiquus receptor dedit magistro Johanni de Stralen IIII literas obligatorias nacioni pertinentes, presentibus magistris Jordano de Clivis et Johanne Webel et pluribus aliis magistris, qui predicte congregacioni interfuerant.

Item anno quo supra, die martis, que fuit quinta mensis Octobris, facta congregacione nacionis ad supplicandum, supplicaverunt magistri infrascripti. Et primo magistri Thomas de Kinghoern et Martinus de Delph. Ex quo ita fuit, quod necessitatibus certis eos cogentibus (*Fol. 19*) ipsi per Dei graciam se per tempus absentarent a studio Parisiensi, dimissuri tamen eorum libros et utensilia Parisius, in casu quo fieret rotulus novus ad istum papam vel ad futurum, quod ipsi possent imponi tamquam presentes. Et superveniens magister Arnoldus de Lochem eidem congregacioni supplicavit eodem modo sicut alii duo, et magistri Johannes de Lunczelenborch et Wilhelmus Trebron in eadem congregacione supplicaverunt condicionaliter, in casu quo ipsos oporteret sic abesse, ut alii expresserant, quod eciam tamquam presentes in rotulo novo, si communis fieret, ad istum papam vel ad alium futurum, possent imponi. Quorum omnium supplicaciones erant tunc concesse per hunc modum, quod nacio conformavit se Universitati, videlicet quod sicut Universitas alias tempore conclusionis rotuli jam existentes[2] Avinione declaravit presentes, sic et nacio teneret et reputaret, vel quod nacio secundum quod Universitas tempore conclusionis futuri rotuli declaraverit presentes eos taliter reputabit, addens tamen nacio et quodlibet suppositum ibidem existens, in quantum in eis fuit, quod concederent quidquid possent.

Item anno quo supra, die veneris, que fuit XVa dicti mensis Octobris, dominus receptor recepit ex archa nacionis quosdam libros domino Johanni de Mon[asterio] ut asseruit pertinentes, et de dicto domino Johanne idem receptor dixit sibi ex parte nacionis satisfactum fuisse.

Item eadem hora et eodem die magister Petrus de Porta, alias de Bacherach, duos libros ibidem redemit, quos nacioni posuerat pro licencia et magisterio, de cujus solucione dictus dominus receptor ibidem dixit se fore contentum.

1378

Hec sunt acta in procuratoria magistri Frederici de Warendorpe.

Anno Domini Mmo CCCmo LXXVIIIo ipsa die undecim millium virginum[3], facta congregacione nacionis Anglicane hora primarum ad Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, unde facto computo receptoris et

1. *Hic agitur de eodem rotulo quem portavit Avenionem ejus anni mense Junio Gerardus de Kalkar* (*de quo supra* p. 559), *et cum quo jam ante Septembr.* 30 *Parisios regressus erat, sperans se data occasione mox cum eodem rotulo* (*qui antea non fuit signatus, quia Urbanus minime Avenionem venerat*) *profecturum. Remansit enim Gerardus usque ad expeditionem rotuli legatus seu nuntius, ut ex infra dictis ad an.* 1379, p. 578, 47, *concludere debemus. Tunc demum renuntiavit.*

2. *Ms.* existent. *Vid. supra* p. 519, 8.

3. 21 *Octobris.*

ab omnibus approbato mansit receptor nacioni debitus in VII libris cum III sollidis et II denariis. Et protunc electus erat in procuratorem concorditer ab omnibus magistris magister Fredericus de Warendorpe, qui more consueto ex concordia magistrorum solvit I francum, qui perpotabatur in signo dicto *turbot* prope parvum pontem.

Item in eadem congregacione supplicavit magister Hugo de Hervorst nacioni, quod restitueret sibi XIIII solidos, quos exposuit pro reparacionibus in scholis (*sic*) *septem arcium*, et illa fuit sibi concessa.

(*Fol. 19* b) Item anno predicto facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die martis ante festum apostolorum Symonis et Jude...[1]

Item anno predicto fuit facta congregacio nacionis etc. apud Cordigeros in die sanctorum apostolorum Symonis et Jude[2] ad concordandum magistrum Johannem Luberti et magistrum Andream de Lederdam, litigantes pro scholis magistri Johannis Hokelen, in qua concorditer deliberatum fuit quod deberent se submittere sorti, ipsi vero ambo concorditer fecerunt proici sursum unum album; magister Andreas voluit crucem et magister Johannes Luberti monetam. Obtinuit per monetam magister Johannes Luberti.

Item anno predicto facta congregacione nacionis Anglicane in die[3] dominica post festum Omnium Sanctorum post sermonem in domo capitulari Predicatorum pro reparacionibus scholarum inferiorum versus Secanam, fuit ordinatum concorditer, quod dominus receptor, scilicet magister Johannes Stralen haberet plenariam potestatem una cum alio magistro, quem ad hoc acceptare vellet ad ordinandum et concordandum sive terminandum erga magistrum Ghilbertum de reparacionibus predictarum scholarum. Die vero sequente venit magister Johannes Stralen predictus cum magistro Gherardo Kalker ad nacionem, dicentes eos fuisse locutos magistro Ghilberto, qui respondidit eis quod vellet facere tres bonas scholas de scholis predictis, sed vellet habere sex libras in omni anno. Quibus duobus magistris predictis nacio respondebat, quod bene vellet dare sex libras et quod forum secum pro tanto precio facerent. Tunc ulterius facto prandeo, ego et dominus receptor predictus et magister Hugo de Hervorst cum Johanne bedello ivimus ad magistrum Ghilbertum, et concordavimus secum quod faceret tres scholas sicud dictum est, pro quibus ex parte nacionis promisimus sibi omni anno sex libras.

Item in eadem supradicta die dominica dominus Everhardus Bummel recepit libros suos de archa nacionis, quos posuit pro bachulariatu suo, pro quibus dixit dominus receptor ipsum sibi satisfecisse.

Item die jovis[4] post diem dominicam predictam magister Gherhardus Kalker tradidit 1 francum domino receptori ex parte magistri Conradi de Hallis pro ejus jocundo introitu, quem francum magister Gherardus predictus recepit a magistro Conrado, cum sibi persolvit pecunias pro imposicione rotuli, pro quibus pecuniis posuit literas obligatorias ad archam nacionis.

Item facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Maturino die lune[5] post festum sancti Martini ad ordinandum de procuratoribus et de pecuniis pro festo nostro sancti Eetmundi, erant ordinati in procuratores una cum domino receptore magister Nycholaus de Harlem et magister Johannes Luberti, et de pecuniis fuit ordinatum quod quilibet magister contribueret unam summam pecunie ad finem, quod nacio non nimis denudaretur. Major pars nacionis non expressit illam summam, multi dixerunt III solidos, tamen aliqui duos solidos.

1378

Procuracio magistri Mathei de Glendonwyn Scoti.

Anno Domini millesimo trecentesimo LXXVIII°, in octavis beati Martini, que fuit decima octava die Novembris, facta congregacione nacionis Anglicane hora prime apud Sanctum Maturinum ad eligendum novum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, dilatus erat computus receptoris, quia jam tarde erat propter congregacionem Universitatis que precesserat. Et electus fuerat in procuratorem magister Matheus de Glendonwyn. In cujus procuratoria acta erant que secuntur.

Et solvit idem magister Matheus 1 francum pro introitu novi officii, qui francus reservatus fuit usque ad festum beati Edmundi proximi sequentis, et tunc cum receptori persolvet.

(*Fol. 20*) Item anno quo supra in die beati Edmundi regis in festo nacionis magister Gerardus Muchart solvit receptori unum francum pro suo jocundo introitu.

1. *Sic sententia manca, cujus quinque priora vocabula cancellata sunt.*
2. 28 *Octobris.*
3. 7 *Novembris.*
4. 11 *Novembris.*
5. 15 *Novembris.*

Item anno quo supra in vigilia [1] beate Katarine ego procurator jam dictus cum receptore adivimus cistam nacionis, ubi reperiebamus XI francos et duo scuta antiqua cum VI solidis et IX denariis, quos recepit receptor ad usum nacionis, et hoc ex ordinacione nacionis precedente.

Item anno quo supra facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum in crastino beate Katarine hora nonarum Nostre Domine ad supplicandum, supplicavit magister Henricus de Hosderden, quatenus si antiquus rotulus [2] remaneret, quod sua supplicacio non mutaretur, nec interimeretur quam alias in nacione optinuerat, cum fiebat rotulus antiquus. Et si fieret novus rotulus, quatenus posset in illo imponi absque prejudicio alicujus presentis. Et fuit sibi supplicacio concessa sine prejudicio aliorum, prout consuevit nacio in consimilibus casibus concedere.

Item anno quo supra facta congregacione Universitatis super certis articulis apud Sanctum Maturinum, facta fuit eciam congregacio nacionis ad supplicandum ibidem XV^a die Decembris; et supplicavit nacioni magister Albertus de Kalbe, canonicus ecclesie Warmiensis, quatenus maneret in loco suo in quo positus est in rotulo, si contingeret dictum rotulum rescribi vel novum fieri in sua absencia; et fuit concessa supplicacio sine prejudicio alicujus.

Item incepit dominus prepositus Wormaciensis [3] Currardus de Geilhusin, doctor decretorum in Bononia, sub magistro Gerardo Kalcer, cujus bursa XII s. Solvit et juravit [4].

1378

Procuratoria magistri Johannis de Angusia Scoti.

Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, decimo sexto die Decembris, facta fuit congregacio nacionis Anglicane hora prime apud Sanctum Maturinum ad eligendum novum procuratorem et ad audiendum compotum receptoris. Set compoto receptoris prorogato propter electionem rectoris supervenientem, electus fuerat in procuratorem concorditer ab omnibus magistris magister Johannes de Angusia, in cujus procuratoria acta erant que secuntur.

1379

Item anno quo supra, duodecimo die Januarii, incepit magister Johannes Murser Scotus sub magistro Gerardo Calkar, cujus bursa VIII solidi. Solvit et juravit.

Item anno supradicto, XIII^a die Januarii, facta fuit congregacio nacionis Anglicane hora prime apud Sanctum Maturinum ad audiendum compotum receptoris et ad eligendum novum procuratorem, et prorogatus fuit computus receptoris et continuata fuit procuratoria predicti magistri Johannis de Angusia.

Item XV^a die ejusdem mensis apud Sanctum Maturinum datus fuit compotus receptoris, et summa recepta se extendebat ad XXXII libras, XI solidos et IX denarios, summa vero expensarum ad XXXII libras, quinque solidos et VI denarios, et sic omnibus computatis remanserunt VI solidi et III denarii, de quibus sex solidi erant dati bedellis a nacione, et sic remanserunt tres denarii nacioni.

Item quinto die mensis Februarii facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum ad eligendum examinatores sancte Genovefe et examinatores determinancium, et ad supplicandum si qui voluerint supplicare, et electi fuerunt examinatores sancte Genovefe magister Johannes de Hokelem pro primo mense, magister Nicholaus de Haerlem pro secundo mense, et quilibet istorum solvit unum francum ad potandum, et magister Conrardus fuit electus pro tercio mense, qui eciam solvit unum francum; restituetur sibi tamen dimidium francum, si non habuerit nisi unam audicionem in predicto mense; et si nullam habuerit, restituetur sibi integrum francum. Item supplicavit magister Galterus Gayselberti eodem die, quod posset stare in rotolo in eodem loco in quo stabat in rotolo Urbano dirigendo. Et concessa fuit sua supplicacio concorditer et simpliciter. Item electi fuerunt examinatores determinancium magister Jordanus de Clivis, magister Gerardus Kalkar, magister Hugo de Hervorst.

1379

(*Fol. 20 b*) Procuratoria Philippi Pingh [5].

Anno Domini M CCC LXXIX, decima die mensis

1. *24 Novembris.*
2. *Quem mense Junio nuntius Gerardus de Kalkar cum aliis Avenionem portaverat.*
3. *Ms.* Wermociensis. *Agitur de celebri* Conrado de Gelnhausen, *qui postea primus cancellarius Universitatis Heidelbergensis fuit. Jam an.* 1344 *determinavit et licenciatus est* (*v.* p. 70, 7; 72, 15). *Interim Bononiae fuit* (*v.* Indicem). *Minime Parisiis in theol. licentiatus est, licet an.* 1379 *sqq. ibidem theologiae studuerit.*
4. *Add. ms. in margine :* Nota quod licet juraverit procuratori et rectori et bursas solverit complete, non tamen incepit, et per consequens non est magister in artibus.
5. *Haec rubrica in margine superiori fol.* 21 *et* 22 *repetitur, addito* de « Embrica ».

Februarii, facta fuit congregacio magistrorum hora prime nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem, et electus fuit concorditer in procuratorem magister Philippus Pingh ex unanimi consensu omnium magistrorum. In cujus procuratoria acta sunt hec que subsequuntur.

Primo dilatus fuit computus receptoris usque ad alium mensem, eo quod breviter antea computavit.

Item dictus magister Philippus Pingh solvit francum die sabbati precedente, quando magistri in Sancto Maturino fuerunt convocati ad eligendum officiarios pro procuratoria futura die jovis sequente.

Item die XII^{a} mensis Februarii facta fuit congregacio omnium magistrorum nacionis Anglicane per juramentum in quarta hora post meridiem in domo capitulari Sancti Maturini super duobus articulis.

Primus articulus fuit ad habendum consilium super quibusdam concernentibus honorem nacionis, videlicet quomodo dominus rex [1] esset male informatus de nacione, sic quod ipsa impediret quod rotulus [2] non concluderetur nec mitteretur Fundis ad Clementem, et ergo nisi ab hoc desisteret, supposita nacionis peniterent, ut retulit in nacione magister Thomas Merton [3]. Super quo deliberavit nacio concorditer, quod cum deputati Universitatis essent regem adituri super facto conservacionis privilegiorum, et eciam super excusacione domini rectoris [4], qui protunc eciam fuit accusatus coram rege, quod deputati nacionis supplicarent illis deputatis Universitatis quod, cum excusarent rectorem et Universitatem coram rege, quod in speciali descenderent ad excusacionem nacionis Anglicane et singulorum ejus suppositorum, et quod super facto sibi imposito ipsa esset totaliter innocens et immunis [5].

2us articulus super supplicacionibus.

Item eadem die eadem hora supplicavit magister Johannes Stralen pro magistro Johanne de Lutzenborch, quod cum ipse esset repatriaturus, si tempore absencie sue contingeret fieri rotulum, quod posset imponi tali rotulo tanquam presens. Cujus supplicacio fuit concorditer concessa ab omnibus.

Item facta fuit congregacio nacionis Anglicane XIX^{a} die mensis Februarii in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum in domo capitulari super duobus punctis. Primus punctus fuit ad ordinandum de pecunia nacionis si opus esset. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Super quibus fuit deliberatum, cum primus punctus concerneret pecuniam nacionis et protunc fuerunt pauci magistri congregati, quod fieret una alia congregacio sequenti die aut post, in qua omnes magistri vel saltem seniores convenirent et ibi deliberaretur quid esset agendum.

Item facta fuit congregacio nacionis Anglicane XXI^{a} die mensis Februarii in terciis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus fuit ad ordinandum de pecunia nacionis, si opus esset, et ad supplicandum. Et supplicavit magister Hugho de Hervorst ex parte magistri Mercilii de Inghen [6], quod cum nacio sibi adhuc teneretur XX francos de legacione alias facta in Avinionem tempore Gregorii pape XI, et nunc nacio recepisset XXIIII francos ab Universitate, quod nacio vellet sibi satisfacere de illis XX francis. Cujus supplicacio fuit concessa, dum tamen daretur quitancia sufficiens nacioni, sic quod nacio maneret indempnis.

2^{s} articulus fuit, an magister Johannes de Angusia, qui fuit procurator precedens, cum adhuc non solvisset francum pro prima ejus procuratoria, deberet solvere francum. Super quo fuit deliberatum, quod cum non inveniretur in libro quod ipse solvisset, nec ipse protunc existens in congregacione docuit ejus solucionem, quod deberet solvere francum. Et ulterius requisiverunt me per juramentum ad faciendum unam aliam congregacionem, in qua proponeretur modus cohercendi eum ad solucionem illius franci.

Item facta fuit congregacio eodem die in quarta hora post meridiem omnium magistrorum nacionis Anglicane per juramentum in Sancto Maturino super modo cohercendi magistrum Johannem de Angusia ad solvendum francum pro prima ejus procuratoria. Et proposui duas vias ipsum cogendi: una erat, quia juravit tenere laudabiles consuetudines nacionis, et hactenus fuit observatum quod in prima procuratoria magistri solverunt francum, quod citaretur coram officiali Parisiensi super perjurio; alia erat, quod si nollet solvere, quod esset inabilis de cetero ad officia nacionis, privaretur distribucionibus in missa

1. Carolus V.

2. *Novus rotulus, qui mitteretur ad Clementem VII, tunc Fundis in Italia residentem.*

3. *Ms.* Mersen. *Vid.* Chartul. III, p. 269.

4. *Qui tunc fuit* Matthaeus Scotus, 1378, 16 *Dec.*-1379, *Martii* 24.

5. *Ex quibus omnibus apparet, nationem Anglic., saltem pro majori parte, causam Clementis VII complecti renuisse quidem, ast minime tunc Urbanum VI ita praetulisse, ut postea, v. g. an.* 1382. *April., sed potius haesitantem remansisse. Non verba facimus de aliquibus suppositis singularibus, v. g. de Gerardo de Kalkar, qui aperte partes Urbani VI tenuit* (*vid* p. 579, 1 *sq.*), *vel de Hugone de Hervorst, quem non movit quisnam papa fuerit, sive Clemens, sive Urbanus* (*vid.* p. 571, 32).

6. *Ultimo hic* Marsilius de Inghen *in* Lib. proc. nat. Anglic. *nominatur, tuncque, ut videtur, Parisios jam reliquerat.*

et vesperis in Sancto Cosma et Damiano, et si contingeret fieri rotulum, non inrotularetur. Verumptamen deliberatum fuit concorditer quod cum esset vocatus per juramentum, et non venit, quod die sequente fieret una alia (*Fol. 21*) congregacio omnium magistrorum per juramentum, et vocaretur ad congregacionem per juramentum suum ex parte nacionis et procuratoris, et ibi requireretur adhuc semel quod solveret francum. Si autem nollet vel non compareret, procederetur contra eum penis dictis.

Item facta fuit congregacio nacionis Anglicane per juramentum XXII^a^ die mensis Februarii in domo capitulari apud Cordigeros post sermonem Universitatis super modo cogendi magistrum Johannem de Angusia ad solvendum francum pro prima ejus procuratoria, quem nondum solvit. Et quia nunc fuit vocatus iterato pro secunda vice, quod veniret ad congregacionem, et doceret solucionem franci si posset, vel quod solveret vel excusaret se, deliberatum fuit quod adhuc pro tercia vice vocaretur per ejus juramentum, quod prestitit procuratori, quod veniret ad congregacionem, et solveret vel excusaret se, et si tunc non veniret, procederetur contra eum tamquam contra suppositum inutile nacionis, et privaretur a consorcio magistrorum.

Item facta fuit congregacio nacionis Anglicane XXIIII^a^ die mensis Februarii in nonis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum ad supplicandum. Et supplicavit magister Hugho de Hervorst, cum ex certis causis concernentibus ejus patrimonium esset iturus ad partes, quod si tempore ejus absencie fieri contingeret rotulum ad papam, *sive ille esset Clemens, sive Urbanus*, quod posset tamquam presens inrotulari. 2° supplicavit, cum ipse dimitteret hic domum, quatinus magister Philippus Pingh, protunc procurator existens, cum deberet preesse scolaribus suis in domo tempore absencie ejus, quod posset examinare determinantes loco sui et legere in scolis suis ordinarie et cursorie. 3° supplicavit quod nacio amore ejus vellet perpotare francum. Super istis deliberavit nacio sic, quod omnes ejus supplicaciones admisit. Et protunc Philippus dictus, qui erat procurator, substituit alium procuratorem et sibi juravit pro officio examinatoris determinancium.

Item facta fuit congregacio nacionis Anglicane XXV^a^ die mensis Februarii post missam Universitatis in Sancto Bernardo super modo habendi francum a magistro Johanne de Angusia. Et protunc se dixit velle solvere, et subticuerunt magistri propter hoc tunc, si tamen solveret.

Item ultima die mensis Februarii facta fuit congregacio nacionis Anglicane in primis post sermonem apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad ordinandum de pecunia nacionis et ad supplicandum. Et protunc supplicaverunt in numero XV vel XVI pro dilacione bursarum sue determinancie, et ponerent pignera. Quorum supplicaciones fuerunt concesse sub istis moderacionibus, que sequuntur. Primo quod darent in prompto pecuniam debitam bedellis, scilicet bursam cum dimidia, quia pro illo supplicavit Johannes bedellus pro ipso et Matheo; 2° quod illi qui essent de provincia Almanie prius satisfacerent provincie; 3° quod si qui tenerentur collectam magistris nacionis nostre, quod illam solverent; 4° quod jurarent quod nec haberent nec habere possent in prompto sine eorum dampno, in toto vel in parte, que esset medietas, pecuniam quam deberent solvere nacioni nostre; 5° quod si vellent ponere pignera, deberent ponere pignera que essent dupli valoris secundum taxacionem librariorum juratorum Universitatis, et non secundum estimacionem eorum, et illa solum ponerent ad 3^s^ menses, sic quod si non expedirent pignera ista, transactis tribus mensibus nacio sive receptor posset ea vendere absque contradictione. Et ista predicta omnes juraverunt sigillatim, unus post alium, in presencia nacionis. Et primo juravit Petrus Luch de Dacia, Hermannus Cůeurc, Nicolaus de Dacia, Henricus de Suecia, Henricus Krouwel, The[odericus] de Warmond, Nicolaus Muden, Johannes de Hijr, Johannes Ysebrandi, Henricus de Hauwe, Hugo de Naldwich, Stephanus Pes.

Item post supplicavit dominus Mathias de Haeften quatinus nacio daret sibi dilacionem bursarum determinancie sue et quod nacio eum quitaret de posicione pignerum, quia paratus esset jurare quod nec per se nec per amicos posset jam dictas bursas solvere, nec haberet pignera que posset obligare, etc. Cujus supplicacio fuit concessa cum moderacione tali, quod prestito juramento de predictis, ut optulit, obligaret se in litera officialis sub pena sentencie late, quod infra 3^s^ menses satisfaceret nacioni inclusive de bursis predictis. Deinde supplicavit dominus Johannes de Constancia quatinus nacio faceret sibi graciam de bursis sue determinancie, cujus supplicacio ibidem fuit concessa more solito, quia pauper, et juravit in presencia nacionis statutum paupertatis.

2us articulus fuit de modo habendi francum magistri Johannis de Angusia, et deliberavit nacio, ex quo magister Hugo dedit nacioni francum ad perpotandum, quod nacio iret ad tabernam, et vocaretur

magister Johannes quod solveret 1 francum. Si autem non, ex tunc esset privatus a consorcio nacionis et inabilis ad omnia officia nacionis et non inrotularetur, etc., ut prius. Et super hoc fuit petitum instrumentum.

(*Fol. 21*[b]) Isti sunt determinantes istius anni.

Primo determinavit dominus Wilhelmus de Camera sub magistro Johanne Forestarii, cujus bursa III sol. Solvit.

Item determinavit dominus Henricus Hemert sub magistro Philippo Pingh, cujus bursa III solidi, VIII denarii. Solvit.

Item determinavit dominus Hernestus de A sub magistro Johanne Lubberti, cujus bursa VI solidi. Solvit.

Item determinavit dominus Johannes de Constancia sub magistro Conrado de Heghenaio, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Item determinavit dominus Ghebardus de Zelbach sub magistro Gherardo de Kalker, cujus bursa V s., VIII denarii. Solvit.

Item determinavit dominus Hugho de Naeldwiich sub magistro Johanne de Leydis, cujus bursa V sol. Posuit pignus, solvit bedellis.

Item determinavit dominus Johannes Dyer sub eodem, cujus bursa V solidi. Posuit pignus, solvit bedellis.

Item determinavit dominus Hermannus Cueure sub magistro Johanne Lubberti, cujus bursa VI solidi. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Arnoldus Brun de Gorinchem sub magistro Johanne de Hockelem, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item determinavit dominus Brunyulphus Karoli sub magistro Gherardo de Kalker, cujus bursa V s., VI denarii. Solvit.

Item determinavit dominus Johannes Liet Scotus sub magistro Johanne Forestarii, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item determinavit dominus Mathias de Haeften sub magistro Johanne de Hockelem, cujus bursa V solidi. Posuit literam obligatoriam.

Item determinavit dominus Stephanus Pes sub magistro Johanne de Leydis, cujus bursa III solidi. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Henricus Miunno, alias dictus de Kekem, sub magistro Johanne Lubberti, cujus bursa VI solidi. Solvit.

Item determinavit dominus Henricus de Suecia sub magistro Gerardo de Kalker, cujus bursa VI sol. Solvit.

Item determinavit dominus Rutgherus de Drove sub magistro Johánne de Stralen, cujus bursa VI sol. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Nicolaus Albrandi de Trajecto, cujus bursa VIII albi. Solvit pro parte majori.

Item determinavit dominus Wilhelmus Johannis de Gouda sub magistro Johanne de Hocklem, cujus bursa V solidi. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Johannes de Bles[ia] sub magistro Johanne de Hockelem, cujus bursa VI solidi. Solvit.

Item determinavit dominus Henricus Camer[m]an de Amersfordia sub magistro Johanne de Hockelem, cujus bursa V sol. Solvit pro[1] parte et posuit pignus.

Item determinavit dominus Nicolaus Muyden sub magistro Johanne de Leydis, cujus bursa V solidi. Posuit pignera.

Item determinavit dominus Johannes Ysebrandi sub magistro Johanne de Hockelem, cujus bursa V solidi. Posuit pignera.

Item determinavit dominus Henricus Krouwel sub magistro Gerardo de Kalker, cujus bursa VI solidi et VI denarii. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Reynoldus de Vinea sub magistro Hermanno de Warendorp, cujus bursa VI solidi cum VI denariis. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Theodericus Warmonde sub magistro Johanne de Leydis, cujus bursa V sol. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Baldwinus Sunderdanch[2] sub magistro Johanne de Hockelem, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item determinavit dominus Theodericus Waucert de Herwinen sub magistro Petro de Austria, cujus bursa VIII albi. Posuit literam officialis.

Item determinavit dominus Theodericus de Hokelem sub magistro Henrico de Rossem, cujus bursa IIII solidi. Posuit p[ignus].

Item determinavit dominus Gherardus Kalant de Groninchem sub magistro Gerardo de Kalker, cujus bursa V solidi, VIII denarii.

Item determinavit dominus Henricus de Andernaco sub eodem, cujus bursa VII solidi. Solvit.

1. *Ms.* per.

2. *Ms.* Sunderdandh.

Item determinavit dominus Petrus Lucke sub magistro Henrico de Thenis, cujus bursa VI solidi, VI denarii. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Nicolaus de Dacia sub magistro Gerardo de Kalker, cujus bursa VI solidi, VI denarii. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Cudbertus de Servenael sub magistro Johanne Forestarii, cujus bursa IIII s. Solvit.

Item quinta die mensis Marcii facta fuit congregacio nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum pauperem in primis Nostre Domine, ad supplicandum, et supplicavit dominus Theodericus Waucert de Herwinen, quatinus nacio vellet capere literam obligatoriam pro pecunia nacioni debita pro determinancia, pro qua magister Johannes Coc fidejussit, quia vellet jurare quod nec haberet pecuniam, nec pignera, cum quibus satisfaceret nacioni. Cujus supplicacio fuit concessa, dum tamen predicta juraret.

2° supplicavit Ghiselbertus de Clivis, quatenus nacio vellet eum admittere ad determinandum, quia legitime fuit impeditus, quod non potuit ante determinare, nam fuit extra villam ex certis causis quosdam magistros tangentibus, sicud pluribus constitit. Cujus supplicacio fuit concessa.

Item quinta die mensis Marcii facta fuit congregacio nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum pauperem in primis Nostre Domine ad supplicandum, et supplicavit magister Paulus de Gelria, cum esset iturus Coloniam ex certis causis, quatinus si tempore sue absencie contingeret fieri rotulum, quod posset inrotulari tanquam presens. 2° supplicavit pro literis recommendatoriis ad abbatem Duysciensem [1]. Et ejus supplicaciones fuerunt concesse.

(*Fol.* 22) Item facta fuit congregacio nacionis Anglicane sexta die mensis Marcii [2] post sermonem Universitatis in Sancto Maturino una cum congregacione Universitatis super modo resecandi magistrum Johannem de Angusia, quia noluit solvere francum suum, et protunc ipse dictus magister Johannes tradidit francum receptori, et se in nacione excusavit, allegans quomodo semper fuit promptus et presto ad solvendum francum et ad observandum laudabiles consuetudines nacionis.

1379

Hec sunt acta in procuratoria magistri Stanislai de Polonia, dicti Clementis.

Anno Domini M° CCC LXXIX°, decima die mensis Marcii, fuit congregacio nacionis Anglicane in primis Nostre Domine apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem et ad audiendum compotum receptoris, qui fuit magister Johannes Stralen. Et electus fuit in procuratorem magister Stanislaus de Polonia, in cujus procuratoria acta sunt hec que secuntur. Verum tamen, quod ante electionem procuratoris predicti immediate computavit dictus receptor, qui mansit obligatus nacioni omnibus expositis defalcatis in summa 29 librarum, et 8 solidorum, et 4 denariorum. Et in eadem die dictus novus procurator cum magistris nacionis iverunt ad thabernam ad prandium, et ibi solvit suum francum, et alium francum magister Johannes de Anguisia solvit, et residuum fuit contribucio.

Item sedecima die dicti mensis facta fuit congregacio facultatis, et ibidem erat congregacio protunc nacionis, in qua dominus et magister Matheus, rector protunc Universitatis, supplicavit magistris nacionis, quatinus velint dispensare cum Roberto de Alyn, qui licet determinavit questionem suam in yeme, tamen non disputavit tempore debito in principio, scilicet una cum aliis. Et fuit cum predicto scolari protunc dictus dominus rector exauditus, et supplicacio admissa.

Item determinavit dominus Robertus sub magistro Johanne Forestarii, cujus bursa VI solidi. Solvit.

Item facta fuit congregacio Universitatis XXIII^a^ die mensis predicti ad Sanctum Maturinum, et ibidem supplicavit magister T[heoderic]us de Yselstein, quod si in casu contingat rotulum dirigi ad papam, quod hii, quorum nomina secuntur, sint positi in rotulo eodem. Et fuit supplicacio admissa. Nomina sunt hec : Ricoldus de Haeften, Ghiselbertus Bot, Jacobus de Campen, Gherardus Droem, Andreas de Goude, Henricus Verbyensuen, Alphardus de A, Jacobus Johannis, Arnoldus Tricht, Egidius Ormin, Johannes Mars, Mauricius Danielis, Reginaldus de Vyanen, Engbertus de Sciedam, Wolterus Wolf, et hoc solutis solvendis. Et idem supplicans cepit nacionem in testem [3], quod ipse est intencionis recedendi, et expeditis negociis suis in partibus quan-

1. Deutz, *Ord. s. Ben. Verisimiliter tunc* Franco de Leydis *abbas fuit* (*ab an.* 1366, *Januar.* 28, — *Reg. Aven. Urbani V, vol.* XIII, *f.* 46).

2. *Quae fuit dies dominica.*

3. *Ms.* textem.

tocius redeundi, et quod si rotulus interim expediatur, quod in loco suo remaneat. Et hoc totum erat admissum, quantum est in nacione [1].

Item facta fuit congregacio facultatis, XXIIII^a die Marcii, ad Sanctum Julianum pauperem ad eligendum rectorem, et ibi tunc temporis supplicavit nacioni magister Jacobus de Dacia, quod si rotulum contingat expediri ad curiam ipso absente, quia volebat ad partes recedere (bona fide promittens expeditis negociis redire e converso) quod tunc poneretur in suo loco sicut erat. Et fuit admissa supplicacio ejus in quantum nacio potuit.

Item die ultima Marcii facta fuit congregacio nacionis Anglicane per juramentum, in qua magister Arnoldus protunc manens in Sorbona proposuit quod, quando eligebatur prior in Sorbona, magistri de aliis tribus nacionibus, socii predicte domus (non tenentes modum electionis alias visum, scilicet quod debebat esse de qualibet nacione unus scrutator, sed tantum tres scrutatores per eos vel per aliquos eorum facti sunt, magistris de nacione Anglicana protestantibus, electionem si aliqua foret non valere) ad ipsam electionem prioris processerunt, et sic excludere nacionem Anglicanam videbantur. Quo audito nacio predicta volens de modo electionis prioris et de consuetudinibus ac statutis predicte electionis an opus esset se [in]tromittere nacionem informari, dedit super hoc deputatos extra domum predictam manentes numero tres, videlicet magistrum Jordanum, magistrum Gerardum Calcar, magistrum Matheum Scotum cum illis, qui protunc manebant in predicta domo Sorbone.

Primo licenciatus fuit dominus Henricus de Swecia sub magistro Jacobo de Dacia, cujus bursa VI solidi.

Item licenciatus fuit dominus Petrus Lucke de Dacia sub magistro Jacobo de Dacia, cujus bursa VI solidi et VI denarii.

Item licenciatus fuit dominus Henricus Camerman sub magistro Gerardo de Calkar, cujus bursa V sol.

1379

(*Fol.* 22 [b]) Acta in procuratoria magistri Johannis Munscheman de Maguncia.

Anno Domini M° CCC° LXXIX°, VII die mensis Aprilis, facta congregacione ad Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem et audiendum compotum receptoris, electus fuit concorditer in procuratorem prescriptus magister Johannes Munscheman de Maguncia, in cujus procuracionis tempore acta sunt que sequuntur.

Primo XII die mensis prescripti congregatis magistris nacionis ad Sanctum Maturinum ad deliberandum super quibusdam articulis positis in deliberacionem per dominum rectorem [2], cum protunc eciam fuerit congregacio Universitatis, supplicavit magister Wilhelmus Zael, quod si contingeret fieri rotulum Universitatis, quod eidem imponeretur. Et fuit ejus supplicacio concessa.

Item supplicavit eadem die magister Rudolfus Tam, Trajectensis diocesis, similiter et concedebatur.

Isti sunt qui juraverunt michi ante ipsorum licenciam.

Primo dominus Johannes de Aemsterdam incepturus sub magistro Johanne Luberti. Solvit receptori, et ipsius bursa VI solidi.

Item penultima die mensis Aprilis facta congregacione nacionis ad Sanctum Maturinum ad supplicandum, supplicaverunt primo magister Johannes de Aemsterdam, quod si contingat fieri rotulum, quod illi imponeretur. Et fuit supplicacio ejus concessa.

Item idem magister pro jocundo suo introitu solvit unum francum, qui protunc non fuit perpotatus, sed per me procuratorem reservatus ad aliud tempus.

Item 2° Johannes, budellus nacionis, supplicavit nomine magistri Johannis de Marchia, quod si contingeret fieri rotulum, quod illi imponeretur similiter ut prius. Et fuit concessum.

Item 3° supplicavit magister Andreas Leyderdam, quod si contingeret fieri rotulum, quod illi imponeretur [3]. Et fuit concessum. Et dicti magistri in eadem congregacione dixerunt se intencionis, breviter Parisius redeundi.

Item ultima die mensis Aprilis facta congregacione nacionis ad Sanctum Maturinum, supplicavit magister Gerhardus Calcar pro licencia transeundi ad partes suas pro aliquibus suis negociis expediendis, intencione tamen redeundi quam cito commodosius posset. Supplicavit insuper dictus magister, ut a legacione sua, qua legatus seu nuncius Universitatis

1. *Sed ne unus quidem in rotulo nationis Anglicanae an.* 1379 (Chartul. III, p. 269) *inscribebatur.*

2. Johannem de Stralen, *Martii 24-Junii 23.*

3. *Ms.* imponerentur.

ex parte nacionis erat, absolveretur, facienda ad Clementem, attento *quod Almania se ad Urbanum determinasset*[1], et quod in omnem eventum saltem rebus stantibus ut nunc, quemadmodum tactum est immediate supra, posset esse ita liberi recessus, sicut aliquis alius magistrorum nacionis. Et hujusmodi supplicaciones sue concesse fuerunt concorditer, absolverunt enim eum a dicta legacione, nullo modo volentes ipsum ad Clementem iturum. Verum per magistros ibi presentes adjectum fuit, quod idem dictus magister compotum de receptis uni amico suo committeret, in quo si reperiretur nacionem sibi aliquid debere, quod hoc sibi solveretur. Si autem aliquid de receptis superesset, in et de hoc volebant sibi facere graciam omnem, qua existeret bene dignus. Exposuit eciam idem magister in eadem congregacione nacioni, quomodo, si non evenissent sibi specialia infortunia, quod bene esset multa pecunia in residuo; sed quia talia evenerunt sibi, scilicet in famulo suo, pro quo 7 francos exposuit, et in equis se perdidisse retulit 24 francos, modicum restare poterat.

Item in eadem congregacione fuit in officio procuratoris continuatus prescriptus procurator magister Johannes de Maguncia.

Item eodem die in eadem congregacione supplicavit magister Arnoldus Blankart de Nussia, quod si contingeret fieri rotulum, quod illi imponeretur ut presens; et hoc concessum fuit secundum quod nacio potuit et prout aliis communiter conswetum est concedi.

(*Fol. 23*) Item ultima die mensis Aprilis juraverunt michi domini Hugo de Naeldwic, Johannes Dyer, licenciandi sub magistro Johanne de Leyden, quorum cujuslibet bursa V solidi.

Item primo die Maii juravit dominus Nicolaus de Dacia, qui licenciabitur et incipiet sub magistro Johanne Hokelem, cujus bursa VI solidi, VI denarii.

Item eodem die juravit dominus Theodericus de Warmunde, qui licenciabitur sub magistro Johanne de Leyden, cujus bursa V solidi.

Item eodem die juravit dominus Mathias de Haften, qui licenciabitur sub magistro Johanne Luberti, cujus bursa V solidi.

Item eodem die primo Maii juravit dominus Wilhelmus Jo[hannes] de Gouda, qui licenciabitur sub magistro Johanne de Hokelem, cujus bursa V solidi.

Item 3a die Maii juraverunt domini Henricus de Swecia et Petrus Lucke de Dacia, incepturi sub magistro Johanne Hokelem, quorum bursa primi VI solidi, 2di VI solidi, VI denarii.

Item eadem die juravit dominus Gerhardus de Gruninghen, incepturus sub magistro Johanne Luberti, cujus bursa V solidi, VIII denarii.

Item in vigilia dominice *Cantate*[2] juravit dominus Theodericus de Warmunde, incepturus sub magistro Johanne Hokelen, cujus bursa V solidi. Posuit literam officialis.

Item nona die mensis Maii juraverunt domini Johannes Dyer et Hugo de Naeldwiic, incepturi sub magistro Johanne de Hokelen, quorum cujuslibet bursa V solidi. Solverunt.

Item eodem die juravit dominus Wilhelmus de Gouda incepturus sub magistro Johanne de Hokelen, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item eodem die scilicet nona mensis Maii, juravit dominus Mathias de Haeften incepturus sub magistro Johanne Luberti, cujus bursa V solidi. Solvit.

(*Fol. 23 b*) Item eodem die facta congregacione nacionis ad supplicandum ad Sanctum Maturinum, supplicavit magister Johannes de Leyden, quod si contingeret fieri rotulum, quod illi tanquam presens imponeretur, attento quod per totum ordinarium in studio fuit et recessurus animo redeundi quanto cicius posset.

Item ipso die lune[3] ante festum Ascensionis juravit idem dominus Johannes Hoen de Harlem, qui licenciabitur sub magistro Philippo Ping, cujus bursa VI solidi. Solvit.

Item die martis ante festum Ascensionis juravit idem dominus Johannes Hoen de Harlem, qui incipiet sub magistro Philippo Ping, cujus bursa VI solidi. Solvit.

Item in vigilia[4] Ascensionis facta congregacione nacionis ad supplicandum in Sancto Juliano paupere, supplicavit magister Theodericus de Warmunde pro dilacione solucionis bursarum debitarum nacioni, pro quibus posuit vadia, et fuit sibi concessa supplicacio usque ad tres menses.

Item in eadem congregacione solvit idem magister 1 francum pro jocundo introitu, qui cum quodam alio franco recepto per me procuratorem a magistro Johanne de Aemsterdam perpotati fuerunt in taberna *ad scutum Francie* ex deliberacione nacionis.

Item XXVIIa die mensis Maii juraverunt domini Gevehardus de Zelbach, Johannes Ysebrandi, Alar-

1. *Febr.* 27. *Vid.* WEIZÄCKER, Reichstagsacten, I, 232 *sqq.*
2. *Ms.* Jubilate, *quae tamen fuit* 1 *Maii, et vigilia* 30 *Aprilis, quod cum supra scriptis non convenit. Dominica* Cantate *fuit* 8 *Maii, vigilia* 7 *Maii.*
3. 16 *Maii.*
4. 18 *Maii.*

dus de Delft, et Gwilhelmus de Narn licenciandi, primus et 2us sub magistro Henrico Cicoti [1], tercius sub Johanne de Pertusone [2], et quartus sub magistro Gerhardo Kalcar, quorum burse primi V solidi VIII denarii, et cujuslibet sequentis V solidi. Solverunt omnes.

1379

Continuacio prescripti procuratoris magistri Johannis de Maguncia.

Anno Domini quo supra, secunda die mensis Junii, facta congregacione ad Sanctum Maturinum hora primarum Nostre Domine super tribus articulis, scilicet primo ad audiendum compotum receptoris et ordinandum de pecunia nacionis; 2° ad supplicandum, et 3° ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum, fuit quoad primum articulum auditus compotus receptoris, qui placuit concorditer magistris nacionis et in compoto illo, expositis a summa receptorum defalcatis, remanserunt de pecunia nacionis 71 libre cum undecim denariis.

Quoad secundum autem articulum supplicavit Johannes bedellus nacionis referens, quod pronunc necessitatus esset, eo quod filiam suam cuidam desponsaverat matrimonialiter copulandam, quo et aliis per magistros nacionis attentis, fuit concorditer deliberatum quatenus dicto Johanni decem libre parisiens. darentur, et filie sue totidem, scilicet decem libre, sic quod filie dicta pecunia publice et in presencia populi, ubi magis conveniens videretur, per procuratorem et receptorem quibusdam magistris associatos manifeste traderetur.

Quoad tercium vero articulum continuatus fuit antiquus procurator, qui receptis a nacione seu receptore ejusdem XX solidis pro se et ad usum suum deputatis, nichilominus eos magistris pro tunc secum ad domum suam loco taberne venientibus ad prandium et de nocte ad cenam liberaliter tribuebat.

Item ipso die Trinitatis [3] juraverunt domini Gevehardus de Zelbach et Alardus de Delft, incepturi sub magistro Petro de Aemsterdame, quorum burse, primi V solidi, VIII denarii, secundi V solidi. Solverunt.

1379

(*Fol. 24*) [4] Procuratoria magistri Johannis Forestarii Scotti.

Anno Domini Mmo CCCmo septuagesimo nono, decimo sexto die mensis Decembris, facta congregacione nacionis dicte Anglicane apud Sanctum Julianum ad eligendum procuratorem et ad audiendum compotum receptoris hora prime, prout est consuetum, electus fuit magister Johannes Forstar[ii] concorditer ab omnibus. Sed de consensu plurimorum magistrorum in eadem congregacione prorogatus fuit compotus usque ad proximum diem, in quo magistris de nacione placeret compotum audire supradictum.

1380

Acta tempore procuratoris magistri Hermanni de Warendorpe.

Anno Domini M° CCC° LXXIXmo [5], XIII die mensis Januarii [6], facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Maturino post sermonem ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, dilatus erat computus receptoris, et concorditer electus in procuratorem magister Hermannus de Warendorpe. In cujus procuratoria acta sunt ea que sequuntur.

Primo solvit dictus procurator XXIIIIor solidos, unum francum pro prima procuratoria, alios VIII solidos pro emolumento futuro.

Item quadam die sequenti congregata nacione in Sancto Maturino hora primarum Nostre Domine ad supplicandum, supplicavit magister Nycolaus de Dacia pro litera recommendatoria ad episcopum suum, cujus supplicacio erat concessa.

1. *I. e.* Chicoti, *nat. Francine.*
2. *Nat. Normanniae.*
3. 5 *Junii.*
4. *Infelici casu evenit ut in hoc libro duo folia, quae continebant acta nationis Junii-Decembris an.* 1379, *desint, et deerant jam saec.* XVII, *ut numeratio foliorum indicat. Istis mensibus in Universitate Paris. agebatur de missione rotuli ad Clementem VII, qui et mense Octobris ejusdem anni Avenionem portatus est* (*vid. Introductionem ad* num 1428, *in* Chartul., III). *Nuntius ex parte nationis Anglicanae, quae pro majori parte incerti animi erat, fuit* Guillelmus de Trebron. *Vid.* Chartul., III, n° 1426. *Cum in hoc* libro procurnt. *ex causa praedicta non agatur de missione rotuli, et postea semper sermo fiat de rotulo; cum praeterea ex sequentibus appareat nationem Anglicanam, saltem pro majori parte semper magis ac magis firmius usque versus Novemb. an.* 1382 *Urbano VI adhaesisse* (*vid. imprimis infra ad an.* 1380 *Martii* 4, 1381 *Martii* 7, 1382 *April.* 1); *denique cum dicerent* « si unio in ecclesia fieret et rotulus mitteretur » (1380 *Martii* 4, 1381 *Maii* 8), *quo significari videtur nationem Anglicanam rotulum mitti noluisse, nisi schismate dissoluto: historici hucusque in eo inducebantur ut putarent, rotulum nondum ad papam missum esse, sed solum an.* 1383, *quo de missione rotuli ad Clementem agitur.*
5. *Sec. stilum gallicanum.*
6. *Festum S. Firmini.*

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum IIIIª die mensis Februarii, hora nonarum Nostre Domine, ad eligendum officiarios, scilicet examinatores determinancium et licenciandorum in examine Sancte Genovefe, electi fuerunt in examinatores determinancium magistri Johannes de Hoklem, Johannes Luberti et Meynardus de Tyele; et in examinatores licenciandorum in Sancta Genovefa magister Petrus de Austria pro primo mense, et magister Hermannus de Warendorpe pro secundo mense.

1380

Continuacio magistri Hermanni de Warendorpe in procuratoria.

Anno Domini M° CCC^mo LXXIX°, nona die mensis Februarii hora primarum Nostre Domine facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Julianum pauperem ad audiendum computum receptoris, ad eligendum procuratorem et ad supplicandum, supplicavit tunc magister Stranislaus (*sic*) de Polonia pro litera recommendatoria ad reginam Ungarie, cujus supplicacio erat concessa. Dilatus erat computus receptoris propter ejus absenciam, et electus erat et continuatus ab omnibus nullo reclamante magister Hermannus de Warendorpe in procuratorem dicte nacionis.

Item post XIIIIª die mensis ejusdem hora primarum Nostre Domine facta congregacione predicte nacionis, supplicavit magister Hermannus Warendorp, protunc procurator nacionis, pro litera testimoniali et recommendatoria ad episcopum, prepositum, decanum et capitulum ecclesie Mon[asteriens.], et eciam pro litera recommendatoria ad summum pontificem, cujus supplicaciones erant concesse.

Item XVII die hora primarum Nostre Domine facta congregacione nacionis ad supplicandum, supplicavit dominus Nycolaus Freynstat pro dilacione bursarum determinancie ejus, cujus supplicacio erat concessa, dummodo vellet jurare in forma litere sequentis : « Vos jurabitis, quod pronunc non habetis, et debita diligencia facta sine fraude vobis procurare bono modo non poteritis unde satisfaceretis nacioni sine vestro notabili dampno. Pro bedello tantum satisfacietis antequam incipiatis determinare. Item quod si ante terminum solucionis vobis graciose concessum vobis aderit facultas solvendi, vos protunc satisfacietis nacioni sine ulteriori dilacione [1]. Item quod ponetis pignera, que secundum taxacionem juratorum valeant duplum vel sesquialterum debiti, et quod lapso termino solucionis statim possint libri impignerati vendi, vobis irrequisito, et sine alicujus judicis licencia vel notificacione ». Et ita dictus dominus Nycolaus tunc juravit in nacione procuratori.

Item eadem die et hora ut supra, supplicaverunt Nycolaus de Stetyne (*sic*), Nycolaus Nellenbůrgh, Johannes de Austria et Cristianus de Ungaria pro remissione bursarum determinancie, donec venirent ad pinguiorem fortunam; et allegaverunt paupertatem. Quorum supplicaciones fuerunt concesse, dummodo primitus jurarent statutum paupertatis et promitterent sub eodem juramento, quam cito venirent ad pi[n]guiora et possent satisfacere nacioni, quod tunc per se, si essent Parisius, vel per alios si certos nuncios possent habere, satisfacerent nacioni sine ulteriori dilacione. Et sic prenominati quatuor allegantes paupertatem in nacione juraverunt procuratori et nacioni.

Hic habetur juramentum determinancium petencium dilacionem bursarum.

(*Fol.* 24 ^b^) Isti sunt determinantes istius anni [2].

Primo determinavit dominus Gerardus de Stella sub magistro Philippo Pynck, cujus bursa VII solidi. Solvit.

Item dominus Arnoldus Tygel de Xanctis sub magistro Meynardo de Tyele, cujus bursa II solidi et IIII denarii. Solvit.

Item dominus Hermannus Everhardi de Swecia sub magistro Paulo de Gelrya, cujus bursa VII solidi. Solvit.

Item dominus Thomas de Stramyglot Scotus sub magistro Johanne Forestarii, cujus bursa VII solidi et VI denarii. Posuit pignera.

Item dominus Jacobus Willelmi Boterman sub magistro Paulo de Gelria, cujus bursa VI solidi. Solvit.

Item dominus Nycolaus de Freynstat sub magistro Stenislao de Polonia, cujus bursa VII solidi. Posuit pignera.

Item dominus Thomas de Foresta sub magistro Johanne Forestarii, cujus bursa VII solidi et VI denarii. Solvit.

1. *Ms.* dalacione. *Sic et postea* p. 584, 19 et 23.

2. *In margine superiori repetitur* : Procuratoria magistri Hermanni Warendorpe. *Sic etiam fol.* 25ᵇ *et fol.* 26.

Item dominus Nycolaus Nellenburgh sub magistro Conrado de Haghenaio, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Item Johannes de Austria sub magistro Petro de Austria, cujus bursa nichil. Juravit statutum paupertatis.

Item dominus Nicolaus de Stetyn sub magistro Stenislao de Polonia, cujus bursa nichil. Juravit statutum paupertatis.

Item Cristianus de Ungaria sub magistro Stenislao de Polonia, cujus bursa nichil. Juravit statutum paupertatis.

Item determinavit dominus Albertus de Reynen sub magistro Meynardo de Tiela, cujus bursa XI albi.

Item 4ª die mensis Marcii[1] facta congregacione nacionis post sermonem apud Predicatores in domo capitulari ad supplicandum, supplicaverunt primo magister Hermannus Warendorp, protunc procurator nacionis, quia in scolis superioribus mediis prope Secanam, in quibus de mane ordinarie tunc consuevit legere, non esset pulpitum, quatenus nacio faceret ibi fieri pulpitum, et cathedram ejusdem scole transponeret ad alium locum, quia non esset bene ordinata et posita pro legendo in illa. Deinde supplicavit magister Petrus de Austria, cum ex certis causis esset iturus ad partes et in brevi intenderet redire quanto cicius poterit, quod si tempore ejus absencie illud cisma paparum determinaretur et fieri contingeret rotulum nacionis ad summum pontificem[2], quod tunc posset tanquam presens inrotulari. Supplicaciones istas nacio concessit, preter supplicacionem de transposicione cathedre illius scole, pro qua dedit deputatos habentes videre, an cathedra non bene seu inordinate sit posita; si sic, quod tunc transponeretur ad alium locum, si non, quod tunc maneat, vel idem magister faciat transponere met sub expensis propriis.

Item nona die mensis Marcii facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum in domo capitulari, circa 8ᵐ horam ad requestam magistrorum nacionis ad supplicandum, supplicavit magister Jacobus de Prucia, bachalarius in theologia, pro litera recommendatoria ad summum pontificem et eciam ad unum cardinalem. Cujus supplicacio non fuit concessa[3].

1380

Procuratoria magistri Henrici Magni de Suecia.

Anno Domini M CCC LXXIX, IXª die mensis Marcii, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem et ad supplicandum, supplicavit magister Jordanus[4], quatenus haberet duos vel tres deputatos ad audiendum compotum die dominica sequenti[5] immediate post sermonem. Cujus supplicacio fuit concessa. Et dati fuerunt deputati scilicet magister Johannes Hokelem et magister Hermannus Warendorp et procurator loco officii.

Item in eadem congregacione electus fuit magister Henricus de Suecia in procuratorem, qui eodem die solvit francum pro prima procuratoria. In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

Deinde facta congregacione deputatorum nacionis, scilicet quatuor[6] magistrorum ultra procuratorem et receptorem XIª die mensis Marcii, que fuit dominica *Judica*, post sermonem, in Sancto Maturino ad audiendum compotum receptoris, qui protunc computavit coram deputatis, et omnibus tam receptis quam expositis hinc inde compensatis mansit receptor nacioni obligatus in IX francis et aliquot solidis, qui protunc pro oneribus computancium cesserunt in vino, prout singuli requisiverunt. Et facta inductione super compoto, fuit compotus ab omnibus concorditer approbatus.

(*Fol.* 25) Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum XVIIIª die mensis Marcii super requesta facta contra magistrum Meynardum die precedenti in congregacione, ibidem electus et constitutus fuit idem magister Meynardus in examinatorem bachalariorum in Sancta Genovefa pro primo mense concorditer per nacionem, non obstante quod prius fuit subrogatus seu substitutus per magistrum Johannem Hokelem ad idem officium, non habito prius super hoc consensu nacionis.

1380

Continuatio magistri Henrici Magni in procuratoria.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum VIª die Aprilis ad eligendum procuratorem vel continuandum et ad audiendum compotum

1. *Quae fuit dominica.*
2. *Ad haec videas, quae supra* p. 581, *not.* 4, *observavimus.*
3. Cujus... concessa *postea deleta sunt.*
4. De Clivis, *qui tunc receptor fuit.*
5. 11 *Martii.*
6. *Quatuor solum, connumeratis procuratore et receptore.*

receptoris, et ad supplicandum, prorogacio fuit facta super compoto audiendo, et continuatus fuit procurator, scilicet magister Henricus Magni de Suecia. In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

Primo licenciatus fuit dominus Thomas de Stramiglot sub magistro Johanne Luberti[1], cujus bursa VII solidi et VI denarii. Solvit.

Item 2º licenciatus fuit dominus Johannes Lethe sub magistro Johanne Luberti, cujus bursa VII sol. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Bero Gregorii de Suecia sub magistro Johanne Luberti, cujus bursa VII solidi et VI denarii.

Item incepit dominus Bero sub magistro Johanne Luberti, cujus bursa VII solidi et VI denarii.

Deinde facta congregacione nacionis in Sancto Juliano XXª die mensis Aprilis ad eligendum examinatorem bachalariorum in Sancta Genovefa pro tercio mense, et ad supplicandum, supplicavit magister Henricus Magni, protunc procurator, pro una litera recommendatoria ad archiepiscopum Upsalensem[2], et alia ad capitulum ibidem, cujus supplicacio ab omnibus concorditer est concessa. Primus articulus, videlicet de electione examinatoris, non fuit expeditus, quia non fuit concordia.

Item licenciatus fuit Hermannus de Treysa sub magistro Jordano, cujus bursa VI solidi.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Bles[ia] sub magistro Gerardo Kalker, cujus bursa VIII sol.

Item licenciatus fuit Henricus Wise sub magistro Johanne Luberti, cujus bursa VI solidi.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Menteler sub magistro Gerardo Kalker, cujus bursa VII solidi et VI denarii.

Item licenciatus fuit dominus Hermannus Ewerardi de Suecia sub magistro Jordano, cujus bursa VII solidi.

1380

Procuratoria magistri Hermanni de Warendorpe.

Anno Domini Mº CCCᵐᵒ octuagesimo[3], die sexta mensis Maii, facta congregacione nacionis Anglicane in domo capitulari apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem officiariosque, scilicet examinatorem determinancium ac licenciandorum in quinta et sexta audicionibus examinis Sancte Genovefe, et ad audiendum computum receptoris, dilatus erat computus receptoris. Electus erat concorditer in procuratorem nullo reclamante magister Hermannus de Warendorpe, et in examinatorem supradicti magister Johannes Luberti.

[Licenciati.]

Licenciatus fuit dominus Thomas de Foresta sub magistro Meynardo de Tyela, cujus bursa VII solidi et VI denarii. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Petri de Scoenhovia sub magistro Nycolao de Morancuria[4], cujus bursa III solidi. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Nycolaus Freynstat sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VII sol. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Brunulphus Karoli sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VIII s. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Austria sub magistro Jordano [de] Clivis, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Item licenciatus fuit dominus Henricus Mole sub magistro Johanne Pertusone[5], cujus bursa VI solidi. Solvit.

[Incipientes.]

(*Fol. 25 ᵇ*) Incepit dominus Thomas Stramiglot Scotus sub magistro Johanne Luberti, cujus bursa VII solidi et VI denarii. Solvit.

Item dominus Johannes Lethe Scotus incepit sub eodem magistro, cujus bursa VII solidi. Solvit.

Item incepit dominus Hermannus de Treysa sub magistro Conrado de Hagnoia[6], cujus bursa VI sol. Solvit.

Item incepit dominus Johannes Menteler sub eodem, cujus bursa VII solidi et VI denarii. Solvit.

Item incepit dominus Johannes Petri de Scoenhovia sub magistro Nycolao de Morancuria, cujus bursa III solidi.

Item incepit dominus Hermannus Everhardi de Swecia sub magistro Johanne Luberti, cujus bursa VII solidi. Solvit.

Item incepit dominus Brunulphus Karoli sub eodem magistro Johanne Luberti, cujus bursa VIII s. Solvit.

1. *Ms. hic et postea* Lyberti.
2. Birger, *ab an.* 1367, *Julii* 23.
3. *Imprudentia scriptoris in msᵗᵒ :* septuagesimo nono.
4. *Fuit nat. Franciae, prov. Remens.*
5. *Nat. Normann.*
6. *Ms.* hagneya.

Item incepit dominus Henricus Mole sub magistro Luberti, cujus bursa VI solidi. Solvit.

Item incepit dominus Henricus Wyse sub eodem magistro, cujus bursa VI solidi. Solvit.

Isti sunt qui solverunt in ista procuratoria jocundum introitum.

Item in fine cujusdam congregacionis generalis nacio intravit tabernam in vico prope parvum pontem *ad gallum et gallinam*, et ibidem trium magistrorum quilibet, scilicet magister Johannes Lethe Scotus, magister Hermannus de Treysa, et magister Johannes Menteller[1], solvit unum francum pro jocundo introitu in primam congregacionem Universitatis.

Item supplicarunt bedelli, quod cum emolumenta eorum a nacione pro isto anno fuerunt multum tenuia propter paucitatem graduatorum, quatinus nacio dignaretur eis graciose subvenire ultra ea, que de rigore eis competerent. Protunc nacio concessit eis XII francos, quorum octo haberet bedellus principalis, subbedellus vero quatuor, addens quod utique in futurum ad consequenciam non traheretur.

1380

Continuacio magistri Hermanni de Warendorpe in procuratoria.

Anno Domini quo supra, mensis Junii die secunda, facta congregacione Anglicana hora primarum apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, computavit dominus receptor, et paratus erat computare; tamen ex communi consensu magistrorum protunc dilatus erat computus receptoris.

Deinde electus erat in procuratorem concorditer nullo reclamante magister Hermannus de Warendorpe.

Post congregacionem vero nacio intravit tabernam, et ibidem duorum magistrorum quilibet, scilicet magister Hermannus Everhardi de Swecia et magister Brunulphus Karoli, solvit unum francum pro jocundo introitu in primam congregacionem Universitatis. Item dictus procurator tunc electus eciam graciose et liberaliter solvit XX solidos, quos receptor nomine nacionis debebat sibi tradere racione procuratorie per vacaciones, ut dicebat idem receptor.

Incepit dominus Johannes Mullechner de Austria sub magistro Johanne de Maguncia, cujus bursa nichil. Juravit statutum paupertatis.

Item licenciatus fuit dominus Jacobus Wilhelmi Boterman sub magistro Hermanno Warendorpe, cujus bursa VI solidi. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Sthephanus (*sic*) Boet sub magistro Johanne Luberti, cujus bursa IIII sol. Posuit pignera.

Item licenciatus fuit dominus Johannes Repere de Monasterio sub magistro Hermanno Warendorpe, cujus bursa VI solidi. Posuit pignera.

Item licenciatus fuit dominus Johannes de Colonia Scotus sub magistro Guillelmo Gorren, cujus bursa VI solidi. Solvit.

Item incepit dominus Nycolavus de Freynstat sub magistro Mathia de Bohemia, cujus bursa VII solidi. Solvit.

Item incepit dominus Jacobus Guillelmi Boterman de Scoenhovia sub magistro Hermanno Warendorpe, cujus bursa VI solidi. Solvit.

Item incepit dominus Johannes de Colonia Scotus sub magistro Johanne Forestarii, cujus bursa VI sol. Solvit.

Item incepit dominus Sthephanus Boet sub magistro Johanne Luberti, cujus bursa IIII solidi. Posuit pignera.

Item redemit pignera sue determinancie Reynoldus de Vinea, cujus bursa VI solidi et VI denarii.

Item redemit pignera sue licencie dominus Johannes de Monasterio, cujus bursa IIII solidi.

Item recepit receptor ab Universitate IIII francos nomine nacionis, et in hoc solutum est nacioni nostre in toto de mutuatis Universitati.

Item recepit idem II francos pro locagio scolarum nostrarum superiorum, quarum proprietarius est magister Guibertus medicus.

Item redemit pignera sue determinancie dominus Thomas Stramiglot, cujus bursa VII solidi et VI denarii.

Item facta congregacione nacionis in Sancto Juliano ad supplicandum, supplicavit magister Hermannus Warendorpe pro ipso et fratre ejus magistro Frederico pro literis recommendatoriis, cujus supplicaciones erant concesse ab omnibus.

(*Fol. 26*) Item quadam die sequenti facta congregacione nacionis Anglicane per juramentum ad habendum consilium, qualiter esset procedendum in factis

1. *Nomina horum trium magistrorum solventium in margine superiori etiam scripta sunt, ne scribendo registrum exciderent de memoria procuratoris.*

super quodam supposito, nomine Ottonis de Dymaryngia, de quo erat controversia et lis inter nacionem Anglicanam et Gallicanam, ad cujus nacionem pertineret[1]; quia protunc procurator cum aliquibus magistris dicte nacionis Gallicane requisiverant dominum rectorem, ut super isto faceret fieri congregacionem facultatis arcium ad audiendum motiva et raciones parcium hinc inde, et ulterius sentenciandi super illud quid juris, et secundum allegata tunc discutere dictam controversiam. Protunc nacio Anglicana deputavit discretos viros magistros, videlicet Jordanum de Clivis, mag. Matheum Glendowyne Scotum, Johannem de Angusia et magistrum Nycolaum Grynlau Scotos, ut cogitarent pro racionibus et motivis nacionis nostre, in casu quod Gallici in congregacione facultatis aliqua proponerent de controversia dicti Ottonis, quod tunc possent eciam allegare raciones et motiva nacionis pro se.

Item die dominica[2] post [festum] Bartholomei convocavi deputatos alios datos per nacionem ad audiendum computum receptoris nacionis, quibus congregatis hora nonarum Nostre Domine in Sancto Maturino, computavit idem dominus receptor coram eisdem, et omnibus tam receptis quam expositis per eum hinc inde computatis, mansit nacioni obligatus in XIX libris, IIII solidis et III denariis, que valent in francis XXIIII francos et III denarios, de quibus post computacionem ut moris est dedit magistris computantibus II solidos pro una quarta vini[3].

1380

(*Fol.* 27) Procuratoria magistri Heinrici Wyse.

Anno Domini M° CCC° LXXX°, die XXVII^a Augusti, facta congregacione nacionis Anglicane hora primarum apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem et ad videndum computum receptoris, qui die precedenti computaverat, et ad satisfaciendum omnibus magistris, promptus erat ad computandum publice, si qui audire computacionem voluerint. Sed protunc in eadem congregacione omnes magistri erant contenti in computacione die precedenti facta, qui protunc in eadem congregacione erant presentes.

Item in eadem congregacione electus erat in procuratorem concorditer a magistris nacionis predicte nomine ejusdem nacionis magister Heinricus Wyse, qui eodem die solvit francum pro prima procuratoria, sicut consuetum erat. In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

Item duodecima die mensis Septembris, scilicet anni predicti, factis congregacionibus Universitatis ac eciam nacionis in Sancto Maturino, supplicavit magister Heinricus de Euta[4] pro literis supplicatoriis ad episcopum[5], prepositum, decanum et capitulum civitatis Osnabrugensis, ut sibi distribuerent redditus prebende sue, sicut et aliis concanonicis, et secundum quod debent, quoniam hoc negaverant sibi; et in casu quod non proficerent sibi predicte litere supplicatorie, supplicavit ut sibi concederent literas citatorias. Cujus supplicacio concorditer fuit concessa.

Item anno eodem, XXI^a die mensis Septembris, facta fuit congregacio nacionis Anglicane in Sancto Maturino ad eligendum receptorem et ad audiendum computum antiqui receptoris, unanimiter et concorditer continuatus erat et electus in receptorem magister Jordanus de Clivis, qui eodem die solvit francum ut consuetum est in nacione *in angelo* prope Sanctum Maturinum. Et computus ejus dilatus erat usque ad proximam congregacionem, que erat super electione procuratoris XXIIII^a die mensis ejusdem.

1380

Procuratoria magistri Johannis dicti Mullechner de Austria.

Anno Domini M° CCC° octuagesimo, die vicesima quinta mensis Septembris, facta fuit congregacio nacionis Anglicane hora primarum in ecclesia sancti Juliani pauperis ad eligendum procuratorem et ad audiendum compotum domini receptoris, et in eadem congregatione electus fuit in procuratorem dicte nacionis ab omnibus magistris protunc in congregacione existentibus concorditer nullo reclamante magister Johannes dictus Mullechner de Austria, in cujus procuratoria acta sunt hec que secuntur.

Primo in eadem congregacione computavit dominus receptor, scilicet magister Jordanus de Clivis, qui tenebatur ultra exposita nacioni XVI libras, IX solidi et III denarios.

Item ultima die mensis Septembris facta fuit congregacio nacionis hora primarum ad Sanctum Matu-

1. *Et quidem jam an.* 1364. *Vid. supra* p. 297, 2. *In rotulo an.* 1379 *invenitur in nat. gallic., prov. Remens. Vid.* Chartul., III, p. 257.
2. 26 *Augusti.*

3. *Spatio duarum tertiarum paginae et unius integrae paginae* (*Fol.* 26^b) *vacuo relicto, sequitur Fol.* 27.
4. *I. e.* Oyta.
5. Theodericum de Horne, *ab an.* 1377, *Martii* 4.

rinum super distribucione scolarum et super supplicacionibus et injuriis, et supplicavit magister Jordanus de Clivis pro scolis nacionis novis super terram, in quibus diu legit. 2° supplicavit magister Johannes de Hokklem pro scolis magnis superioribus, scilicet super scolas magistri Jordani. 3° supplicavit magister Johannes Luberti pro scolis *septem arcium*. 4° supplicavit magister Johannes de Maguncia pro scolis novis parvis prope Secanam super terram, 5° supplicavit magister Johannes dictus Mullechner de Austria pro scolis supremis super parvas scolas prope Secanam. Et fuerunt iste supplicaciones omnes, cum viderentur racionabiles, concesse concorditer ab omnibus nullo reclamante. Et nulli plures supplicaverunt. Finita autem congregacione et magistris incipientibus recedere, venit magister Hermannus de Warendorp, dicens se nichil scivisse de congregacione ista, quia voluisset supplicavisse pro scolis mediis super scolas parvas prope Secanam, que adhuc vacabant. Attamen loquens cum aliquibus magistris dixit se fore contentum. Verumptamen dixerunt magistri, quod si contingeret aliquem magistrum non finire magnum ordinarium, quod non ullum magistrum de alia nacione intromitteret ad scolas suas sine scitu nacionis et bedelli.

Item 16ª die mensis Octobris facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Maturinum super supplicacionibus, supplicavit magister Jordanus de Clivis loco magistri Heinrici de Suecia pro literis testimonialibus cum aliquali recommendacione interserta secundum communem modum, secundum quod fuerint tales litere ad episcopum et capitulum dicti magistri Heinrici. Et fuit ab omnibus concessa tanquam rigorosa.

Item in eadem congregacione petivit procurator consilium a nacione super dissensione magistrorum, scilicet magistri Hermanni de Warendorp et magistri Gisonis de Colonia, quia magister Hermannus requisivit procuratorem ut sigillaret sibi literas recommendatorias ad papam et cardinales sibi alias a nacione concessas, magister autem Giso requisivit de opposito, et fecerunt fieri congregacionem sollempnem super isto facto, licet non esset facta. Petivit igitur procurator consilium a nacione quid (*Fol.* 27 ᵇ) faceret, et dixerunt Scoti et alii magistri aliqui, quod tales litere non possent concedi nisi nacione sollempniter vocata. Et quia forsan 4ᵒʳ magistri interfuerant alie congregacioni, quando sibi concedebantur, non potuerunt sibi concedere. Et idcirco requisivit magister Guillelmus Scotus de Sorbona procuratorem et receptorem et bedellum, ut nullo modo nec illas nec alias literas sigillarent; quod si facerent, vellet contra eos procedere omni posse suo, non tanquam contra procuratorem vel receptorem, sed contra privatas personas. Et quia procurator dixit, quod esset satis informatus a magistris, qui interfuerunt quod sibi concederentur, ipse magister Hermannus super hoc requisivit sibi fieri instrumentum publicum, etc.

1380

Acta sunt hec in procuratoria magistri Arnoldi de Ghyeze, alias de Arnhem.

Anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo, XXIIª die mensis Octobris, facta fuit congregacio nacionis Anglicane hora primarum apud Sanctum Julianum pauperem ad procuratorem eligendum et ad computum receptoris audiendum. In qua congregacione electus fuit in procuratorem dicte nacionis ab omnibus magistris illo tempore in congregacione existentibus concorditer, nullo reclamante, magister Arnoldus de Ghieze, et dilatus fuit computus receptoris. In cujus procuratoria facta sunt alia per ordinem que sequuntur.

Item decima die mensis Novembris facta fuit congregacio apud Sanctum Maturinum ad supplicandum, in qua congregacione supplicavit dominus Wynandus de Auersteghe pro litera testimoniali scolaritatis sue, cujus supplicacio fuit concessa.

Postea in eadem congregacione supplicavit magister Hermannus de Warendorp pro literis recommendatoriis ad summum pontificem et ad cardinales, cujus supplicacio concessa fuit sub tali forma, quod non fieret mencio per ipsum pro aliquibus absentibus et eciam aliis, qui non essent supposita Universitatis, hoc addito quod promoveret negocia magistrorum tunc temporis Parisius presencium in curia Romana, si opus esset, et quod non esset in prejudicium gracie vel persone alicujus magistri nacionis. Postea supplicavit in eadem congregacione pro litera supplicatoria et recommendatoria ad cancellariam curie Romane, quia litere sue et supplicatione[s] non poterant transire cancellariam, ut ipse cancellarius tales transire permitteret. Cujus supplicacio eciam fuit concessa.

Item quartadecima die mensis Novembris facta congregacione nacionis Anglicane per juramentum apud Sanctum Julianum pauperem ad ordinandum de festo sancti Eadmundi, scilicet de cantoribus, de ornamentis, de prandio et de pecunia habenda pro

festo, deliberatum fuit per majorem partem nacionis tunc in congregacione existentis, quod non expediret habere cantores alienos et speciales sub expensis nacionis, sed quod quilibet *voce Almanica cantaret, quanto dulcius sciret*, et quod bedellus videret de ornamentis si poterit aliunde concedere absque expensis nacionis. Et eciam pro majori parte deliberatum fuit, quod haberemus prandium, et quod quilibet magistrorum nacionis Anglicane daret tres solidos, et nacio provideret de residuo. Et hoc de magistris in prandio existentibus, quia nacio non haberet magnam pecuniam, ut retulit dominus receptor.

Item sedecima die mensis Novembris prefati facta congregacione Universitatis per juramentum, post in eadem hora facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ad habendum procuratores, qui haberent emere et ordinare de prandio festi nacionis, et an expediret habere et rogare alias personas et invitare de nacione Anglicana, qui non essent magistri arcium Parisius, de communi consensu et unanimi nacionis electi fuerunt in procuratores magister Jordanus de Clivis, qui deberet ex officio quia receptor nacionis, magister Johannes Lubberti, magister Gyso Duysse de Ratingen, et magister Henricus de Rane Scotus. Et eciam quod non expediret aliquos vel aliquem invitari ad prandium, nisi magistros arcium nacionis Parisius.

1380

(*Fol.* 28) Acta sunt hec in procuratoria magistri Henrici de Rane Scoti.

Anno Domini millesimo trecentesimo LXXX^mo^, XX^mo^ die mensis Novembris, in vigilia sancti Edmundi regis, facta fuit congregacio nacionis Anglicane hora primarum apud Sanctum Maturinum ad procuratorem eligendum, et ad compotum receptoris audiendum, in qua congregacione electus fuit in procuratorem dicte nacionis ab omnibus magistris illo tempore in congregacione existentibus concorditer nullo reclamante magister Henricus de Rane Scotus, qui eodem die, prout deliberatum erat per majorem partem nacionis ibidem tunc existentis, solvit francum pro prima procuratoria sua, sicut consuetum erat. In cujus procuratoria acta sunt que secuntur.

In primis in eadem congregacione computavit dominus receptor nacionis, videlicet magister Jordanus de Clyvys in presencia omnium magistrorum protunc ibidem existencium, qui quidem magister Jordanus receptor predictus omnibus computandis computatis protunc tenebatur ultra exposita nacioni predicte in XII libris, XV solidis, et III denariis.

Item facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum XXIIII^to^ die mensis Novembris in nonis Nostre Domine ad ordinandum de aditu ad regem [1] pro faciendo sibi debitam reverenciam per Universitatem et ad proponendum sibi injurias per prepositum Parisiensem [2] Universitati factas tempore funeris regis Karoli ultimo defuncti [3], deliberatum fuit concorditer per omnes facultates, quod adiretur rex in crastino die per rectorem [4] et certos deputatos una cum magistris regentibus tantum.

Item XXVI^to^ die mensis ejusdem facta fuit congregacio Universitatis apud Bernartistas [5] in hora primarum Nostre Domine per juramentum ad audiendum relacionem responsionis regis et ad ordinandum de modo ulteriori prosequendi causam predictam motam contra prepositum, in qua congregacione acta fuerunt que secuntur.

Primo regraciabatur regi et suis avunculis ac omnibus aliis magnatibus ibidem protunc existentibus de grata et benivola responsione data Universitati de articulis presencie sue propositis. Item deliberatum erat concorditer per omnes facultates quod solicitator cause reciperet pre manibus XX francos, et quod de illis expositis redderet bonum compotum. Item deliberatum erat concorditer quod duces et prepositus mercatorum [6] adirentur solempniter per Universitatem pro reverencia eis adhibenda, ut mediantibus eorum conciliis et auxiliis cicius in causa pro utilitate Universitatis concluderetur. Item deliberatum erat quod copia confirmacionis privilegiorum presentaretur conciliariis regis pro renovacione confirmacionis eorundem optinenda.

1380

Acta sunt que sequuntur in procuratoria magistri Johannis Forestarii Scoti.

In primis facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum hora primarum Nostre Domine 17^a^ die mensis Decembris anno Domini millesimo CCC^mo^ octuagesimo, ad eligendum procuratorem novum et ad audiendum compotum recepto-

1. *Ms.* aditu regi.
2. Hugonem Aubriot.
3. *Vid.* Chartul., III, n° 1454.
4. Johannem de Angusia Scotum.
5. *I. e.* apud S. Bernardum.
6. *Verisimiliter jam* Johannes de Fleury, *sub quo praepositura mercatorum a Carolo VI an.* 1383, *Jan.* 27, *suppressa est. Vid.* Félibien, Hist. de la ville de Paris, III, p. 279.

ris, electus fuit in procuratorem magister Johannes Forestarii. Et computavit magister Jordanus de Clivis protunc receptor nacionis, cui omnibus computatis defalcatis et deductis dicta nacio remansit obligata in VIII francis, III solidis et V denariis [1].

1381

(*Fol. 28* ^{b}) Acta sunt hec que sequuntur in procuratoria magistri Arnoldi de Ghieze, alias de Arnhem.

Anno Domini millesimo CCC^{mo} LXXXI°, XIIII° die mensis Januarii, hora primarum facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum novum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Arnoldus de Ghieze concorditer, nullo magistrorum reclamante, et dilatus fuit computus receptoris.

1381

Procuratoria magistri Johannis Lethe Scoti.

Anno Domini millesimo CCC^{mo} LXXXI°, die XI^{a} mensis Februarii, hora primarum facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum in domo capitulari ad eligendum novum procuratorem officiariosque, scilicet examinatores determinancium ac licenciandorum pro primo, secundo et 3° mensibus examinis Sancte Genovefe, et ad audiendum compotum receptoris et ad supplicandum, electus fuit concorditer in procuratorem magister Johannes Lethe Scotus, nullo reclamante. In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

Primo auditus fuit compotus domini receptoris, scilicet magistri Jordani de Clivis, cui omnibus defalcatis defalcandis et computatis computandis nacio obligabatur in... (*sic*).

Item solvit dominus procurator XXIIII solidos, scilicet unum francum pro prima procuratoria, et VIII solidos pro remuneracione futura.

Item eodem die electionis procuratoris hora primarum Nostre Domine fuerunt electi examinatores determinancium et licenciandorum in examine Sancte Genovefe; electi fuerunt in examinatores determinancium magister Johannes de Magnucia et magister Hermannus de Warendorp et magister Arnoldus de Ghieze, in examinatores licenciandorum fuerunt electi magister Johannes de Hokelem pro primo mense, magister Johannes Lethe Scotus, protunc procurator, pro 2° mense, et magister Heinricus Wyse pro 3° mense.

Item eodem die in taberna *in gallo et gallina* pro primo mense Sancte Genovefe solvit magister Johannes de Hokelem VIII solidos, et magister Johannes Lethe pro 2° mense ejusdem examinis solvit VIII solidos, et pro 3° mense solvit magister Heinricus Wyse VI solidos.

Item eodem die supplicavit hora primarum dominus Johannes bedellus ex parte magistrorum Johannis Lubberti et Gherardi Enghelberti de Embrica, quod cum ipsi essent intencionis eundi ad partes suas, sperantes tamen ad studium Parisiense se breviter reversuros, quatinus, si contingeret fieri rotulum, quod nacio vellet ipsos admittere ad inrotulandum tanquam presentes, quorum supplicacio fuit protunc interempta.

Item eodem die et eadem hora supplicavit magister Stanislaus de Polonia ex parte magistri Mathie de Bohemia pro quibusdam literis recommendatoriis ad regem Bohemie [2] et ad archiepiscopum Pragensem [3], cujus supplicacio concessa fuit.

(*Fol. 29*) Anno Domini M^{o} CCC^{o} LXXXI°, die penultima mensis Februarii, facta congregacione Universitatis per juramentum regencium et non regencium apud Sanctum Maturinum in domo capitulari super duobus articulis, primus fuit de modo habendi pecunias pro facto Universitatis dandas procuratoribus, solicitatoribus, scriptoribus ac singulis pro Universitate laborantibus contra Hugonem Hobriot, dudum prepositum Parisiensem. 2us fuit super supplicacionibus et injuriis.

Super primo articulo, scilicet de modo habendi pecunias, multe per Universitatem tacte fuerunt vie. Inter tamen ceteras due principaliter et concorditer tacte fuerunt : prima fuit quod, cum Universitas quandam habu[er]it pecuniam, utpote mille francos, in archa Universitatis apud Nostram Dominam, quod de illa pecunia quantum opus esset caperetur, dummodo pecunia illa de primis obvencionibus Universitatis restitueretur, non obstante quod ille deliberacioni opposita fuit nacio Gallicana, cum dicebat quod, licet illa pecunia data fuisset Universitati, non poterat Universitas qualitercumque sibi placeret ipsam exponere, cum solum data fuit pro fundacione collegii suppositorum nacionis Gallicane. Alia fuit

1. *In margine inferiori scribitur :* Summa receptoris, in qua nacio sibi tenetur, XIIII franci, IX sol., IX den.

2. Wenceslaum.

3. Johannem de Jenzenstein.

via, quod facultas arcium Universitati mutuaret centum francos, et alie eciam facultates simul sumpte eciam tantum, scilicet C francos, Universitati mutuarent, dummodo tamen illa pecunia de primis Universitatis obvencionibus singulis facultatibus et nacionibus acommodantibus restitueretur. Sed dominus rector[1] protunc ultimam viam conclusit, non obstante quod alia via per omnes facultates concorditer fuit deliberata, dum tamen alie tres facultates non traherent ad consequenciam, quod si pro nunc facultas arcium mutuaret Universitati centum francos et tantum sicud alie tres facultates conjunctim mutuaverunt, quod eodem modo alias deberet fieri.

Super 2° articulo supplicaverunt duo magistri, primo magister Johannes Gowlein[2] frater Ord. beate Marie de Carmelo, quatinus rector cum deputatis vellet cuidam sue diete ipsum totumque conventum suum tangenti in parlamento interesse, cum alias, scilicet anno preterito, supplicacio ita sibi fuit concessa. 2° supplicavit magister Bertoldus de Mulhousen nacionis Anglicane pro literis testimonialibus magisterii. Quorum supplicaciones concesse fuerunt, dummodo ille litere testimoniales fierent in forma communi, et nulli singulari persone dirigerentur.

Item anno Domini M° CCC° LXXXI° die penultima mensis Februarii facta congregacione nacionis Anglicane in nonis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum in domo capitulari per juramentum regencium et non regencium super modo habendi pecunias, Universitati per nacionem mutuandas, deliberatum fuit concorditer per omnes magistros protunc ibidem existentes, quod propter paucitatem magistrorum et seniorum absenciam die sequente post sermonem fieret congregacio nacionis per juramentum regencium et non regencium sub omni pena, quam nacio potest eis imponere, scilicet sub pena juramenti, resecacionis[3], privacionis etc. ad videndum de modo habendi istas pecunias, cum protunc nulle forent in nacione pecunie, ymo in quadam summa pecunie nacio obligabatur magistro Jordano de Clivis protunc receptori nacionis.

Item anno Domini M° CCC° LXXXI°, ultima die mensis Februarii, facta congregacione nacionis Anglicane per juramentum post sermonem super duobus articulis apud S. Maturinum in domo capitulari, primus fuit super modo habendi pecunias Universitati per nacionem mutuandas. Super quo concorditer fuit deliberatum quod, cum Universitas deliberaverit concorditer quod pecunia quedam existens in Nostra Domina in archa Universitatis Universitati pertineret, quod quantum opus esset de illa pecunia Universitas acciperet, ipsam tamen primis suis obvencionibus restituendo : non esset de intencione nacionis aliquam mutuare Universitati pecuniam, nisi illa pecunia prius accepta. In casu tamen quo via ista haberi non posset, placeret nacioni mutuare Universitati partem suam illius numeri centenarii supradicti, dummodo illa pecunia secundum supposita traderetur et distribueretur, et non secundum naciones.

2us articulus fuit super supplicacionibus, et supplicavit magister Willelmus Narne ex parte magistri Symonis de Ketnes Scoti, quod cum ipse magister Symon non esset Parisius tanquam residens vel scolaris, set tanquam legatus vel peregrinus, quod nacio vellet ipsum habere excusatum, si futuris nacionis congregacionibus non interesset. Cujus supplicacio concessa fuit, nisi in casu quo nacio adeo magnum negocium haberet pertractare, racione cujus merito interesset[4]. 2° supplicavit dominus Johannes bedellus, ut nacio vellet ipsum excusare erga magistrum Simonem predictum, qui iratus fuit erga eum propter hoc, quod ipsi congregaciones intimavit, ipso non existente Parisius per modum scolaris, ut premittitur. Cujus supplicacio concessa fuit, et datus fuit magister Willelmus Narne ad ipsum excusandum.

(*Fol. 29 b*) Determinantes istius anni.

Primo determinavit dominus Robertus Kardeny Scotus sub magistro Willelmo Trebron, cujus bursa VII solidi, IIII denarii. Solvit.

Item determinavit dominus Jacobus de Edam sub magistro Johanne Hokelem, cujus bursa VII solidi. Solvit.

Item determinavit dominus Johannes Douglas Scotus sub magistro Willelmo Trebron, cujus bursa VI solidi. Solvit.

Item determinavit dominus Guillelmus de Stramyglot Scotus sub magistro Willelmo Trebron, cujus bursa VII solidi, IIII denarii. Posuit pignora.

Item determinavit dominus Nicholaus de Monykedam sub magistro Johanne de Hokelem, cujus bursa VII solidi, IIII denarii. Solvit.

1. Johannes de Salice, *nat. Gallicanae, Vid.* Chartul., III, n° 1457.
2. *Seu* Goulein, *de quo saepe in* Chartul., III.
3. *Ms.* resiccacionis.
4. *Symon de Ketnes jam per longum temporis spatium absens fuit, ut ex hoc libro apparet, et nunc solum ut hospes et viator Parisiis morabatur. Nihilominus membrum Universitatis remansit. An.* 1362, *Dec. fuit scoloris jur. can. et* nuper rector Universitatis, *canonicus Aberdonens.* (*Reg. Supplic. Urbani V, an.* 1, p. 1, fol. 73b.)

Item determinavit dominus Heinricus Gickeler de Lynss sub magistro Hermanno de Treysa, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item determinavit dominus Egidius Bartholomei de Jutfaes sub magistro Johanne Lubberti, cujus bursa III solidi. Posuit pignora.

Item subdeterminavit dominus Skeldulphus de Norvegia sub magistro Hermanno de Treysa, cujus bursa nichil. Juravit statutum paupertatis in plena nacione.

Item determinavit dominus Heinricus de Mondrechainge [1] sub magistro Johanne Lubberti, cujus bursa II solidi. Dedit nacioni literam obligatoriam pro viginti solidis parisiens., quia juravit juramenta solita jurari.

Item anno Domini M° CCC° LXXXI°, die quarta mensis Marcii, facta congregacione nacionis Anglicane per juramentum regencium et non regencium in domo capitulari apud Sanctum Maturinum super tribus articulis, primus est : Cum deliberatum [esset] per Universitatem concorditer quod facultas arcium Universitati centum francos mutuaret, et alie tres facultates simul eciam tantum mutuarent, in casu quo pecunia Universitatis in archa apud Nostram Dominam haberi non posset, et jam singule alie facultates et naciones partem predicte pecunie dedissent : ne videretur quod nacio vellet se partem facere contra Universitatem et non prosequi deliberata Universitatis, fuit positum in deliberacione, an expediret quod nacio concederet Universitati XXV francos. 2us articulus fuit, cum determinantes [2] multa juramenta jurantes, ad que tamen non astringuntur sepissime per juramenta, et specialiter jurantes ultimos 4^or^ articulos contentos in *libro nacionis*, qui sunt de constitucione domini Urbani pape quinti [3], propositum fuit in deliberacione an expediret quod illos quatuor ultimos articulos predictos non jurarent. 3us fuit super supplicacionibus.

Super primo deliberatum fuit quod cum nacio nullo modo se vellet fore disparem ab aliis facultatibus et nacionibus, deliberavit quod ipsa libenter mutuaret suam 4^am^ partem centenarii, puta XXV francos, sub protestacione tamen quod non traheretur ad consequenciam, quia alias hoc esset in prejudicium facultatis arcium. Et cum protunc nacio non habebat pecunias communes, fuit deliberatum quod caperetur pecunia ab illis qui alias obtulerunt nacioni mutuare, scilicet a magistro Johanne de Angusia Scoto una quarta summe predicte, et a magistro Nicholao de Grinlaw Scoto due quarte, et 4^am^ concederet dominus receptor, scilicet magister Jordanus de Clivis, et de primis obvencionibus nacionis illa bene restituerentur.

Super 2° deliberatum fuit, quod cum ad illos ultimos 4^or^ articulos per papam non astringebantur ad jurandum, nec eciam ad illos jurandum deberent per nacionem astringi, sed solum hortari debent.

Super 3° supplicaverunt duo pro dilacione bursarum, cum in prompto non habebant pecunias, quod nacio vellet expectare quousque magis potentes essent ad solvendum, scilicet dominus Guillelmus de Stramyglot Scotus et dominus Nicholaus de Monykedam. Quorum supplicaciones concesse fuerunt cum addicionibus communiter solitis addi, scilicet quod ponerent pignora que nacioni viderentur illam pecuniam valere, et quod nisi infra tres menses illa pignora redimerent, ipsa manerent in disposicione nacionis. Et protunc in nacione juravit paupertatem dominus Skeldulphus de Norvegia, et supplicavit pro quitancia suarum bursarum, cum pauper esset. Cujus supplicacio concessa fuit, dummodo procuratori juramenta solita jurari juraret.

(*Fol. 30*) Item anno Domini M° CCC° LXXXI°, mensis Marcii die VII^a^, facta congregacione nacionis Anglicane regencium et non regencium per juramentum apud Sanctum Maturinum super duobus articulis, primus fuit ad audiendum aliqua que magister Johannes Munscheman de Maguncia nacioni vellet proponere tangencia honorem nacionis ; 2us fuit super supplicacionibus.

Super primo dictus magister Johannes dixit, quomodo alias propter defectum procuratoris ipse, existente congregacione Universitatis, locum tenuerit ejusdem deliberata nacionis reddendo. Verum est quod aliqua ibidem fuerunt dicta de quadam permutacione, quam voluit quidam magister facere de

1. *Qui infra* de Munderkense, Muderkense *nominatur*.
2. *Primo* bachalarii *scriptum erat*.
3. *Hi articuli desunt in fine* juramentorum determinatorum *in* Chartul., II, n° 1185, 4 (p. 674) *editorum, cum desumpti sint e Statutis an.* 1366 (Chartul. III, p. 144 *sqq*.), *sed inveniuntur in* Libro nationis, *Bibl. nat. ms. N. a. l. 535, fol. 135 :*

Item portabitis cappam vel epytogium eundo ad scolas vel ad sermonem, maxime a festo Omnium Sanctorum usque ad finem magni ordinarii.

Item audiendo lectiones vestras sedebitis coram magistro supra terram, non in sedibus elevatis a terra.

Item quod audivistis *Doctrinale* et *Grecismum*, si in studiis aut aliis locis, ubi grammaticalia didicistis, dicti libri legantur, Veterem artem totam, librum *Thopicorum*, saltem quatuor libros, libros *Elenchorum*, *Priorum*, *Posteriorum*, librum *de Anima* in toto vel in parte.

Item fuistis Parisius ad minus per duos annos complete.

quadam cappellania Universitati pertinente, que permutacio concessa fuit secundum morem solitum, dummodo permutans et ille cui permutaretur in Universitate comparerent, et cui permutaretur esset Universitati juratus. Nichilominus dominus rector protunc literas permutacionis sigillavit magno sigillo Universitatis et quoddam instrumentum super eodem confectum, non obstante quod rector fuit requisitus per procuratorem dicte nacionis, quod illas literas non sigillaret nisi prius in Universitate lecte essent, et specialiter non sigillaret instrumentum, cum ibidem nominabatur alter paparum, puta Clemens VII^us^, si dici debeat Clemens[1]. Deliberatum autem fuit per tres facultates, quod in talibus permutacionibus solum sigillarentur litere, et non instrumenta, magno sigillo Universitatis, in quibus alter[2] paparum nominaretur. Super quo dictus magister Johannes peciit instrumentum, et supplicavit quod illud factum reputaretur factum nacionis. Que supplicacio concessa fuit.

Super 2° supplicaverunt duo, primo supplicavit dominus Egidius Bartholomei de Jutfaes pro dilacione bursarum sue determinancie, que supplicacio concessa fuit secundum morem solitum, dummodo sufficiencia vadia poneret nacioni, et quod ultra terminum trium mensium vadia starent ad voluntatem nacionis, etc. 2° supplicavit dominus Heinricus de Mondrechainge quod cum ipse protunc non habebat pecuniam, cum qua satisfacere posset nacioni pro bursis sue determinancie, nec eciam pignora tantam pecuniam valencia, supplicavit quatinus nacio vellet de ipso sumere literam obligatoriam pro tanta pecunia quanta[m] ipse pro bursis suis exponeret. Que supplicacio fuit concessa, dummodo procuratori juramenta solita jurari ad hoc juraret.

1381

Procuratoria magistri Hermanni de Warendorpe.

Anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, mensis Marcii die XI, facta congregacione nacionis Anglicane hora primarum apud Sanctum Julianum pauperem ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris et ad supplicandum, dilatus erat computus receptoris, quia legitime impeditus propter temptamen. Et electus erat in procuratorem magister Hermannus de Warendorpe concorditer nullo reclamante. In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

(*Fol. 30 b*)[3] Item facta congregacione nacionis Anglicane per juramentum regencium et non regencium in Sancto Maturino hora primarum, sabbato proximo[4] ante dominicam *Letare*, de modo habendi peccuniam ad satisfaciendum seu solvendum magistris, quibus tenebatur nacio, et ad supplicandum; super primo deliberavit nacio quod receptor una cum procuratore et uno alio magistro visitarent archam nacionis, et reciperent libros impigneratos, et darent vendicioni, et ex pecunia proveniente ex illis et ex determinantibus, licenciandis et incepturis solverentur magistri, quibus teneretur nacio. Item supplicavit protunc magister Andreas Zuderman de Tremonia, attento ut asseruit quod venit Parisius causa proficiendi ac studendi, quatinus nacio ex tunc illa die suprascripta vellet ipsum reputare presentem et scolarem, et super hoc sibi concedere ac dare literam testimonialem, si contingerit.

Item licenciatus fuit dominus Robertus de Cardeny Scotus sub magistro Johanne de Maguncia, cujus bursa VII solidi et IIII denarii.

Item licenciatus fuit dominus Cristianus de Ungaria sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa nichil; juravit statutum paupertatis.

Item incepit dominus Robertus de Cardeny Scotus sub magistro Gerardo de Kalker, cujus bursa VII s., IIII denarii.

1381

Acta sunt hec in procuratoria magistri Johannis de Hokelem[5].

Item VII^a^ die mensis Aprilis facta congregacione nacionis in Sancto Maturino ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Johannes de Hokelem ab omnibus magistris tunc presentibus in eadem congregacione.

Item compotus receptoris in dicta congregacione non fuit auditus, quia receptor legitime impeditus dicte congregacioni interesse non potuit.

1. *In instrumentis praeter notam temporis semper annus pontificatus papae regnantis exprimebatur. Cum multi Universitatis illo anno minus pro Clemente VII starent quam an.* 1379, *ut apparet ex instrumentis an.* 1381, *Maii* 20, *Junii* 15 (*vid.* Chartul. III, *De Schismate*), *immo potius contra Clementem, ut ibid. et e superioribus liquet: Universitas tunc in eam sententiam inclinabat, ut instrumenta non sigillarentur sigillo Universitatis, in quibus Clemens VII nominatur, ut occasio adimeretur dicendi, Universitatem magis Clementi VII quam Urbano VI adhaerere. Ex supra relatis et ex aliis actis apparet, minime omnes hujus opinionis fuisse.*

2. *Scil.* Clemens VII.

3. *In margine superiori* : In procuratoria mag. Hermanni de Wnrendorpe.

4. 23 *Martii.*

5. *Iteratur nomen* Hoketem.

Item licenciatus fuit dominus Jacobus de Edam sub magistro Johanne de Maghuncia, cujus bursa VII solidi.

Item XX^a^ die mensis Aprilis facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad supplicandum, supplicavit dominus Cristianus de Ungaria pro remissione bursarum sue incepcionis, cujus supplicacio concessa fuit, quia juravit statutum paupertatis.

Item incepit dictus magister Cristianus de Ungaria sub magistro Johanne de Austria, cujus bursa nichil.

Item in supradicta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum celebrata magister Stanislaus de Polonia, cui nacio alias concessit quasdam literas recommendatorias ad regem Bohemie et ad archiepiscopum Pragensem ex parte magistri Mathie de Bohemia [1], supplicavit idem magister Stanislaus pro renovacione date dictarum literarum alias sibi concessarum, cujus supplicacio concessa fuit.

Item XXV^a^ die mensis supradicti facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ad supplicandum, supplicavit magister Johannes de Austria pro litera testimoniali super magisterio suo, cujus supplicacio ab omnibus fuit concessa.

Item in eadem congregacione protestabatur dictus magister Johannes de Austria, quod ipse volebat recedere de Parisius non animo deserendi studium, sed quod in partibus suis esset aliqua sibi multum utilia et necessaria facturus et expediturus, et demum Parisius brevissime reversurus, dimittens etiam Parisius in Parva Sarbona, in qua morari consueverat, quasi omnes res suas, videlicet libros et alia utensilia, quare dictus magister requisivit quod ejus absencia sibi in nullo prejudicaret, sed quod tanquam presens haberetur, et quod in scolis sibi per nacionem concessis ad minus usque ad finem ordinarii servaretur in possessione.

(*Fol. 31*) Item licenciatus fuit dominus Reynoldus de Vinea sub magistro Johanne de Hokelem, cujus bursa VII solidi. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Hugho de Landau sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VII sol. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Nicolaus de Cuba sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VII sol. Solvit.

Item licenciatus fuit dominus Michael de Francfordia sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VII solidi. Solvit.

Item magister Cristianus de Ungaria solvit francum de jocondo suo introitu, et fuit ille francus perpotatus in taberna *ad malleos*, pluribus magistris presentibus.

Item incepit dominus Jacobus de Edam sub magistro Johanne de Hokelem, cujus bursa VII solidi. Solvit.

Item incepit dominus Reynoldus de Vinea sub magistro Johanne de Hokelem, cujus bursa VII sol. Solvit.

Item incepit dominus Hugho de Landau, sub magistro Johanne de Maguncia, cujus bursa VII sol. Solvit.

Item incepit dominus Michael de Francfordia sub magistro Conrado de Hagnoya, cujus bursa VII sol. Solvit.

Item incepit dominus Nicolaus de Cuba sub dicto magistro Conrado de Hagnoya, cujus bursa VII sol. Solvit.

Notandum quod tres suprascripti, videlicet dominus Hugho de Landau, dominus Michael de Francfordia et dominus Nicolaus de Cuba determinaverunt seu baccalariatum in alia universitate receperunt, ubi juraverunt, quod illum gradum [nec] Parisius, nec alibi reiterarent, et ob hoc dispensatum fuit cum eis per nacionem, solutis tamen solvi consuetis per determinantes Parysius, et juratis juramentis baculariorum solitis, que alias juratis per eosdem in recepcione bacalariatus in alia Universitate non repugnant. De dicta autem dispensacione se intromisit nacio sine consensu facultatis, quia licenciati erant apud Nostram Dominam.

1381

Acta sunt hec in procuratoria magistri Andree Suderman de Tremonia.

Item facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCC° LXXXI°, mensis Maij die VI^ta^, ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Andreas Suderman de Tremonia ab omnibus magistris tunc presentibus in eadem congregacione.

Item compotus receptoris in dicta congregacione non fuit auditus, quia legittimis causis impeditus.

Item octava die mensis Maij congregacione facta nacionis apud Sanctum Maturinum, infrascripti supplicaverunt in nacione, et eorum supplicaciones fuerunt concesse, nemine contradicente.

1. *Vid. supra* p. 598, 21.

In primis magister Hermannus de Warendorp pro se et pro magistro Frederico fratre suo supplicavit literas testimoniales super gradu magisterii recepto, sigillandas sigillo nacionis, et concesse sunt.

Item magistri Jacobus Edam et Reynoldus de Vinea protestati fuerunt quod non animo deserendi studium sed querendi viaticum pro victu et vestitu studii intenderent ire ad partes; unde supplicarunt nacioni quod si medio tempore absencie sue contingeret fieri rotulum ad papam, quod admitterentur inscribi, et eorum supplicaciones fuerunt unanimiter concesse.

Item dicti magistri, nec non magistri Hugho de Landau, Michael de Francvordia, Nicolaus de Cuba [1] predicta die nacioni simul existenti in prandio solverunt jocundum introitum, quilibet francum.

(*Fol. 31*[b]) Item licenciatus est dominus Wilhelmus Stramiglot Scotus sub magistro Johanne de Maguncia, cujus bursa VII solidi et IIII denarii.

Item magister Johannes Lethe Scotus supplicavit in nacione, cum ipse proponeret ire ad partes : si medio tempore contingeret fieri unionem in ecclesia Dei et rotulum fieri, quatinus eciam eo absente ad dictum rotulum admitteretur et inscriberetur. Et nacio supplicacionem suam concessit.

Item super questione, que vertebatur super heresi inter Universitatem Parisiensem ex una parte, et dominum Hugonem Aubriot militem, prepositum, ex altera, domini episcopus [2] et inquisitor heretice pravitatis [3] judices sedentes prope hospitale atrii ecclesie Parisiensis in alto, et dicto Hugone ibidem in alto appendiculo pro eo facto stante, rectore vero Universitatis ex opposito cum suis deputatis in alto sedentibus, iidem judices dictum reum tamquam hereticum et heretice pravitatis fautorem condempnarunt ad perpetuos carceres. Acta sunt hec annis quibus supra, mensis Maij XVII[a] die [4].

Item XX[a] die mensis Maij congregacione solempni facta Universitatis apud Sanctum Bernardum super positis in deliberacione in scriptis per dominum rectorem, cujus scripti effectus erat, an expediret Universitatem laborare modis et via quibus posset, ut scisma subortum super papatu submoveretur, et non videretur esse convenientior modus nisi per consilium generale : ad igitur viam illam procurandam apud dominos temporales et spirituales conclusum est in Universitate fore utile [5]. Respondit tamen nacio nostra, ante omnia protestando quod *non intenderet recedere a mandatis, jussionibus et obediencia superiorum suorum* [6], sed eis firmiter insistere et obedire : pro bono tamen pacis et unionis universalis ecclesie et honore hujus alme Universitatis via per dominum rectorem proposita videtur ad presens fore tuta, sana et expediens, et in eam consenciunt quantum in eis est, et nedum in hanc, sed in quancumque aliam racionabilem et justam, per quam presens (proch dolor!) divisio posset de medio submoveri, etc.

Item licenciatus est dominus Wilhelmus de Camera Scotus sub magistro Johanne de Hoeclem, cujus bursa V solidi cum dimidio.

Item licenciatus est dominus Arnoldus de Xanctis sub magistro Johanne de Hoeclem, cujus bursa V solidi.

Item feria 3[a] [7] ante festum Penthecosten in presencia mei procuratoris, magistri Jordani de Clivis, magistri Johannis Bersword, magister Hugho de Landau protestatus est, se ire ad partes non animo deserendi studium, sed querendi viaticum pro dicto studio suo continuando.

Item incepit dominus Arnoldus de Xanctis sub magistro Johanne de Hůckelem, cujus bursa V solidi.

Item congregacione nacionis facta apud Sanctum Maturinum ad audiendum computum receptoris et ad eligendum procuratorem, receptor computavit, et de omnibus receptis ad exposita manet receptor debens nacioni in IIII francis et XV solidis.

1. *Ms. addit* qui.
2. Aymericus.
3. Jacobus de Marcya, *Ord. Praed.*
4. *Vid.* Chartul. III, n° 1457, not. *Celebre est hoc factum in historia Universitatis. Quidam amicus Petri de Ailliaco scribit in Bibl. nat. Paris., ms. lat.* 15107, *fol.* 196, *an.* 1387 : Nota est ejus (Universitatis) constancia in Hugonem Aubriot, prepositum tunc Paris., a fidei ac nature legibus exorbitantem. Deus optime! quot acta sunt ne hujus (Hugonis) iniquitas vindicari quereretur, quot a viris summis sinistre infortunitatis grandia verba, quante minaces litere, quot rursus supplicaciones : ad que omnia opponebat (Universitas) illam Petri interrogacionem [*Spatium in ms*[to]], quantis sumptibus ipsa vexata est, quot attrita laboribus! Accedebat ingentis prius elacionis fracta duricies, et quam miserabiliter orare, flere ac misericordiam implorare. Sed a recti sede non amplius mota est Universitas « quam si dura silex vel stet Marpesia cautes », ut Maro ait (Verg., Aeneid., VI, 471). Personales autem injurie, quamvis gravissime, posthabite sunt, segnisque earum prosequtio hucusque permansit : adeo apud eam lese fidei quam suorum cura major. Verum is (Hugo), qui nec Deum nocere sibi posse, nec hominem, ut fassus est, arbitrabatur, post solempnem revocationem perpetuo carceri adjudicatus est
5. *Vid.* Chartul. III, *De Schismate, ad h. an.*
6. *Scil. episcoporum, ad quorum dioeceses pertinuerunt, et principum suorum.*
7. 28 *Maii.*

1381

(*Fol. 32*) Acta sunt hec in procuratoria magistri Johannis Bersword de Tremonia.

Item anno Domini M° CCC° LXXXI°, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum tercia die mensis Junii ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Johannes Bersword de Tremonia ab omnibus magistris tunc presentibus.

Item in eadem congregacione computavit dominus receptor, et computus ille ab omnibus receptus erat et approbatus.

Item in eadem congregacione supplicaverunt bodelli, quod cum emolumenta eorum propter paucitatem suppositorum nacionis parva et tenuia fuerant, quatinus nacio eis graciose dignaretur subvenire ultra ea que de rigore consueverunt habere. Et protunc nacio considerans magnos labores bodellorum et parvum lucrum, annuit supplicacionibus eorum, eis dans pure graciose XII francos eis numerandos de pecunia, quam Universitas dicte nacioni tenetur. Et istorum XII francorum octo habebit magnus bodellus, subbodellus vero IIII. Hec autem pure graciose facta sunt, volens nacio quod istud ad consequenciam trahi non debeat.

Item facta ista congregacione magistri nacionis intraverunt tabernam, ubi dictus procurator solvit francum pro jocundo introitu, et XX solidos quos receptor nomine nacionis sibi dare debuit racione procuratorie per vacaciones, protunc pure graciose et liberaliter, nulla via juris astrictus, causa societatis dictis magistris in subsidium prandii impartivit.

Item licenciatus est dominus Henricus Crowel sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus est dominus Nycholaus de Monychedam sub magistro Petro de Amsterdam, cujus bursa IIII solidi.

Item licenciatus fuit dominus Hinricus de Munderkense sub magistro Nicholao de Wademonte [1], cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis, et juravit solvere si eum contingat ad pingwiorem fortunam evenire.

Item facta congregacione nacionis XXVII^a^ die mensis Junii apud Sanctum Maturinum regencium et non regencium per juramentum, supplicavit discretus vir magister Johannes de Maguncia, protunc rector Universitatis Parisiensis [2], quatinus nacio sibi subvenire vellet in aliqua certa quantitate pecunie, donando vel mutuando, pro oneribus rectorie sustinende, precipue hoc attento quod non alias dictum officium acceptasset, nisi firmiter de bono subsidio nacionis confisus, sicud eciam nacio in principio eleccionis sue ei concesserat. Et protunc omnes magistri concorditer ei XV francos mutuaverunt, tradendos per receptorem, quos tamen francos dictus rector solvere promisit per IIII dies vel V ante festum Eadmundi regis, etc.

Item incepit dominus Hinricus Crowel sub magistro Petro de Aemsterdam, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Nycolaus de Monychedam sub magistro Petro de Aemsterdam, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Johannes de Monasterio sub magistro Conrado de Haganoia, cujus [bursa] IIII s.

Item incepit dominus Thomas de Foresta sub magistro Gerardo de Calcar, cujus bursa VIII solidi.

Item incepit dominus Hinricus de Muderkense sub magistro Henrico Cicoti, magistro nacionis Gallicane, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis in plena congregacione nacionis.

Item in procuratoria mea solverunt pro jocundo introitu magister Henricus Crowel francum, magister Johannes de Monasterio francum, magister Arnoldus de Xantis francum.

1381

(*Fol. 32^b^*) Acta fuerunt hec in procuratoria magistri Michaelis de Francvordia.

Item anno Domini M° CCC° LXXXI°, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXVII^a^ die mensis Augusti ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Michael de Francvordia ab omnibus magistris tunc presentibus. Item in eadem congregacione dilatus fuit computus domini receptoris ab omnibus magistris tunc presentibus. Item facta ista congregacione magistri nacionis intraverunt tabernam, ubi dictus procurator solvit unum francum pro jocundo suo introitu. Item in eadem congregacione magister Robertus Kardeny [3] Scotus solvit unum francum pro jocundo introitu, quem magistri cum franco procuratoris electi in eadem taberna consumpserunt.

Item congregacione facta apud Sanctum Maturi-

1. *Nat. Franciae.*
2. 23 *Junii*-10 *Octobris.*
3. *Ms.* Lenine.

num XXIª die mensis Septembris post sermonem ad audiendum computum receptoris, ad supplicandum et ordinandum de scolis, receptor computavit et de omnibus receptis ad exposita manet receptor debens nacioni X solidos et VIII denarios. Item receptor[1] in eadem congregacione fuit continuatus concorditer ab omnibus magistris.

Item super ordinacione scolarum ita deliberavit nacio, quod jus seu possessio magnarum scolarum novarum nacionis super terram, in quibus magister Jordanus de Clivis multis annis ex ordinacione et institucione nacionis legere consuevit, permaneret apud eundem magistrum Jordanum, non obstante quod pro ordinario instanti, scilicet usque ad festum Nativitatis Johannis Baptiste, non intenderet legere in eisdem, eo quod illo tempore lecturus erat in facultate theologie librum Sentenciarum, et quod pro eodem tempore magister Johannes de Hoekelem, si placeret eidem, posset legere in scolis illis, sic tamen quod quandocumque post illud festum sancti Johannis idem magister Jordanus illas scolas repecierit, tenebitur idem magister Johannes vel occupans cedere eidem dicto magistro Jordano, et eum sine contradictione admittere, et magister Johannes ad scolas suas redire, si sibi placuerit, in quibus antea legere consuevit. Insuper placuit nacioni quod magister Hinricus Wyse, si per ordinarium recturus esset, haberet scolas *septem arcium* super terram. Et quia non erant alii protunc volentes regere, placuit nacioni quod magistri nacionis Normannie haberent duas illarum scolarum parvarum, quas tenet nacio a magistro Guiberto[2] medico, prout procurator illius nacionis Normannie protunc supplicavit; et hoc prehabita caucione sufficienti de solucione congrua per eos fienda secundum taxacionem scolarum. Et terciam earum haberet magister Johannes Ultracampum de Brucgis nacionis Picardie, data caucione ut prius.

1381

Acta fuerunt hec in procuratoria magistri Johannis de Hokelem.

Item anno Domini M° CCC° LXXXI°, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum [XXIIIª die] Septembris ad eligendum procuratorem dicte nacionis, electus fuit magister Johannes de Hokelem in procuratorem ab omnibus magistris tunc presentibus in eadem congregacione.

Item in eadem congregacione dilatus fuit computus domini receptoris.

1381

(*Fol. 33*) Acta fuerunt hec in procuratoria magistri Arnoldi de Xanctis.

Item anno Domini M° CCC° LXXXI° facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum XXIª die mensis Octobris ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Arnoldus de Xanctis ab omnibus magistris tunc presentibus in eadem congregacione.

Item in eadem congregacione dilatus fuit computus domini receptoris ab omnibus magistris tunc presentibus.

Item facta ista congregacione magistri nacionis intraverunt tabernam, ubi dictus procurator solvit unum francum pro jocundo suo introitu.

Item congregacione facta apud Sanctum Maturinum XVIIª die mensis Novembris super ordinacione festi sancti Eadmundi, concorditer deliberatum erat a magistris tunc presentibus, quod quilibet venturus ad festum predictum apponeret 3^{es} solidos de pecunia propria ad pecuniam communem nacionis, et electi fuerunt ad sollicitandum circa idem festum in procuratores Petrus Catwic et magister Henricus Scotus.

1381

Procuratoria magistri Petri de Aemsterdam anno LXXXI°.

Facta congregacione nacionis Anglicane solempniter XVIIIª die mensis Novembris per juramentum et sub omni pena apud Sanctum Maturinum, et in quarta hora post prandium, super duobus articulis, primo scilicet ad audiendum a magistro Ny[colao] de Grenlo Scoto acceptacionem vel renunciacionem officii procuratorie nacionis supradicte, ad quod idem magister eodem die in primis in absencia concorditer fuit electus; secundo ad eligendum alium in procuratorem supradicte nacionis in casu quo prefatus magister Nycolaus renunciaverit officio supradicto.

Super primo prenominatus magister Nycolaus protestando quod in omnibus licitis et honestis, nisi aliunde legitime impeditus foret, promptus esset servire nacioni matri sue et singulis suppositis ejus, renunciavit officio supradicto.

1. Jordanus de Clivis.

2. De Celseto.

Postea vero accedendo ad 2^{m} articulum deliberatum fuit, quod ad aliam electionem esset procedendum. Quo facto statim antequam ulterius fuit processum propter aliqualem discrepanciam magistrorum, concorditer fuit ordinatum, quod senior magister illorum, qui nondum exercuerunt officium procuratorie, nisi notabilem causam recusacionis officii allegaret, officium supradictum simul francum suum persolvendo acceptaret, vel saltem si onus officii recusare vellet, quod de suo franco satisfaceret, vel ad satisfaciendum se obligaret, et quod ita consequenter, nisi aliquis qui officium acceptare vellet reperiretur, usque ad similiter juniorem descenderetur. Item quod illa pecunia in festo Eadmundi ex proximo scilicet in posterastinum tunc futuro, loco contribucionis fieri solite per magistros reservata et collecta cederet in festi complementum. Quibus taliter ordinatis magister Nycolaus, de quo supra, de franco suo satisfecit incontinenti. Postea vero secundum ordinem procedendo electus fuit concorditer magister Johannes Gholt, qui eciam officium recusando de franco suo incontinenti satisfecit. Similiter vero fecit magister Ny[colaus] de Dacia. Finaliter vero protunc electus fuit in procuratorem nacionis supradicte concorditer magister Petrus de Aemsterdam, in cujus procuratoria acta sunt ea que sequuntur.

Primo solvit dictus procurator unum francum pro prima sua procuratoria. Qui quidem francus cum aliis tribus, de quibus supra, reservati fuerunt pro complemento festi sancti Eadmundi.

Item alia multa expedita fuerunt in Universitate et facultate, que non scripsi, cum non sit consuetum talia libro nacionis inscribi. Fuimus tamen, dominus rector [1] et nos alii deputati, super facto taliarum ex parte Universitatis ad dominum regem delegati. Et primo villam sancti Dyonisii, ubi tunc rex erat cum toto consilio suo, excepto duce Andegavie, equestres adivimus, et propter absenciam ducis Andegavie sine accessu recessimus. Postea versus eandem villam equites redivimus, et in medio vie dominum regem ire versus nemus Viciniarum percepimus. Et statim habito consilio nos versus ipsum et nemus predictum transtulimus, ubi accessu habito, *responsum* reportavimus *tale quale*, scilicet *cum duabus faciebus*.

Item in quadam congregacione facultatis nacione solempniter congregata deliberatum fuit quod instituere vel acceptare aliquem novum cancellarium ecclesie seu temptaminis Sancte Genovefe, collacione facta ab abbate, seu virtute collacionis facte ab abbate, repugnat cuidam privilegio facultatis arcium ab Urbano quinto concesso [2]; stante et attento quod jam idem abbas secundum tenorem illius privilegii alium instituerit, qui acceptatus et approbatus a facultate supradicta suum officium fideliter exercuit [3], secundum quod debuit et decuit; attento eciam quod in eodem non appareat aliqua causa, racione cujus ab eodem officio resecari debeat et privari.

1382

(*Fol. 33* b) Acta fuerunt hec in procuratoria magistri Hugonis de Landaŭ.

Item facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M̊ CCC° LXXXII°, mensis Januarii die terdecima, ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem dicte nacionis magister Hugo de Landaŭ ab omnibus magistris tunc presentibus in eadem congregacione.

Item in eadem congregacione computus receptoris non fuit auditus propter aliquas causas.

Item dominus procurator solvit unum francum pro prima procuratoria.

Item eodem die electionis procuratoris hora primarum fuerunt electi examinatores determinancium magister Johannes de Hokelem, magister Stanzelaus [4] de Polonia, et magister Henricus Wise.

Item in eadem congregacione fuerunt electi in examinatores licenciandorum Sancte Genovefe pro primo mense magister Arnoldus de Arnem, qui dedit medium francum sub cautela, qua fieret temptamen, et in casu quo nullum [5] contingeret, nacio sibi restituere promisit. Et pro 2° mense magister Reynoldus de Vinea, qui eciam dedit medium francum sub eadem cautela, et pro 3° mense protunc nullus fuit electus.

Item in eadem congregacione magister Thomas Stramiglot Scotus solvit francum racione procuratorie secundum ordinacionem factam in procuratoria magistri Petri de Amsterdam. Et eadem congregacione magister Hermannus de Swecia solvit unum francum.

1. Petrus Reginaldi, *rector Octob.* 10-*Decemb.* 18. *Vid.* Chart. III, n° 1465.
2. *Urbanus V* (Chartul., III, p. 145) *de hoc non loquitur, id est, sitne concellarius ab abbate instituendus, necne.*
3. Judocus Ghisilius. *Vid.* Chartul., III, n° 1468, *et infra* 618, 41.
4. *I. e.* Stanislaus de Mylonow.
5. *Ms. potius* omissum.

Item facta congregacione magistri nacionis intraverunt tabernam predictas pecunias consumentes.

Item facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XX[a] die mensis Januarii, supplicavit magister Arnoldus de Xantis pro 3° mense ad Sanctam Genovefam, et fuit sibi concessa, et solvit sex solidos sub cautela ut supra. Et facta congregacione magistri ibidem existentes intraverunt tabernam ipsos consumentes.

1382

Acta sunt hec in procuratoria magistri Petri de Catwiic anno Domini LXXXII.

Anno Domini quo supra, mensis Februarii die decima, facta congregacione nacionis ad eligendum procuratorem et audiendum computum receptoris, supplicavit pro procuratoria Petrus de Catwiic, cujus supplicacio protunc non fuit inducta propter congregacionem facultatis. Quare celebrata fuit alia congregacio per juramentum apud Sanctum Maturinum de vespere, et ibi electus fuit in procuratorem magister Petrus predictus.

Item facta congregacione facultatis XXV[a] die Februarii et eciam nacionis apud Sanctum Maturinum ad supplicandum, primo supplicaverunt dominus Ghiselbertus de Werne, dominus Heynricus Poelman, dominus Reynerus de Hoern, dominus Fredericus de Almelo, et adhuc quidam alii, quatinus nacio vellet cum ipsis dispensare de solucione bursarum pro determinancia in prompta pecunia, et exspectare usque ad tres menses, positis tamen pigneribus sufficientibus, sicut moris est et de consuetudine in nacione. Que quidem supplicacio ab omnibus nacionis magistris existentibus in predicta congregacione gratanter fuit concessa, non solum pro illis qui in persona propria supplicaverunt, sed eciam pro omnibus absentibus. Et addiderunt magistri quod ipsis determinatoribus nacionis nostre erat multum compaciendum propter impedimentum temptaminis Sancte Genofeve, quia in hoc ipsi primo et principaliter erant gravati, etc.

(*Fol. 34*) Determinantes anni ejusdem octuagesimi secundi et eciam ejusdem procuratorie.

Primo determinavit dominus Godefridus dictus de Poyl, oriundus de Zutart, sub magistro Johanne Hoekelem, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item determinavit dominus Johannes Meyn de Valkenburch sub eodem, cujus bursa V solidi. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Johannes Guidonis de Moravia sub magistro Conrado de Hagnoya, cujus bursa IIII solidi. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Conradus Moncingher de Friburgo sub magistro Arnoldo de Xanctis, cujus bursa VII solidi. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Conradus Swarber de Argentina sub magistro Nycolao de Cuba, cujus bursa VII solidi. Solvit.

Item determinavit dominus Alexander de Sancto Vito sub magistro Arnoldo de Xanctis, cujus bursa III solidi. Solvit.

Item determinavit dominus Johannes Peter Raytzon de Cochem sub magistro Stennislao de Polonia, cujus bursa XIIII albi. Solvit.

Item determinavit dominus Wilhelmus de Veen de Monikedam sub magistro Johanne Hoekelem, cujus bursa VI solidi. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Tilmannus Tilmanni de Elfingen sub magistro Stennislao, cujus bursa IIII solidi. Solvit receptori.

Item determinavit dominus Johannes Inghemari de Swecia sub magistro Heynrico Wise, cujus bursa nichil. Juravit statutum [paupertatis].

Item determinavit dominus Hermannus Stencken de Scutdorpe sub magistro Johanne Hoekelem, cujus bursa II solidi. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Ghisbertus de Werne sub magistro Johanne Hoekelem, cujus bursa V sol. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Jacobus Apothecarij de Ulma sub magistro Conrado de Haghenowe, cujus bursa IIII solidi. Solvit.

Item determinavit dominus Bernardus de Bynga sub magistro Nycolao de Cuba, cujus bursa VII sol. et VIII denarii. Solvit.

Item determinavit dominus Růkerus Wyntzheym de Herberen sub magistro Conrado de Hagnou, cujus bursa III s. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Jacobus Watson Scotum (*sic*) sub magistro Wilhelmo Narn, cujus bursa VII solidi. Posuit pignus.

Item determinavit domicellus Schoffridus de Lynynghen, filius comitis de Lynynghen sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VII solidi et VIII denarii. Solvit.

Item determinavit domicellus Godefridus de Harne, prepositus Kerpensis [Colon. dioc.] et provisor pro-

vincies nostre, sub magistro Jordano de Clivis, cujus bursa VII sol., VIII denarii. Solvit.

Item determinavit dominus Reynerus de Juchenden sub magistro Petro de Aemsterdam, cujus bursa VII sol., VIII denarii. Solvit.

Item determinavit dominus Bartholomeus Johannis de Sciedam Hollandrinus sub magistro Johanne Hoekelem, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item determinavit dominus Fredericus de Almelo de Aldensale sub magistro Johanne Hoekelem, cujus bursa VI solidi. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Conradus Tumermût de Valkilch sub magistro Johanne de Austria, cujus bursa II solidi, VIII denarii. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Martinus Menghelen de Alcmaria sub magistro Johanne de Hoekelem, cujus bursa V solidi, VIII denarii. Solvit.

Item determinavit dominus Heynricus Poelman de Arnhem sub magistro Waltero Venedou, cujus bursa V solidi. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Reynerus Jacobi de Hoern sub magistro Johanne Hoekelem, cujus bursa V solidi. [Posuit] pignus.

Item determinavit dominus Andreas Johannis de Swecia sub magistro Hermanno de Treysa, cujus bursa V solidi. [Posuit] pignus.

Item determinavit dominus Andreas de Langensteyn de Hassia sub magistro Stennislao de Polonia, cujus bursa nichil, quia juravit statutum [paupertatis].

Item determinavit dominus Jacobus de Patella de Trajecto sub magistro Johanne Lubberti, cujus bursa III solidi. Posuit pignus.

1382

Hec sunt acta in procuratoria magistri Nycolai de Cuba.

Anno Domini M° CCC° LXXXII°, decima die mensis Marcii, facta fuit congregacio facultatis arcium aput Sanctum Julianum pauperem per juramentum hora primarum super facto temptaminis Sancte Genecofeve. Eadem die et hora et loco fiebat congregacio nacionis Anglicane ad eligendum procuratorem et audiendum compotum receptoris. Et tunc electus fuit in procuratorem dicte nacionis concorditer ab omnibus magistris protunc presentibus magister Nycolaus de Cuba. Et in eadem congregacione computus receptoris non fuit auditus, quia nimis tarde fuit propter factum facultatis.

Item in eadem congregacione budellus nacionis Francie requisitus a rectore[1], ut exiret congregacionem tanquam non juratus facultati, exire non voluit, et ideo alique naciones coram ipso deliberata reddere noluerunt, eciam quia prius tres naciones ipsum in[h]abilitaverant propter consimilem contumaciam.

Item eadem congregacione finita predictus procurator solvit francum unum pro prima procuratoria sua, qui statim fuit postea in prandio consumptus in taberna per magistros.

Item in predicta procuratoria multa fuerunt ardua facta tam in Universitate quam in facultate, que scribi non consueverunt. Specialiter tamen in quadam die Universitas solempniter ac collegialiter per juramentum fuit congregata de mane in sexta hora ad Sanctum Maturinum pro adeundo regem, secundario ad supplicandum sibi pro villa Parisiensi, ut eidem ignoscere vellet ea que facta erant in commocione ejusdem ville contra illos, qui ex parte regis imposiciones capere voluerunt. Et ipse repertus protunc in nemore Viciniarum Universitatem gratanter accepit et sibi gratum responsum pro sua supplicacione dedit, videlicet quod pro ipsa plus quam pro aliquo vivente facere vellet. Et protunc specialiter ob peticionem ipsius Universitatis et consequenter propter alios supplicantes, videlicet propter episcopum Parisiensem et capitulum, etc., ville Parisiensi de predictis rex forefacta indulsit. Et notandum quod protunc Universitas habuit coram rege ante episcopum et capitulum Paris. locum et vocem proponendi supplicacionem suam, etc.[2]

(*Fol. 34* b) Item facta congregacione facultatis apud Sanctum Julianum pauperem XXIIIIª die mensis Marcii, deliberatum fuit concorditer per tres naciones[3] super temptamine Sancte Genecofeve, quod ipsum deberet aperiri per officiarios positos et ad hoc ordinatos per magistrum Jodocum protunc cancellarium ejusdem ecclesie, et si abbas nollet eis assignare locum, quod tunc fieret querela de ipso dominis de parlamento in casu novitatis.

Item[4] facta congregacione nacionis Anglicane sollempniter prima die Apprilis per juramentum

1. *Tunc Henrico Brekerevere.*
2. *De his omnibus adeas* Chartul., III, n° 1465.
3. *l. c.* Anglic., Picard., Normann.
4. *Quae sequuntur usque* 619, 13, *cruce signata et postea atramento, etiam inter lineas, deleta sunt, ita ut rubrica difficilis lectu sit; immo quaedam verba ita plene subducta sunt, ut ne unum verbum quidem legi posset. Notitiam tamen habemus hujus deliberationis ex infra relatis 7 April., 29 Octob., 8-10 et 16 Novembris. Natio Anglicana, paucis exceptis, tunc temporis plus quam unquam antea partes Urbani VI contra Clementem VII*

regencium et non regencium apud Sanctum Maturinum hora prime, ad ordinandum super quodam facto tangente predictam nacionem, et ad supplicandum, etc., et ibi deliberatum fuit per nacionem quod nulli scolares ad sepedictam nacionem pertinentes, qui anno prescripto licenciarentur [in Nostra Domina...], ad nacionem reciperentur; eciam ibidem receptor nacionis fuit requisitus quod [ab illis] pecuniam pro bursis non reciperet, et procurator, ut eos ad juramentum non admitteret, et quod ad nullum actum nacionis capi deberent, et eciam quod bodellus tales nomine nacionis nullibi associare deberet. Et super istis diversa instrumenta hinc inde recepta fuerunt.

1382

Acta procuracionis Petri de Catwiic.

Anno Domini M° CCC° LXXXII°, VII^a die mensis Aprilis, facta congregatione nationis Anglicane pro procuratoris electione et computatione receptoris, *et*[1] *quatenus procurator novus si fieret, haberet jurare ad prosequendum deliberacionem de bachalariis vocatis in Nostra Domina, que plenius habetur in articulo istum precedente super*. Et electus fuit in procuratorem Petrus de Catwiic. Receptor non computavit. *Procurator vero novus juravit prosequi deliberacionem nationis de non admittendo bachallarios vocatos in Nostra Domina*, nisi per sanum decretum et consilium nationis aliter fuerit ordinatum. *Et ita omnes sequentes procuratores jurare tenebuntur*.

Item facta congregacione nacionis per juramentum sub omni pena penes Sanctum Maturinum XXV^a die Aprilis in primis Nostre Domine ad habendum consilium de modo procedendi, prout tangit nationem nostram circa temptamen Sancte Genofeve, attento quod nacio reputat et reputavit magistrum Judocum verum cancellarium ejusdem Sancte; similiter attento quod facultas artium assumpsit sibi de predicto magistro Judoco potestatem et auctoritatem faciendi omnia singulaque expediendi circa idem temptamen; similiter attentis literis quibusdam, virtute quarum nonnulli disponunt circa temptamen predictum, ac si facultas nullam haberet potestatem[2], quod est et videtur esse in maximum prejudicium privilegiorum facultatis predicte : super hiis sic propositis concorditer exstitit deliberatum, nullo reclamante vel renitente sive contraveniente, licet uno non expresse consentiente, sed aliqualiter differente, quod nacio nostra non deberet aliquo modo mutari in predictis, ymo sic procedere, ac si nulle littere venissent vel nichil fuisset actum per commissarios literarum. Item super premissis fuit ulterius declaratum et deliberatum pro majori unione nacionis habenda, quod nullus magistrorum nacionis nostre, sub omni pena quam nacio posset infligere in futurum declaranda, attemptaret aliquid aggredi vel facere circa predictum temptamen Sancte Genofeve, scilicet temptando vel examinando vel aliquid aliud quoquomodo faciendo, quod scilicet posset esse vel esset vel videretur esse contra deliberationem nacionis et ad ejus divisionem, scisma vel scissuram inter magistros, et eciam consequenter scolarium. Et eciam fuit inductum a quolibet magistro, si vellet acceptare temptatoriam sive officium temptandi a commissariis predictarum, et quilibet respondit simpliciter quod nullo modo, ymo mallent quod statim recederent de Parisius, ut aliqui dixerunt; alii et alii diversa addiderunt, scandala ipsis verisimiliter futura, nisi magister unus, scilicet Arnoldus Ghise de Arnem, qui dubitavit, eo quod per ipsos[3] in examinatorem Sancte Genofeve fuit nominatus. Et super omnibus hiis petivi instrumenta de magistro Johanne de Aurstria nomine nationis etiam postquam cuilibet injunxi sub pena predicta.

Item incepit dominus Henricus de Reno sub magistro Johanne de Hoekelem, cujus bursa IIII solidi. Solvit.

Item facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum prima die Maii ad supplicandum, in qua supplicavit dominus Martinus Menghelen pro litera testimoniali de bachalariatu tempore audicionis et continuacionis studii sui, cum recom-

sequebatur. An. 1381, *Jul.* 15. Johannes Blanchart, *in cancellarium Paris. a Clemente VII institutus, et Aug.* 14 *in Nostra Domina receptus est* (*vid.* Chartul., III, n° 1461). *Omnes per ipsum vel per ejus subcancellarium licentiati auctoritate Clementis VII licentiati erant. Clemens VII insuper Johanni Blanchart injunxit, ut neminem suspectum de adhaerendo Urbano VI ad licentiam admitteret* (*vid. ibid., not.*). *Natio Anglic. per Blanchart licentiatos noluit admittere, quia eos schismaticos reputabat* (*vid. etiam* Chartul., III, p. 413, Simon Freron, *ad art.* 8 *et* p. 420, *not.* 10), *sicut an.* 1387 *in Universitate Heidelbergensi evenit sub rectore Johanne Berswort, qui an.* 1382 *adhuc Parisiis in nat. Anglic. morabatur* (*vid.* Chartul., III, *De Schismate*). *Novemb.* 10 *an.* 1382 *natio Anglicana tamen minis rectoris Universitatis cedere debuit* (*vid. infra*); *licentiati postea in librum inscripti sunt. Ex praecepto nationis an.* 1383 *Febr.* 17, *hic articulus et quidam alii deleti sunt.*

1. *Charactere cursivo impressa, in ms^to deleta sunt. Vid. not.*

2. *Agitur supra de duobus collectoribus Clementis VII*, Johanne Mauberti *et* Armando Jausserandi, *qui auctoritate Clementis VII Judocum cancellarium S. Genovefae et alios officiarios tentaminis S. Genovefae destituerunt. Vid.* Chartul., III, p. 308.

3. *Scilicet per duos collectores Clementis VII in nota praecedenti nominatos. Vid.* Chartul., *l. c.*

mendacione aliquali. Et facta induccione, sua supplicacio unanimiter fuit concessa, nullo reclamante.

1382

Continuatio procuratoris precedentis.

Item facta congregacione magistrorum nacionis Anglicane in primis Beate Marie, quinta Maii anni octuagesimi secundi, ad eligendum procuratorem et computandum et supplicandum, discordatum fuit in electione procuratoris. Quare illa congregacio delata [est] usque in nonas, in qua electus fuit magister Brunulfus Karoli nondum procurator, qui rennuit, solvens francum consuetum in prima procuratoria, et percenatum tunc *ad habitum Gilleti*. Postquam autem rennuit, electus fuit et continuatus Petrus de Catwiic in procuratorem, reclamante magistro Arnoldo Ghise.

Item auditus fuit in predicta congregacione computus receptoris, examinatus sollicite per magistros, et hinc inde expositis et receptis simul comparatis remansit obligatus nacioni XVII libras II solidos, et 8 denarios.

(*Fol. 35*) Item [1] facta congregacione facultatis septima Maii circa apercionem temptaminis que tunc deliberabatur cum sequela effectus, nationibus trahentibus se ad partem, ut moris est, quidam bachalarius nomine Heynricus Poelman de natione nostra traxit se ad nationem nostram, tamen non vocatus per bedellum nationis, impediendo ardua facta, privilegia, statuta, consuetudines laudabiles facultatis et specialiter nationis nostre multipliciter ledendo, nam rogatus per nationem non solum una sed pluribus vicibus quod exiret, omnino rennuit, recusavit.... intravit, demum requisitus trina vice per suum juramentum de obediendo nationis proc[uratori, ad servandos] honores, utilitatem, etc., nationis, ymo sub omni pena, quod exiret : pertinaciter inflammatus et pass[ionatus], licet ante prandium, respondit quod nichil faceret, ymo cum unus reverendus magister diceret, deliberacionem nationis esse, quod ipse non deberet fore nobiscum in congregationibus et aliis factis nationis, et quod ita natio deliberavit [2], ipse respondendo petivit, quare natio fatue deliberavit, vel consimiliter. Et finaliter oportebat nationem protestari, quod presencia sui nobis nichil prejudicaret. Et ita feci protunc, de singulis petendo instrumenta, et servando ejus penam et punitionem usque alias, maxime tamen de hoc quod dixit, nationem nostram fatue deliberasse, quod specialiter nomine nationis ad animum revocavi, sicut et alii magistri.

Item decima die Maii exstitit deliberatum per nationem, facta congregatione previa, quod circa impedimentum interjectum temptamini natio vellet facere secundum consilium jurisperitorum, non parcendo pecuniis et expensis nationis pro suis juribus defendendis. Unde et tunc de vespere habuerunt advocati a natione duos francos in Sancta Genofeva.

Item et tunc supplicavit magister Hugo de Landa* pro suo domicello, scilicet Scoffredo de Lynynghen [3] de habendo literam testimonialem, quod duobus annis continue studuit Parysius, quod sibi multum gratanter fuit concessum.

Item et protunc dati fuerunt deputati ad dispensandum cum hiis, qui non fecerunt omnia requisita ad licentiam juxta modum et formas, quibus cum consimilibus aliis temporibus fuit gratiose dispensatum.

Item et isti deputati haberent ordinare circa expeditionem temptaminis, si que emergerent propter que non oporteret totam nationem merito convocari.

1382

Electio Petri de Catwijc in procuratorem, et continuatio ex consequenti.

Anno Domini millesimo CCC° octuagesimo secundo, secunda die mensis Junii, facta congregatione nationis Anglicane in primis Nostre Domine apud Sanctum Julianum pauperem ut moris est ad eligendum procuratorem, similiter ad audiendum receptoris compotum, fuit discordia de electione procuratoris. Et igitur illa congregatio fuit continuata in nonis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum, in qua electus fuit Petrus de Catwiic in procuratorem predicte nationis. Et compotus fuit dilatus ex causis certis; viginti vero solidi, quos habuit procurator ex officio procuratoris, fuerunt perpotati *ad habitum Gilleti* in crastino sequenti.

Item [4] facta congregatione facultatis XX^a^ die Junii apud Sanctum Maturinum in primis, et natione Anglicana trahente se ad partem, ut moris est, venit ad nationem dominus Heynricus Poelman, natione invita, ipsam congregationem nostram disturbando

1. *Quae sequuntur usque* p. 622. 5, *cruce signata et lineis deleta et plura verba erasa sunt.*

2. *Johannes Poelman licentiam in Nostra Domina sumpsit, ideoque a natione, quia licentiatus sub cancellario a Clemente VII instituto, exclusus erat. Vid. supra* p. 619, 6.

3. *Ambo postea Heidelbergae.* Koepke, Matrikel, I, 9, 37.

4. *Quae sequuntur usque* Johanne de Austria (623, 17) *cruce signata et lineis deleta sunt.*

multipliciter, et ledendo consuetudines ejus laudabiles et libertates similiter et privilegia, que ipse conservare juravit in bachalariatu. Nam audire proposuit, sicut protunc passionatus et sicut pertinax fecit et continue fecit, non obstante quod scivit bene, ordinationem nationis esse ipsum non fore admittendum ad nationem per illum modum, quem ipse minus rationabiliter, ymo injuste pretendebat. Quare finaliter natio protestabatur, quod sua presencia non prejudicaret nationi nec factis per eam temporibus retroactis. Et ego Petrus de Catwiic nomine nationis, etiam nomine proprio et pro me protestabar. Reservata vero fuit pena sua de non obediendo nationi sue pro loco et tempore opportuno, ut plenius patet superius in prima clausula istius pagine. De hiis omnibus petita sunt instrumenta de magistro Johanne de Austria.

Item facta congregatione Universitatis per juramentum apud Sanctum Maturinum XIIIª die Julii similiter et nationis, propositus fuit in deliberatione nationis iste articulus : Quod cum quidam magister nostre nationis approbate vite, scilicet magister Radulphus de Lubec, graviter infirmaretur et ex defectu regiminis in neccessitatibus suis deficeret, non obstante quod libros bonos haberet, de quibus si impignorarentur, sui defectus possent relevari, quomodo natio sicut pia mater suo filio manus deberet porrigere subventrices absque bonorum dicti magistri dispendio et dispersione. Super quo sic fuit deliberatum quod si aliquis magister nationis esset potens concedere aliquas pecunias ad usus dicti magistri, supplicaretur sibi, quod illas accommodaret sub caucione sufficienti librorum vel libri predicti magistri, et si nullus taliter inveniretur, natio hoc voluit facere sibi misericorditer subveniendo. Unde facta diligenti investigatione et supplicationibus hinc inde factis, quidam magister compatiens defectibus supradictis, scilicet magister Brunulfus Karoli, prepositus Scarensis, ex consensu et supplicatione nationis et magistri Radulphi mutuavit vel accommodavit in presentia plene congregationis nationis octo francos ad usum dicti magistri, quos ego procurator protunc recepi, et incontinenti magistro Heynrico Rane Scoto tradidi. Rehabuit autem vel recepit magister Brunulfus Karoli bibliam quandam sub istis moderationibus quod (*Fol. 35*b) predictus magister Radulphus redderet predictam pecuniam sic accommodatam sibi ad festum Nativitatis Christi, et si non, venderetur biblia per nationem et predicto mutuanti persolveretur; si vero plus fuerit vendita, residuum erit magistri Radulphi, si minus, teneretur supplere. Item fuit adjectum, quod si perderet vel amitteret ex infortunio predictam bibliam, non plus perderet quam quantum concessit, scilicet octo francos. Item quod si magister Brunulfus vellet emere bibliam illam et si venderetur, eam haberet ante quemcumque alium pro equali pretio. In testimonio omnium premissorum scripta sunt ista in *libro nacionis*, ut protunc fuit deliberatum.

Item XVIIª die Julii apud Sanctum Maturinum facta previa congregatione per juramentum, ordinatum fuit quod (cum aliqui magistri nationis Francie fuissent minati, ut ad audientiam nationis nostre pervenit)[1] inhiberetur omnibus scolaribus nostris sub penis omnibus possibilibus ipsis infligi, ne aliquid attemptarent via facti contra aliquem magistrum nationis Francie, secundum juramenta nostra de pace nutrienda inter nationes et supposita nationum. Et ista deliberatio fuit scolaribus intimata sollempniter congregatis die sequenti apud Sanctum Maturinum. 2° fuit admissa supplicatio quorundam bachalariorum de habenda litera testimoniali super vocatione sua in Sancta Genofeva.

Item facta congregatione apud Sanctum Maturinum XXVIIª die Julii supplicavit dominus Wilhelmus Veen van Monikedam pro litera recommendatoria ad illustrissimum principem dominum ducem Albertum[2]; item ad suum consiliarium dominum Conradum. Similiter supplicavit dominus Albertus van Renen pro litera recommendatoria ad dominum episcopum Leodiensem[3]. Et hee supplicationes multum gratanter fuerunt concesse.

Anno Domini 1382, mense Augusti, facta[4] fuit congregacio nacionis Anglicane per juramentum regencium et non regencium ad requestam domini Heynrici Poelman, pro magistro se gerentis[5], hora primarum ad Sanctum Maturinum, in qua congregacione dictus dominus Heinricus requisivit nacionem dictam, quatinus eum admitteret ad omnes actus et consuetudines in dicta nacione fieri consuetos, et post statim ad instanciam nacionis se ad partem traxit, et interim nacio decrevit sibi supplicandum, scilicet dicto Henrico, quatinus desisteret ab hujus-

1. *Ms. repetit* quod.
2. Albertum, *ducem Austriae.*
3. Arnaldum Horne, *qui fuit ex parte Urbani VI.*
4. *Quae sequuntur usque* p. 625, 18, *scripta sunt sub rubrica* : Acta in procuracione magistri Stanislai de Polonia anno Domini 1382, mense Augusti, *manu Stanislai de Polonia, sed pertinent ad procurationem Petri de Catwiic. Vid.* p. 651, 41.
5. *Recepit interim magisterium.*

modi requestis et velit dissimulare et non conqueri de nacione coram aliquo seu aliquibus, et quod nacio volebat ipsum permittere in congregacionibus sedere, dummodo juraret quod non revelaret secreta nacionis. Tandem dictus Heynricus fuit vocatus, et fuerunt sibi dicta exposita per procuratorem. Et tunc dictus dominus Henricus consensit et admisit dictam supplicacionem nacionis, et promisit quod nollet infestare nacionem de consimilibus per eum jam contra nacionem peractis, et hoc quoad tempus, scilicet ad unum annum vel circa, sed non in perpetuum; et juravit nacioni quod nunquam revelabit secreta nacionis seu alicujus suppositi nacionis, ad quemcumque statum devenerit.

Item in eadem congregacione supplicavit Johannes bedellus noster pro salario seu pro juvamine, et tunc fuerunt sibi dati octo franci per nacionem, et subbedello quatuor, scilicet Matheo.

1382

Procuratoria magistri Stanislai [de Polonia.]

Anno Domini M° CCC° LXXX secundo, mensis Augusti die XXVI^a, ad Sanctum Julianum pauperem hora primarum Nostre Domine super electione procuratoris et audiendo computo receptoris, et tunc fuit electus magister Stanislaus de Polonia in procuratorem nacionis, et computus receptoris fuit auditus et examinatus, et tunc dominus receptor remansit in debito nacioni in summa viginti librarum, trium solidorum et octo denariorum. Et computus nacioni placuit.

Item die vicesima prima mensis Septembris facta fuit congregacio nacionis per juramentum ad Sanctum Maturinum ad audiendum compotum receptoris, et ad eligendum receptorem, et ad providendum et ordinandum de scolis pro regentibus, et ad supplicandum, et facto compoto remansit receptor in debito decem et octo librarum et decem solidorum et 8 denariorum.

Scole fuerunt sic distribute. Magister Jordanus habet scolas novas inferiores Almannorum, magister Johannes [H]oklem superiores, magister Paulus de Galria (*sic*) *septem arcium*, magister Stanislaus de Polonia alias quas vellet eligere de parvis et deinde magister Johannes de Austria habeat alias quas vult, et deinde magister Henricus Wisen. Alii vero provideant sibi, et nacio solvet juxta jussum racionis.

Magister Arnoldus de Arnhem [1] supplicavit quod rehaberet medium francum (*Fol. 36*), quem alias exposuit pro nacione sub spe essendi temptator Sancte Genofefe, et pro eodem supplicavit magister... (*sic*). Et fuerunt supplicaciones eorum admisse. Et tunc eciam supplicavit Johannes bedellus, quod venderentur vadia determinancium in nacione obligata, et sibi solveretur salarium ejus. Et fuit determinatum quod adhuc ad unum mensem expectaretur, et si dicta vadia interim non exsolverentur, quod tunc vendicioni exponerentur. Et statim post fuit perpotatus francus a receptore receptus.

1382

Acta in congregacionibus nacionis Anglicane, procuratore magistro Ottone Boecij, alias de Thuningh [2].

Anno Domini M° CCC° LXXXII, XXII^a die mensis Septembris, facta congregacione sollempni nacionis Anglicane per juramentum apud Sanctum Maturinum ad eligendum procuratorem, electus fuit in procuratorem nacionis predicte magister Otto Boecij, et acceptavit officium et juravit ut moris est.

Item die vicesima nona mensis ejusdem facta fuit congregacio generalis Universitatis apud Sanctum Maturinum per juramentum super facto cessacionum [3], ad audiendum scilicet nuncios Universitatis, qui missi erant ad regem. Et quia non reportabant bonum responsum, continuate fuerunt cessaciones.

Item facta fuit congregacio Universitatis per juramentum apud Sanctum Maturinum, quo tempore fuit eciam congregacio nacionis, ad habendum pecunias debitas nunciis Universitatis, qui iverunt ad regem, et concorditer deliberatum fuit, quod nacio solveret proporcionaliter tantum quantum alie naciones, dummodo alias, si que essent recipienda, tantum reciperet, sicud aliqua aliarum nacionum. Et hec congregacio predicta Universitatis fuit II^a die mensis Octobris.

Item die III^a mensis ejusdem, quia deliberatum erat in congregacione predicta diei II mensis predicti, quod fieret congregacio sollempnior et vocarentur omnes magistri jurati, facta fuit congregacio sollempnis apud Sanctum Bernardum regencium et

1. *Ms.* Arlnon.
2. *Ms.* chuningh.
3. A lectionibus *scil. Causa harum cessationum fuerunt talliae quas rex omnibus, suppositis Universitatis non exceptis, imponebat, et decimae, quas Francorum rex Clementi VII in regno Franciae exigere permisit. Vid.* Chron. du relig. de S. Denys, *ed.* BELLAGUET, I, p. 82, *et supra* p. 615, 35.

non regencium et juratorum de parlamento et aliorum quorumcumque magistrorum juratorum per juramentum, in qua fuit concordia habita de adeundo regem per sollempnes deputatos et episcopum Parisiensem, et de quocumque bono modo habendi pecuniam pro nunciis seu deputatis ituris ad regem, et quod deputati masticarent articulos proponendos coram rege, et conscriberent illos.

Item die quarta mensis Octobris, que fuit dies sancti Francisci, facta fuit congregacio sollempnis apud Sanctum Bernardum regencium et non regencium per juramentum, ad quam venerunt duo domini missi ex parte regis ad Universitatem, portantes quasdam litteras credencie per regem Universitati missas, quibus ibidem lectis et relacione predictorum nunciorum facta ad Universitatem, presentaverunt Universitati quasdam literas apertas sigillo regio sigillatas, in quibus continebantur aliqua per modum privilegiorum Universitati concessa, quibus dicebant Universitatem debere contentari et illis habitis lectiones debere resumi. Ad quod ortabantur Universitatem et rogabant ex parte regis, ut hoc faceret. Super quo habita deliberacione concorditer fuit deliberatum quod litera non placebat propter certa puncta in ea contenta; et igitur nolebat Universitas resumere lectiones, nisi habita alia litera. Quod videntes prefati domini nuncii regis, aliam literam, in qua puncta illa non continebantur, sigillo regio sigillatam Universitati presentaverunt [1], rogantes ut prius. Super qua deliberacione habita placuit litera, et regraciabatur Universitas regi, et resumpsit lectiones, missam de sancto spiritu concludens pro rege in eodem collegio, Universitate presente, die VI^a mensis predicti debere sollempniter celebrari.

Item facta congregacione facultatis apud Sanctum Julianum pauperem X^a die Octobris ad eligendum rectorem et ad supplicandum, supplicavit magister Johannes de Austria, ut posset legere quibusdam scolaribus suis Geometriam Euclidis in domo sua diebus festivis, cujus supplicacio fuit concessa. Supplicatum fuit eciam pro magistris, qui inceperunt lectiones in parvo ordinario, ut possent continuare. Et concessum est eis quod in qualibet possint continuare lectiones suas, excepta hora nonarum Nostre Domine.

In predicta vero congregacione fuit discordia in nacione nostra, quia cum magister Johannes Hokelem esset electus [in intrantem] a majori parte nacionis seu magistrorum presencium in principio, cum in deliberacione positum fuit, procurator sibi dixit quod ipse haberet plures voces et quod sibi provideret de cappa. Postea antequam procurator surrexit de sede sua, venerunt alii magistri plures petentes, quid esset factum; et cum eis diceretur, volebant eciam super proposito deliberare. Et deliberabant et elegerunt procuratorem in intrantem. Et procurator videns se habere pluralitatem vocum, acceptavit; magister vero Johannes Hokelem ad facultatem appellavit, proponens coram facultate pro parte sua, quod ipse debebat esse intrans, quia electus a majori parte et conclusum pro eo fuit, antequam alii venerunt. Magister Jordanus de Clivis pro parte procuratoris proposuit, quod esset laudabilis consuetudo nacionis predicte, quod omnes magistri venientes, antequam procurator surgeret, haberent voces, ac [2] si a principio fuissent; et eciam asseruit hoc esse sta[tu]tum nacionis factum ad evitandum fraudes, ne aliqui congregacionem aliquam particularem celebrarent. Hiis auditis facultas deliberacione habita decrevit quod, nisi doceret magister Jordanus de statuto, ad quod se referebat, magister Johannes Hokelem esset vere electus et esset intrans; et quia noluit nacio factum electionis novi rectoris tantum retardare, quod que[re]ret statutum in archa nacionis, voluit quod idem procurator magistro Johanni predicto protunc cederet, protestans quod in futurum sibi non cederet hoc in aliquod prejudicium. Et sic protestatus fuit magister Jordanus predictus coram facultate nomine nacionis Anglicane supradicte.

Item XII^a die mensis Octobris facta congregacione Universitatis per juramentum apud Sanctum Maturinum super duobus articulis, primus an expediret concludere rotulum ad papam; et quod concluderetur de facto Universitatis in parlamento contra clientes, qui alias suppositis suis et sibi magnam fecerunt injuriam et violenciam.

De primo deliberavit nacio Anglicana concorditer, duobus suppositis demptis [3], quod protunc non expediebat facere seu mittere aliquem rotulum. Et super illa deliberacione procurator reddendo deliberata peciit publicum instrumentum a magistro Henrico de Odendorp, aliis nacionibus contrarium deliberantibus [4]. Facultas eciam decretorum peciit maturius consilium, aliis duabus facultatibus, scilicet

1. *Agitur de privilegio regis, quo supposita Universitatis a talliis et decimis eximit, de quo infra* p. 639, 21 *et* p. 644, 15.
2. *Ms.* an.
3. *Opinamur*, Guillelmo de Trebron *et* Arnoldo de Arnheim.
4. *Natio Picardica jam* 18 *Septemb. congregatione habita apud S. Julianum inrotulatores nominavit* Honoratum de Porta, Johannem Carpentarii *et* Gerardum de Versigniaco, *ut refert* Bulaeus, IV, 591.

theologie et medicine deliberantibus, quod simpliciter expediret facere rotulum. Et protunc cum concluserunt, et tunc rector[1] habita ampliori parte Universitatis conclusit rotulum mittendum ad papam.

De 2° articulo fuerunt dati deputati ad audiendum et avisandum factum et ad referendum. Dati eciam erant concorditer in illa congregacione deputati, qui adirent episcopum Gebanensem[2] supplicando sibi ut non molestaret supposita Universitatis pro decimis.

1382

(*Fol. 36* ᵇ) Acta in procuratoria magistri Ottonis Boecij.

Anno Domini M° CCC° LXXXII, mensis Octobris die XXIª, facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem regencium et non regencium per juramentum super tribus articulis, scilicet ad eligendum procuratorem, et ad audiendum computum receptoris, et ad supplicandum. Electus fuit in procuratorem et continuatus magister Otto Boecij. Computus receptoris non fuit auditus, sed delatus. Supplicavit in eadem congregacione magister Paulus de Gelria pro literis recommendatoriis in forma consueta ad quosdam dominos de partibus suis, cujus supplicacio fuit interempta. Sed quia aliqui de nacione asserebant, illam supplicacionem esse rigorosam cum predicto magistro Paulo, et dicebant sibi fieri injuriam nisi sibi concederetur : procurator predictus super hoc per singulos magistros inducens singulorumque vota recipiens, in hoc invenit majorem partem nacionis concordem, ymo fere totam, quod supplicacio predicti magistri fuit rigorosa et concedenda de rigore. Et sic procurator eam esse rigorosam conclusit et per consequens concessam.

Item facta congregacione nacionis predicte Anglicane in crastino beatorum apostolorum Symonis et Jude apud Sanctum Maturinum hora nonarum Nostre Domine ad habendum consilium de modo, quomodo se deberent habere officiarii nacionis circa quosdam incepturos in artibus, licenciatos auctoritate domini Clementis[3], et ad supplicandum. Supplicavit ibidem Johannes bedellus dicte nacionis pro se et subbedello, ut venderentur libri nacioni in vadium positi, et quod de illa pecunia solveretur eis pecunia debita eis a nacione. Cujus supplicacio, quia rigorosa, fuit concessa. De primo articulo non fuit habita concordia, et ergo nichil conclusum.

Item die XXXª mensis Octobris incepit in artibus dominus Guillelmus de Camera sub magistro Guillelmo de Strebron[4], cujus bursa 5 solidi. Solvit receptori, et juravit procuratori.

Item die VIIª mensis Novembris facta congregacione facultatis apud Sanctum Julianum pauperem hora primarum, auditus fuit ibi computus antiqui rectoris, conquestus eciam fuit magister Johannes de Hokelem, qualiter a quibusdam suppositis nacionis Anglicane in quadam congregacione nacionis predicte fuisset gravatus[5], a quibus gravaminibus ipse appellasset ad facultatem. Quare sibi peciit dari deputatos, qui audirent merita sue appellacionis. Cui dati fuerunt deputati.

Item die VIIIª mensis Novembris facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum inter alia ibi acta, quidam magistri nacionis Anglicane, scilicet magistri Guillelmus de Strebron et Arnoldus [de Arnhem] et aliqui eis adherentes [conquerebantur] qualiter nacio predicta gravaret licenciatos in Nostra Domina, nolens eos recipere ad facta communia nacionis, et eciam conquesti fuerunt qualiter magister Jordanus receptor nacionis predicte fecit magnum dampnum nacioni in hoc, quod noluit recipere pecuniam ab istis[6]. Et eciam supplicaverunt quod daretur eis inrotulator ab Universitate, qui caperet supplicaciones eorum, nam ipsi vellent poni in rotulo. Dein facultatibus se trahentibus ad partem, nacione eciam ad partem ut moris est congregata, dum procurator vota singulorum magistrorum recepisset, magistri Guillelmus de Strebron et Johannes de Hokelem et alii eis adherentes quendam extraneum, non magistrum, de nacione Gallica, ad se vocaverunt quasi ipsum suum procuratorem constituentes; ipsum fecerunt vota magistrorum recipere, procuratore nacionis ipsos requirente instanter, ut ipsum recedere facerent et ipsum[7] secundum deliberationes magistrorum deliberata ibidem concludere permitterent. Quod ipsi facere recusantes, idem procurator dicens et protestans se gravatum nichil ibidem concludens surrexit, et recessit.

Item die IXª mensis Novembris hora post meridiem quasi sexta venit ad domum procuratoris Johannes bedellus nacionis Anglicane, ferens quandam

1. Johannes Luqueti, *rector* 10 *Octob.-Decemb.* 16. *Vid.* Chartul., III, n° 1474, *ubi etiam de rotulo.*
2. *l. c.* Gebennensem, *scil.* Johannem de Murolio. *Vid.* Chartul., III, p. 365, *not.* 28.
3. *De quo vid. supra* p. 618, 45. *Deliberatio nationis ibidem posita refertur ad licentiatos per cancellarium.*
4. *l. c.* Trebron.
5. *Vid. supra* p. 627, 46.
6. *Vid. supra* p. 619, 7.
7. *Scil. procuratorem.*

cedulam signeto rectorie signatam, in qua continebatur quod idem Johannes bedellus citaret omnes magistros nacionis Anglicane per juramentum, quatinus venirent die sequenti ad congregacionem[1] nacionis Anglicane predicte hora primarum ad exsequendum deliberata in Universitate.

Qua cedula procurator predictus visa, multum stupefactus, rectori scripsit sub sigillo procuratorie predicte nacionis cedulam sic sonantem de verbo ad verbum : « Domine rector, cum omni reverentia loquor. Ego credo quod ad solum procuratorem nacionis spectat facere congregacionem nacionis. Heri non audivi deliberata Universitatis, nec ab aliis plene informatus sum super tunc deliberatis; babita plena informacione super illis, quam michi fieri faciam ego sicud cicius commode potero, mediante maturo consilio libenter faciam ea ad que astringor. » Qua cedula rectori presentata ipse aliam cedulam emisit, in qua mandavit procuratori predicto per juramentum suum et sub omni pena, quatinus faceret congregacionem nacionis predicte hora predicta; quod si non faceret, contra ipsum vellet procedere tanquam contra rebellem et inobedientem rectori omnibus modis et viis quibus posset. Eciam in eadem cedula scripsit quod nichilominus mandasset Johanni bedello predicto, quod citaret magistros seu convocaret eos hora supradicta per juramentum de mandato rectoris ad congregacionem nacionis predicte apud Sanctum Maturinum. Que cedula procuratori predicto fuit presentata inter septimam et octavam horas post meridiem.

Procurator predictus videns et credens istud mandatum esse contra laudabiles consuetudines nacionis sue, tum quia non consueverunt fieri congregaciones nacionis predicte, nisi scitis articulis super quibus deberent fieri, quos idem procurator ut supra dictum est ignoravit, tum quia non consueverunt procuratores nacionis predicte facere congregaciones super aliquibus nisi habito consilio a senioribus de nacione, tum quia tali hora tam serotina magistri nacionis non consueverunt convocari : ideo procurator predictus non fecit illa hora magistros convocari, hora tamen qua rector fecit magistros convocari, venit ibi procurator predictus ad audiendum, quid rector vellet, et non invento ibi rectore, fecit vocari ad se plurimos magistros ibi existentes, petens ab eis quid esset facturus. Ipsi dixerunt quod fieret congregacio solempnis (*Fol. 37*) per juramentum in nonis eadem die, et ibi audiretur rector, et nacio ipso audito deliberaret quid sibi videretur expedire.

Quam congregacionem procurator fieri fecit per juramentum apud Sanctum Maturinum eadem die, que fuit X^{a} dies Novembris, ad quam veniens rector nacioni proposuit qualiter deliberatum erat in congregacione Universitatis, quod noviter licenciati in Nostra Domina auctoritate domini Clementis deberent recipi ad nacionem, et deberent recipi ad omnes actus ad quos alii magistri aliis temporibus recepti sunt, videlicet ad solucionem pecunie nacioni debite racione licencie et magisterii, et ad juramenta procuratori nacionis prestari consueta. Requisivitque idem rector quemlibet magistrorum per juramentum suum, ut istud sic, sicud in Universitate deliberatum fuit, deliberaret, requirens ulterius quemlibet magistrorum per juramentum suum, ut sibi contradicentes seu contrarium deliberantes revelarent, adiciens minando, quod si quis contradiceret seu non consentiret, contra ipsum tanquam contra scismaticum et Universitati rebellem procedere vellet et procedi per alios procuraret omnibus viis et modis quibus posset. Quibus dictis idem rector peciit a procuratore predicto, an super istis vellet inducere vel non; addens quod si nollet, ipse super istis vellet inducere.

Procurator sibi respondit, quod ipse[2] cum suis exiret nacionem; ipse vellet consulere nacionem super isto. Quibus exeuntibus, procurator induxit et habuit per majorem partem nacionis istam conclusionem, quod nacio nollet esse rebellis deliberacioni Universitatis, qua scilicet Universitas deliberavit, noviter magistratos auctoritate domini Clementis et licenciatos debere recipi ad nacionem ut magistros, et receptor offerebat se ibidem paratum ad recipiendum hujusmodi bursas a graduatis secundum modum consuetum, et dixit quod semper antea paratus fuit eas recipere, si nacio inhibicionem alias per eam factam receptori prius ammovisset, requirens super hoc sibi publicum fieri instrumentum.

Item die dominica, que fuit XVI^{a} Novembris, dominus rector fecit vocari ad congregacionem Universitatis per juramentum specialiter procuratorem nacionis Anglicane et receptorem, ut libros sive registra, in quibus graduati scribi consueverunt, cum clavibus et sigillo procuratorie ad predictam congregacionem apportarent, nam voluit dominus rector

1. *Agitur in sequentibus de deliberatione nat. Anglicanae, ne quis in Nostra Domina sub cancellario Paris. a Clemente VII instituto licentiatus ad nationem admittatur. De qua saepius.*

2. *I. e.* rector.

quod illi graduati in plena congregacione Universitatis inscriberentur. Quod videbatur procuratori et receptori una novitas insolita. Deliberavit autem Universitas quod procurator et receptor eos inscriberent et reciperent juramenta et soluciones bursarum secundum formam alias observatam, scilicet ante dissencionem ortam super recepcione graduatorum in nacione, ad quod faciendum procurator et receptor se paratos exhibuerunt.

Item in eadem congregacione licet rector procuratorem ad se excusandum de quibusdam excessibus sibi per rectorem impositis vocari fecisset, ipsum tamen in suis excusacionibus, quamvis instanter et quampluribus vicibus a dicto procuratore ut ipse audiretur requisitus, audiri non permisit. Item in eadem congregacione dominus receptor se excusavit super hoc, quod bursas a graduatis non recepit, in quo accusatus erat in congregacione precedenti, accusatoribus suis eciam requirentibus solucionem illarum bursarum fieri nacioni per ipsum receptorem; sed Universitas audita sui excusacione, scilicet quia inhibicionem habuit super hoc a nacione per quandam ordinacionem alias factam a nacione super noviter graduatis, ne ab eis bursas reciperet, Universitas non reputavit eum reum in hoc, nec pecunias illas per ipsum restituendas nacioni deliberavit. Et hoc eciam expresse deliberavit nacio quoad majorem ejus [partem], videlicet preter illos qui receptorem accusaverant et eis adherentes. Dedit eciam Universitas deputatos super injuriis, quas receptor dixit sibi illatas a magistro Guillelmo Trebron et quodam alio magistro [1] sibi adherente.

1382

Acta in procuratoria magistri Thome de Foresta [2].

Anno Domini M° CCC^{mo} LXXX° II°, die martis [3] proximo precedenti festum sancti Edmundi ad Sanctum Maturinum hora primarum, facta congregacione Anglicane nacionis per juramentum ad audiendum computum receptoris, sui eciam procuratoris, ad eligendum alium novum procuratorem una cum aliis negociis deliberandis infrascriptis; primo de nacione nostra predicta magistri quamplures congregati die, hora et loco supradictis super computo receptoris et procuratoris dicto die, redditisque auditis, determinabant se contentos habentes magistrum Jordanum de Clyvis, receptorem, ac magistrum Ottonem Boecij, nacionis predicte procuratorem, in premissis recommendatos.

Item in eadem congregacione novum eligerunt procuratorem. Quo autem facto, nacio predicta nostra ibidem illo die in terciis congregabatur super deliberacione sua sensuali facienda ad IIII^{or} articulos propositos per rectorem, ibidem hora predicta facientem congregacionem Universitatis generalem. Pro primo articulo nacio pro parte majori deliberavit quod domino duci Beteriensi [4] honorabiliter Parisius recepienti rectorem Universitatis (*Fol. 37 b*) esset merito regraciandum, cum quo domino duce predicto in negociis Universitatis si [5] esset locuturus dominus rector secum adducet discretos Universitatis deputatos.

Item pro articulo secundo nacio nostra deliberavit quod ex parte Universitatis matris nostre deputati ordinarentur, qui diligencius inspicerent modum oportunum pro[se]quendi in parliamento factum Universitatis.

Item pro articulo 3° fuit deliberatum quod collegio facultatis decretorum, inde requisito pluries et non placenti recipere [6] hunc dominum abbatem [7] ad juramentum suum debitum comprestandum, ad regenciam suam consuetam in hac facultate continuandam Universitas reciperet [8] ab eodem.

Item pro quarto articulo fuit in nacione deliberatum quod quasdam literas supplicantes de oportuno remedio providendo episcopo cuidamque ejus collegio sibi referentibus injurias graves hiis illatas mater nostra sancta Universitas videret scriptas fore domino regi Francie et mittendas (*sic*).

Item in qua predicta congregacione tenta apud Sanctum Maturinum per nacionem Anglicanam hora et die suprascriptis, magister Thomas de Foresta electus fuit in procuratorem. Solvit unum francum nacioni in institucione ipsius nova ad officium capiendum procuratorie. Item idem solvit unum francum debitum ab antiquo nacioni, racione sui primi introitus ad congregacionem, presentibus magistro Willelmo de Strabruno [9], magistro Nicholao de Grinlaw,

1. Arnoldo de Arnheim.
2. *Deficit in sequentibus structura sententiarum, delectus et consecutio verborum.* Thomas de Foresta *fuit omnium praecedentium pessimus latinitatis auctor.*
3. 18. *Novembris.*
4. *I. e.* de Berry.
5. *Ms.* se.
6. *Ms.* recepere.
7. *Agitur de* Petro Regis, *abbate S. Taurini Ebroicensis. De hac causa vid.* Chartul., III, n° 1475.
8. *Ms.* receperet.
9. *I. e.* Trebron.

magistro Johanne Howkland cum multis aliis magistris de nacione.

Item in qua predicta congregacione nacionis nostre Anglicane magister Jordanus de Clyvis presens repertus legebat magistris ibidem congregatis computum suum contentum super receptis pecuniisque expositis ad usus nacionis in officio sue receptorie, admissis omnibus expositis protunc restantibus esse computandis, predictus magister nacionis existens receptor plenius tenebatur in XX francis cum aliquanta porcione apposita parisiens. solidorum restituendis sue nacioni.

Item receptor predictus informatus penitus atque inde requisitus sub consensu nacionis in quodam prandio sibi ordinato in sancti Edmundi festo ultimo transcurrenti, exposuit XXII^os francos cum tribus solidis, super qua summa exposita computum redditum in toto que [1] ejus particulis auditum examinavi nomine nacionis.

Item congregacione Universitatis generali facta ad Sanctum Maturinum per juramentum XXIII^a die mensis Novembris, rector tres articulos proposuit ibidem determinandos. Primus articulus propositus fuit super tribus tactis modis elevandi [2] pecunias de qualibet particulari nacione, quorum primo significante pecunias esse solvendas nunciis ad regem mittendis pro literis quibusdam impetrandis, nacio nostra inde consulta in deliberacionibus suis auditis totaliter non assenciebat, assenciendo tamen conclusive secundo et tercio modis hujus primi articuli, significantibus expensas esse tradendas deputatis Universitatis pro factis suis maturius expediendis in parliamento, eciam deputatis aliis suis habentibus certa [3] negocia Universitatis expedienda.

Secundus articulus super punicione librariorum delinquencium in suis officiis injuste gubernatis, quibus correctis super eorum admissione que ceterorum consimilia habencium officia, ad renovacionem audiendum juramentorum super obligacionibus suis fidejussoriis exhibendis a quibuscumque aliquos receperint libros vendendos. Cui articulo cum suis membris servandis nacio nostra deliberando assenciebat [4]. Tercius articulus, tangens appellacionem quandam factam per collegium facultatis decretorum, nullius virtutis in nacione reputabatur.

(*Fol. 38*) Item incepit dominus Johannes de Douglas in artibus sub magistro Willelmo de Trabrune, cujus bursa VI solidi.

Item eodem die circa finem mensis Novembris anno Domini mil^simo CCC^mo LXXX^mo II°, incepit in artibus dominus Jacobus Watsona sub eodem magistro Willelmo Trabrune, cujus bursa VI solidi.

Item uterque eorum magistrorum solvit nacioni unum francum in satisfactionem plenariam jocundi adventus eorum ad congregacionem nacionis.

Item facta congregacione nacionis ad Sanctum Maturinum in vigilia sancte Katerine virginis hora nona ante prandium, in eadem autem congregacione tres articuli proponebantur. Primus super modo deliberando expediendi rotulum communem qui ex parte nacionis ad dominum papam Clementem esset destinandus. Pro cujus articuli tenore nacio deliberavit, eundem rotulum esse dirigendum in expensis particularibus colligendis magistrorum volencium scribi in eodem.

Secundus articulus fuit super ordinacione necessaria videnda pingnorum dimissorum (*sic*) in manu receptoris, pro quo ibidem deliberabatur quod attenta pecunie graviori instanti carencia, quam nacio patiebatur, consederatisque causis diversis evenientibus possibilibusque evenire, in quibus pecunie nomine nacionis distribuerentur, videbatur expediencius fore nacioni [5] quod de pignoribus universis vendendis jacentibus cum receptore indigencia nacionis suppleretur, exceptis pignoribus magistrorum duorum infrascriptorum, videlicet magistri Johannis de Douglas (supplicantis in congregacione quod liber sibi pertinens, tamen cum receptore impignoratus nomine alterius magistri in patria existentis, ad Pentecostes festum proxime adventurum invenditus custodiretur, cujus supplicacio ibidem admittebatur), et magistri Jacobi Watsona similiter supplicantis; ex cujus supplicacione audita ibidem et admissa pignoris sui vendicio ad festum Pasche differretur.

Pro tercio finaliter deliberatum fuit, quod magistri noviter graduati inscriberentur papiro nacionis.

Item XXVII^mo die mensis Novembris hora terciarum ante prandium facta congregacione Universitatis ad Sanctum Maturinum per juramentum super duobus articulis ibidem propositis per rectorem, nostra nacio Anglicana inde congregata deliberavit quod illius articuli primi primus et secundus modi continentes pecunias certas [6] taxatas, esse per naciones colligendas, que requirebantur esse donande deputatis Universitatis pro suis negociis diversis et factis prosequendis, videlicet secundum stilum taxatum

1. *Hic et alias conj.* que *pro* et *usurpat* Thomas.
2. *Ms.* elivandi.
3. *Ms.* serta.
4. *Vid.* Chartul., III, n° 1361 *et* 1473^a.
5. Videbatur... nacioni *in ms. post* evenire *lin.* 23 *inter uncos.*
6. *Ms.* sertas.

hunc inscriptum, quod de facultate arcium XII franci elevarentur[1] dandi deputatis pro causis supradictis, qualibet trium facultatum superiorum solvente[2] sex francos ad satisfactionem suorum deputatorum. Sed pro modo tercio illius articuli deliberavit quod pecunialis Universitatis obligacio staret inralexata, quousque pecunie a sentenciatis personis sibi debite fuerint persolute.

Pro articulo secundo deliberabatur quod supplicaciones duorum (uniusdam (*sic*) magistri, alterius scolaris) supplicancium admitterentur.

Item XXVIII° die mensis Novembris que anno supradicto, in hora terciarum Nostre Domine, facta congregacione facultatis arcium ad Sanctum Julianum super modo oportuno videndo recipiendi juramenta a magistris cancellario[3] que subcancellario in Sancta Genowefa constitutis receptis in Universitate, pro quorum admissione ad juramenta consueta facienda in nacione nostra et aliis affirmative concludebatur.

(*Fol. 38* b) Item die secundo mensis Decembris facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum hora primarum Nostre Domine super duobus infrascriptis articulis deliberandis, pro quorum primo querenti pecuniam hanc modificari, que esset recipienda a quolibet magistrorum nacionis intendencium inrotulari, ibidem a parte majore deliberabatur super franco recipiendo.

Item pro secundo articulo exponenti simplicitatem nacionis deficientis in provisione pecuniarum, uniformiter fuit nacio concordata quod dominus decanus[4], magister Nicholaus de Grynlaw nomine, et magister Arnoldus[5] deputati ex parte nacionis constituti adirent pignora inspicienda jacencia cum receptore nacionis et quorum copia visa diligenter, receptor traderet ea prius vendenda, que longiore tempore jacebant secum custodita, hiis tamen exceptis super quorum vendicione deferenda a[6] nacione, inde alias requisita, fuit specialiter dispensatum.

Item facta congregacione Universitatis ad Sanctum Maturinum per juramentum tercio die mensis supra dicti super salutari remedio providendo contra sentenciam repellendam excommunicacionis latam per episcopum Parisiensem diversis suppositis sancte matris nostre Universitatis Parisiensis, volentibus resistere decime petite persolvende, attento privilegio speciali sibi concesso[7] contrarium continenti, pro quo nacio nostra deliberavit quod in premissis deferendis Universitas appellaret.

Item facultas medicine satisfaceret de pecunia sibi taxata ad honestam conformitatem capiendam aliarum nacionum.

Item ibidem admissa erat supplicacio magistri Henrici Poelman nacionem inquirentis pro bursis suis omnibus deferendis debitis nacioni ex parte sui ipsius ad terminalem exitum complendum proximorum trium mensium futurorum a die hujus gracie specialis ei concesse computandorum, sub protestacione tamen recepta condicionali ponendi in manu receptoris caucionem sufficientem librorum aut libri, valencium aut valentis pecuniam totalem illam ejus ex parte debitam nacioni.

Item die dominico[8] proximo precedenti festum Conceptionis beate Marie in Jacobitis post missam Universitatis ibidem celebratam, facta congregacione generali tam non regencium magistrorum quam regencium per juramentum, tres articuli ibidem fuerunt propositi per rectorem. Pro primo querenti, modum esse specificandum reducendi facultatem medicine ad uniformitatem ceterarum facultatum quoad pecunias taxatas, persolvendas secundum deliberaciones aliorum, mater nostra nacio Anglicana deliberavit quod in illa facultate sic obstante, que aliis facultatibus visa eadem rationabili esse causa[9] pecunias elevandi, predicta facultas recusans solvere compelleretur.

Item super membro annexo continenti, istum Hugonem Embrioth[10] alias condempnatum, super cetera mundi placencia fore cupientem assumi ad graciam amicabilem et misericordiam[11] piissime favorabilis matris nostre benedicte Universitatis Paris. dignantis eum absolvere, que a penis suis perpetuis injunctis relaxare, preaccepta tamen secura promissione satisfaciendi in injuriis et expensis factis per Universitatem racione eum ducendi ad cognicionem sui erroris, per nacionem nostram fuit deliberatum quod deputati doctores ex parte Universitatis ordinati adirent quendam magistrum ejus consanguineum Parisius existentem, taliter facientem matrem nostram predictam informari nomine Hugonis predicti dampnati, cujus magistri nomine sui consan-

1. *Ms.* elivarentur.
2. *Ms.* solventi.
3. Egidio de Vannis. *Subcancellarius :* Johannes de Avenis. *Vid.* Chartul., III, 308.
4. *Utique decanus alicujus ecclesiae, nisi sit senior.*
5. *Ms.* Ornaldus.
6. *Ms.* cum.
7. *Vid. supra* p. 627, *not.* 1.
8. *7 Decembris.*
9. *Sic in ms*to, *sed propter defectum structurae et latinitatis vix intelligi potest.*
10. *I. e.* Aubriot.
11. *Ms.* mesidericordiam. *An.* 1382, *Martii* 1, *Hugo Aubriot a populo e carcere liberatus est. Vid.* Chartul., III, 304, *not.* 6.

guinci oblacionem totalem audirent, atque auditam in premissis Universitati renunciarent.

Pro 2°, nacio deliberavit quod darentur deputati ex parte Universitatis per quos inspiceretur sanior modus prosequendi appellacionem latam contra episcopum Parisiensem, petentem ex parte regia solucionem decimarum.

Pro 3°, quod nacio Gallicana laboraret per seipsam pro sua virga rapta manu seculari diu et detenta rehabenda, Universitate minus juste cessante procedere contra predicte virge detentores.

Item in crastino Conceptionis beate Virginis Dei genitricis Marie anno supradicto XXIIII^or solidos a receptore acceptos nomine nacionis deliberavi magistro Johanni Loqueti, rectori Universitatis, tunc temporis existenti in collegio Navarre, pro matris nostre predicte negociis prosequendis.

(*Fol. 39*) Item facta congregacione generali Universitatis ad Sanctum Maturinum per juramentum XIII° die mensis Decembris dominus rector ibidem duos articulos proponebat, primum super decimis et taliis nomine regio petitis removendis, pro quibus predictis nacio nostra deliberavit appellationem esse diligencius prosequendam, deputatosque solempnes ex parte Universitatis constitutos esse conformiter adituros presedentem in parlyamento et prepositum mercatorum [1], quibus previlegium regium speciale Universitati concessum continens, quod hujusmodi contribuciones singulas esse excludendas, discrecius exponeretur, ut ejus tenore informati domini supradicti cessarent Universitatem taliter perturbare, quousque ad regem in ejus regressu mater nostra predicta accessum habuerit personalem.

Pro secundo articulo nacio deliberavit supplicaciones non esse admittendas bacculariorum in facultate decretorum, volencium rotulum particularem habuisse summo pontifici destinandum.

Item decimo quarto die mensis Decembris [2] congregata nacione Anglicana ad Sanctum Maturinum post sermonem super tribus expediendis articulis infra contentis, videlicet pro expedicione diligenciori inspicienda rotuli dirigendi ad papam, pro ejusdem presentacione facienda ex nomine nacionis, eciam pro copia videnda pignerum ex parte nacionis remanencium cum receptore. Pro primo nacio deliberavit secundum partem saniorem, quod singuli magistri nacionis volentes inrotulari, infra dies decem proximos sequentes viderent se esse inscriptos; quo die decimo venienti rotulus [3] grossaretur.

Pro secundo, ad istum predictum rotulum pape presentandum magister Andreas de Trabrune, frater magistri W[ilhelmi] de Trabronne, existens [4] tempore illo Avinione, eligeretur, qui juratus nuncius Universitatis super fideli sua diligencia facienda in negociis nacionis reciperet [5] sibi pecuniam totalem colligendam a quolibet inrotulatorum, nisi alius salubrior modus procuracionis in posterum inveniretur.

Pro tercio, quod dominus decanus [6] et magister Ernaldus deputati inde constituti nacionis viderent pignorum copiam et valorem.

Item XV° die mensis Decembris facta congregacione Universitatis generali Sanctum Maturinum hora vesperarum per juramentum super quatuor articulis ibidem propositis deliberandis, pro quorum primo significanti, rectorem et deputatos Universitatis receptos fuisse in decenti honore et amicabili auditu cum domino presidenti in parliamento, sibique favorabiliter respondenti in negociis et expositis nomine Universitatis, natio deliberavit predicto domino esse merito regraciandum.

Pro 2° articulo tangenti factum Hugonis Aubrioth nacio deliberavit quod secundum formales peticiones alias expositas per deputatos super emendis honorabilibus faciendis matri nostre Universitati perturbate graviter in capite atque membris per Hugonem predictum, a nepote suo et ceteris suis amicis volentibus supplicare pro Universitatis misericordia sibi habenda, emende ut sufficientes nomine predicti Hugonis essent recipiende.

Pro 3° de predicta nacione deliberaverunt magistri volentes inrotulari, quod rotuli expedirentur.

Pro quarto supplicacio rectoris de hoc officio recessuri a pluribus admittebatur.

1382

Continuacio magistri Thome de Foresta in officio procuracionis.

Item anno supradicto, XVI° die mensis Decembris, facta congregacione nacionis Anglicane per juramentum ad Sanctum Julianum hora primarum super computo audiendo receptoris et electione perficienda novi procuratoris, pro cujus autem computi

1. Johannem de Fleury, *Vid. supra* p. 596, *not.* 6.
2. *Quae fuit dies dominica.*
3. *Ms. addit* et.
4. *In ms^to non clare, an* existens *vel* existentis; *sed potius* existens.
5. *Ms.* receperet.
6. *Scil.* Guillelmus Grinlaw.

audiencia deferenda ad proximas congregaciones nacionis nostre, singuli magistri ibidem comparentes concorditer deliberabant. Pro 2° secundum conformalem concordiam omnium ibidem existencium de nacione magister Thomas de Foresta preelectus in procuratorem tempore mensis proximi precedentis in hoc officio fuit continuatus.

(*Fol. 39* b) Item magister Henricus Poelman eodem die predicto procuratori juravit juramenta singula debita et consueta, pro cujus bursis debitis nacioni idem magister propria relacione sibi demonstravit, se pignora posuisse in manuali custodia receptoris.

Item predictis die et loco facta congregacione generali nacionum IIII^{or} de facultate arcium super novo rectore eligendo, vir discrecionis notabilis scientificeque honestatis magister, Egidius de Asperomonte nomine, existensque nacionis Gallicane, circa horam vespertinam, in rectorem electus fuit Universitatis [1].

Item XXVI° die mensis Decembris facta congregacione generali Universitatis in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum per juramentum super duobus articulis eciam sibi annexis determinandis ibidem propositis per rectorem, pro primo querenti limitacionem oportunioris temporis, infra quod rotulus Universitatis pape Clementi directus grossaretur, nacio nostra Anglicana inde consulta deliberavit secundum ejus partem majorem, quod die sexto vel septimo proximo sequenti rotuli predicti grossacio perficeretur.

Item pro annexo huic primo significante, quandam pecunie pensionem ad summam X francorum esse de Universitate elevandam [2], que in satisfactionem gratam attendendam sui laboris et expensarum conferretur magistro cuidam discrete procuranti literas regis et dominorum plurium recommendatorias et ex parte Universitatis pape destinandas, in nacione predicta deliberabatur quod contenta staret et confirmata saniori deliberacioni servande aliarum nacionum et facultatum superiorum.

Item pro annexo 2° nacio eadem deliberavit quod Hugo Aubrioth ad jurisdictionem Universitatis rehaberetur, pro quo acquirendo per aliquos fortiter laboraretur, et contra quem processus factus per Universitatem in parliamento viriliter prosequeretur.

Item pro tercio annexo deliberavit solempnes eligi deputatos ad communes Universitatis articulos inspiciendos, quos defectuos haberent predicti corrigere et reformare.

Item pro 2° articulo nacio deliberavit supplicaciones admittendas esse singulorum ibidem supplicancium scolarium et magistrorum.

Item XXVII° die mensis supradicti nacione nostra congregata in nonis Nostre Domine ad Sanctum Maturinum super punctis tribus expediendis infrascriptis, videlicet primo super voluntatibus finaliter congnoscendis magistrorum tendencium rotulari; 2° super termino modificando rotulum grossandi; et 3° super ejusdem rotuli grossati presentacione honorabili et utili facienda ex parte nacionis pape Clementi. Pro quibus predictis in congregacione eadem secundum partem ejus majorem firmiter concludebatur, quod magistri volentes inrotulari infra diem septimum proxime sequentem suas viderent supplicaciones magistro Ernaldo formatas [3] esse presentatas, infra terminum predictum rotulus nomine nacionis grossaretur, et per magistrum honorabilem in curia presentem reperiendum ejusdem rotuli presentacio facienda pape committeretur.

1383

Convocatis singulis Universitatis nacionibus et facultatibus congregatis per juramentum ad Sanctum Maturinum quarto die mensis Januarii [4] anno supradicto, et immediate post sermonem, IIII^{or} articulos ibidem proposuit dominus rector. Primum super rotuli grossacione perficienda ad fixum terminum prelimitatum in Universitate tunc temporis et appropinquantem. Secundum super facto matris nostre Universitatis expediendo super deputatis solempnibus assignandis ex parte matris nostre predicte corporaliter adituris domicilium Hugonis Aubrioth ad audiendam formam citandi Hugonem predictum quam elevandi [5] juramentum contra eundem, et exposita ibidem per solicitatorem Universitatis in premissis una cum juramentis (*Fol. 40*) corporalibus accipiendis a clientibus illis offerentibus se esse laboraturos pro predicti rehabicione attemptanda. Tercium super excusatione audienda episcopi Parisiensis in sua cedula ostendentis seipsum nunquam placentem gravamen quodcunque inferre Universitati in hiis petitis decimis nomine regio ab eadem elevandis. Et quartum super supplicacione exaudienda unius collegii requirentis humiliter matrem Univer-

1. *Vid.* Chartul., III, n° 1477.
2. *Ms.* elivandam.
3. *Ms.* formumatas.
4. *Dies dominica.*
5. *Ms.* elivandi, *et sic postea.*

sitatem de reparacione necessaria ipsius indigentis disponenda.

Super quibus predictis declarandis nacio nostra ibidem congregata deliberavit sic pro primo cum omnibus annexis visis sequi ex eodem, quod consensus ejus uniformis non haberetur. Pro secundo deliberavit nacio nostra predicta quod contra Hugonem Aubrioth secundum modum formalem pretactum procederetur, pro quo citato et legitime rehabendo mitteretur, et in parliamento medio tempore pendenti Universitas negocium prosequeretur. Pro tercio in eadem nacione deliberabatur appellacionem Universitatis, super decimis factam, esse in prosecucione continuandam, excusatoria episcopi cedula audita non obstanti. Pro quarto et finali articulo deliberavit deputatos discretos Universitatis cum rectore esse adituros collegium predictum, inquerendo sic subcidium oportunum, et juxta quorum rectoris et deputatorum discreciones attendendas dicti collegii defectus repararentur.

Anno Domini supradicto, atque die jovis [1] proximo subsequenti festum Epiphanie Domini, facta congregacione facultatis arcium apud Sanctum Julianum hora primarum Nostre Domine, dominus rector tres articulos ibidem proponebat. Pro primo nacio nostra congregata ibidem deliberavit, computum esse audiendum antiqui procuratoris, de quo reddito et audito nacio existens contentata dicti computi redditorem habuit recommendatum. Pro 2° articulo significanti quandam pecunie summam esse de nacione qualibet distribuendam bedellis curiam adituris, mater nostra venerabilis nacio predicta senciens seipsam pecuniis esse improvisam, deliberavit discenciendo in tali distribucione predictis facienda. Super 3° contento supplicacionem scolarium studencium [in] arcium facultate querencium habere licenciam determinandi in eadem facultate, nacio deliberando respondebat predictorum supplicacionem esse admittendam.

Item XII° die mensis Januarii facta congregacione generali Universitatis apud Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine per juramentum super duobus expediendis articulis ibidem propositis per rectorem, pro primo significavi deputatos solempnes ordinari nomine matris nostre Universitatis et ordinatos adire presenciam domini regis pro causis infrascriptis sibi monendis. Concludens mater nostra nacio Anglicana deliberavit quod deputati notabiles predictum principem adiuntes deberent nomine Universitatis ipsum solempnizare, vigorem ejus recommendare, atque in actibus strenuis sibi noviter accidentibus fortunam suam magnam predicare. Pro cujus articuli membro primo fuit eciam deliberatum quod dicto domino regi per deputatos eosdem humiliter supplicaretur pro conservacione salubri facienda sue filie Universitatis Parisiensis ab violencia, turbacione et molestia omnium suorum hominum armorum secum Parisius congregatorum, quibus et ipsorum singulis inhibicio conferretur displicendi quovis modo predicte ejus filie Universitati, supposita ejus offendendi, bona ipsorum auferendi seu domos eorum violenter ingrediendi [2]. Pro membro secundo dicti deputati domino regi supplicarunt ut privilegium suum regale ab ipso signatum concessum et alias contentum super taliis quibuscumque et decimis removendis a sua filia Universitate predicta [3], sub evidencia majore hujus sue gracie specialis preconcesse predictus rex literatorie confirmaret [4]; suum conductum securum cum diversis literis recommendatoriis domino pape dirigendis nomine Universitatis ejusdem sue filie nunciis curiam in brevi visitaturis concedere dignaretur, atque oculum pietatis largiflue ostenderet communitati Parisiensi. Que autem supplicacio sibi tamen sub colore placencie ex parte ville proponeretur.

Pro 2° articulo principali inde viso conteneri supplicaciones minime audiebantur.

1383

(*Fol. 40* b) In procuratoria magistri Henrici Poelman de Arnhem, Trajectensis dyocesis.

Anno Domini millesimo trecentesimo LXXXIII°, facta congregacione nacionis Anglicane per juramentum in Sancto Maturino XIII^a die mensis Januarii post sermonem ad eligendum procuratorem et ad audiendum computum receptoris, dilatus fuit computus receptoris, et electus erat concorditer magister Henricus Poelman in procuratorem, duobus tamen magistris alii vocem suam dantibus. In cujus procuratoria acta sunt que sequuntur.

Primo solvit dictus magister Henricus procurator duos francos, unum pro prima procuratoria, et alium solvit quia percepturus erat emolumenta a determinantibus hujus anni. Et licet dicta procuratoria non duraret nisi per mensem, tamen concorditer

1. 8 *Januarii.*
2. *Exstat de hoc privilegium regium an.* 1383, *April.* 18. *Vid.* Chartul., III, n° 1479.
3. *Vid. supra ad an.* 1382, *Octob.* 4.
4. *Exstat privilegium an.* 1384, Chartul., III, n° 1483.

nacione sollempniter congregata extunc deliberavit, ipsum continuandum fore pro proxima procuratoria nemine contradicente, et hoc videbatur nacioni expedire. Adjectum fuit eciam quod si posterius in alterius procuratoria aliquis determinans juraret procuratori sequenti, quod hujusmodi pecuniam cederet magistro Henrico procuratori precedenti. Item regraciabatur procuratori precedenti, scilicet magistro Thome.

Item in eadem congregacione magister Brunulfus Karoli, prepositus Scarensis, in nacione retulit quomodo concessit seu accommodavit octo francos magistro Rodulpho de Lubecc super quadam biblia [1], quam ibidem ostendebat, de qua petivit, cum festum Nativitatis Christi esset diu lapsum et quia indigeret pecuniis, quod biblia venderetur, vel quod sic disponeretur de ea, quod ipse prepositus haberet pecuniam suam. Super quo nacio deliberavit, quod predicta biblia venderetur, etc., sicut fuit ibidem lectum de modo per quem concessit alias. Et respiciatur de hoc mensis Julii in procuratoria magistri Petri Catwic. Adjectum fuit tamen quod dictus magister Brunulfus expectaret per duas septimanas vel plures et quanto diucius posset, antequam exponeretur vendicioni. Et hoc dicebatur propter plures causas.

Item facta congregacione nacionis per juramentum solempniter regencium et non regencium apud Sanctum Julianum pauperem ad ordinandum et statuendum; et propositum erat, ex quo alie tres naciones sabbatis habent missam nacionis sue, et eciam cum alie facultates consimiliter quolibet die sabbati celebrent missam ad honorem et laudem intemerate Virginis gloriose, quod consimiliter nacio Anglicana sic faceret et ordinaret et statueret, et ad hoc fuerunt ibidem aliqua motiva adducta. Et eciam de modo proponebatur, quod venientes haberent duos denarios et absentes solverent duos ad finem ut magistri melius incitarentur ad veniendum ad missam, que missa celebranda esset in Sanctis Cosma et Damiano, ubi est ecclesia sepedicte nationis Anglicane. Et procurator ista proposuit, quia pluries a multis magistris ad hec faciendum fuit requisitus, qui ad hoc habebant affectionem et devocionem specialem.

Et protunc in eadem congregacione idem procurator proposuit, quomodo multa in *libro nacionis* [2] temporibus preteritis scripta essent, que essent contra honorem nacionis ejusdem, ymmo et contra honorem plurium magistrorum et eciam procuratorum, et hoc fuit ibidem declaratum multis racionibus, quas nimis longum esset enarrare. Et igitur idem procurator posuit in deliberacionibus magistrorum quod darentur duo deputati, qui talia haberent delere. Super quibus fuit deliberatum quod ista omnia deferrentur usque ad alias, et tunc fieret congregacio sollempnis, scilicet in aliquo die festivo.

Item facta congregacione nacionis eodem anno et mense, die vero vicesima octava, ad Sanctum Julianum pauperem ad habendum officiarios, scilicet examinatores determinancium et examinatores pro temptamine Sancte Genofeve et ad supplicandum, super primo dictum fuit quod antiquiores tres deberent eligere, et elegerunt magistros Jordanum de Clivis, Johannem de Hoeclem, Arnoldum de Ghyese. *De examinatoribus Sancte Genofeve.* Magister Henricus procurator pro tempore presentavit se ad secundum mensem. Nulli fuerunt supplicantes, et ergo deferebatur electio examinatorum bachallariorum Sancte Genofeve usque ad alias.

(*Fol. 41*) Item anno Domini millesimo trecentesimo LXXXIII^a, die prima mensis Februarii, facta congregacione nacionis Anglicane per juramentum post vesperas nacionis in ecclesia Sanctorum Cosmi et Damiani ad ordinandum et statuendum, et magistris ibidem sollempniter congregatis et convocatis fuerunt duo per procuratorem proposita. Primum de missa celebranda quolibet sabbato ad honorem et laudem Virginis gloriose, sicut magis tangitur in folio precedenti. Secundum erat de illis, que tangunt honorem nacionis (quoad scripturas) et suppositorum ejus. Super primo fuit conclusum quod videretur si esset statutum aliquod de hoc, et si sic, teneretur et videretur et examinaretur; et si non esset, statutum ordinaretur si posset bono modo ordinari. Et de hoc voluit nacio quod sermo [3] posterius fieret et congregacio specialis. De secundo dedit et deputavit magistrum Jordanum de Clivis, magistrum Johannem de Hoeclem, magistrum Arnoldum de Ghyse et procuratorem ex officio ad videndum libros et examinandum; si essent in eo aliqua delenda scilicet contra honorem nacionis seu suppositorum nacionis, quod talia delerentur [4], et de hoc haberent plenam delendi potestatem. Et iidem fuerunt deputati pro primo puncto ad videndum, si esset statutum.

Item die tercia ejusdem mensis Februarii facta

1. *Vid. supra* p. 623, 39.
2. *Designatur hic* liber procuratorum, *quem edimus. Henricus Poelman, de quo supra* p. 621, 28, *honorem agi putabat suum.*
3. *I. e. quod de istis ageretur.*
4. *Postea inter uncos* et iidem fuerunt eciam.

congregacione Universitatis per juramentum apud Predicatores post missam Universitatis pro defunctis in Universitate, dominus rector[1] ibidem requisivit procuratorem nacionis Anglicane, quatinus traderet determinacionem nacionis ejusdem pro domino Clemente ad habendum in Flandria pro determinando ibidem eciam pro Clemente et eciam pro mittendo ad papam[2]. Super quo deliberavit nacio sic, quod determinacio Universitatis cum magno sigillo merito sufficeret, et quod ad talia nacio nostra non specialiter deberet astringi[3]. Super acceleracione rotuli et ejus sigillacione placuit nacioni, quod accelleraretur et sigillaretur.

Item die quinta ejusdem mensis facta congregacione Universitatis ad Sanctum Maturinum in nonis Nostre Domine et eciam nacionis, de rotulo, et quia pauci magistri fuerunt tunc presentes, nichil expediebatur de isto protunc. Et in eadem congregacione dominus Johannes, bedellus nacionis, retulit quomodo aliqui licenciati tenerentur nacioni, qui nondum solvissent nec posuissent pignera. Quod procurator pro tempore audiens, posuit in deliberacionibus magistrorum. Super quo deliberatum fuit quod eis per bedellum intimaretur quod satisfacerent receptori, et nisi facerent, nacio vellet contra eos procedere. Et ego procurator eidem bedello ex parte nacionis hoc precepi.

Item octava die facta congregacione ad Sanctum Maturinum super acceleracione rotuli et ingrossacione, et fuit deliberatum per nacionem quod infra diem mercurii[4] ingrossaretur et die jovis sigillaretur[5].

Isti sunt determinantes istius anni, scilicet in anno Domini MCCCLXXXIII.

Primo dominus Petrus de Oudewater sub magistro Johanne de Hoeclem, cujus bursa V solidi, VIII denarii. Solvit.

Item determinavit dominus Mathias de Herle sub magistro Johanne de Hoeclem, cujus bursa V solidi, VIII denarii. Solvit.

Item determinavit dominus Nycolaus de Huxaria, cujus bursa V solidi et VIII denarii (solvit), determinavit sub magistro Johanne Hoeclem.

Item determinavit dominus Johannes de Hoenberg sub magistro Johanne Hoeclem, cujus bursa III sol. Solvit.

Item determinavit dominus Allexander Wardlau sub magistro Willelmo Treb[r]on, cujus bursa VIII s. Solvit.

Item determinavit dominus Henricus Wardlau sub magistro Willelmo Treb[r]on, cujus bursa VIII sol. Solvit.

Item determinavit dominus Bartholomeus de Treveris sub magistro Johanne de Austria, cujus bursa VII solidi. Solvit.

Item nona die ejusdem mensis Februarii facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum, facta fuit eciam congregacio nacionis ad ordinandum de examinatoribus pro temptamine Sancte Genofeve et ad supplicandum. Et supplicavit primo dominus Christianus Nodi de Zittart pro dilacione bursarum pro determinancia, pro quo promisit satisfacere domino receptori magister Johannes de Hoeclem infra hinc et festum Palmarum, et hoc si dictus Christianus interim non satisfecerit plenarie nacioni. Item supplicavit bedellus, quod nacio non daret determinantibus dilacionem specialiter de bursis bedelli, quia nunc indigeret pecuniis, sed quod sibi satisfacerent pro tempore presenti.

(*Fol. 41* [b]) Item supplicaverunt pro dilacione bursarum determinancie dominus Nycolaus de Aemsterdamme, dominus Thomas [de Cargyl], dominus Winandus de Ghyeze[6]. Super quibus supplicacionibus nacio sic deliberavit quod primo peteretur ab eis, quantum temporis peterent, et hoc audito ipsi jurarent ibidem in presencia nacionis quod pro tempore presenti essent impotentes ad solvendum hujusmodi bursas. Item quod istud concedere esset omnino graciosum et unus solus posset interimere. Item quod non concederetur aliquo modo nisi infra spacium trium mensium. Item quod tempore lapso peticionis eorum hujusmodi pignera (que deberent ponere determinantes debencia excedere valorem bursarum in proporcione sexquialtera, ymo plus quam duplum) sine ulteriore requisicione a nacione vel jussione per receptorem possent vendi. Item quod nisi satisfecerint infra terminum, ipsi renunciarent omni juri quod eis competere poterit seu possit occasione dictorum pignerum et sine mora quacunque vendicioni exponi.

1. *Scil.* Aegydius de Asperomonte.
2. *Eodem an., Octob.,* comeraci *concilium fuit. Vid. praeterea* Chartul., III, n° 1586, *not. 4, et De Schismate.*
3. *Sed determinatio Universitatis postea in breviorem formam redacta est* (*Februarii* 26, Chartul., III, *l. c.*), *ut apparet e deliberatione nationis Febr.* 25, p. 654, 27.
4. 11 *Februarii.*
5. *Rubrica hic iteratur :* In procuratoria magistri Henrici Poelman de Arnhem.
6. *Postea spatium.*

Item determinavit dominus Winandus de Ghyse de Arnhem sub magistro Johanne Hoeclem, cujus bursa IIII solidi. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Thomas de Cargyl sub magistro Willelmo Treb[r]on, cujus bursa V solidi et VIII denarii.

Item determinavit dominus Robertus de Caveriis sub magistro Henrico Poelman, cujus bursa V sol. Solvit.

Item determinavit dominus Nycolaus Gherbrandi sub magistro Johanne de Austria, cujus bursa III s., VIII denarii. Solvit.

Item determinavit dominus Henricus Heuen sub magistro Stencelao[1] de Polonia cujus bursa II sol. Solvit.

Item determinavit dominus Nycolaus de Aemsterdam sub magistro Johanne de Austria, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Christianus Nodi sub magistro Johanne de Hoeclem, cujus bursa V solidi et VIII denarii.

Item determinavit dominus Petrus Seckel de Maguncia sub magistro Arnoldo de Xantis, cujus bursa III solidi. Solvit.

1383

Continuacio magistri Henrici de Arnhem in officio procuratorie.

Facta congregacione nacionis Anglicane ad Sanctum Maturinum, die decima ejusdem anni et mensis predictorum, super officiariis pro temptamine, super supplicacionibus, electione novi procuratoris aut continuacione precedentis et ad audiendum computum receptoris, de officiariis fuit dilatum. De 2° supplicavit primo dominus Goeswinus Steynvart de Echt pro dilacione pecuniarum determinancie usque ad festum Pasche, quam supplicacionem nacio admisit sub et secundum deliberacionem scriptam superius, scilicet quod juraret, etc. Et ibidem tunc juravit, etc., et quod deberet ponere pignera, etc., sicut supra. Item supplicaverunt domini Conradus de Otyng et Petrus de Fovea pro dilacione bursarum sue determinancie trium mensium, qui juraverunt quod non haberent pignera nec per se nec per alios sufficiencia et valencia pecuniam bursarum. Et concessit eis nacio supplicacionem, dummodo domino receptori traderent literam obligatoriam officialis sub pena sentencie excommunicacionis et quod jurarent, quod si interim possent habere undecumque, quod satisfacerent. Item auditus fuit computus domini receptoris, et habebatur computacio grata. Et mansit nacio debens receptori XII francos. Item continuatus fuit magister Henricus Poelman de Arnhem in officio procuratorie concorditer, nemine contradicente.

Item determinavit dominus Goeswinus Steynvart de Echt sub magistro Henrico Poelman, cujus bursa V solidi. Posuit pignus.

Item determinavit dominus Guillelmus Crauford Scotus sub magistro Willelmo Treb[r]on, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item determinavit dominus Jordanus Hugonis de Bohemia sub magistro Stennislao, cujus bursa III s. Solvit.

Item determinavit dominus Conradus de Otyng sub magistro Johanne de Austria. Posuit literam officialis.

Item determinavit dominus Petrus de Fovea sub magistro Johanne de Austria. Posuit litteram officialis.

Item subdeterminavit dominus Johannes de Yselsteyn pro domino Thoma Kargil sub magistro Steynslao de Polonia, cujus bursa V solidi. Solvit.

Item facta congregacione ad Sanctum Julianum pauperem die decima sexta ejusdem mensis Februarii super quadam pecunia legata per quendam magistrum nacionis Normannie, cujus summa X franci, quam pecuniam legavit arcium facultati videlicet in casu, quo facultas deliberaret quod fieret de illa pecunia *liber rectorie*, quod darentur deputati de qualibet scilicet nacione ad ordinandum de modo inscribendi[2]. Et secundus articulus fuit de pecunia bedelli, qui ex parte facultatis arcium adibit curiam Avinionensem.

Super primo puncto deliberavit nacio quod fieret liber novus de illa pecunia, et ad ordinandum de libro et modo inscribendi statuta, etc., et ad faciendum forum deputavit nacio magistrum Jordanum et magistrum Johannem de Angusia.

Super secundo articulo deliberavit nacio, ex quo pauci magistri presentes, quod de hoc fieret congregacio specialis, quia rector requisivit quamlibet nacionem in illo 2° articulo, quatinus deliberaret illam pecuniam.

(*Fol. 42*) Item facta congregacione nacionis Anglicane die decima septima mensis Februarii ejusdem

1. *I. e.* Stanislao.

2. *Agi videtur de illo libro rectoris qui nunc servatur in Museo Britannico*, Add. ms. 17304.

anni regencium et non regencium per juramentum ad requisicionem domini rectoris in plena facultate, que fuit die hesterna de pecunia bedelli debentis transire ad curiam cum nunciis facultatis arcium, breviter isto articulo proposito in nacione, attentis duobus, primo quod nacio non haberet nuncium quem illac mitteret specialem propriis sub expensis, licet bene expensis inrotulatorum, et quia istud erat magis principale, et eciam pauci sunt inrotulati ex parte nacionis, protunc per majorem partem nacionis et per consequens ex tota nacione conclusum fuit, quod nacio non contribueret sibi pecuniam, scilicet illos X francos.

Secundus articulus propositus fuit, ex quo procurator non potuit bene deputatos pro aliqua in *libro nacionis* delenda habere, et quia tunc ibidem erant presentes et magistri alii sollempniter congregati, quod audirent illa scripta delenda legi et quod delerentur per deputatos et totam nacionem : et tunc procurator talia legit, exponens quomodo talia essent contra honorem nacionis et contra honorem personarum privatarum *de licenciatis ad Nostram Dominam.* Super quibus nacio concorditer nullo contradicente, deliberavit, quod omnia talia delerentur, et quod omnia illa revocaret; et si aliqua instrumenta super hoc essent facta, omnia revocaret et annullaret. Item dicebant multi magistri imputantes magistro Petro de Catwiic, in cujus procuratoria talia fuerunt acta, quod punicio ejus servaretur usque ad alias, donec ipse in propria persona Parysius reveniret. Et fuerunt articuli delendi et deponendi, primus [fuit] ultimus articulus scriptus in procuratoria magistri Nycolai de Cuba in anno Domini LXXXII[1]. 2us articulus delendus fuit primus articulus in procuratoria magistri Petri de Catwiic[2]. 3us articulus delendus [fuit] 2us articulus seu de congregatione 2a continuacionis procuratorie magistri Petri de Catwiic[3]. 4us articulus delendus [fuit] 2us articulus de continuacione procuratorie adhuc ejusdem magistri Petri[4]. 5us articulus delendus sive ultimus articulus ejusdem procuratorie magistri Petri absentis, scriptus per magistrum Stennislaum de Polonia[5], et omnia alia que hujusmodi licenciatos tangunt, que possunt aliquo modo cedere in eorum incommodum, prejudicium seu honorem seu eciam alicui eorum singulariter.

Item facta congregacione nacionis Anglicane in primis, die decima octava ejusdem mensis, de habendo pecuniam pro bedello facultatis pro rotulo ad curiam, per juramentum. Unde licet prius conclusum erat per nacionem quod non haberet X francos, tamen iterum facta fuit congregacio propter diversa relata ad procuratorem, et etiam dominus rector misit litteram sigillo rectorie sigillatam, quatinus super isto adhuc fieret congregacio specialis. Magistris igitur nacionis congregatis ad Sanctum Maturinum secundario fuit conclusum ex majori parte, facta inductione et ad requisicionem quatinus concluderetur per majorem partem quod ille bedellus non haberet nec deberet habere X francos a nacione. Et sic licet supplicaverat pro pecuniis, supplicacio fuit interempta.

Item facta congregacione nacionis ad habendum officiarios pro temptamine Sancte Genofeve die vicesima prima ejusdem mensis Februarii in secunda hora post prandium ad Sanctum Maturinum in domo capitulari, super quo fuit deliberatum quod deferretur electio [examinatorum] usque ad diem sequentem, et tunc fieret congregacio sollempnis per juramentum. Alius articulus propositus fuit ad supplicandum. Et venit ibidem iterum bedellus facultatis arcium in facto rotuli ad curiam, supplicans ex quo alias in rectoria precedenti, scilicet quando magister Johannes Luqueti[6] fuit rector, sibi fuerat concessum per nacionen quod haberet pecuniam a nacione, quando aliarum nacionum quelibet sibi concessit, quod deberet habere ab ea X francos, quod etiam per nacionem nostram sibi pro nunc illa pecunia cito deliberaretur, cum nuncii essent parati ad recedendum. Item supplicavit dominus Blasius Martini, quatinus cum esset omnino pauper, quod nacio sibi pecuniam determinancie sue remitteret et acquitaret. Et super istis supplicacionibus fuit consimiliter deliberatum sicut de articulo preterito, scilicet quod pro die sequenti fieret congregacio per juramentum.

Die igitur sequenti, que fuit XXIIa dies mensis Februarii hora post sermonem[7], quando fuit congregacio generalis apud Sanctum Maturinum, in qua congregacione specialiter duo tangebantur nacionem nostram specialiter tangencia, scilicet de quibusdam literis, et de pecunia bedelli : facta fuit eciam congregacio specialiter nacionis per juramentum regencium et non regencium super duobus articulis. Primus fuit ad deliberandum pecuniam pro bedello rotuli nacionis nostre Anglicane (*Fol. 42 b*), et adduceban-

1. *Vid. supra* p. 618, 45.
2. *Supra* p. 619, 21.
3. *Ibid.* p. 621, 24.
4. *Ibid.* p. 623, 43.
5. *Ibid.* p. 624, 37. *At articulus minime deletus, sed solum cruce signatus est.*
6. *Ms.* Liqueti.
7. *Quia dominica fuit.*

tur alique raciones quare expediret sibi dare pecuniam, etc. Secundus articulus erat ad ordinandum finaliter de examinatoribus Sancte Genofeve. Consuetum fuit quod isti examinatores dare consueverunt ad perpotandum aliquam certam porcionem pecunie, et quando nullus voluit dare, nacio elegit sine pecunia. Et quia nullus prius nec adhuc voluit dare pecunias, procurator posuit in deliberacionibus quod eligerentur. Et pro tunc magister Henricus procurator pro tempore exhibuit se pro secundo mense sub ista forma, quod si aliquis vellet tradere pecuniam pro aliquo mense, quod ipse traderet eciam secundum exigenciam sui mensis. Et statim magister Reynerus de Dordraco sub eadem forma se presentavit ad primum mensem, et magister Willelmus de Camera pro tercio mense; sed protunc noluit dare pecuniam.

Super primo tangente congregacionem Universitatis deliberavit nacio, concordans se de hoc majori parti. Super secundo Universitatis et primo articulo nacionis deliberavit nacio quod daretur bedello pecunia, et deliberantes quod deberet dari pecunia deliberaverunt, quod darentur sibi quinque franci ex parte nacionis, et hoc pro majori parte. Super secundo articulo nacionis, scilicet de examinatoribus, admisit [nacio] magistrum Henricum Poelman procuratorem pro secundo mense, et hoc secundum formam prius tactam, scilicet quod si aliquis de aliquo alio mense daret pecuniam, quod ipse daret secundum exigenciam mensis sui. Similiter admittebatur magister Reynerus ad primum mensem. Sed magister Willelmus non admittebatur pro tercio mense, nisi daret pecuniam, et si daret, admitteretur. Item in fine congregacionis supplicavit tunc dominus Blasius Martini sicut scriptum est in actis diei hesterne. Et quia tarde erat et non poterat procurator diucius expectare, deliberaverunt magistri quod juraret in presencia procuratoris in domo procuratoris statutum paupertatis. Et sic admittebatur ad determinanciam.

Item determinavit dominus Blasius Martini sub magistro Stennislao, cujus bursa nichil. Juravit statutum paupertatis [1].

Item facta congregacione Universitatis XXIIII^a^ die mensis Februarii apud Sanctum Maturinum hora nonarum Nostre Domine, scilicet in tercia hora post prandium, super duobus articulis, primus fuit ad audiendum legere literas de determinacione Universitatis ad Clementem [2], et ad audiendum jurare nuncios Universitatis rotuli. Secundus articulus fuit quod multi scolares capiuntur in adeundo studium Parysius et redeundo ad partes, et bona eorum arrestantur occasione scismatis. Super primo deliberavit nacio quod illas literas haberet pro lectis, et quod non vellet contradicere, nec contradiceret. Et placuit nacioni quod nuncii jurarent sicut est consuetum, et *quod rotulum secum apportarent.* Super secundo articulo deliberavit nacio quod super isto adiretur per Universitatem dominus rex, et sibi exponeretur specialiter quomodo scolares de nacione nostra sunt de diversis mundi partibus, et quod si placeret domino regi quod starent in ista Universitate in studio, quod possent esse in salvagardia domini regis; et si essent aliqua a quibus aliqua sunt arrepta vel bona sua arrestata, quod restituantur; et eciam si alicui domino sit data facultas capiendi vel arrestandi tales vel bona eorum, quod hujusmodi facultas seu potestas auferatur. Eciam de hoc est statutum regale [3] quod hoc servetur, et quod ista exponantur et alia domino regi modo quo poterit ciciori.

Item alia die [4] facta fuit congregacio de aliquibus, inter que tangebantur ista duo puncta. Et protunc nacio de primo puncto deliberavit quod illa litera [5] non traderetur alicui nisi ad minus redigeretur in forma meliori [6]. De secundo eodem modo sicut prius, et requisitus procurator super hoc requisivit dominum rectorem, quatinus istum secundum articulum una cum aliis faceret expediri.

1383

In procuratoria magistri Henrici Crouwel acta sunt que sequuntur.

Anno Domini M° CCC° LXXXIII, mensis Marcii die X^a^ facta congregacione Universitatis per juramentum apud Sanctum Maturinum super articulis qui sequuntur. Primus ad remediandum magistris taxatis cum illis de villa de facto per aliquos clientes vadiatos. Secundus articulus ad videndum quomodo esset ulterius procedendum, si non haberetur bona responsio de illis que alias proposita erant ducibus in Lupara. Quibus articulis expeditis in Universitate, facta fuit congregacio nacionis Anglicane ad

1. *Quod repetitur in margine inferiori.*
2. *De qua supra Februarii* 3. *Vid.* p. 647, 4.
3. *Sed de omnibus suppositis ad studium venientibus. Saepe horum privilegiorum mentionem fecimus.*
4. 25 *Februarii.*
5. *Scilicet determinatio Universitatis Februarii* 3.
6. 26 *Februarii in breviorem formam redacta est, et exstat in* Chartul., III, *De Schismate.*

eligendum procuratorem, ad audiendum computum receptoris, ad eligendum examinatores bachalariorum vocatorum in Sancta Genevefa et ad supplicandum. Quantum ad primum articulum fuit electus in procuratorem nacionis concorditer per omnes magistros ibidem existentes magister Henricus Crauwel, qui acceptavit et juravit et solvit unum francum *in turboto*, quia non erat alias procurator. Computus receptoris fuit delatus (*sic*).

(*Fol. 43*) Pro examinatoria presentaverunt se in nacione ibidem magistri Thomas de Foresta, Hinricus Po[e]lman, Wilhelmus de Scocia; magister Thomas pro primo mense, magister Hinricus pro 2°, magister Wilhelmus pro 3°. Quorum supplicaciones fuerunt concesse sub condicione, quod quilibet dimidium francum [solveret] et sic fecerunt in taberna predicta cum procuratore.

Item de supplicacione rectoris deliberatum fuit per nacionem quod ille scolaris requiretur quod satisfaceret rectori de franco, quem rector postulavit; quem si predictus scolaris non haberet, nacio eum sibi concederet sub condicione, quod si ad pingwiorem fortunam perveniret, quod nacioni eundem restitueret.

Item vicesima sexta die mensis Marcii facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum hora nonarum Nostre Domine, scilicet in tercia hora post prandium, ad supplicandum, supplicavit Jacobus [Patella] licenciatus in artibus, incepturus in eisdem, pro dilacione bursarum. Cujus supplicacio fuit concessa sic quod satisfaceret infra tres menses, de qua satisfactione poneret caucionem satisfacientem receptori.

Item licenciatus est dominus Allexander de Sancto Vito, cujus bursa IIII^or solidi, qui satisfecit receptori et juravit procuratori, licenciatus sub magistro Ottone de Thunninc, etc.

Item incepit dominus Jacobus de Patella sub magistro Arnoldo de Arnhem, cujus bursa II solidi. [Posuit] pignus.

Item incepit dominus Alexander sub magistro eodem, cujus bursa IIII^or solidi.

Item facta congregacione [1] in Sancto Cosmi Damiano (*sic*) in vigilia beate Marie Virginis Annunciacionis post vesperas super duobus articulis, primus ad supplicandum, 2us ad habendum jocundum introitum de magistris Alexandro et magistro Jacobo de Patella. De primo supplicavit magister Hinricus Crouwel, protunc procurator nacionis, pro litera testimoniali super magisterio et aliis literis recommendatoriis ad episcopum et ad aliquos alios dominos temporales, cujus supplicacio erat concessa. Et solucio magistrorum novorum jocundi introitus delata erat ad electionem novi procuratoris.

Item congregacione facta nacionis prima die Aprilis in Sancto Juliano super III articulis, primus ad habendum novos libros, quia libri non valent *nec sunt de usu Parisiensi*, deliberavit nacio quod venderentur, et quod novi libri emerentur. 2us articulus erat de bachalariis, qui debent venire ad missam nacionis, deliberavit nacio quod deberent venire ad missam sub pena VI den. 3us articulus super supplicacionibus, et supplicavit magister Brunolfus, prepositus Scarensis, quod possit obtinere bibliam, super quam alias concessit pecuniam in nacione [2] pro tanto quanto taxaretur a taxatoribus Universitatis. Et erat sibi concessum.

Item in eadem congregacione solverunt pro jocundo introitu magistri Alexander de Sancto Vito unum francum, magister Jacobus de Patella unum francum.

1383

Acta sunt hec que sequuntur in procuratoria magistri Alexandri de Sancto Vito.

Anno Domini M° CCC° LXXXIII, die 7^a mensis Aprilis facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Juliano super duobus articulis, quorum unus fuit ad eligendum procuratorem, alius autem ad audiendum computum receptoris, dilatus fuit computus receptoris, nam receptor legitime impeditus tunc absens fuit, et se excusare tunc in nacione fecit per magistrum Johannem de Haustria, et si non placeret nacioni, quod mitteretur pro eo ad locum illum, in quo ille dixit magistro Johanni eciam ipsum debere inveniri, ipse libenter veniret; sed in nacione deliberata fuit dilacio computi receptoris. Et electus fuit concorditer in procuratorem nacionis Anglicane magister Alexander de Sancto Vito.

Item in eadem congregacione deliberatum fuit ut predictus magister Alexander solveret francum, et illum francum solvit in eadem die nacioni in taberna pro prima ejus procuratoria.

(*Fol. 43 b*) Item dominus Conradus Muntzinger de Friburgo licenciatus in artibus sub magistro Johanne de Hoekelem, cujus bursa VIII solidi, solvit receptori, et juravit procuratori.

1. *Ms. iterat* facta.
2. *Vid. supra* p. 623, 39. *Ultimo hic* Brunolfus *nominatur. An.* 1405, *Martii* 23, *factus est episcopus Scarensis ab Innocentio VII.*

Item die decima facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Juliano in mense Aprili, inter quartam horam et quintam post prandium ad supplicandum, supplicavit dominus Jacobus Apothecarii de Ulma, licenciatus in artibus, pro dilacione bursarum, cujus supplicacio fuit concessa secundum ordinacionem statuti, sic quod juravit in nacione quod actenus non haberet ad solvendum bursas ejus, nec habere posset commode per se nec per alium tunc temporis, etc., et quod satisfaceret infra tres menses, de qua satisfactione poneret caucionem inde sufficientem receptori, scilicet pignora obligatoria vel aliquod aliud.

Item in eadem congregacione supplicavit magister Alexander de Sancto Vito ut haberet literam testimonialem magisterii et literas recommendatorias ad prelatos suos, tam ad seculares quam ad spirituales, cujus supplicacio ab omnibus magistris tunc in nacione existentibus fuit concessa secundum modum consuetum.

Item licenciatus est dominus Thomas Trayl sub magistro Guillelmo de Trebron, cujus bursa V solidi, qui satisfecit receptori et juravit procuratori.

Item licenciatus est dominus Robertus de Caveris sub eodem magistro Guillelmo de Trebron, cujus bursa V solidi, qui satisfecit receptori et juravit procuratori.

Item licenciatus est dominus Jacobus Apothecarii de Ulma sub magistro Johanne de Hoekelem, cujus bursa V solidi, qui habuit dilacionem bursarum ut superius scriptum est, et juravit procuratori.

Item facta congregacione Universitatis XII^a die mensis Aprilis apud Sanctum Maturinum hora primarum super duobus articulis. Primus fuit de modo habendi pecuniam ad prosequendum negocium quod tractatur in parlamento; 2us fuit ad supplicandum. Super primo deliberavit nacio Anglicana, si ab aliqua nacione reperiretur aliquis bonus modus per quem Universitas haberet pecuniam ad prosequendum negocium predictum, scilicet quod aliquis accommodaret sibi pecunias, vel aliquis alius modus, ipsa se majori parti conformaret; si autem essent discordes, quod eligerentur deputati qui super hoc haberent concludere sine regressu ad Universitatem. Super 2° articulo deliberavit nacio, primo super hoc quod quidam doctor in decretis quisivit (*sic*) per modum rigoris literam recommendatoriam ad dominum papam, deliberavit nacio quod videretur in statutis : quod si esset rigorosum, quod haberet; si non esset rigorosum, quod non haberet, ex quo que[re]ret per modum rigoris. Super illo quod duo magistri conquesti fuerunt de injuriis ipsis factis a quibusdam leycis, deliberavit nacio quod negocium declararetur deputatis Universitatis, si haberent jus pro se, quod Universitas ipsis astaret in parlamento, sicut consuetum est. Super illo quod quidam magister supplicavit quod baberet literam recommendatoriam ad dominum suum et super multis aliis supplicacionibus tunc factis deliberavit nacio, quod omnia illa sibi bene placerent.

Item facta congregacione nacionis Anglicane die XIII mensis Aprilis apud Sanctum Maturinum post prandium, inter quartam horam et quintam, super uno articulo, scilicet ad supplicandum, supplicavit dominus Jacobus Apothecarii de Ulma, licenciatus in artibus, pro litera testimoniali et recommendatoria ad prelatos suos in generali, cujus supplicacio fuit concessa ab omnibus, sic quod nullus interemerat eam.

Item incepit dominus Conradus Muntzinger de Friburgo sub magistro Johanne de Hockelem, cujus bursa VIII solidi. Solvit.

Item licenciatus est dominus Thomas de Carguyl Scotus sub magistro Johanne de Hoekelem, cujus bursa V solidi et VIII denarii, et facta est caucio receptori pro eo, et juravit procuratori.

Item facta congregacione Universitatis die vicesima mensis Aprilis apud Sanctum Maturinum, hora prime Nostre Domine super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum modum repertum per deputatos de modo habendi pecunias ad prosequendum negocium Universitatis, quod tractatur in parlamento; 2us fuit de magistris injuriatis, quorum causa fuit declarata deputatis Universitatis; tercius fuit ad supplicandum. Super primo deliberavit nacio Anglicana quod modus habendi pecunias repertus per deputatos sibi bene placeret, scilicet quod illi alias taxati in Universitate per regem, ex quo ipsi bene vellent accommodare Universitati quinquaginta duos francos, quod illi accommodarent sibi. (*Fol. 44*) Ulterius deliberavit nacio tunc quod receptor hujusmodi pecuniarum esset ille qui erat rector protunc, et quod deputati semper haberent deliberare de modo exponendi pecunias illas. Et eciam deliberavit nacio quod illi accommodantes pecunias Universitati rehaberent de primis inve[n]tionibus (*sic*) Universitatis.

Super 2° articulo deliberavit nacio, ex quo esset declaratum deputatis Universitatis, quod ipsi haberent jus quod Universitas ipsis assisteret in parlamento in expensis suis, sicut consuetum est.

Super 3° articulo, ubi fuerunt supplicantes. Primo supplicavit unus magister bacullarius formatus in teologia pro quadam litera recommendatoria sibi

alias in Universitate concessa, quam nolebat transire decanus decretorum propter aliquam vel aliquas clausulas ibidem contentas. Deliberavit nacio Anglicana quod deputati viderent illam literam, in casu in quo essent removende alique clausule, quod removerentur et quod sigillaretur litera ejus. Omnes alias supplicaciones tunc factas illas concessit nacio.

Item in eadem die et hora facta congregacione nacionis Anglicane in eodem loco super duobus articulis, primus fuit super literis obligatoriis existentibus in cista nacionis, quod ille litere registrarentur et quod pedellus registrum haberet, in casu in quo aliqui revertantur, quod bedellus haberet nomina et quod solverent. Deliberavit nacio quod fieret et quod bonum esset.

2us articulus fuit ad supplicandum. Supplicavit magister Jacobus de Patella quod ipse esset examinator pro tercio mense [1] in Sancta Ghenovefa, et major pars nacionis ipsum elegit pro tercio [2] mense in casu, in quo solveret tantum quantum alii solverunt pro uno mense.

Item facta congregacione facultatis vicesima prima die mensis Aprilis apud Sanctum Julianum hora prime Nostre Domine super duobus articulis, primus fuit ad audiendum juramentum bacularioram 5te et 6te audicionum. Deliberavit nacio quod sibi bene placeret quod audirentur juramenta ipsorum. 2us articulus fuit ad supplicandum. Supplicaverunt bedelli facultatis arcium quod facultas ipsis assisteret in hoc, quod a quolibet de novo magistrato in theologia quilibet ipsorum haberet 5^{e} solidos, sicut ipsi alias consueverunt habere, quia jam non possunt habere. Deliberavit nacio quod rector proponeret in Universitate illud, vel quod bedelli prius supplicarent in Universitate pro illo facto. Eciam supplicaverunt aliqui magistri pro quibusdam bacullariis vocatis, qui debebant jurare in facultate, qui erant absentes, quod si contingeret ipsos venire infra triduum, quod jurarent in manu rectoris et deputatorum, et reciperentur in locis suis. Et nacio Anglicana illam supplicacionem interemyt (*sic*).

Item in eadem die et hora in loco eodem facta congregacione nacionis Anglicane super duobus articulis. Primus articulus fuit super hoc quod magister Willelmus [de Camera] [3] dixit se alias solvisse in nacione pro 3° [4] mense et quod 3us mensis sibi fuit concessus in casu, in quo habere vellet. 2us articulus fuit ad supplicandum. Super primo deliberavit nacio quod non solvit pro 3° mense, nec fuit sibi concessus. Super 2° deliberavit nacio concedendo supplicacionem cujusdam bacullarii supplicantis pro litera recommendatoria et testimoniali baculariatus, qui bacularius vocatur Johannes de..... (*sic*).

Item in eadem congregacione deliberatum fuit quod magister Conradus Muntzinger de Friburgo solveret francum pro novo ejus introitu nacionis, et magister Jacobus solveret dimidium francum pro 3° mense, et ipsi in eadem die solverunt in taberna nacioni predictam pecuniam.

Item facta congregacione nacionis Anglicane die vicesima IIII^{a} mensis Aprilis apud Sanctum Julianum hora prime Nostre Domine super uno articulo, scilicet ad supplicandum, supplicavit magister Alexander de Sancto Vito protunc procurator, ut substituere possit subprocuratorem pro eo usque ad tempus, quo debuit esse procurator. Et fuit sibi concessum, et posuit subprocuratorem magistrum Henricum Crowelle.

Item incepit dominus Robertus de Caveris Scotus sub magistro Henrico de Arnhem, cujus bursa V solidi, qui fecit caucionem receptori.

Item licenciatus fuit Winandus de Ghise, cujus bursa IIII^{or} solidi. Satisfecit receptori et juravit procuratori, et licenciatus est sub magistro Johanne Hokelem [5].

1. *Ms.* X.
2. *Ms.* primo *vel* X°.
3. *Vid. supra* p. 653, 15; 31.
4. *Ms. hic et postea* 4°.
5. *Hic desinit liber iste qui est :* « Quartum registrum nat. Anglic. », *et sequitur Reg. de l'Université n°* 6 *cum an.* 1392, *April.* 5. *Liber, qui continebat ann.* 1383, *Maii, usque an.* 1392, *deest, et quidem jam saec.* XVII° *nam tunc in primo folio Reg. n°* 6 *scriptum est:* Quintum registrum nationis. *Vid. de hoc* p. 661, *not.* 1.

Natio Anglicana illo tempore viduata magistris fuit, nam plures an. 1382 *profecti sunt, v. g.* Gerardus de Kalkar, Heinricus de Odendorp, Andreas de Langenstein, Hermannus de Treysa, Lambertus et Paulus de Gelria, Michael de Francofordia, Johannes Bersword, Petrus Engelhardi de Austria, Christianus de Ungaria, *aliique non pauci. Alii jam antea Parisios reliquerant, ut* Marsilius de Inghen *et* Colomannus Cholb, *qui an.* 1378 *Vindobonam profectus est. Cujus rei triplex causa potest assignari :* 1° *quaestio examinis S. Genovefae an.* 1382 *a Clemente VII parlamentoque contra voluntatem nationis Anglicanae et pro natione Gallicana decisa ;* 2° *persona quam gessit in Schismate tunc temporis natio Anglicana, cum Alemanni majorem nationis partem constituentes Urbano VI adhaererent, Universitate fidem Clementis VII sequente;* 3° *renovatio Vindobonensis Universitatis ad quam dux Austriae magistros ab omnibus partibus, praesertim vero a Parisiis vocabat.*

Ad quem statum declinaverit natio, post profectionem tot magistrorum, ostendit electio et continuatio in procuratorem cujusdam tironis, utpote Thomae de Foresta, *qui ne unam quidem sententiam latine scribebat; et* Henrici Poelman *e natione ante paucos menses ejecti, quod antea florente natione nunquam factum fuisset.*

Damnum illatum nationi Anglicanae non tam cito resarciri potuit, praesertim cum an. 1386 *Universitas Heidelbergen-*

1392

(*Fol. 1*)[1] Acta in procuratoria magistri Arnoldi Bloeyer de Gouda.

Anno Domini M°CCC° nonagesimo secundo, quinta die mensis Aprilis, hora primarum, facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Juliano super tribus articulis. Primo ad eligendum novum procuratorem vel ad antiqum continuandum; 2° ad audiendum compotum receptoris; 3° super supplicacionibus et injuriis. Super primo, electus fuit concorditer nullo reclamante Arnoldus Bloeyer de Gouda, qui fecit ut infra.

Super 2° dilatus fuit computus usque ad primam congregacionem.

Super 3° supplicavit procurator precedens, ut nacio ipsum haberet avoatum in hiis que fecerat, potissime cum omnia que fecerat ex bono amore et affectu quem ad nacionem habebat fecerat ut dicebat, licet aliquibus contrarium videretur. Cujus supplicacio transsivit.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum hora primarum super quatuor articulis. Primo ad audiendum compotum receptoris; 2us fuit ad ordinandum de modo ulteriori prosecucionis super facto episcopi Baiocensis[2] de quodam orto, quem jam diu possedebat, quem nacio indubitanter ad se spectare dicebat; 3us fuit ad ordinandum de domibus tribus, que jam propter absenciam scolarium illarum provinciarum ad manus nacionis ex deliberacione Universitatis et sentencia rectoris pacifice devenerunt, scilicet de procuratoribus et gubernatoribus illarum domorum, qui de locagiis, reparacionibus ac ceteris emolumentis haberent providere, scilicet de domo Dacie juxta collegium Laudunense, de domo *cornu cervi* juxta Sanctum Hilarium, de *ymaginis nostre Domine* in vico Brunelli. 4us fuit super supplicacionibus. Et supplicavit dictus Arnoldus Bloeyer, cum jam alias tres menses fuissent distributi pro examine bachalariorum vocatorum in Sancta Genovefa, et adhuc unus restaret, quod sibi predictum concedere vellet nacio.

Super primo auditus fuit compotus receptoris in nacione, qui valde placuit nacioni. Et ascendebat summa receptoris usque ad sexaginta 3^{s} solidos et decem denarios; de expositis non computabat, potissime cum debitoribus, nundum satisfaciebat nec summam protunc sciebat. De 2° articulo fuit conclusum quod ex quo episcopus una cum nacione placitum inire non volebat, sed proprio animo nacioni triginta duos francos pro orto, ut suum jus resignaret, obtulebat, quod similiter nacio predictam pecuniam reciperet, prius tamen factum in Universitate proponeret, dando tamen episcopo quitanciam de dicto orto, et in casu quo unquam aliquis magister aut scolaris pro dicta causa episcopum apud judicem conveniret, quod nacio se sibi adjungeret, expensis tamen suis. Super 3° ordinati fuerunt 3^{es} procuratores, scilicet dominus receptor de provincia Scocie, magister Egidius de Jutfaes de Almania inferiori, magister Georgius[3] de Sorbona de Almania superiori, qui predictas domos locacioni haberent exponere ac ipsis providere, sic tamen quod omnia recepta in libro scriberentur, ut compotus illis ad quos spectarent, si necesse foret, posset declarari. Super 4° concessus fuit dictus mensis predicto procuratori concorditer quidem, tamen gratis alii pro quatuor sol. ad finem quod actenus observancia teneretur, potissime cum pro 3^{bus} primis mensibus francus et dimidius datus esset, quod similiter fecit.

Item incepit dominus Johannes de Mayenberc sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Judocus Riichemstein sub eodem, cujus bursa III solidi et III denarii.

Item incepit dominus Nicolaus de Gameren sub eodem, cujus bursa septem solidi.

(*Fol. 1* ^{b}) Item licenciatus est dominus Coenraerdus de Friburgo, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus est dominus Nicolaus de Leid[is], cujus [bursa] septem solidi.

Item licenciatus est dominus Petrus Prenner sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa V solidi.

Facta congregacione nacionis Anglicane per juramentum apud Sanctum Maturinum hora primarum

sis, an. 1388 (1389) *Universitas Coloniensis, annoque* 1389 (1392) *Universitas Erfordensis in lucem prodierint, et studiosos istarum partium attraxerint.*

1. *Ut jam monuimus* p. 659, *not.* 5, *in Reg. de l'Université*, n° 6. *In prima pagina legitur nota :* Quintum registrum nationis, 1392. Hoc registrum ex quorundam magistrorum malivolentia aut furto potius in manibus Picardorum fere ad viginti annos delituit, nec prius redditum fuit quam pax cum eis de scholis nostris ac eorum sacello esset inita. Sunt tamen qui aliter opinentur, quod scilicet circa annum Domini 1494 fuerit de archa extractum et veluti in magnum nationis detrimentum Picardis venditum. Utcumque tamen sit, cum solus Dominus noscat, ipse cum de hac tum aliis negligentiis judicet: quod et haud dubio faciet tandem. Vale lector et nationis zelator quisquis fueris existas. Actum anno Domini 1501, in vigilia Mathei apostoli. *Duas priores procuratorias scripsit bedellus nationis* Boemundus, *qui fol.* 2 *signavit* S[cripsit] B. de Lutrea, anno quinto. *In rotulo an.* 1403 *vocatur* Boemundus Theoderici de Lutrea, cler. Treverens. dioc.

2. Nicolai de Bosco.

3. *Certe* Georgius de Rain, *Sorbonicus, de quo in* Chartul., III, n° 1569, *qui supra minus proprie dicitur* de Almania superiori, *cum esset de* Sclavonia.

super duobus articulis. Primus fuit ad avisandum quedam puncta procuratoribus singularum nacionum ac decanis facultatum a rectore missa de diversis materiis ac abusibus[1] ut dicebat exprimenda. 2s fuit ad supplicandum. Super primo deliberatum fuit concorditer per nacionem quod stare vellet nacio in privilegiis hactenus per Universitatem observatis, nec ea quoquo modo restringere. Quapropter puncta nullo modo nacioni placebant, cum nimis privilegia ac libertates nostras restringerentur. Super 2° nichil.

1392

Acta in continuacione predicti Arnoldi Bloeyer.

Anno Domini ut supra, facta congregacione nacionis Anglicane, quarta die mensis Maij, hora primarum apud Sanctum Julianum, super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem, vel ad antiquum continuandum. Continuatus fuit concorditer nullo reclamante Arnoldus Bloeyer de Gouda.

2us fuit ad audiendum relacionem deputatorum Universitatis super facto orti, de quo supra, que fuit quod ordinassent pecuniam predictam ab episcopo Baiocensi recipiendam, quam ad archam Universitatis deponendam judicabant, quousque redditus nacio venales repperiret, qui redditus et emolumenta ad nacionis nostre usus scolaribus illius provincie absentibus integraliter pervenirent; scolaribus tamen redeuntibus redditus predictos ut alias perciperent. Daret tamen nacio predicto episcopo quitanciam in qua suum jus et interesse resignaret. Super quo deliberavit nacio quod predictam pecuniam nullatenus ad archam Universitatis vellet reponi, cum sepius tales pecunie ibidem posite consumerentur in factis Universitatis, sed vellet quod procurator in prima congregacione Universitatis haberet nomine nacionis supplicare, quod nacio de predictis haberet ordinare et ad ejus archam quousque redditus inveniret recludere. Alia appunctamenta satis placebant.

Super 3° supplicavit dictus Arnoldus Bloeyer, cum alias sibi ultimus[2] mensis ad examinandum in Sancta Genovefa esset concessus et modo in procuratorem continuatus, quod in casu, quo in ista procuratoria haberet examinare, ut alium procuratorem loco sui posset ordinare, magistris ad hoc non convocatis, cum duo officia nacionis nullatenus simul aliquis posset exercere. Cujus supplicacio fuit ab omnibus concessa.

Item facta congregacione nacionis Anglicane super tribus articulis. Primus fuit ad ordinandum de pecuniis per receptorem[3] nostre nacionis receptis, ac consequenter ad audiendum ejus compotum, cum jam propter factum speciale, ut nacioni constabat, officium receptorie nequaquam posset exercere. 2us fuit ad ordinandum unum magistrum de facultate, qui juramenta bachalariorum, licenciandorum et magistrorum necessaria facultati ab aliis non sic necessariis haberet extrahere, cui eciam precium laboris a nacione taxaretur. 3us fuit super supplicacionibus.

Super primo conclusum fuit concorditer, quod predicto receptori in loco Prenaco, ubi stabat, scribere haberem, ut nacioni compotum sicud jurasset per aliquos vellet referre, ac de pecuniis receptis satisfacere, cum ut prius officium exercere non valebat. Quod factum est.

Super 2° electus fuit magister Egidius de Asperomonte[4], qui predicta juramenta haberet extrahere, cui nacio pro laboribus unum francum concedebat. Super 3° nichil.

Incepit dominus Nicolaus de Leid[is], cujus bursa septem solidi, sub magistro Egidio Jutfaes.

Incepit dominus Petrus Prenner, cujus bursa V solidi, sub magistro Egidio de Jutfaes.

(*Fol.* 2) Item facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Maturino hora primarum per juramentum super tribus articulis. Primus, cum jam scripsissem domino receptori de compoto faciendo prout supra, ad audiendum ejus compotum. 2us ad eligendum vel substituendum alium receptorem. 3us fuit super supplicacionibus et injuriis.

Super primo, auditus compotus receptoris, et ascendebat summa usque ad triginta septem libras, decem et novem solidos et octo denarios. Super 2° electus fuit magister Egidius de Jutfaes in receptorem. Super 3° supplicavit magister Germanus[5] et unus alter Scotus ex parte receptoris, cum jam receptor pecunias receptas non haberet, et propter istud lamentabile factum ut dicebat multum indigeret, ut nacio sibi terminum satisfaciendi, infra quem satisfacere haberet, dare vellet, et ipse eciam pro parte vellet respondere. Super quo deliberavit nacio quod pro quadraginta francis isti duo fidejuberent, promittendo ad longius loco sui satisfacere infra sex menses, dando tamen nacioni obligacionem cum lite-

1. *Ms.* abususibus.
2. *Ms.* ultima.
3. Robertum de Cardeny.
4. *Fuit nat. Gallic. Vid.* Chartul., III.
5. *Postea spatium.*

ris eorum et sigillis de predictis, promittendo tamen satisfacere interim si predictas pecunias ab eo reciperent. Quod et fecerunt. Residuum debiti receptor met mansit obligatus.

Item licenciatus est dominus Andreas de Bavaria sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa tres s.

1392

(*Fol.* 2 b) Acta in procuratoria magistri Johannis de Veen.

Anno Domini millesimo CCC° nonagesimo 2°, 3a die mensis Junii vel circiter, hora primarum facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Juliano super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem; 2us ad audiendum compotum receptoris; 3us super supplicacionibus et injuriis. Super primo electus fuit concorditer magister Nicolaus de Leydis, qui officium procuratorie nolens acceptare propter racionabilem causam, solvit francum pro prima sua procuratoria, quem nacio predicta statim perpotavit in *Ymagine sancti Johannis* in quadruvio. Et electus fuit secunda electione concorditer Johannes de Veen [1].

Super 2° articulo, dilatus fuit compotus receptoris usque ad primam congregacionem. Super 3° articulo nichil, nisi quod ego Johannes de Veen protestatus fui quod officium procuratorie non acceptarem nec eciam exercerem, nisi per mensem, quia dubium erat tempore electionis magistris, utrum esset illa longa procuratoria, que solet durare usque ad ordinarium parvum vel non.

1392

Acta in procuratoria Arnoldi Bloeyer.

Anno ut supra, facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum hora primarum, secunda die mensis Julii, super duobus. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem; 2us fuit ad supplicandum. Et electus fuit magister Nicolaus de Gameren in procuratorem, qui officium (quia nundum certus in tali materia, ut dicebat) acceptare non volebat. Magistri igitur ad novam electionem procedentes magistrum Arnoldum Bloeyer concorditer in procuratorem elegerunt, qui viginti solidos secundum consuetudinem racione laboris in ista procuratoria debuisset habuisse, quos tamen integraliter proprio motu nacioni dimisit. Conclusum fuit igitur quod predicti XXti solidi cum franco magistri Nicolai predicti pro prima sua procuratoria in taberna perpotarentur. Et ita factum fuit. Super 2° nichil.

Licenciatus [2] est dominus Johannes Gray Scotus sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa V sol.

Facta congregacione nacionis, anno ut supra, decima sexta die mensis Julii, super duobus articulis. Primus articulus fuit, cum jam Universitas per viginti octo dies cessasset ab omni actu [3], et magistri ac scolares nostri non sine gravibus expensis et dampnis hic essent, et parum utilitatis facerent, nec causa cessationum aliquomodo nostra supposita tangeret, ut nacio in se tota rectorem requirere vellet, ut in deliberacionibus Universitatis poneret de termino recedendi Universitatis ultimato, quem secundum privilegia et statuta Universitatis haberemus, videlicet utrum per quadraginta dies tantum, aut per XLta dies ordinarios et utiles, ut plures dicebant, aut per XLta dies legibiles. Super quo deliberavit nacio quod predictus modus non expediret, potissime cum nacio nostra in talibus maxime suspecta haberetur, licet pluribus tamen omnimode videretur expedire. Secundus fuit super supplicacionibus, de quo nichil.

Facta congregacione nacionis anno ut supra, vicesima septima die Mensis Julii super tribus articulis. Primus articulus fuit, cum jam subbedellus nostre nacionis diem suum clausisset extremum, ad eligendum novum subbedellum nostre nacionis. 2us fuit ad ordinandum de missa que fieri debebat per nacionem pro anima ejus in ecclesia Cosme et Damiani. 3us fuit super supplicacionibus.

(*Fol.* 3) Et supplicabat Johannes Danton [4], balivus vici Straminum, pro dicto subbedellatu; supplicavit eciam Guillelmus de Rodes consimiliter pro eodem. Super primo deliberavit nacio, quia plures magistri dicte nacionis jamdiu Wilelmum de Rodes cognoverant ac messagius particularium aliquorum diu extiterat, qui semper ipsum fidelem repererunt, ut predictus Wilelmus in officium subbedellatus assumeretur, juramentis prestitis solitis et consuetis. Super 2° placuit eciam nacioni ordinare unum diem in septimana futura, in qua officium predictum exerceretur. Super 3° interempta fuit alia supplicacio. Verum nacio protunc intuitu pietatis concessit et dedit mulieri predicti subbedelli defuncti duos francos, quos receptor sibi traderet quam cito pecunias nacionis de debitoribus reciperet.

1. *An.* 1387 *Heidelbergae ut scolaris intitulatus.* TOEPKE, Matrikel, I, p. 18.

2. *Sic in ms*to. *Sed verisimiliter* incepit *scribendum, nam jam an.* 1374 *licentiatus est* (*vid.* p. 451, 43, *et infra* p. 668, 30).

3. *De hoc adeas* Chartul., III, n° 1598.

4. *Fuit nat. Gallic., de quo pluries in* Chartul., III.

Item facta congregacione nacionis super duobus articulis. Primus articulus fuit, cum alias procurator in institucione sua requisitus fuisset per plures magistros nostre nacionis, ut moneret magistrum Johannem de Rudelinghen, ut nacioni de bursis bachalariatus sui ac licencie et magisterii satisfaceret, cum pluribus videretur quod pro nunc satis dives erat et sufficeret, procurator igitur monens ipsum sibi verba injuriosa ut prima facie apparebat multiplicia dicebat. Fuit ergo congregacio super duobus articulis. Primus ergo fuit ad ordinandum de predictis. Habitis ergo pluribus altercacionibus inter nos, nacio propter bonum pacis et concordie sibi pro nunc predicta remittebat, quemadmodum semper procurator sicud persona privata fecisset; verum nacioni et procuratori si que contra predictos fecisset humiliter veniam supplicaret, quod fecit. Promisit eciam satisfacere quam cito commode posset. Secundus fuit super supplicacionibus, super quo nichil.

Licenciatus est dominus Hugo de Leidis sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa sex solidi.

Incepit dominus Hugo de Leidis sub eodem; cujus bursa sex solidi.

Facta congregacione nacionis decima die mensis Augusti super duobus articulis. Primus fuit ad avisandum de quibusdam punctis et articulis nacioni nostre per rectorem missis super facto abusuum et abusorum, super quo nacio plures articulos bene avisatos dicebat, aliquos vero privilegia Universitatis nimis limitare. Quapropter stare vellet in libertatibus et privilegiis solitis et nichil innovare, cum satis per hoc esset provisum ut videretur. Super 2° nichil.

Facta congregacione nacionis Anglicane ipso die Ludovici regis super duobus articulis. Primus fuit ad ordinandum unum magistrum nostre nacionis, qui librum Ethicorum in vico Straminum hora competenti, prout alie naciones jam diu compleverunt, legere haberet. Super quo deliberavit nacio, non obstante quod non esset concordia de certo, quod inquirere haberet a pluribus magistris nostre nacionis, an onus assumere vellent, et postea novam congregacionem super hoc facere, ut in hoc honor cujuslibet salvaretur.

Secundus fuit super supplicacionibus. Et supplicavit magister Thomas Scotus, cum duo Scoti septimana futura incipere haberent, ut nacio cappam nacionis magistro, [sub] quo inceperint, tempore incepcionis concedere vellet. Cujus supplicacio fuit concessa ista vice; non vellet tamen nacio quod traheretur in consequenciam.

1392

(*Fol. 3* ^b^)[1] Acta in procuratoria magistri Hugonis Franconis de Leydis.

Anno Domini M°CCC° nonagesimo secundo, XXVI^a^ die mensis Augusti hora primarum, facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem super tribus articulis. Primus erat ad eligendum unum magistrum de nacione, qui haberet legere librum Ethicorum in vico Straminis, secundum quod alie naciones diu compleverunt. Super quo electus erat concorditer magister Johannes de Moravia quod dictum librum legeret, et haberet XV francos a nacione pro laboribus suis, VIII francos in promto, et VII, quando finivisset.

2us articulus erat ad eligendum novum procuratorem et ad audiendum compotum receptoris. Et erat electus in procuratorem magister Hugo Franconis de Leydis, qui solvit unum francum, quia erat prima procuratoria sua, quem francum una cum uno alio franco, quem solvit magister Johannes Gray[2] ut proxima vice esset procurator, nacio consumpsit in taberna dicta *horrium*, vel *grenge* gallice. Et dilatus fuit compotus receptoris.

3us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit dominus Johannes Gray Scotus, ante multos annos licenciatus[3], pro dilacione bursarum suarum in incepcione, cujus supplicacio erat concessa, sed quod faceret secundum statum et consuetudinem, scilicet quod poneret vadia valencia sexquialterum.

(*Fol. 5*)[4] Facta congregacione nacionis Anglicane anno ut supra, die beati Mathei apostoli et ewangeliste, apud Sanctum Maturinum post sermonem super 4^or^ articulis. Primus erat ad audiendum compotum receptoris et ad eligendum novum receptorem. Et erat electus concorditer in receptorem magister Egidius Jutfaes, et erat computus ejus gratus et recommendatus. Secundus erat [ad] distribuendum scolas volentibus regere illo anno. Et erant distribute meliores scole antiquioribus regentibus computando solummodo annos regencie, et non computando annos qui[bus] erant in partibus pro annis regencie. 3us articulus erat adhuc ad ordinandum de lectura libri Ethicorum. Et erat conclusum quod maneret in

1. *Vacat dimidia pagina.*
2. *Ms.* Geup.
3. *An.* 1374. *Vid.* p. 665, *not.* 2.
4. *Deest fol.* 4.

suspenso, quousque facultas determinaret. 4us erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicaverunt volentes regere isto anno pro scolis.

Anno ut supra facta congregacione nacionis per juramentum apud Sanctum Maturinum, XXII^{a} die Septembris, hora primarum super duobus articulis. Primus erat ad ordinandum de aliquibus libris arrestatis per nacionem sub magistro Henrico de Aerulem [1]. Et ordinavit nacio quod magister Henricus custodiret predictos libros pro duobus francis; in casu, quo ille veniret cujus essent, posset eos redimere. Et qui alias multos et magnos labores fecit pro nacione, ut constabat, nacio concessit sibi ad istos duos francos adhuc unum francum, et sic habuit 3^{es} francos.

2us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Et conquestus fui, quia magister Franco de Delf fecit michi injurias et dixit michi verba injuriosa coram magistris de nacione, super quo nacio elegit magistrum Henricum Aerulem et magistrum Johannem de Yselstein, qui infra 3^{es} dies ordinarent de predictis injuriis sicud esset tota nacio, quia magister Franco forefecit predicte nacioni, et in isto concordaverunt partes, et predicti magistri ordinaverunt pacem inter predictos.

1392

(*Fol.* 5 ᵇ) Acta in continuacione magistri Hugonis Franconis de Leydis.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem hora primarum, XXIII^{a} die Septembris, anno ut supra, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Et erat continuatus in procuratorem magister Hugo Franconis de Leydis. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit magister Hugo predictus procurator, quatinus nacio haberet ipsum avoatum et gratum in illis que fecit, quia omnia que fecit bono amore et zelo quem habuerat ad nacionem fecerat. Et erat supplicio ejus admissa ab omnibus nullo contradicente. Et habebat facta sua grata et recommendata.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno ut supra apud Sanctum Julianum pauperem, X^{a} die mensis Octobris, hora nonarum Nostre Domine per juramentum super duobus articulis. Primus erat super lectura libri Ethicorum. Cum facultas eodem die congregacionem habuisset de ista lectura, et concordia non poterat haberi per naciones, et tempus instabat, quia oportebat die sequente incipere primam lectionem, requisitus feci fieri congregacionem, et erat conclusum quod magister Egidius dictum librum Ethicorum die sequente inciperet legere in vico Straminis et continuare, secundum quod alie naciones fecerunt. 2us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit magister Egidius Jutfaes, quatinus nacio daret sibi finem de dicta lectura, scilicet quod legeret vel non legeret. Et erat supplicacio admissa, quia nacio protunc determinavit.

1392

Acta in procuratoria magistri Johannis Gray.

Anno Domini millesimo CCC^{o} nonagesimo 2°, XX^{a} die mensis Octobris, hora primarum facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem super uno articulo principaliter, videlicet ad eligendum novum procuratorem, electus fuit magister Johannes Gray.

(*Fol.* 6) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, XXVII^{a} die mensis Octobris anno ut supra, super uno articulo videlicet super fine faciendi negocii versati inter nacionem et episcopum Baiocensem racione cujusdam orti. Ubi deliberatum fuit quod procurator nacionis una cum receptore facerent formam quittancie, penes dominum episcopum remansura minuta, et si episcopo placeret, debite grossaretur et sigillaretur, et quod procurator magistros in prosecucione hujus negocii pro suo libito et quos in negocio isto magis noverit expertos evocaret. Quo die supplicavit magister Johannes Forestarii, ut fieret congregacio solempnis nacionis super singulis per ipsum proponendis deliberature.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum ultimo die mensis Octobris, anno quo supra, super duobus articulis, videlicet super primo, ut receptor nacionis reciperet per manus magistrorum Germani et Johannis Gray plenam solucionem XL francorum nomine magistri Roberti de Cardeny [2], obligacionem dictis magistris super solucione facta per eosdem redditurus. Prout petebatur et forma factum est.

2us fuit articulus propositus ad supplicacionem

1. *I. e.* Harlem. *Henricus de Harlem non confundendus cum Henrico* (*Poelman*) *de Arnheim.*

2. *Vid. supra* p. 664, 39 *sqq.*

magistri Johannis Forestarii, nacionis concordiam ac bonum pacis optantis, ut dicebat, ut clavis una arche illius, in qua sigillum magnum nacionis servabatur, uni suppositorum nacionis et regni Scocie juxta alias per Universitatem ordinata traderetur. Cui post multas altercaciones responsum est quod nacio Anglicana in forma nacionum aliarum privilegiata, nec serva set libera, ad hoc non tenebatur, nec vellet peticionem talem in nacionis servitutem peraudire.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, tercio die mensis Novembris anno ut supra, super uno articulo tantum, videlicet pro unitate et concordia habenda in nacione super custodia unius [1] clavis sigilli magni nacionis, quam dicebat magister Johannes Forestarii pertinere uni suppositorum regni Scocie, datus fuit in deputatum, si questio super hoc ulterius verteretur, magister Johannes de Austria [2] per nacionem, si opus esset in Universitate ad proponendum.

1392

(*Fol. 6* b) Acta in contenuacione predicti magistri Johannis Gray.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, XVIIIa die mensis Novembris, anno quo supra, super tribus articulis, videlicet primo ad eligendum novum procuratorem vel ad contenuandum (*sic*) antiquum. Contenuatus erat in procuratorem magister Johannes Gray.

2us articulus fuit super audicione compoti receptoris, quod dilatum fuit ex causa. 3us super supplicacionibus, ubi supplicaverunt bedelli, ut unusquisque eorum haberet VIII solidos a determinantibus illo anno. Et sic concessum est.

Facta congregacione nacionis Anglicane in ecclesia beati Edemundi (*sic*) [3] in festo beati Nicholai, clericorum omnium venerandi patroni, super uno articulo, videlicet super disposicione distribucionum, ordinatum fuit, ut de cetero secundum consuetudinem laudabilem et approbatam more solito elargirentur. Acta sunt hec anno supradicto.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, XIIIa die mensis Decembris, presentata fuit quedam litera in nacione directa procuratori et magistris nacionis, et in congregacione publica lecta ex parte domini rectoris monentis et suplicantis nacionem et nacioni, ut juxta alias in Universitate et per consilium domini nostri regis (ut asseruit per inspectionem registrorum quorundam predecessorum suorum rectorum) ordinata, clavem unam arche illius, in qua sigillum commune nacionis includitur, uni magistrorum de regno Scocie oriundo, ad evitandum aliqua que durante scismate contingere possint, tradi et restitui custodiendam [ordinaret], et quam quidem magister Robertus [4] de dicto regno post dictam ordinacionem seu deliberacionem per Universitatem per longa tempora custodivit, ut testatur. Super responsione cujus magister Egidius Judefasse, qui protunc clavem ipsam custodierat, cum quibusdam aliis magistris, quia pro tunc non bene provisi ad respondendum, dicebant se in proxima congregacione nacionis respondere. Acta sunt hec anno supradicto.

1393

(*Fol. 7*) [5] [Acta procuratorie mag. Arnoldi Bloeyer.]

...vel ad destatuendum ut mens cujuslibet contentaretur. Super primo articulo electi fuerunt a nacione in examinatores magistri Heynricus de Aerhem, Heinricus de Oy, Johannes de Veen, Gheraerdus de Hoene una cum receptore nacionis, qui ut dicebat nacio esset ex officio. Super 2o articulo placebat nacioni concludere pro destatuendo pro prima vice, attento quod nacio et cappam et virgam et plura alia, pro quibus fuit ordinatum, jam haberet, ac eciam in talibus libera esse vellet.

Facta congregacione nacionis die sequenti in nonis Nostre Domine per juramentum super 4or articulis. Primus articulus fuit, quia de mane requisitus fuissem in congregacione Universitatis ad faciendam congregacionem super deliberacione heri habita, quia ut dicebant plures nostre nacionis magistri, jam *longa et inveterata fuisset consuetudo*, *quod semper antiquior magister non regens*, *duo seniores regentes una cum receptore examinatores determinancium fuissent*, et eciam bedellus istum articulum magistris non intimasset, ymmo articulum super distribucione mensium, ut dicebant, non obstante quod sibi articulum primum pro intimando dixissem in presencia

1. *Ms.* cujus.
2. *Ms.* hostria.
3. *Talis ecclesia tunc Parisiis non existebat. Vid.* Bordier, Les églises et monastères de Paris. *Designatur ecclesia nationis ad* SS. Cosmam et Damianum.
4. *Robertus de Cardeny. Ipse an.* 1381 *incepit* (*supra*, p. 604, 30). *Circa idem tempus igitur fuit congregatio Universitatis.*
5. *Deest unum folium. Quae sequuntur, mense Februarii gesta sunt, et quidem sub alio procuratore, scil.* Arnoldo.

duorum magistrorum; quare me requirebant ut de predictis congregacionem facerem, quia ipsis videbatur quod consuetudo ita leviter non debebat mutari. 2us fuit, quod si ex defectu intimacionis bedelli et etiam propter longam consuetudinem deliberacio hesterna non videretur nacioni sufficiens ad eligendum novos examinatores determinancium. 3us fuit super facto statuti ad destatuendum pro 2^a vice, vel ad statuendum pro prima.

Super primo articulo videbatur majori parti nacionis, nacione interim solempniter congregata, quod propter predictas raciones ac eciam ne scisma et scandalum oriretur in nacione, quod deliberacio hesterna habita nulla penitus existebat. Quare super 2° articulo electi fuerunt in electores examinatorum determinancium ulterius senior non regens, duo seniores regentes, qui se ipsos eligerunt, prout alias modus fuit, ut dicebant. Super 3° placuit nacioni concludere ad destatuendum pro 2^a vice. Super 4° nichil. Examinatores fuerunt magister Conraerdus, magister Heynricus de Aernhem, Heinricus de Oy.

Isti sunt determinantes hujus anni.

Primo determinavit Johannes Dorp de Leidis sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa septem solidi et IIII denarii.

Determinavit dominus Alardus de Driel sub eodem, cujus bursa septem solidi et IIII denarii.

Determinavit Theodericus de Gravesande sub eodem, cujus bursa VII solidi.

Determinavit dominus Fredericus de Saxonia ac Nicolaus ejus frater sub magistro Johanne Rudelinghen, cujus bursa V solidi.

Determinavit dominus Johannes Palmer sub magistro Johanne Rudelinghen, cujus [bursa] V solidi.

Determinavit dominus Johannes Walays Scotus sub magistro... (*sic*), cujus bursa VII solidi.

Determinavit dominus Arnoldus Gruuthuus sub magistro Heynrico de Aernhem, cujus bursa septem solidi et VIII denarii.

Determinavit dominus Geraerdus Venatoris sub eodem, cujus bursa VII solidi.

Determinavit dominus Wilhelmus de Woudrichem sub magistro Egidio Jutfaes, cujus bursa quatuor albi.

Determinavit dominus Johannes Wittonis de Delf, cujus bursa septem solidi.

Determinavit dominus Petrus Pinonis sub... (*sic*), cujus bursa quatuor albi.

(*Fol.* 7 ^b^) Facta congregacione nacionis Anglicane decima 8va die mensis ejusdem [1] in primis Nostre Domine in Sancto Maturino, eo quod tunc fuit ibidem congregacio Universitatis, super 4^or articulis. Primus fuit ad audiendum relacionem episcopi Baiocensis super facto orti, videlicet super illo appunctamento, quod nacio ipsum teneret immunem habitis et solutis triginta duobus francis contra quoscunque scilicet scolares et alios, prout episcopus predictus volebat, — quod nacio non volebat consentire, sed tantum ipsum defendere in illis in quibus tangeret nacionem. Quare ipse econtra volebat quod si in futurum molestaretur, quod nacio sibi redderet istos triginta duos francos; etiam ipse econtra nacioni suum jus resignaret, videlicet literas suas quas jam nacio possidebat.

2us fuit de quodam determinante [2], qui libros suos in alio studio audivit, videlicet utrum tempus ibidem captum Parisius sibi deberet computari, ita quod non obstante quod non diu stetit Parisius, quod ad gradum bachalariatus posset promoveri.

3us articulus fuit ad avisandum utrum expediret facere mensionem [3] rectori vel in facultate super facto examinis Sancte Genovefe, scilicet de preposicione et postposicione personarum.

4us fuit super supplicacionibus, etc.

Super primo articulo placebat appunctamentum nacioni, et quod in Universitate proponeretur. Super 2° articulo placebat nacioni facere graciam isti determinanti propter plura, sic quod ad gradum bachalariatus pro nunc procederet; non vellet tamen quod in consequenciam verteretur. Super 3° placebat pro nunc dissimulare ac tacere. Super 4° supplicaverunt dominus Johannes Walays, dominus Geraerdus Venatoris, dominus Johannes Wittonis, dominus Petrus Pinonis pro dilacione bursarum, ita tamen quod ponerent pignera sexquialterum valencia, ut moris est.

Facta congregacione nacionis Anglicane super tribus articulis in Sancto Maturino vicesima quarta [1] die mensis Februarii super tribus articulis. Primus super distribucione mensium examinis Sancte Genovefe. 2us super facto statuti, videlicet ad destatuen-

1. *Februarii.*
2. Gerardo filio Ysbrandi de Leydis, *qui an.* 1394 *determinavit* (*vid.* p. 688), *an.* 1389 *in Universitate Colon. intitulatus est. Vid.* Keussen, Matrikel, I, p. 43, n° 697.
3. *I. e.* mentionem.
4. *In ms^to clare est saepe in his paginis* x *pro* 4.

dum pro 3^{a} vice, vel statuendum pro prima. 3us super supplicacionibus. Super primo distributi fuerunt menses, magistro Johanni de Veen primus et secundus mensis, magistro Arnoldo Bloeyer 3us, magistro Heinrico de Aernhem 4^{s}. Et solvit magister Johannes de Veen decem solidos nacioni, et ego quinque, et magister Heynricus de Aernhem IIII, quos nacio deliberabat perpotandos *à la grange*. Super 2° articulo placuit nacioni deordinare vel destatuere propter motiva predicta. Super 3° nichil.

1393

Acta in procuratoria magistri Johannis de Yselsteyn.

Celebrata congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum anno Domini M° CCC° XCIII°, decima die mensis Marcii super tribus articulis. Primus ad eligendum procuratorem, 2us ad audiendum computum receptoris, 3us super supplicacionibus et injuriis. Super primo nacio concorditer elegit in procuratorem magistrum Johannem de Yselsteyn. Super 2° nacio distulit computum. Super 3° nullus supplicavit.

Licenciatus est dominus Makolinus de Carynkors sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa VI sol.

Item subdeterminavit dominus Fredericus de Noerde, qui magistro Heynrico de Arnhem respondit de questione, et fuit subdeterminans domini Frederici de Saxonia.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum XV^{a} die mensis Marcii in primis Sancti Jacobi, devenit ad noticiam procuratoris, quemdam subdeterminantem cujusdam bachalarii existentem in camera [1] habere intencionem recedendi. Qui procurator super hoc consuluit nacionem, et ipsa concorditer deliberavit, articulo attento necessitatis, quod ille recessurus examinaretur juxta formam subdeterminancium; de disputacionibus autem nacio secum dispensavit usque ad annum futurum illas differendo, quia forte simpliciter non potuit.

(*Fol. 8*) Item licenciatus est dominus Johannes Nallinger sub magistro Egidio Jutfaes, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus est dominus Alaerdus de Driel sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa VII solidi, 4 denarii.

Item licenciatus est dominus Johannes Dorp de Leydis sub magistro Egidio de Jutfaes incepturus, cujus bursa VII solidi, 4 denarii.

Item subdeterminavit dominus Johannes de Bavaria sub magistro Johanne Rûedelinghen respondens de questione.

Item incepit dominus Johannes Dorp de Leydis sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa VII solidi, 4 denarii.

Item incepit dominus Johannes Nallinger sub eodem, cujus bursa V solidi.

Item facta congregacione facultatis specialiter ad eligendum rectorem 24^{a} die mensis Marcii in primis Nostre Domine apud Sanctum Julianum pauperem, protunc facta eciam fuit congregacio nacionis per juramentum super tribus articulis. Primus ad ordinandum de duabus domibus nacionis, scilicet domo *ad ymaginem nostre Domine* quoad locacionem et defectuum reparacionem, et de domo Dacie quoad computacionem audiendam a magistro Gheraerdo de Versengiaco [2], magistro collegii Laudunensis. 2us super appunctacione statuenda inter dominum episcopum Baiocensem et nacionem quoad ortum, de quo sepius supra mencio. 3us super supplicacionibus et injuriis. Et nacio deliberavit concorditer istos articulos esse differendos ad aliam congregacionem, quia tunc fuit electio rectoris.

Licenciatus est dominus Fredericus de Saxonia sub magistro Johanne Rûedelinghe, cujus bursa V s.

Item incepit dominus Fredericus de Saxonia sub magistro Johanne Rûedelinghe, cujus bursa V s.

Item facta congregacione Universitatis prima die mensis Aprilis in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum facta fuit eciam congregacio nacionis super immediate supra tactis articulis. Super primo dedit nacio deputatos magistrum Egidium de Jutfaes, magistrum Hugonem de Delf et magistrum Georgium ad visitandum defectus domus *ad ymaginem nostre Domine*, et si qui fuerint reperti, deliberavit ut repararentur per receptorem. Item consensit in locacionem illius domus per receptorem factam. Item de domo Dacie ad audiendum computum a magistro Gheraerdo de Versengiaco dedit deputatos ad placitum procuratoris vocandos, qui pro tempore fuerit. Super 2° articulo deliberavit nacio ut procurator cum duobus magistris vel tribus magis expertis ab ipso vocandis faceret ingrossari appunctacionem de orto. Super 3° articulo nullus supplicavit.

1. *I. e.* dum examinaretur.

2. Gerardus de Versigniaco *fuit nat. Picard. de quo in* Chartul., III.

1393

(*Fol. 8*[b]) Acta in procuratoria Johannis de Veen.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum in primis Sancti Jacobi per juramentum septima die mensis Aprilis super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad antiquum continuandum, 2us erat ad audiendum computum receptoris. Super primo articulo electus fuit concorditer ab omnibus Johannes de Veen. Super 2° articulo conclusum fuit concorditer nullo reclamante, quod computus receptoris ex tunc non audiretur, sed expectandum esset usquequo dominus receptor esset expeditus de dominis licenciandis et magistrandis.

Incepit dominus Laurentius de Londoris sub magistro Egidio Jutfaes cujus bursa...

Item facta congregacione nacionis Anglicane die Xa mensis Aprilis in nonis Nostre Domine super duobus articulis. Primus erat de modo adeundi magistrum Gyrardum de collegio Laudunensi ad audiendum computum ejus super domo Dacie, et eciam ad videndum reparationes per eumdem magistrum Gyrardum factas in domo prescripta.

2us articulus erat super supplicacionibus, etc.

Super primo articulo conclusum fuit quod bodellus noster magnus adiret predictum magistrum inquirendo ab ipso ex parte nacionis diem in quo ipse vellet cum deputatis nacionis computare, quia ut dicebatur in prescripta congregacione nacionis, ipse se dixit totam summam expositam circa reparaciones prefate domus copiasse, et se esse paratum cum deputatis nacionis computare. Super 2° articulo supplicaverunt quidam domini super dilacione pecuniarum, quas dare debebant receptori ex parte nacionis nostre in gradu licencie. Et datus fuit eis terminus solucionis usque ad festum Pentecostes sub condicione quod vadium ponerent secundum modum consuetum nacionis prescriptum [1] et ejus statutum.

Item incepit dominus Andreas de Bavaria dictus Heckel sub magistro Egidio Jutfaes, cujus bursa III s.

Item incepit dominus Heinricus de Fulda sub eodem, cujus bursa III solidi.

1393

Acta in procuratoria magistri Nycolay de Gameren.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M°CCC° 93°, quinta die mensis Maii, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum; 2us super supplicacionibus et injuriis. Super primo nacio concorditer elegit magistrum Laurencium, qui protunc legitima de causa ut dicebat officium procuratorie nullatenus poterat acceptare. Quapropter nacio eum habebat supportatum et excusatum, et processit nacio ad electionem 2am, qua concorditer eligebatur in procuratorem magister Nycolaus de Gameren.

Super 2° articulo supplicavit dominus Martinus licenciatus pro dilacione suarum bursarum ad aliquantulum tempus pro incepcione in artibus. Et concessit sibi nacio spacium dilacionis duorum mensium, dum tamen poneret in manibus receptoris pignera seu vadia juxta statutum et ordinacionem nacionis in proporcione sexquialtera.

(*Fol. 9*) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, sexto die mensis Maii super IIII articulis. Primus ad ordinandum et providendum de domibus ad nacionem spectantibus, scilicet de domo Dachye, ad videndum et avisandum de computo magistri Gherardi de collegio Laudunensi nacioni directo super diversis reparacionibus per ipsum in predicta domo factis, quomodo et qualiter circa hoc secum esset agendum. Similiter eciam et de domo *ymaginis beate Marie* in vico Brunelli quoad reparaciones aliquales prout videretur nacioni vel ad hoc deputatis expedire. Est eciam quedam alia domus in vico Jude *ad cornu cervi*, circa quam eciam videndum quid sit agendum. 2us articulus ad audiendum computum receptoris. 3us articulus ad videndum utrum illa minuta per reverendum in Christo patrem episcopum Bayochensem nacioni directa sit in forma sufficienti et debita, sic quod sine prejudicio nacionis posset ingrossari et consequenter sigillari, ut illis peractis nacio a predicto episcopo possit recipere pecunias de illo orto, de quo pluries superius factus est sermo. 4us articulus, nam ex requesta michi facta per m[agistros] meos in congregacione hesterna feci convocari aliquos magistros meos, quorum quilibet ut moris est solvere habet unum francum pro prima procuratoria, quoniam ipsorum plures hesterna die in procuratorem fuerunt electi, licet tamen nullus ipsorum acceptaverit.

Super primo articulo dati fuerunt michi procuratori deputati, qui ego una cum ipsis deberemus visitare domum Dachie et videre reparaciones ibidem

1. *Ms.* prescripte.

factas, et consequenter loqui cum magistro Gerardo predicto et audire ipsum super predicta materia et computo, et ipso audito referre in nacione mentem suam. Et tunc nacio ordinare posset quid ulterius agendum.

Quoad 2um articulum auditus fuit computus domini receptoris, qui fuit nacioni placens et bene gratus. Et mansit protunc nacioni obligatus in XXIII francis, IIII solidis et VI denariis; sed illi 4 solidi una cum illis VI denariis ex consensu plurium magistrorum in computo presencium fuerunt perpotati.

Super 3° placuit nacioni forma illius minute, et quod ingrossaretur et consequenter sigillaretur, et caperentur a predicto episcopo pecunie.

Super 4° magistri, quos tetigit illud punctum, supplicarunt nacioni pro dilacione illorum francorum usque ad festum Johannis vel citra, et tunc libenter solverent, ubi nacioni placeret. Et concessa fuit eis eorum supplicacio.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum decima quarta die mensis Maii, eciam pro illa tunc facta fuit congregacio nacionis ad supplicandum. Et supplicavit superior bedellus, scilicet dominus Bomondus, quatinus nacio secum vellet dispensare, sibi spacium unius mensis se absentandi ab ista villa concedendo, quia ut dicebat ipse ex parte magistri sui, scilicet magistri Johannis de Camineto [1], haberet ire ad partes suas, scilicet Lothoringiam, et brevius quo posset rediret. Super quo nacio deliberavit concedendo supplicacionem domini Bomondi.

Item incepit dominus Martinus de Saxonia sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa III solidi.

Item incepit dominus Hermannus de Braclis sub eodem magistro, cujus bursa nichil.

1393

(*Fol. 9 b*) Acta in procuratoria magistri Gerardi de Hoene de Delf.

Celebrata congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCC° nonagesimo 3°, penultima die mensis Junii super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem; 2us ad audiendum computum receptoris; 3us super supplicacionibus et injuriis. Super primo concorditer elegit nacio magistrum Gerardum de Hoene de Delf. Super 2° nacio distulit computum receptoris. Super 3° nullus supplicavit.

Item facta congregacione facultatis ultima die mensis Junii super tribus articulis. Primus ad eligendum intrantes, qui novum haberent eligere rectorem; 2us super clausura vici Straminis [2]; 3us super supplicacionibus et injuriis. Super primo pro intrante elegit nacio predictum procuratorem. Super 2° remissum fuit ad deputatos. Super 3° nullus supplicavit.

Item facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum quinta die Julii super tribus articulis. Primus super renovacione juramenti prepositi Parisiensis [3], quod matri nostre Universitati Parisiensi de biennio in biennium tenetur renovare. 2us super reformacione collegii de Baioco [4]. 3us super supplicacionibus. Super primo articulo dati fuerunt deputati, qui haberent audire renovacionem juramenti prepositi Parisiensis, etc. Super 2° similiter fuerunt dati deputati. Super 3° supplicaciones fuerunt concesse.

Item facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus super audiendo relacionem deputatorum de renovacione juramenti prepositi Parisiensis. 2us super *dictionario* matris nostre, etc., qui per obitum unius magistri ad manus Universitatis devenit, quoniam multi magistri supplicaverunt quatinus predictum dictionarium pacto consimili sibi habere possent. 3us super supplicacionibus et injuriis.

Super primo predictus prepositus respondit, quod libenter juraret secundum quod juravit in sui creacione et secundum quod sui predecessores juraverunt; sed formam juramenti in privilegio nobis concesso contentam nullo modo sibi jurare voluit, ymmo prius officio in manibus regis renunciaret.

Super 2° datus fuit dictionarius in manibus rectoris donec de predicto dictionario per matrem nostram Universitatem Parisiensem quid fiendum esset ordinaretur. Super 3° supplicaciones fuerunt concesse.

(*Fol. 10*) Item facta congregacione Universitatis in Sancto Maturino, decima octava die Julii, super tribus articulis. Primus de modo procedendi contra prepositum Parisiensem, qui renovacionem juramenti matri nostre Universitati Parisiensi facere nolebat secundum tenorem privilegii sibi concessi. Secundus super adeundo cardinalem [5], quia ut tetigit dominus rector, multum expediret, cum diversa collegia pro-

1. *Fuit nat. Gallic., lic. in decr. V.* Chartul., III, p. 452, 512.
2. *An.* 1404, *Febr.* 5, *tantum vicus clausus est. Vid. infra.*
3. Johannis de Folleville, *ab an.* 1389, *Januarii* 25.
4. *I. e.* Collegii Baiocensis.
5. *Scil.* cardinalem Petrum de Luna, *card. diac. S. Mariae in Cosmedin ab an.* 1375, *Decemb.* 20. *An.* 1393, *Febr. 1, Clemens* VII *Petro de Luna legationis officium in Francia* (*et etiam in Anglia, Hibernia, Scotia, Belgio*) *injunxit* (Reg. Vat. Clement. VII, n° 305, *fol.* 9), *qui 26 Februarii Avenionem reliquit* (Arch. Vat. Oblig., n° 49, *fol.* 63 b) *et Parisios profectus est.*

tunc ipsum adiverunt, ut eciam mater nostra ipsum adiret et sibi supposita sua recommandaret. 3us super supplicacionibus et injuriis.

Super primo Universitas supersedebat de renovacione juramenti quoad prepositum istum propter favorem per prepositum Universitati et suis suppositis factum. Sed si novus crearetur, secundum formam et tenorem privilegii etc., vellet quod juraret.

Super 2° datus fuit proponens... (*sic*), qui coram cardinali eliganter haberet proponere et eidem Universitatem recommandare.

Super 3° supplicaciones fuerunt concesse.

Item facta congregacione nacionis, vicesima sexta die Julii, super duobus articulis. Primus super adeundo episcopum Baiocensem de cedula alias missa nacioni de pecuniis illius orti, petendo an sibi adhuc placeret illa forma contenta in cedula, et si sic, quod mitteret unum ex parte sui [in] proxima congregacione Universitatis et quod legeretur in Universitate, quia placuit nacioni. 2us super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo adivit procurator una cum magistro Egidio Jutfaes predictum episcopum, qui non vellet quod cedula legeretur in Universitate, nisi in presentia magistri Egidii de Campis [1], qui protunc absens fuit. Super 2° supplicaverunt bedelli ut nacio ipsis providere vellet de aliquanta summa pecuniarum, quia multum dicebant se fore indigentes propter lucri illius anni paucitatem. Quibus nacio providebat de decem francis, superiori bedello de sex, subbedello de 4or.

Item facta congregacione Universitatis in Sancto Maturino 4a die mensis Augusti super tribus articulis. Primus erat ad proponendum coram cardinali [2] de facto unionis, et ordinaretur proponens qui omnes conclusiones per magistrum Egidium de Campis coram rege tactas de facto unionis [3], simili forma cardinali tangeret [4].

2us super missa facienda pro domino rege Karolo.

3us Super supplicacionibus.

Super primo placuit Universitati quod de modo unionis predicto cardinali tangeretur, et ordinavit proponentem magistrum de Sancto Dyonisio [5], qui omnes conclusiones alias coram rege de facto unionis tactas eidem cardinali haberet tangere.

Super 2° placuit Universitati facere missam pro dicto nostro rege in Nostra Domina, ubi tota Universitas solempniter esset convocata. Super 3° supplicaciones fuerunt concesse.

(*Fol. 10b*) Item facta congregacione nacionis in Sancto Maturino decima septima die mensis Augusti super duobus articulis. Primus erat super audiendo computum receptoris, quem brevissime ad partes ire oportebat. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Super primo placuit nacioni computus receptoris. Super 2° nullus supplicavit.

1393

Acta in procuratoria Arnoldi Bloeyer.

Item facta congregacione nacionis anno ut supra, vicesima secunda die mensis Augusti, super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem. Et electus fuit concorditer Arnoldus Bloeyer. Super 2° nichil.

Facta congregacione nacionis ipso die Mathei [6] apostoli et ewangeliste super 4or articulis. Primus fuit ad audiendum compotum receptoris, qui auditus bene placuit nacioni, et remansit receptor nacioni obligatus in triginta sex solidis et IIII denariis. Secundus fuit ad eligendum vel continuandum receptorem. Et continuatus fuit receptor antiquus, qui ut moris est dedit nacioni unum francum, qui perpotatus *à la grange*. 3us fuit ad distribuendum scolas volentibus regere isto anno. Et fuerunt distribute secundum antiquitatem regencium, et alii ipsis providerent expensis nacionis. 4us fuit super supplicacionibus, de [quibus] nichil ad presens.

1393

Acta in procuratoria Franconis Ghysberti de Delf.

Facta congregacione Universitatis XXIIIIa die mensis Septembris, anno ut supra, apud Sanctum Maturinum hora primarum, eodem tunc celebrata fuit congregacio nacionis Anglicane super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel antiquum continuandum. Electus erat con-

1. *Mag. in theol., de quo in* Chartul., III, p. 241, *not.* 4.
2. De Luna.
3. *Has conclusiones, quae in generali agebant de debito uniuscujusque laborandi pro unione ecclesiae, vid. in* Chartul., III, *n°* 1666. *Jam eodem anno et in principio sequentis Universitas sua supposita in consilium advocavit de tribus viis. Vid. ad haec* Chartul., III, *De Schismate. Scimus jam antea, scil. ab an.* 1390, *Universitatem Paris. de facto unionis conclusiones proposuisse.*
4. *Qui tunc a mense Junio usque Januarium gravi infirmitate mentis detentus erat. Vid.* Chron. du rel. de St-Denys, *ed.* Bellaguet, II, 86; 92.
5. *I. e.* Guillelmum Barraut, *priorem S. Dionysii et mag. in theol., de quo in Chartul.* III, n° 1554, *not.* 2.
6. 21 *Septemb.*

corditer Franko de Delf nullo reclamante. 2[us] erat super supplicacionibus, et de illo nichil.

Celebrata congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum XXVIII[a] die ejusdem mensis hora primarum vel circa, protunc erat eciam congregacio nacionis super duobus articulis. Primus erat ad audiendum illa que relata fuerunt magistro Arnoldo Bloeyer predecessori meo per procuratorem nacionis Picardie, et presentibus aliquibus magistris ejusdem nacionis. Et retulit quomodo predictus procurator requisivit eum ut requireret receptorem nacionis Anglicane, ut faceret reparare superiores scolas *septem arcium*, alias nisi faceret nacio Picardie intenderet facere reparari, et sic nacio nostra perderet jus et proprietatem suam in illis scolis. Et deliberatum erat quod procurator una cum quibusdam magistris adirent procuratorem predicte nacionis ad supplicandum sibi, quatinus ipsi de nacione predicta vellent sibi providere de aliis scolis, et nos jure nostro in illis scolis uti permittere, quia met in illis vellemus legere et regere secundum quod facimus in aliis scolis. Quod si non vellent facere, requireremus dominum rectorem ad faciendum congregacionem facultatis, in qua nacio vellet petere et declarare jus suum in illis scolis. Et ad hoc concorditer erat electus magister Johannes de Haustria[1] (*Fol. 11*) qui proponeret factum nacionis et declararet jus suum in illis scolis, qualiter fecit valde solempniter in congregacione facultatis prima, facta 4[a] die mensis Octobris, scilicet ipso die Francisci. Et super propositis[2] per predictum magistrum petiverunt illi de nacione predicta[3] dilacionem usque ad proximam congregacionem facultatis ad respondendum articulis ibidem propositis.

2[us] articulus super supplicacionibus, et de illo nichil.

Item facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum VII[a] die mensis Octobris hora nonarum Nostre Domine, super duobus articulis. Primus est ad avisandum de modo respondendi ad articulos propositos per magistrum Nycolaum de Ghonesia ex parte nacionis Picardie, quia ipse respondit ad argumenta facta per magistrum Johannem de Austria, et confirmacione nostrorum articulorum et contra solucionem ad argumenta nostra, data replicacione forti. 2[us] erat de supplicacionibus, et de illo nichil.

1393

Acta in procuratoria Henrici de Oy.

Anno Domini M° CCC°XCIII°, XXI[a] die mensis Octobris, facta congregacione hora primarum vel circiter super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2[us] erat ad audiendum computum receptoris. 3[us] super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus erat concorditer Henricus de Oy in procuratorem nacionis Anglicane. De aliis articulis nichil fuit expeditum quia etc.

Item facta congregacione nacionis Anglicane quinto die mensis Novembris ejusdem anni super duobus articulis. Primus erat ad ordinandum unum proponentem in Universitate pro facto nacionis pendente inter ipsam et episcopum Baiocensem. 2[us] erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus et deputatus fuit concorditer magister Johannes de Austria. Quantum ad 2[m] supplicaverunt bedelli quod possent recipere bursas a subdeterminantibus pro isto anno. Et supplicacio eorum fuit concessa pro isto anno, eo solum adjuncto quod non traheretur ad consequenciam.

Item facta congregacione nono die mensis Novembris ejusdem anni in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus erat ad insinuandum nacioni, quomodo procurator nacionis Picardie cum duobus clientibus insinuavit michi ad referendum in nacione Anglicana, quod rex vellet servare magistrum Robertum de Oudenarde in possessione scolarum arcium superiorum, et quod non poneremus ipsum extra possessionem, videlicet sub pena centum marcarum argenti. Secundus articulus erat super supplicacionibus. Et nichil fuit pro tunc expeditum de predictis articulis, quia pro eadem hora fuit in eodem loco congregacio Universitatis ad conferendam quandam curam, scilicet ecclesiam sancti Andree. Et nacio nostra requisivit Universitatem ad hoc, ut ratificaret factum diu ventilatum inter nacionem et episcopum Baiocensem. Et fuit concessum per Universitatem, dummodo placeret nacioni Anglicane matri mee. Et recepit noster receptor triginta duos francos ad usum nacionis, protestatum tamen fuit in Universitate quod ista pecunia non exponeretur, nisi de consensu Universitatis.

Item facta congregacione duodecimo die mensis

1. Johannes Mullechner de Austria, *tunc baccalareus formatus in theol., de quo* p. 585, 4 *sqq.*; 590. *An.* 1395 *et in omnibus annis sequentibus saepe fuit nuntius Universitatis propter unionem ecclesiae ad regna alia, imprimis in Alemanniam, et ad quasdam Universitates. An.* 1395 *licentiatus est in theol.; sed remansit in natione.*
2. *Ms.* prepositis.
3. *I. e.* Picardorum.

Novembris ejusdem anni super tribus articulis. Primus ad ordinandum de scolis superioribus *septem arcium*. 2us ad ordinandum de festo et de debitoribus nacionis. 3us super supplicacionibus et injuriis. De primo articulo deliberatum fuit quod diceretur in facultate quomodo nacio Picardie processit, de quo in congregacione precedenti immediate, et quod peteremus consilium a facultate, quomodo procedendum esset et quod sentenciaret in facto. Super 2° articulo dictum fuit quod placeret habere festum in die beati Eadmundi expensis nacionis, et quod artarentur debitores nacionis, scilicet magistri et scolares presentes satisfacere ante festum beati Eadmundi sub pena privacionis omnis commodi potentis eis provenire ex parte nacionis. De 3° nichil.

1393

(*Fol. 11*^b) Acta in procuratoria Johannis Gray.

Anno Domini ut supra, XVIII° die mensis Novembris, facta congregacione nacionis Anglie hora primarum vel citra super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us erat pro facto scolarum inter predictam nacionem et nacionem Piccardie. 3us fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus fuit concorditer Johannes Gray. De secundo nichil fuit ibi conclusum. De tercio suplicavit ibi magister Martinus, cujus suplicacio non fuit concessa.

1393

Acta in continuacione predicti Johannis Gray Scoti.

Facta congregacione nacionis Anglie in Sancto Juliano anno Domini M° etc. nonagesimo [1] tertio, XVI^{to} die Decembris, hora primarum vel citra super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us erat utrum nacio vellet se submittere ordinacioni quatuor magistrorum. 3us erat de suplicacionibus et injuriis. De primo deliberavit nacio quod continuaret predictum Johannem Gray. De 2° placuit nacioni omnis via bona, et dum[modo] illi quatuor essent aliarum nacionum a nacionibus discordantibus. De 3° nichil.

Acta in congregacione nacionis Anglie, anno Domini ut supra, XXVII° die mensis Decembris super tribus articulis. Primus erat ad audiendum modos tactos per [2] deputatos facultatis super concordia inter nacionem predictam et nacionem Piccardie. 2us erat de computo receptoris. 3us de supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum nullus modus tactus per predictam nacionem Piccardie placuit nacioni. Placuit tamen nacioni quod in prima congregacione solempni nacionis Piccardie offeratur eis ille modus ex parte nacionis, qui alias fuit oblatus per personas privatas, videlicet de permutacione cum parvis scolis super Secannam. Et eciam quoad istum articulum dati fuerunt deputati, scilicet magister Johannes Forestarii, magister Johannes de Austria et magister H[enricus] de Harlen, qui habebunt informare dominum rectorem [3] et heredem venditoris predictarum scolarum de jure nostro. Quoad 2^m et 3^m nichil.

Facta congregacione nacionis Anglie in Sancto Juliano XXX^{mo} et penultimo die Decembris super duobus articulis hora primarum vel citra. Primus fuit ad offerendum nacioni Piccardie aliquem bonum modum concordie, et quoad hoc oblatum fuit quod permutaretur usus parvarum scolarum pro usu illarum quas habet. Et eis non placuit iste modus. Et ideo fuerunt dati deputati, qui debebant adire rectorem ut faceret congregacionem facultatis, et de isto facto faceret unum articulum. Et isti fuerunt deputati predicti in ultima congregacione. (*Fol. 12*) Ipsi tamen de nacione Piccardie obtulerunt quod ipsi haberent scolas medias ibi ediffícandas, et nobis darent XX francos. Et iste modus nullo modo placuit nacioni. 2us articulus fuit de supplicacionibus etc., et de hoc nichil.

1394

Acta in procuratoria Andree de Bavaria.

Anno Domini M° CCC° XCIII°, XI° die mensis Januarii, facta congregacione nacionis Anglie hora primarum vel circiter apud Sanctum Julianum super tribus articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us erat ad audiendum compotum receptoris. 3us erat super supplicacionibus et injuriis. De primo electus fuit concorditer Andreas de Bavaria. De aliis nichil fuit factum, etc.

1394

Acta in procuratoria magistri Johannis de Moravia.

Indicta congregacione nacionis Anglicane hora

1. *Ms.* nogesimo.
2. *Ms.* in deputatis.
3. *Qui tunc fuit* Johannes Millonis.

primarum apud Sanctum Julianum pauperem anno Domini M. CCC. LXXXX quarto, X[a] die mensis Februarii super tribus articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem. Et electus fuit concorditer magister Johannes de Moravia[1] et rogatus attenta *materia presenti de unione ecclesie.*

Secundus articulus ad audiendum computum receptoris, qui fuit dilatus. Item ad eligendum officiarios. Et electi fuerunt duo seniores regentes et senior non regens, videlicet magister Conradus tanquam non regens, et magister Henricus de Arnhem et magister Henricus de Oy[2] duo seniores regentes per modum solitum, videlicet duo seniores regentes et senior non regens exeuntes nacionem eligerunt quilibet alios duos, et receptorem ex officio. De officiariis scilicet pro mensibus nichil, sed eciam diferebatur.

Tercius articulus ad supplicandum. Et supplicavit magister Andreaş de Bavaria quod haberetur gratus in officio procuracionis transacte, que supplicacio fuit concessa.

Incepit dominus Walterus Forestarii Scotus sub magistro Henrico de Arnhem, cujus bursa IX solidi. Solvit receptori.

(*Fol. 12*[b]) Deinde XXVI° ejusdem mensis Februarii indicta congregacione generali ad Sanctum Bernardum ad faciendam relacionem etc. viarum tactarum coram deputatis regis de unione ecclesie[3], et nacionis ad ordinandum de officiariis nacionis pro mensibus distribuendis ad examinandum bachallarios vocatos apud Sanctum Genovefam, et presentavit se magister Franco de Delf pro omnibus mensibus istius anni cum solutione XX solidorum perpotandorum, cui concessi erant. Item magister Theodericus de Delf solvit francum pro jocundo introitu. Item quidam alius Fridericus de Saxonia solvit I francum. Et ordinati erant duo procuratores pro die sequenti ad hujusmodi III francos et IIII solidos perpotandos.

Determinavit dominus Willelmus de Blacburne sub magistro Henrico de Arnhem, cujus bursa V solidi. Solvit receptori.

Posterius secunda Marcii ad requestam domini receptoris nacionis indicta erat ex precepto dom. procuratoris congregacio nacionis apud Sanctum Julianum, ubi erat congregacio facultatis pro juramentis illorum de primo mense istius anni, hora primarum; nacionis quidem ad computandum. Unde dominus receptor asseruit quod quidam obloquebantur sibi de hoc quod non computavit in nacione; igitur comparuit ibidem ad computandum et instanter requisivit quod audiretur. Qui computus dilatus fuit ad proximam electionem procuratoris.

Et dati fuerunt aliqui ibidem ad visitandum reparaciones factas in domo *cornu cervi* et in domo in vico Brunelli *ymaginis nostre Domine*, una cum receptore, ut illi facerent relacionem de hiis que receptor dixit in illis fuisse reparata. Et iverunt ad visitandum magister Henricus de Arnhem, Arnoldus de Wtwiick, Nycolaus Gameren et Henricus de Fulda.

Item presentavit in eadem congregacione receptor unam cedulam de computacione reparacionum domorum predictarum, cujus copiam petivit locumtenens procuratoris tunc absentis. Sed respondit receptor quod traditurus esset. Quam nondum tradidit.

(*Fol. 13*) Item isti sunt determinantes hujus anni, scilicet 1394.

Item Guillelmus de Scoenbrench determinavit sub magistro Arnoldo Utwic, cujus bursa V solidi.

Item Heinricus de Barghe determinavit sub magistro Arnoldo Utwic, cujus bursa V solidi.

Item Wilhelmus Bloc determinavit sub Arnoldo Bloc, cujus bursa V solidi.

Item Matheus de Gueddes determinavit sub magistro Heinrico de Arnheim, cujus bursa quinque sol.

Item Alexander de Carnys determinavit sub magistro Heinrico de Arnheim, cujus bursa quinque solidi.

Item Johannes Barberii determinavit sub magistro Heinrico de Arnhem, cujus bursa septem solidi.

Item Nicholaus de Monikedam determinavit sub magistro Arnoldo Utwic, cujus bursa 4[or] albi.

Item Gerhardus Ysebrandi[4] determinavit sub magistro Baldewino, cujus bursa V solidi.

Item Albertus Baers de Trajecto determinavit sub magistro Johanne Nallinger, cujus bursa 4[or] albi.

Item Robertus Egidii determinavit sub magistro Arnoldo Utwic, cujus bursa tres solidi, 8 denarii.

Item Stephanus de Bavaria determinavit sub

1. *Quae sequuntur usque* ecclesie, *in margine. Per ista verba alluditur congregationibus, quas tunc temporis, imprimis Februar.* 26, *Universitas de tribus viis habuit. Vid. lin.* 24, *et* Chartul. III. Johannes de Moravia *fuit unus ex antiquioribus magistris nationis, et Clementista, quia Scotus. Vid. supra* p. 616, 4, *et* Chartul., III, p. 375. *An.* 1395, *tamen, Novemb.* 5, *suspectus habebatur.*

2. Henricus de Oy *hoc anno solo Parisiis remansit; anno sequenti* (1395) *in Universitate Colon. intitulatus est. Vid.* Keussen, Matrikel, I, p. 65.

3. *Vid. instrumentum editum de hoc in* Chartul., III, *De Schismate. Fere* 400 *magistri et doctores omnium facultatum erant congregati.*

4. *Ex Universitate Colon. Vid. supra*, p. 673, *not.* 2.

magistro Petro Brenner, cujus bursa III solidi cum dimidio.

Item Theodericus de Schidam determinavit sub magistro Egidio Jutfaes, cujus bursa septem solidi, II denarii.

Item Johannes de Scoenhovia determinavit sub magistro Henrico Arnheim, cujus bursa VII solidi cum dimidio.

Item Johannes de Campen determinavit sub magistro Egidio Jutfaes, cujus bursa 4^{or} solidi.

Item Johannes Constancii de Delf determinavit sub magistro Johanne Nerlinger, cujus bursa valet III solidos.

Item Johannes de Hassia determinavit sub magistro Johanne Nerlinger, cujus bursa valet II solidos.

Item Gwilhelmus Pauli determinavit sub magistro Arnoldo de Utwic, cujus bursa IIII albi.

Item Jacobus de Fausyde determinavit sub magistro Henrico Harlem, cujus bursa VII solidi.

Item Henricus de Herwen determinavit sub magistro Arnoldo de Utwic, cujus bursa VI solidi.

Item Henricus de Bumel determinavit sub magistro Arnoldo de Utwic, cujus bursa VI solidi.

1394

(*Fol. 13* b) Acta in procuratoria magistri Johannis de Moravia.

Indicta congregacione nacionis Anglicane hora primarum apud Sanctum Julianum anno Domini 1394, 10^a die mensis Marcii super tribus articulis. Primus ad eligendum procuratorem. Et electus [est] magister Johannes de Moravia et *continuatus propter factum ecclesie continuandum* [1].

2us ad audiendum computum receptoris. Et auditus est quoad preterita facta. Quoad 3^m, supplicaciones de vadiis recipiendis admisse sunt.

[Licentiati.]

Licenciatus est Nycolaus de Saxonia sub magistro Egidio Jutfas, cujus bursa VI solidi.

Item incepit dominus Nycolaus de Saxonia sub magistro Egidio Jutfas, cujus bursa VI solidi.

Item licenciatus Symon de Mundavilla sub magistro Egidio, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus est Andreas de Austria sub magistro Egidio Jutfas, cujus bursa V solidi et 4 denarii.

Item licenciatus est Fridericus de Nort sub magistro Henrico de Harnem, cujus bursa 4 solidi.

Item licenciatus est Henricus de Herwen sub magistro Henrico de Oy, cujus bursa VI solidi.

Item incepit Symon de Mundavilla Scotus sub mag. Egidio Jutfas, cujus bursa VII sol.

Item incepit dominus Henricus de Herwen, cujus bursa VI solidi.

Item licenciatus est dominus Johannes de Botbor sub magistro Egidio Jutfas.

[Subdeterminantes.]

Item subdeterminavit Matheus Stoer sub magistro Petro Prenner, cujus bursa nichil.

Item subdeterminavit Theodericus Stuke sub Johanne de Schen[h]ovia, cujus bursa nichil.

Item subdeterminavit Jacobus Jacobi de Cracovia sub magistro Henrico Harlem.

Item subdeterminavit Galterus de Cariker sub magistro Henrico Harlem, cujus bursa 8 albi.

Item incepit Andreas de Austria sub magistro Egidio Jutfas, cujus bursa V solidi et 4 denarii.

Item Johannes de Bautbur incepit sub eodem, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus Theodericus de Schydam sub magistro Egidio Jutfas, cujus bursa VII solidi, II denarii.

Item licenciatus Gwilhelmus Schonbrinch sub magistro Arnoldo de Outwik, cujus bursa V solidi.

Item Johannes de Schon[h]ovia sub magistro Egidio Jutfas, cujus bursa VII solidi cum obulo.

Item Henricus Bomel sub magistro Egidio Jutfas, cujus bursa VI sol.

1394

(*Fol. 14*) Acta in procuratoria magistri Johannis de Moravia.

In congregacione nacionis Anglicane hora primarum apud Sanctum Maturinum anno Domini 1394, 7 die mensis Aprilis super duobus articulis. Primus de eligendo procuratorem. Et continuatus est et electus magister Johannes de Moravia. 2us de supplicacionibus etc.

Item incepit Johannes Schonhovia sub magistro Egidio Jutfas, cujus bursa VII solidi cum obulo.

Item licenciatus est Theodericus de s'Gravensande [2] sub magistro Egidio Jutfas, cujus bursa VII solidi et octo denarii.

1. *Propter hoc ter continuatus est. Quin clementista fuit* (*vid.* p. 687, *not.* 1), *natio Anglicana, in qua major pars Alemanni, minus suspecta reddebatur.*

2. *Ms.* Stravensande. *Significatur* s'Gravensande.

Item incepit Theodericus de Schydam sub magistro Egidio Jutfas, cujus bursa VII solidi, II denarii.

Item incepit Theodericus de s'Gravensande [1] sub magistro Egidio, cujus bursa VII solidi, 8 denarii.

Item incepit Henricus Bomel sub eodem, cujus bursa VI solidi.

Item Gwilhelmus de Schonbrenche sub eodem, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus est Nycolaus de Monikedam, cujus bursa 4 albi.

Item licenciatus est Gwilhelmus de Blacborne sub magistro Egidio Jutfas, cujus bursa 5 solidi.

Item licenciatus est Johannes Wit sub magistro Egidio Jutfas, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus est Gwilhelmus Sebald, cujus bursa VI solidi.

Item incepit Gwilhelmus de Blacborne sub magistro Egidio Jutfas, cujus bursa V solidi.

Item incepit Johannes Wit sub eodem magistro, cujus bursa VII solidi.

1394

(*Fol. 14*[b]) Acta in procuratoria magistri Johannis de Moravia.

In congregacione nacionis Anglicane hora primarum apud Sanctum Maturinum anno Domini 1394, 6 die Maii, super duobus articulis deliberatum est. Primus erat de electione procuratoris. Et continuatus est magister Johannes et electus. 2us de supplicacionibus. Et facta fuit mencio de futro virge nacionis, et iterum tactum est ut adiretur regina per nacionem. Et placuit, etc.

Item licenciatus est dominus Johannes Bonrode [2] sub magistro Egidio Jutfas, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Johannes Bonrode sub magistro Egidio Jutfas, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Nycolaus de Monekedam sub magistro Arnoldo Utwike, cujus bursa XVI denarii.

Item quarta Julii indicta congregacione generali Universitatis apud Sanctum Maturinum, ubi eciam indicta erat congregacio nacionis, nacionis quidem ad computandum per magistrum Egidium receptorem et ad supplicandum. Computavit receptor, et remansit omnibus computatis et discomputatis obligatus in quadraginta... libris parisiens.

Item in eadem congregacione quinque magistri solverunt pro prima procuratoria, quorum unus scilicet magister Wilhelmus de Scoenbreuk supplicavit nacioni, quatinus sibi prestaret. Et nacio annuit supplicacioni ejus in taberna, in qua hujusmodi pecunia fuit consumpta. Et dominus receptor preter illum francum nomine nacionis solvit XII solidos, quia consumpti era[n]t V franci, XII solidi. Nomina vero solvencium aliorum IIII^or sunt magister W[alterus] Forestarii Scotus... (*sic*)

Item supplicaverunt duo, bedellus scilicet et subbedellus, quod nacio vellet eis facere aliquam graciam specialem, et protunc supplicacio fuit dilata usque ad post compotum receptoris.

Item in festo sancti Jacobi [3] indicta congregacione generali apud Sanctum Bernardum et eciam congregacione nacionis, propositum erat de bedello studii Coloniensis [4], quod nacio multis attentis faceret aliquam curialitatem eidem, et maxime quod invitaretur, scilicet quod solum essent presentes in prandio officiarii nacionis et duo seniores magistri nacionis ad faciendum sibi festum. Et protunc major pars bene voluisset quod daretur sibi aliquod clenodium de quinque vel sex francis; minor vero pars quod prandium.

Item bedelli supplicaverunt quod nacio subveniret eis in aliquo. Et fuit concessum cum protestacione, quod non traheretur in consequenciam. Item quod quando annus esset fructuosus, ut supersederent de supplicando sic.

Deinde die sequenti indicta congregacione generali nacionis apud Sanctum Maturinum, quia locumtenens procuratoris in absencia procuratoris credidit habere concordiam, proposuit copulative, utrum placeret quod haberent prandium et clenodium, attenta deliberacione diei precedentis, et attento quod placuit omnibus quod fieret sibi [bedello Colon.] curialitas. Et protunc non fuit concordia, sed iterum major pars fuit pro clenodio, paucis existentibus pro alia parte et protestante de appellando, quorum major pars adhuc fuit pro prandio. Et tunc, quia non erat concordia in aliquo certo, et tamen ad cujuslibet deliberacionem sequebatur quod aliquid fieret : locumtenens procuratoris conclusit concordiam dumtaxat in hoc, quod fieret sibi aliqua curialitas per nacionem.

(*Fol. 15*) Deinde vero indicta congregacione apud Sanctum Maturinum Universitatis, eciam indicta erat nacionis per juramentum ad habendum concordiam;

1. *Ms.* Schravensande.
2. *Vid. de ipso infra.*
3. 25 *Julii.*
4. *Ipse portavit Parisios epistolam rectoris et Universitatis* studii Coloniensis, *hoc anno, Jul.* 5, *ad Universitatem Paris. de ecclesiae unione directam. Vid.* Chartul. III, *de Schismate.*

attento quod esset aliquid habiturus vel quod fieri deberet sibi curialitas. Et protunc, quia pro clenodio non potuit haberi concordia, aliquibus protestantibus de appellando, major pars nacionis fuit ad hoc quod fieret prandium, et non nisi per totam nacionem. Quare indicta erat die sequenti congregatio nacionis, et propositum per modum expedientis, ex quo fienda erat curialitas, et de clenodio non poterat haberi concordia, et major pars proclivis fuit ad hoc quod fieret per communem nacionem festum, nec apparebat alius modus habendi concordiam, quod fieret festum per communem nacionem sibi. Et fuit in hoc concordia, solo uno d[icente], quod non deliberaret aliud quam in die precedenti. Et fuerunt ordinati procuratores, et pecunia consumenda limitata ad VIII francos, quorum III francos soluturi essent novicii, scilicet magister Johannes Witte, magister Theodericus de Sceydam... (*sic*), alii vero quinque per nacionem, scilicet per receptorem, solverentur. Et sic invitatus fuit dictus bedellus, et habuimus festum prope parvum pontem. In quo festo, facto prandio, idem bedellus retulit locumtenenti procuratoris, quod haberet quandam literam de II francis racione licencie et magisterii cujusdam magistri. Super quo dictis graciis post prandium locumtenens procuratoris proposuit, utrum placeret literam ibidem aperire. Et placuit omnibus et cuilibet, excepto magistro Andrea de Bavaria, qui aliqua dixit, racione quorum requisitus erat locumtenens, ut fieret congregacio in nonis, requisitus per antiquiores de nacione.

Facta igitur fuit congregacio in nonis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum, et propositum quod de cetero fieret taliter, quod quando esset festum nacionis, non fierent alique enormitates. Et dati fuerunt deputati, et lecta fuit litera, super qua conclusum fuit quod ipse lator literarum haberet quitanciam.

1394

Acta in procuratoria 2^{a} magistri Johannis de Claromonte [1].

In congregacione Universitatis apud Sanctum Bernardum celebrata anno Domini M.CCC.XCIIII°, XXVI^{a} die Augusti fuit una cum hoc facta congregacio nacionis ad eligendum procuratorem, et fuit electus a majori parte nacionis magister Johannes de Claromonte.

Facta congregacione Universitatis XI^{a} die Septembris fuit una cum hoc congregacio nacionis, in qua proposui, quod honestum erat habere duo superplicia. Et hoc placuit majori parti ut haberentur, et hoc conclusi. Item supplicaverunt bedelli, cum alias in procuratoria magistri Johannis de Moravea in Sancto Bernardo in congregacione nacionis esset conclusum, quod nacio subveniret eis in aliqua summa pecunie, nacio vellet illam eis ordinare. Et placuit omnibus magistris ut haberent octo francos de pecunia nacionis. Et ita conclusi.

Facta congregacione nacionis Anglicane hora primarum apud Sanctum Maturinum anno Domini M.CCC.XCIIII°, XXI^{a} die Septembris super 4^{or} articulis. Primus fuit ad audiendum compotum receptoris. Et fuit compotus suus admissus. 2us ad eligendum receptorem novum vel continuandum. Et fuit continuatus antiquus receptor. 3us fuit ad renunciandum scolas [2] in manibus nacionis, et ordinandum de illis; fuit facta renunciacio scolarum in manibus nacionis. Quo facto supplicaverunt novem magistri per se vel alios, ut assignarentur eis scole. Et circa hoc deliberavit nacio ut secundum antiquitatem regencie haberent scolas, ex quo intendebant regere per majorem partem ordinarii, ut jurabant in presencia nacionis. Et ita conclusi.

1394

Acta in procuratoria 3^{a} magistri Johannis de Claromonte.

Facta congregacione nacionis in Sancto Bernardo anno Domini M.CCC°XCIIII°, XXIII^{a} die Septembris ut procurator eligeretur, et fui continuatus de consensu omnium magistrorum.

1394

(*Fol. 15* ^{b}) Acta in procuratoria magistri Johannis de Edynburghe.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem hora primarum, die mercurii XXI^{a} die Octobris, anno Domini M^{mo}CCC^{mo} nonagesimo quarto, ad eligendum procuratorem, et fuit electus a majori parte nacionis magister Johannes de Edynburghe.

Facta congregacione Universitatis XXIII^{a} die Octobris apud Sanctum Maturinum anno Domini M^{mo} CCC° nonagesimo quarto, nacione tracta ad partem ut moris est ad deliberandum super propositis per

1. 2^{a} *inter lineas, et sic postea* 3^{a}.

2. *Ms.* scolis.

rectorem, curatus Sanctorum Cosme et Damiani venit ad nacionem et supplicavit, quatinus nacio sibi vellet subvenire in aliqua pecunia ad reedificacionem ecclesie sue, cujus medietas erat omnino discoperta. Super quo nacio deliberavit nullo contradicente, quod bene placeret sibi subvenire in aliquo. Sed quia receptor tunc non interfuit congregacioni, distulit nacio protunc taxare summam dicto curato tradendam pro fabrica antedicta, quousque sciretur quantitas pecunie nacionis a receptore.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum XXVIII[a] die Octobris, anno Domini M° CCC[mo] nonagesimo quarto, ubi et facta fuit congregacio nacionis super uno articulo, videlicet ad videndum quantum placeret nacioni tradere ad fabricam ecclesie sanctorum Cosme et Damiani, et placuit majori parti nacionis ut receptor traderet curato dicte ecclesie ex parte nacionis quinque francos.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum per juramentum XIII[a] die mensis Novembris, anno quo supra, super tribus articulis. Primus erat ad ordinandum, et si placeret facere solempne prandium in festo beati Eadmundi ut moris est, et eciam ad constituendum provisores in casu, quo placeret nacioni prandium facere. 2[us] erat ad audiendum compotum receptoris. 3[us] super supplicacionibus et injuriis. Quibus sic per procuratorem in deliberacione positis, magister Johannes de Austria monstravit nacioni quomodo considerato, quod in ecclesia beatorum Cosme et Damiani nacio sepe conveniebat ad audiendum divina et eciam quod erat ecclesia specialiter electa per nacionem, quod nimis modicum erat tradere fabrice ejusdem nisi quinquè francos. Quoad primum articulum placuit nacioni facere festum, et solempne prandium in festo beati Eadmundi, et ordinaverunt tres provisores videlicet magistros David de Edevy, Johannem de Veen et Andream de Austria. De 2° articulo prorogatum fuit compotum receptoris usque post festum beati Eadmundi. Quantum ad contribuendum fabrice dicte ecclesie placuit nacioni quod traderetur dicte fabrice de pecunia nacionis summa duodecim francorum, sex videlicet nunc, et alios sex in festo Pasche.

De 3° articulo supplicaverunt bidelli quod nacio con[ce]deret eis graciose ut ipsi haberent pro hoc anno dimidium francum de quolibet determinante, et eciam supplicavit Bomundus bidellus major nacionis ut nacio vellet in aliquo subvenire illi, qui fecit forellum pro virga nacionis, considerato quod primo fecit unum forellum et non valuit; et iterum fecit secundum satis competenter, et non fuit solutus nisi pro uno.

Item idem Bomundus monstravit nacioni, (*Fol. 16*) quomodo esset expediens ut fieret quidam liber in pergameno, ubi *scriberentur omnes copie literarum tangencium factum unionis ecclesie missarum Universitati per diversos, et eciam missarum per Universitatem aliis*, et quod ille liber poneretur in archa nacionis et esset cathenata [1].

Quantum ad primam supplicacionem placuit nacioni ut bidelli pro nunc haberent dimidium francum de quolibet determinante, sic quod in tali recepcione hujus anni non vindicarent sibi jus annis futuris. De compositore forellorum placuit nacioni ut sibi traderetur dimidius francus, sic quod non omnino perderet laborem, quamvis indiscrete fecit et in culpa propria.

De 3° videlicet de libro fiendo ubi etc., placuit nacioni quod idem bidellus proponens faceret fieri, et nacio solveret sibi expensas et laborem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem die mercurii XIX[a] die mensis Novembris, anno etc. quo supra, in primis Nostre Domine super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem. Et per nationem concorditer fuit continuatus magister Johannes de Edynburghe.

2[us] articulus fuit super supplicacionibus. Et supplicaverunt duo fratres Minores de provincia Colonie [2] quatenus considerato, ut asserebant, quod duo studentes de provincia illa rigo[ro]se deberent manere in fratribus Minoribus Parisiens. et eciam qualiter gardianus et alii fratres ejusdem conventus molestabant eos ut solverent pecunias contra eorum privilegia, ut alias in Universitate et eciam coram rectore et deputatis fuit tactum : placeret nacioni se cum eis adjungere in isto facto ad id prosequendum coram rectore et deputatis vel Universitate, si opporteret. Placuit nacioni se cum eis adjungere et in isto facto laborare.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud ecclesiam sanctorum Cosme et Damiani in vigilia [3] beati Nicholay immediate post vesperos anno quo

1. *Nescimus an iste liber sit adhuc conservatus. Ex omnibus mss*[tis] *quorum notitia ad nos pervenit, ille cod. in Arch. nat. Paris.*, J. 518, *magis quam alii hic designari videtur, tamen non omnia supra promissa in illo exscripta sunt, nec omnia ibidem contenta ad promissa pertinent, proindeque alius codex quaerendus.*

2. *Primo scriptum erat* Alemannie.

3. 5 *Decembris.*

supra super duobus articulis. Primus erat ad audiendum compotum receptoris et eciam ad audiendum illa que ipse volebat proponere in nacione. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. De primo compotus receptoris fuit protunc dilatus, et monstravit ibidem receptor, quomodo nacio non habuit pecunias ad faciendum amplius distribuciones, et quod avisarent quid vellent ulterius facere in isto casu. Unanimiter per totam nacionem fuit concordatum simpliciter quod de cetero fierent distribuciones ut hactenus est observatum, et supplicaverunt receptori quatenus ipse vellet concedere nacioni pecunias pro distribucionibus faciendis. Et receptor concessit supplicacionem nacionis usque ad valorem XV vel XX francorum, sic quod de prima pecunia futura solveretur.

De 2° supplicaverunt magister Johannes de Austria quatenus nacio vellet sibi tradere deputatos ad audiendum quandam causam inter ipsum et quendam scolarem de nacione, — placuit nacioni sibi dare deputatos —; et magister Hugo Franconis de Leyden pro una litera testimoniali sub sigillo nacionis de suo magisterio Parisius; que supplicacio fuit concessa.

1394

(*Fol. 16* ^{b}) Acta sunt hec in procuratoria Johannis de Veen.

Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo quinto, XXI^a die Decembris facta fuit congregacio nacionis Anglicane super duobus articulis. Primus articulus fuit ad eligendum novum procuratorem. 2us fuit ad audiendum computum receptoris, et super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo electus fuit Johannes de Veen in procuratorem prenominate nacionis. Super 2° conclusum fuit quod protunc non audiretur computus.

1395

Continuacio Johannis de Veen.

Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo quarto, facta congregacione nacionis X^a die mensis Januarii super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad antiquum continuandum. 2us fuit ad audiendam computacionem domini receptoris. Super primo continuatus fuit Johannes de Veen in procuratorem. Super 2° fuit dilatus computus receptoris protunc.

Anno quo supra XII^a die Januarii facta fuit congregacio nacionis Anglicanae super duobus articulis. Primus articulus fuit ad audiendum quasdam literas missas nacioni ex parte domini Johannis de Stralen. 2us fuit super supplicacionibus et injuriis. Super primo lecte fuerunt litere. In eis continebatur quomodo prefatus dominus Johannes de Stralen ultimo in recessu suo a Parysius[1] tradidit quosdam libros nacioni in vadio pro quibusdam pecuniis, quas protunc nacioni debebat; et modo in illis literis supplicavit sibi libros tradi, et ipse paratus fuit ad solvendum et satisfaciendum nacioni. Conclusum fuit per nacionem super illo quod nacio rescriberet sibi remittendo eum ad magistrum Jordanum de Clivis[2], qui illos invadiatos vendidit racione sui officii, quia protunc erat receptor nacionis. Et totum ita fuit factum.

Super 2° articulo nichil, quia nulli erant supplicantes.

Anno quo supra, XXII^a die mensis Januarii, facta congregacione nacionis super duobus articulis. Primus fuit ad ordinandum examinatores mensium. 2us fuit super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo ordinati fuerunt examinatores mensium, et habuimus ad perpotandum viginti et unum solidos, quos statim nacio perpotavit in *sapplet*[4]. Super 2° nichil, quia nullus supplicavit.

1395

(*Fol. 17*) Continuacio Johannis de Veen.

Anno Domini millesimo CCC° nonagesimo quarto, 8^a die Februarii[3] facta congregacione nacionis Anglicane super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us articulus fuit ad audiendum computum receptoris. Super primo articulo conclusum fuit quod Johannes de Veen continuaretur in procuratorem, et electus fuit concorditer per nacionem. Super 2° nichil, quia non fuit auditus compotus receptoris.

Anno quo supra, die XXVI^a ejusdem mensis quo

1. *Post Jun. an.* 1379.
2. *Qui jam ab an.* 1389 *Coloniae professor fuit.*
3. *Supra non mentio fit* Concilii primi Parisiis *celebrati Februarii 2 usque* 18, *cum tamen infra duo* Concilia sequentia, *an.* 1396 *et* 1398 *afferantur. In isto Concilio praelatorum agebatur de* via cessionis *papae. Vid.* Chron. du rel. de S. Denys, *ed.* Bellaguet, II, 218 *sqq.* Martène-Durand, Ampl. coll., VII, p. 458 *sqq.*; p. 437 *exstat instructio pro legatis ad Benedictum XIII mittendis* (*de quibus infra*), *quae exscripta est e cod. in Arch. nat. Paris.*, J. 518, *fol.* 83, *in qua fol.* 97^b (Martène, p. 458) *dicitur* 81 (*leg.* 87) *suffragia fuisse pro via cessionis, contra* 22 *alia. Licet diversi magistri Univers. Paris. illo Concilio astiterunt, nullus tamen e natione Anglicana nominatur. Quae Universitas Paris. suis deputatis injunxerit, vid. Bibl. nat. Par., ms. lat.* 14643, *fol.* 47; Bul., IV, 737 *sqq.*
4. *I. e.* in chappletis, *ut infra legetur.*

supra, facta fuit congregacio nacionis Anglicane super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit Gyrardus Ysbrandi de Delf pro dilacione bursarum in licencia in artibus usque ad mensem May. Et nacio concessit sibi dilacionem usque ad illud tempus, condicione tamen apposita quod poneret vadium valoris in proporcione sexquialtera pecunie pro qua peciit dilacionem.

Isti sunt [1] qui determinaverunt anno Dom. MCCC° nonagesimo quarto secundum stilum gallicanum.

Primo determinavit Rutgherus de Swechia sub magistro Johanne Boutbour, cujus bursa V solidi. Solvit pro scolis XXX solidos.

Item determinavit Jacobus Happart sub magistro Heynrico Arnhem, cujus bursa IIII solidi. Solvit pro scolis XXX solidos.

Item determinavit Symon Johannis sub magistro Johanne Nalinger, cujus bursa II solidi. Solvit pro scolis XX solidos.

Item determinavit Johannes Zeller sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa VII solidi, IIII denarii. Solvit pro scolis XL solidos.

Item determinavit Ghiisbertus Wilhelmi de Amsterdam sub eodem, cujus bursa VII solidi, IIII denarii. Solvit pro scolis XL solidos.

Item determinavit Rodolphus Urwyn de Amsterdam sub eodem, cujus bursa VII solidi, IIII denarii. Solvit pro scolis XL solidos.

Item determinavit Johannes [de] Galencop sub eodem magistro, cujus bursa VII solidi, 4^{or} denarii. Solvit pro scolis XL solidos.

Item determinavit Petrus de Gyesen sub eodem, cujus bursa VII solidi, IIII denarii. Solvit pro scolis XL solidos.

Item determinavit Andreas Glayne sub eodem, cujus bursa VII solidi, IIII denarii. Solvit pro scolis XL solidos.

Item determinavit Johannes de Aemsterdam sub magistro Nycholao de Monekedam, cujus bursa III solidi, IIII denarii.

Item determinavit Johannes de Beesde sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa III solidi, IIII denarii.

Item determinavit dominus Mathyas de Grifemonte sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa VII s.

Item determinavit dominus Alexander de Foulerton sub magistro Heynrico de Arnhem, cujus bursa VII solidi.

Item determinavit dominus Andreas de Leyden sub magistro Johanne Dorp de Leyden, cujus bursa VI solidi.

Item determinavit Johannes Bredenkiins sub magistro Nycholao de Monikendam, cujus bursa IIII solidi, 4^{or} denarii.

Item determinavit Godefridus de Tilia sub magistro Heynrico de Arnhem, cujus bursa VIII solidi.

Item determinavit Theodoricus de Harlem sub magistro Nycholao de Monikendam, cujus bursa IIII albi.

Item determinavit Wilhelmus Simonis sub eodem, cujus bursa IIII albi.

Item determinavit Wilhelmus de Scoenhovia sub magistro.... (*sic*), cujus bursa VI solidi.

1395

[Acta in procuratoria mag. Galteri Forestarii.]

(*Fol. 17*^{b}) Facta congregacione nacionis Anglicane decima die mensis Marcii, anno gracie M° CCC^{mo} nonagesimo V^{to} apud Sanctum Maturinum super 3^{bus} articulis, primo videlicet super electione novi procuratoris, 2° super compoto receptoris audiendo, 3° super supplicacionibus. Super quorum primo electus fuit concorditer per nacionem in procuratorem magister Galterus Forestarii Scotus.

Super 2° placuit nacioni differre compotum receptoris protunc. Super 3° nichil, quia nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis apud Cordigeros immediate post sermonem die dominica, XIIII^{a} die ejusdem mensis Marcii, super duobus articulis. Primo videlicet super facto tangente Gerardum Isebrandi, licenciatum in Sancta Genovefa die electionis procuratoris, quia non fuit repertum in libro procuratoris quod nacioni satisfecerat aut de bursis et aliis jurandis in licencia nacioni juraverat, super quo dictus Gerardus vocatus dixit, se jurasse magistro Johanni Veen procuratori, predecessori meo, et receptori satisfecisse super bursis, antequam fuerat licenciatus, nec ipsum fuisse in culpa, si illa in registro non habebantur. Super quibus nacio avisata deliberavit, quia receptor tunc presens asseruit, sibi fuisse nomine nacionis satisfactum ac recepisse cedulam sub sigillo procuratorie super taxacione

1. *Rubrica exstat in margine superiori folii.*

bursarum, et aliis jurandis, quod dictus Gerardus non fuit in culpa. Sed quare ipsum procurator non registravit, ignorabatur. Deliberavit nacio propter hoc, quod magister Johannes Veen, qui protunc fuit procurator, ad procuratorem veniret, et si fateatur Gerardum predictum jurasse, quod ipse eum inscriberet, prout consuetum fuit inscribere licenciandos in artibus temporibus retroactis.

Secundus articulus fuit super supplicacionibus, de quo nichil fuit, quia nullus supplicavit.

Licenciatus fuit Matheus de Geddes Scotus sub magistro Johanne Dorp, cujus bursa V solidi.

Licenciatus fuit Andreas de Leiden sub magistro Johanne Dorp, cujus bursa VI solidi.

Licenciatus fuit Johannes de Zuutfania sub magistro Henrico de Arnhem, cujus bursa XVI denarii.

Licenciatus fuit Wilhelmus Blok sub magistro Egidio Jutfaes, cujus bursa V solidi.

(*Fol. 18*) Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum in secunda hora post prandium, die martis XVIª die Marcii, super uno articulo, videlicet super supplicacionibus, que tangebant bachelarios in crastino licenciandos, venit dominus Gerardus Domherre, et supplicavit super duobus. Primo pro eo quod non erat bachelarius Parisius, sed in Tolosa, ubi erat studium approbatum, ut ipse hic tanquam bachelarius reciperetur. Secundo quod tam super bursis solvendis pro bachelariatu, quam pro scolis, tam pro bursis solvendis in licencia, quam in incepcione, quia pauper erat protunc, nec pecuniam in promptu habuit, ut juravit, vellet secum usque ad tempus nacio dispensare. Super quibus nacio avisata deliberavit, primo quia juravit se fuisse bachelarium in studio approbato, ubi fuerant XII magistri regentes etc., quod hic pro bachelario haberetur, solvendo que per proprios bachelarios solvi sunt consueta. Super secundo deliberatum, attento statu suo, quod super bursis et aliis solvendis, tam pro bachelariatu quam licencia et incepcione, bene vellent usque festum sancti Mathei proxime futurum dispensare, dummodo vadia sufficencia poneret in manibus receptoris, ac taliter sibi satisfaceret quod receptor inde nacioni vellet ad tunc respondere. Et sic transivit.

Licenciatus fuit Gerardus Domher, alias de Lucembourch, sub magistro Egidio Jutfaes, cujus bursa II solidi.

Matheus de Geddes Scotus incepit sub magistro Johanne de Dorp, cujus bursa V solidi.

Andreas de Leiden incepit sub eodem, cujus bursa VI solidi.

Jacobus Ryngyngher de Ulma[1] subdeterminavit sub magistro Johanne Nallyngher pro magistro Andrea de Leiden, cujus bursa nichil.

Henricus de Loffynberghe subdeterminans Andree Glayne sub magistro Johanne Nallynger, cujus bursa nichil.

In congregacione facultatis facta apud Sanctum Julianum XVIIIª die Marcii, ad deliberacionem nacionis supplicavi pro clavibus scolarum nostrarum in vico Straminis pro eo, quod non bene custodiebantur; et si placeret aliis nacionibus committere custodiam omnium scolarum Willelmo.... (*sic*) subbedello nostre nacionis, credidimus quod bene et ad commodum omnium nacionum scolas custodiret, debitis temporibus clauderet et aperiret. Super quibus facultas supplicacioni nostre annuens propter defectus consimiles per nacionem nostram pretensos, custodem antiquum deponentes, dicto Willelmo subbedello nostro omnium nacionum scolas et custodiam ipsarum concorditer concesserunt.

Eodem tempore facta congregacione nacionis super examinacione subdeterminancium et eorum juramentis, supplicantibus aliquibus concessit nacio, quod subdeterminantes examinarentur et jurarent et admitterentur.

Henricus de Colonia subdeterminans Mathie de Grifemonte sub magistro Johanne Bomber, cujus bursa nichil.

(*Fol. 18 b*) Licenciatus fuit Henricus de Berghe sub magistro Egidio Jutfaes, cujus bursa V solidi.

Incepit dominus Johannes de Zuutphania sub magistro Henrico de Arnhem, cujus bursa XVI denarii.

Incepit Willelmus Blok sub magistro Henrico de Arnhem, cujus bursa V solidi.

Incepit Henricus de Berghe sub magistro Henrico de Arnhem, cujus bursa V solidi.

Incepit Gerardus Domhere sub magistro Henrico de Arnhem, cujus bursa II solidi.

Incepit Gerardus Ysebrandi sub magistro Johanne Veen, cujus bursa II solidi.

Licenciatus fuit Andreas Glayne sub magistro Egidio Jutfaes, cujus bursa VII solidi, II denarii.

1. *Qui an. praeterito in Universitate Heidelbergensi intitulatus erat. Vid.* Toepke, Die Matrikel d. Univers. Heidelberg, I, 56, *ut* Johannes Nallinger *an.* 1408. *Vid. ibid.* p. 108.

1395

Acta [1] in procuratoria Johannis de Clermont.

Facta congregacione nacionis Anglicane in Sancto Maturino ad eligendum procuratorem, fuit electus magister Johannes de Claromonte anno Domini M. CCC [nonagesimo quinto, mense Aprilis].

Licenciatus fuit Robertus Gile sub magistro Laurencio de Londoris, cujus bursa V solidi.

Licenciatus fuit Guillelmus de Scoenhovia sub magistro Egidio Utfaes, cujus bursa VI solidi.

Licenciatus fuit Alexander de Foulerton sub magistro Laurencio de Londoris, cujus bursa VII s.

Indicta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XVIIª die mensis Aprilis ad recipiendum aliqua negocia nacionis a bedello Beumondo, tradidit bedellus in manu procuratoris virgam magnam nacionis, Missale nacionis, officium sancti Edmundi, literas quasdam de scolis *septem arcium*, cappam et clavem arche, que est apud Sanctum Cosmam.

Item tetigi in eadem congregacione ut magistri novi solverent francos suos pro prima procuratoria. Et deliberatum fuit ut in crastino solverent.

Indicta congregacione nacionis Anglicane XVIIIª die mensis Aprilis fuit deliberatum, ut copia epistole Universitatis regi directa poneretur in archa nacionis [2]. Et ita factum fuit una cum litera loquente de proprietate scolarum *VII*^{tem} *arcium*. Et eadem die solverunt sex magistri sex francos pro prima procuratoria eorum, scilicet... (*sic*)

Licenciatus est dominus Andreas de Friburgo sub magistro Johanne Drop [3], cujus bursa VII sol.

Licenciatus est Petrus Pinonis sub magistro Theodorico de Delft [4], cujus bursa II solidi cum dimidio.

Licenciatus est Mathias de Grifemonte sub magistro Egideo Jutfaes, cujus bursa VII solidi.

Licenciatus est dominus Johannes Barberii sub magistro Egideo Jutfaes, cujus bursa VII solidi.

(*Fol. 19*) Incepit dominus Andreas de Friburgo sub magistro Theodrico de Delft, cujus bursa VII solidi.

Incepit dominus Petrus Pinonis sub magistro Theodrico de Delft, cujus bursa II solidi cum dimidio.

Incepit dominus Willelmus de Schoenhovia sub magistro Henrico de Harnem, cujus bursa VI sol.

Licenciatus est dominus Willelmus de Montfordia sub Egideo Jutfaes, cujus bursa IIII^{or} solidi.

Indi[c]ta congregacione Universitatis IXª die Maii in Sancto Maturino facta fuit et congregacio nacionis super facto collegii de Dacia. Et protunc supplicavi nomine nacionis in Universitate, ut de cetero non fierent reparaciones in domo Dacie nisi perprius locus, in quo habeant fieri, visitetur per deputatos Universitatis, an tales sint necessarie. Et protunc fuit factum mandatum bedello ut illis de collegio Laudunensi inhiberetur ne de cetero in illa domo faciant reparaciones, loco non viso per deputatos. Et concessa supplicacio, sicut fuerat perprius in alia congregacione Universitatis [5] concessa de compoto reddendo coram deputatis Universitatis.

Licenciatus est dominus Albertus Bars sub magistro Johanne Vein, cujus bursa IIII^{or} albos.

Incepit dominus Albertus Bars sub magistro Egideo Utfaes, cujus bursa IIII^{or} albos.

Incepit Willelmus de Montfordia sub magistro Egideo Utfaes, cujus bursa IIII^{or} solidi.

Facta [6] congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXVIª die Maii super tribus articulis. Primus de domo Dacie. Super quo deliberabatur quod domus visitaretur per juratos quoad reparaciones factas, et hoc facto requireretur rector ut deputatos datos pro compoto domus Dacie audiendo vocaret, qui dictum compotum visitarent et ubi [7] esset transibilis transiret, et in aliis redargueretur.

Item quod levaretur instrumentum super supplicacione nacionis concessa, ut de cetero nulle in dicta domo fierent reparaciones, nisi loco visitato per deputatos Universitatis, an necessarie essent in illa reparaciones.

Super 2° articulo de compoto receptoris. Et fuerant dati deputati in quorum presencia computavit, et summa in qua tenebatur nacioni ultra sua exposita, scripta est in suo libro per manum magistri Galteri Scoti. Super 3° articulo de solucione novorum magistrorum fuit deliberatum, quod ipsi solverent quilibet francum pro nova procuratoria, et quod magistri simul in prandio convenirent. Et tres erant prompti solvere, et sic fuit conclusum.

1. *Rubrica in ms*^{te} *exstat post* MCCC.
2. *Epistola an.* 1394, *Jun.* 6 *de tribus viis.*
3. *Qui supra vocatur* Dorp.
4. *Ms.* Deleft.
5. *Ms. iterat* fuerat.
6. *In margine* nota de domo Dacie.
7. *Ms.* ibi.

1395

In procuratoria H[enrici] de Arnhem.

Indicta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum per procuratorem super duobus articulis, anno quo supra in Junio die... (*sic*). Primus articulus fuit ad eligendum procuratorem, et ad audiendum computum domini receptoris. Et electus fuit H[enricus] de Arnhem in procuratorem concorditer. Et computus fuit dilatus.

2us articulus erat ad supplicandum. Et nullus supplicavit. Et de debentibus solvere novis, quod solverent et vocarentur per sua juramenta.

Incepit dominus Alexander de Foulerton Scotus sub magistro Laurencio de Londoris, cujus bursa VII solidi.

Incepit dominus Johannes Barberii Scotus sub magistro Egidio Jutfacs, cujus bursa VII solidi.

(*Fol. 19* ^b^) Incepit Mathias de Grifimonte, provisor provincie Alemannie, sub magistro Egidio de Jutfacs, cujus bursa VII solidi. In Junio [1].

Incepit dominus Robertus Gile sub magistro Laurencio de Londoris, cujus bursa V solidi [2].

Altera [die][3] post Johannis Baptiste in Junio indicta congregacione generali nacionis in Sancto Maturino ex voluntate previa magistrorum alterius congregacionis et concilio quorundam ad graciose aliquam quotam pecunie dandam magistro Johanni [Mullechner] de Austria, misso ad curiam cum legatis Universitatis ex parte nacionis super facto unionis ecclesie per juramentum. Et proposito articulo, qui erat secundus illius congregacionis cum coloribus et motivis, erat conclusum concorditer quod nacio graciose aliquam quotam sibi ministraret et daret propter diversas causas ibidem tactas.

Et primus articulus erat de domo Dacie ad procedendum ulterius. De quo propositum erat quod alias dati fuerunt deputati Universitatis ad computandum de reparacionibus factis per magistrum Gerardum de Versengi [4] de collegio Laudunensi alias pro domo Dacie, qui computus auditus fuit et ordinatum quod taxarentur reparaciones, que taxari per juratos non poterant propter diuturnitatem temporis transacti post reparacionem; tamen plurima computavit, que non erant computanda. Quare nacio deliberavit quod iterum fieret requesta in congregacione Universitatis ad habendum aliquos, coram quibus computaret, et quod haberent discernere utrum computus suus esset transibilis vel non, et in quibus sic et in quibus non. Tercius articulus erat super supplicacionibus, et nullus supplicavit.

(*Fol. 20*) Deinde IIII^a^ Julii indicta congregacione ad Sanctum Maturinum per juramentum super duobus articulis post sermonem [5]. Primus articulus ad ordinandum de quota tradenda magistro Johanni de Austria, nuncio pro facto unionis ecclesie. Secundus super supplicacionibus. De secundo nichil deliberabatur, quia nullus supplicavit. De primo, tactis racionibus pro et contra, finaliter concorditer hoc [6] nemine contradicente ordinatum fuit, quod magister Johannes de Austria ex parte nacionis graciose haberet et daretur sibi summa XX francorum, adjecta tamen tali condicione, quod si non maneret ultra terminum previum sue legacionis, scilicet tres menses, quod solum haberet decem, et sic haberet X restituere; si vero ultra, haberet XX. Qua conclusione habita procurator omnibus et singulis magistris regraciabatur nomine magistri Johannis de Austria.

Deinde post prandium dictus procurator nacionis a receptore recepit XVI francos mittendos magistro Johanni predicto in presencia magistri Johannis Gray et Andree de Bavaria (quia dixit quod magister Johannes tenebatur sibi in IIII^or^ coronis francie), que pecunia tradita est postea magistro Galtero Scoto in presencia predictorum duorum et procuratoris pro tradendo lombardis ad rehabendum in Avinione.

Deinde septima Julii ex requisicione domini receptoris ad relacionem subbedelli ex certis causis, indicta est congregacio in nonis Nostre Domine super duobus articulis. Primus, quia pars tecti de domo *ad cornu cervi* cecidit, et inhabitans recedere voluit, ut relatum erat per subbedellum, ut super hoc provideretur. Secundus articulus ad supplicandum etc. De 2° nichil. Quoad primum, quia nullus venerat adhuc preter procuratorem, receptorem et magistrum Johannem de Angusia, ideo ipsi tres iverunt

1. *Postea spatium dimidiae paginae vacuum.*
2. *Haec inceptio in ms^to^ hic scribitur, sed signum in margine indicat, eam post* p. 706, 7 *rejiciendam.*
3. 26 *Junii. Post Pascha* (11 *Aprilis*) *duces Bituriae, Burgundiae et Aurelian. Avenionem ad Benedictum XIII profecti sunt, missi a rege Franciae ut tractarent de via cessionis. Eis se adjunxerunt nuntii Universitatis, inter quos* Johannes Luqueti, *mag. theol.*, *et* Johannes Mullinger de Austria. 21 *Maii tantum Villamnovam attigerunt. Vid. praeterea* Chron. du rel. de St-Denys, *ed.* Bellaguet, II, p. 248 *sqq.*; Jarry, La vie politique de Louis de France, duc d'Orléans, p. 132.
4. *I.e.* Versigni.
5. *Quia dies dominica fuit.*
6. *Ms. add.* est.

ad domum *de cornu cervi*, et habentes carpentatorem visitari fecerunt fracta et reparanda, et factis hinc inde diversis allocucionibus et avisatis negociis, exegit finaliter pro reparacione omnium ad suum opus XXXVIII francos, et exhibita fuerunt solum XXXII. Et postea isti tres regressi ad Sanctum Maturinum, ubi erat congregacio indicta, scilicet procurator, [de] Angusia, et receptor, reperierunt magistros multos, et ipsis ibidem simul existentibus procurator fecit relacionem. Qua facta et propositis articulis ordinatum erat quod essent deputati, scilicet de Angusia et de Claromonte una cum procuratore ad diligencius investigandum cum aliis procuratoribus. Et ita factum est, quod postea eadem die predictus carpentator ordinavit cedulam, quam tradidit receptori, qui eam misit procuratori, qui procurator transiens ad domum *cornu cervi* misit pro carpentatoribus aliis, et quia non potuit habere magistrum Johannem de Angusia nec magistrum Johannem de Claromonte, recepit magistrum Thomam de Foresta, et simul accesserunt ad domum. Et ibidem reperierunt dominum abbatem inhabitatorem. Simul ascenderunt superius ad tectum, et breviter carpentator principalis peciit XXXVI francos. Et finaliter procuratori et alii apparuit quod primus carpentator erat recipiendus, non obstante quod voluit habere plus de duobus francis. Et igitur postea receptus est, et magister Egidius concedit pecunias aliquas cum illis quas tenetur abbas inhabitator domus. Sed nacio promisit magistrum Egidium tenere indempnem, sic scilicet quod reciperet tam de illa domo, et de alia que est in vico Brunelli usque ad summam quam expositurus esset. Et hec promissio facta est die XV^a Julii in Sancto Maturino, ubi tunc erat indicta congregacio nacionis ad audiendum litteras missas per magistrum Johannem de Austria super facto unionis ecclesie. Et quia in illis litteris non erat aliquid, quin credebatur magis esse in litteris Universitatis, super quibus in die sequenti debebat esse congregacio : ideo nacio nichil super illis deliberavit, expectans lecturam litterarum Universitatis.

(*Fol. 20* ^b) Prima Augusti in die sancti Petri, indicta congregacione Universitatis apud Sanctum Bernardum, et erat articulus ad nominandos suspectos in materia unionis ecclesie per relacionem nunciorum Universitatis missorum ad Avinionem. Et nominati fuerunt sex, quorum unus scilicet dominus Aniciensis [1] intendebat se excusare. Et procurator reddendo deliberacionem nacionis in facultate requisitus per duos magistros, quatenus diceret utrum haberetur dominus Aniciensis suspectus, et utrum ipse de cetero deberet intrare congregacionem : dominus procurator respondit, quod nesciebat se habere hoc per nacionem. Et rector requisivit procuratorem per juramentum, quatenus super hiis faceret congregacionem in nonis. Respondit procurator quod libenter faceret. Et postea procurator locutus est cum domino rectore dicendo, quomodo conveniencius esset pro die sequenti de mane. Et domino rectori placuit.

Quare in die sequenti indicta erat congregacio apud Sanctum Maturinum, et ibidem propositis illis articulis, superaddebatur alius, ad quem eciam indicta erat congregacio, videlicet quia dominus receptor multas pecunias exposuit pro reparacione domus *ad cornu cervi*, et adhuc oporteret plures exponere, quod nacio provideret. Super isto ultimo deliberatum erat quod dominus receptor exponeret et quidquid exponeret, nacio redderet eum indempnem et plenarie vellet sibi in omnibus satisfacere.

De aliis autem duobus punctis deliberabatur quod ipse [2] non haberetur excusatus, sed suspectus adhuc in illa materia unionis ecclesie. Item quod non intraret de cetero congregacionem Universitatis, et specialiter quando tractaretur de ista materia. Aliquibus dicentibus, quod in die precedenti nichil dixerunt in congregacione nacionis; aliis quod non expectaverunt finem; aliis quod deliberaverunt quod haberetur suspectus et quod non intraret, etc.; aliis multis eciam dicentibus quod non erant in die precedenti apud Sanctum Bernardum. Ex quibus procurator conclusit illa, super quibus dominus rector per suum juramentum eum requisivit, videlicet ista : scilicet *quod dominus Aniciensis haberetur per nacionem suspectus; secundo quod de cetero non intraret congregacionem*, etc. Quibus duabus conclusionibus habitis duo magistri requisiverunt, quod eciam concluderetur per procuratorem, quod illa erat deli-

1. Petrus de Ailliaco *designatur, qui dum esset cancellarius Paris., an.* 1395, *April.* 2, *a Benedicto XIII factus est episc. Aniciens.* (*vid.* Chartul.. III, p. 259, *not.* 33). *An. eodem, Febr.* 1, *in publico conventu Paris., id est in principio* primi Concilii Paris. *sermonem protulit, in quo juxta Universitatis sententiam* viam cessionis *duorum paparum ut breviorem et lucidiorem proponebat* (*vid.* Chron. du rel. de St-Denys, II, 224). *Mox tamen Avenione cum Benedicto XIII* (*ad quem praeterea rotulum pro an.* 1, *id. Decemb. signatum, in quo etiam* Nicolaus de Clamengis — *vid.* Chartul. IV — *destinavit*) *commoratus contra viam cessionis, proindeque contra intentionem Universitatis laboravit, et ex parte Benedicti diu stetit. Universitas eum pro suspecto habebat, idemque ille, qui ante aliquos annos cancellarium Blanchart ab Universitate expulerat, ut homo ambiguae fidei* (*ut, non diu afuit, an.* 1406) *e senatu Universitatis ejectus est.*

2. Petrus de Ailliaco.

beracio diei precedentis. Respondi quod super hoc non induxi specialiter.

Deinde procurator ivit ad dominum rectorem, qui erat cum deputatis in domo capitulari, dicendo : « domine rector, has duas conclusiones vobis dico ex deliberacione nacionis, videlicet, » etc. Et ibidem quidam magister fortiter clamando asseruit, quod eciam terciam debebat procurator superaddere. Et procurator respondit quod super illis non induxit.

Item in prima die Augusti fuit congregacio nacionis de domo *ad cornu cervi*, sed nichil fuit tactum. Item tunc[1] magister Johannes de Austria regraciabatur nacioni et suppositis ejusdem de curialitate graciose sibi facta per nacionem, scilicet de XX francis. Et ibidem ostendit quomodo fuit ultra tempus prefixum ab Universitate, scilicet ultra tres menses.

(*Fol. 21*) Incepit dominus Guillelmus Sybald sub magistro Laurencio Londoris[2] cujus bursa VI s.

1395

Acta in procuratoria magistri Theoderici de Scyedam.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum hora primarum, die jovis XXVI^a^ die mensis Augusti anno Domini M° CCC° nonagesimo V^to^, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem. 2us super supplicacionibus et injuriis. Super primo electus fuit a majori parte nacionis magister Theodericus de Scyedam in procuratorem.

Die dominica sequente[3] facta erat congregacio nacionis super II articulis. Primus ad aguandum[4] magistrum Egidium de Jutfaes de hoc quod tantas exposuit pecunias pro domo *de cornu cervi*, et eciam ut nacio promitteret sibi de pecunia exponenda. Aguatus fuit et nacio sibi promisit satisfacere cicius quo nacioni pecunie advenirent.

Item die septima mensis Septembris facta erat congregacio nacionis super II articulis. Primus ad audiendum quendam advocatum, qui voluit loqui super facto domus de Dacia et qui in illa manebat, sicut intimatum fuit procuratori. Et 2us fuit super supplicacionibus. De primo nacio dedit deputatos coram quibus ipse haberet dicere illud quod vellet. De 2° nichil.

In festo[5] sancti Mathei facta erat congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus ad eligendum novum receptorem vel ad continuandum precedentem, et ad distribuendum scolas. 2us articulus super supplicacionibus. Et supplicaverunt illi qui voluerunt legere pro scolis. De primo continuatus fuit magister Egidius de Jutfaes in receptorem nacionis.

Super 2° puncto dicta fuerunt tria. Primum quod illi qui habuerunt scolas anno precedenti, resignarent ipsas in manibus nacionis ; secundum quod ipsi haberent jurare quod ipsi essent intencionis protunc legendi pro majori parte ordinarii magni; 3um quod illi qui vellent habere scolas pro anno futuro, haberent ponere fidejussionem de persolvendo scolas, si ipsi non regerent per majorem partem ordinarii.

1395

(*Fol. 21^b^*) Acta in procuratoria Nicolay de Gameren.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum anno Domini M° CCC° XCV°, mensis Septembris XXIII^a^ die, super duobus articulis. Primus ad eligendum procuratorem nacionis, 2us super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus fuit concorditer in procuratorem predicte nacionis Nicolaus de Gameren. Quoad 2^m^ nullus supplicavit.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XXVII^a^ die mensis Septembris, congregata fuit nacio super duobus articulis. Primus ad providendum ne ipsa redderetur dampnificata per distribucionem scolarum ipso die sancti Mathei distributarum. Tempore enim distribucionis scolarum magister Henyricus de Arnhem pro quodam magistro absente et protunc ut credebamus in partibus existente, scilicet magistro Nycolao de Monckedam, supplicavit nacioni quatinus illi magistro scolas distribueret. Super quo puncto nacio tunc deliberavit sicud patet ex scriptis per procuratorem[6], videlicet quod ipse prefatus magister et omnes alii haberent scolas, dummodo ponerent nacioni sufficientem caucionem de legendo per majorem partem ordinarii magni. Post hoc per aliquos dies dictum

1. *Ex hoc apparet, nuntios jam ante* 1 *Augusti Parisios rediisse* (*ut* Jarry, La vie politique de Louis de France, duc d'Orléans, p. 133 *recte asseruit*), *non multo tamen tempore ante* 1 *Aug., cum plus quam tres menses absentes fuissent, scil. per* 102 *dies, et Parisios post April.* 11 *reliquissent.*

2. *Ms. man. prima* Londonis.

3. 29 *Augusti.*

4. Aguare (*quod verbum apud* Ducange-Henschel *deest*), *idem est ac* avoare, *recognoscere, habere gratum. Vid. l. c.* I, p. 495.

5. 21 *Septembris. — Ms. man. prima* profesto.

6. *Vid. supra, lin.* 11.

fuit michi procuratori per unum m[agistrum] nacionis, quod magister Heynricus de Arnhem non intenderet fidejubere pro illo magistro absente, sicud eciam apparuit in presenti congregacione ubi dicebat, quod non fidejuberet pro eo, quia sibi non supplicaverat tempore sui recessus, sed dicebat quod bene vellet quod nacio expectaret adhuc ab illo tempore usque ad festum Remigii, antequam de isto aliquid ordinaret. Quapropter nacionem consului et convocavi ut super isto ordinaret taliter, quod seipsam in hoc indempnem preservaret. 2us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Supplicavit quidam Scotus, vocatus magister Robertus, pro scolis quia dicebat, quod pro isto anno intenderet regere, nesciens [1] nacionem alias super illo fuisse congregatam.

Super primo articulo nacio de hoc stetit in alias deliberatis, videlicet quod nullus haberet scolas a nacione, nisi caucionem fidedignam poneret secundum formam in talibus consuetam. Et sic, quia magister Heynricus prefatus illam prestare pro predicto magistro absente recusabat, ideo nacio sibi nomine illius magistri absentis scolas non distribuit. Super 2° articulo ministravit illi magistro Roberto scolas, presupposita caucione ut supra, etc.

Fecit fiduciam procuratori nomine nacionis magister Theodericus de Delft pro magistro Petro Piin de scolis sibi per nacionem distributis, videlicet in casu quo prefatus magister Petrus non regeret pro majori parte ordinarii magni, tunc de locacione scolarum nacionem indempnem preservaret.

Item fecit fiduciam magister Wilelmus de Montfordia pro magistro Johanne de Zwtfania de scolis sibi per nacionem distributis secundum formam prius expressam.

Item fecit fiduciam magister Gwalterus de Foresta pro magistro Roberto... (*sic*) de scolis sibi per nacionem locatis forma qua supra.

1395

[Acta in procuratoria magistri Frederici Pritzwalk.]

(*Fol.* 22) Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Julianum anno Domini M° CCCmo XCV°, mensis Octobris XXIa die, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem nacionis predicte; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus fuit concorditer in procuratorem predicte nacionis Fredericus de Pritzwalk. Quoad 2m nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine anno Domini quo supra, IIIIa die mensis Novembris, super duobus articulis, quorum primus erat ad dandum deputatos qui visitarent quandam cedulam michi procuratori presentatam, in qua continebantur exposita per magistrum Gherardum de Versigny et per inhabitatorem domus Dacie pro reparacionibus factis in eadem domo. 2us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit magister Nicolaus de Monckedam, quatinus nacio sibi provideret de scolis in quibus regere posset per istum annum. Item supplicavit magister Gherardus [Kalant] pro scolis; unde dixit quod in congregacione nacionis facta super distribucionibus scolarum magistris nacionis, ipse se presentavit et admissus erat cum aliis, sed propter infirmitatem que eum prevenit non poterat dare fidejussores quando alii dabant, ideo supplicavit quod haberetur excusatus et quod sibi provideretur de solucione scolarum in quibus legeret sicud et aliis.

Super primo articulo nacio dedit deputatos, scilicet magistrum Johannem de Claromonte et alios, quos procurator ad hoc vocare vellet. Super secundo supplicacio magistri Nicolai concessa erat isto modo, quod ipse sibi provideret de scolis in vico si posset, quia presumpcio erat quod aliqui lecturas suas dimitterent et nacio pro eis satisfaceret. Supplicacio vero magistri Gherardi non erat admissa, quia magistri informati erant quod predictus magister Gherardus legeret in domo sua, et sic non oportuit eum solvere pro scolis.

Facta congregacione nacionis Anglicane in nonis Nostre Domine Va die mensis Novembris in Sancto Maturino super duobus articulis, quorum primus erat ad providendum super facto magistri Johannis de Moravia. Unde significatum erat michi procuratori per aliquos magistros nacionis predicte, quod sequenti die debebant presentari bachalarii in theologia pro licencia optinenda, inter quos ut credebatur magister Johannes de Moravia erat unus. Significatum eciam erat michi quod aliqui procuratores aliarum nacionum a suis nacionibus querebant quod requirerent rectorem [2], ut poneret impedimentum ne predictus magister Johannes de Moravia ad licenciam

1. *Ms. add. hic.* dicebat.

2. *Qui tunc fuit* Galterus Forestarii, *nat. Anglic., ab Octob.* 10 *ad Decemb.* 16.

admitteretur, *quia ipse suspectus erat ab Universitate in facto unionis ecclesie, et eciam quod laborasset contra intencionem Universitatis in eodem facto, scilicet contra viam cessionis utriusque parcium contendencium.* Quapropter ego volui consulere nacionem an ego ut procurator nacionis adjungere deberem me aliis procuratoribus ad requirendum rectorem super eodem facto vel non. Secundus articulus erat super supplicacionibus. Et antequam ego processi ad primum articulum et ejus expedicionem, supervenit magister Johannes de M[oravia] et intendebat supplicare in nacione, ut michi significatum erat. Et ita fecit. Supplicavit enim post multa dicta per eum super facto, de quo suspectus erat, quod nacio sibi vellet esse favorabilis et sibi assistere in defensione innocencie sue super hiis que contra eum dicebantur, et eum juvare, ut isti qui eum sic denunctiaverunt punirentur. Quo facto supervenit Boymundus bedellus nacionis prefate precipiens michi ut procuratori, ne aliquid in deliberacione nacionis ponerem de facto magistrorum ab Universitate suspectorum. Quibus factis magister Johannes de Moravia requisitus a me recessit. Post recessum suum dimissa sua supplicacione processi ad expedicionem primi articuli, et super isto habui quod non debebam me adjungere aliis procuratoribus ad faciendum rectori illam requiestam. Et quamvis in deliberacionibus magistrorum plures deliberassent de supplicacione magistri Johannis de Moravia, tamen attenta deliberacione Universitatis, que michi significata erat a domino rectore per bedellum prefatum, super ea nichil concludere volui [1].

1395

[Continuacio mag. Frederici de Pritzwalk.]

(*Fol.* 22 b) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum hora primarum, XIXa die mensis Novembris, super quatuor articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem; secundus erat ad audiendum compotum domini receptoris, tertius erat ad ordinandum sollempne prandium in festo beati Eadmundi, ut moris est, si placeret, et eciam ad ordinandum provisores illius festi; quartus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et in illo articulo supplicavit magister Johannes Dorp, quatinus nacioni placeret quod aliqui scolares sub eo determinare possent, non obstante quod non erat actu regens in facultate arcium. 2° supplicaverunt bedelli nacionis, quatenus nacio eis concedere vellet, quod de quolibet determinante illius anni capere possent dimidium francum.

Super primo articulo continuatus erat concorditer magister Fridericus de Pritzwalk. Super 2° dilatus fuit compotus receptoris. Super 3° consideraverunt magistri nacionis, quod nacio non habebat promptas pecunias. Quapropter ordinavit nacio quod a domino rectore, scilicet magistro Galtero Forestarii, vel a magistro Johanne de Edenburc concederentur ex parte nacionis XII franci, et quod dominus receptor, scilicet magister Egidius de Jutfaes, se obligaret ad reddendum illos infra quindecim dies vel tres septimanas, sicut ipse optulit facere. Item juxta hoc elegerunt provisores ad providendum in isto festo, scilicet magistrum Johannem de Mayenberck, magistrum Laurencium Scotum et magistrum Johannem Bonrode [2]. Volebant insuper quod quidam magistri cum bedello irent ad magistrum Henricum de Sancta Katherina [3] ad supplicandum sibi, quatinus interesset festo nostro, et eciam quod vellet facere servicium in ecclesia, scilicet celebrare missam etc. Voluerunt eciam quod magister Johannes de Almannia [4] de domo Augustinens. vocaretur ad festum illud.

Super 4° articulo admissa erat supplicacio magistri Johannis Dorp, si et in quantum nacio eam admittere potuit. Super supplicacione bedellorum concessa erat eorum supplicacio, sic tamen quod non traheretur ad consequenciam.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput ecclesiam Beatorum Cosme et Damiani in vigilia [5] sancti Eadmundi post vesperas super duobus articulis. Primus erat quia significatum erat michi per aliquos magistros nacionis, quod Anglici, scilicet archiepiscopus Dunelmensis [6] et episcopus de

1. *Sed ejus nomen non legitur in* Catal. licent. *fac. theol. Vid. de ipso supra* p. 687, *not.* 1.

2. *Qui postea in Universitate Andegavensi studuit et ambassiator Universitatis ad Concilium Constantiense fuit* (*vid.* Denifle, Les Universités françaises, p. 17). *An.* 1419 *intitulatus in Universitate Rostakcensi* (Hofmeister, Matrikel, p. 1); *an.* 1446 *intitulatus est in Universitate Colon.* (*Vid.* Keussen, Die Matrikel der Universität Köln, I, 374), *ubi* dioec. Bremens.

3. *I. e.* monasterii S. Catherinae, Vallisscholarium. *Ex quo concludendum, Henricum, licent. in theol. an.* 1381, *non fuisse de* Cremona, *ut in mss*tis *legitur* (*in mss*tis *saepe* Cremonia, Cremona, *etc.*), *sed de* Tremonia, *nam sine dubia magistri ipsum invitaverant, quia eorum popularis erat. Sic etiam infra ad an.* 1398, *Nov.* 18.

4. Johannes de Huxaria (Höxter, *dioec. Paderb.*), *seu* Usaria (*vid.* Chartul., III, 399, *not.* 38), *qui tunc prior Augustin. Paris. fuit, et an.* 1388 *in theol. licentiatus est.*

5. 20 *Novembris.*

6. *Ms.* Dulmen. *At episcopus Dunelmensis non fuit archiepiscopus. Tunc* Walterus Skirlawe, *ab an.* 1388.

Sancto David[1] et aliqui principes seculares[2] erant Parisius, et quod expediens esset quod aliqui de nacione eos visitarent ad intimandum et notificandum eis, quomodo nacio Anglicana Parisius consuevit omni anno celebrare sollempniter festum beati Eadmundi regis Anglie et martiris, et ad supplicandum eis quod huic festo interessent, si possent, ob reverenciam Dei, beati Eadmundi et nacionis. Quapropter ego feci congregacionem nacionis ad consulendum nacionem utrum expediret adire illos Anglicos et eis intimare illud festum et eciam supplicare modo tacto. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo placuit nacioni quod Anglici adirentur et eis intimaretur illa festivitas modo dicto. Et ad hoc faciendum deputaverunt magistrum Johannem de Claromonte, qui cum procuratore et aliis magistris, quos procurator ad hoc vocare vellet, illos Anglicos adirent. Super secundo articulo, quia nullus erat supplicans, nichil.

1395

(*Fol. 23*) Acta in procuratoria Johannis de Veen.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum anno Domini M^mo CCC° XCV°, VII^a die mensis Decembris, super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem nacionis predicte. 2us fuit ad audiendum computum domini receptoris, si expediret. 3us fuit super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo electus fuit concorditer in procuratorem dicte nacionis Johannes de Veen. Super 2° articulo non videbatur nacioni necesse computare; quare protunc supersedebat nacio. De 3° articulo nichil quia nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini quo supra, ultima die mensis Decembris super duobus articulis. Primus fuit ad avisandum seu videndum utrum nacio concederet domino rectori protunc existenti nomine Universitatis quinque scuta ad mittendum unum clientem regentem ex parte Universitatis ad Avinionem post unum, qui deportavit quendam rotulum ex parte aliquorum scolarium bacalariorum et eciam licenciatorum ad papam, ut ab eo signaretur; qui cliens habebat illum rotulum et eciam ductorem rotuli si posset impedire, ne sortirentur effectum, et eciam eos Parysius reducere. 2us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum nacio voluit concedere quinque scuta, si et in quantum alie naciones concederent. Sed alie naciones concesserunt; quare receptor nacionis eciam concessit predicta quinque scuta. Super 2° nichil, quia nullus supplicavit[3].

1396

Continuacio Johannis de Veen.

Facta congregacione apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCC° XCVI° die decima mensis Januarii super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem. 2us fuit ad audiendum computum receptoris. 3us fuit super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo continuatus et electus fuit concorditer Johannes de Veen in procuratorem dicte nacionis. Super 2° et 3° articulis nichil factum fuit protunc.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra super duobus articulis septima die Februarii. Primus fuit ad dispensandum cum duobus scolaribus, quorum unus fuit bacalarius Pragensis, alter bacalarius Coloniensis; requisiverunt enim isti duo nacionem quod nacio vellet ipsos recipere in bachalarios per dispensacionem specialem nacionis, salvis tamen juribus nacionis et bedellorum etc., facta informacione et sufficienti credulitate de hoc quod essent bacalarii in locis predictis. 2us fuit super supplicacionibus. Super primo requesta eorum fuit concessa et admissa, salvis juribus etc., ut tangitur. Super 2° articulo nichil, quia non erant supplicantes.

1. *Seu* Menevens., *tunc* Johannes Gilbert, *ab an.* 1389.

2. *Omnes isti*, « *cum comitiva mille et ducentorum virorum nobilium* » *tunc temporis et antea Parisiis morabantur, missi a rege Angliae ut filiam regis Franciae, Isabellam, in uxorem pro ipso peterent. Vid.* Chron. du rel. de St Denys, *éd.* Bellaguet, II, 323; Jarry, La vie politique de Louis de France, p. 164 *sqq*.

3. *In* Reg. Supp. Benedicti XIII *inveniuntur* Rotuli graduatorum Paris. in curia presentium, *et* Studentium Parisius, *pro an.* 1394 *et* 1395 *in curia signati. An.* 1395 (1396), *Februarii* 22, *Universitas Paris. prohibuit, ne facultas, natio, collegium, congregatio scholarium vel graduatorum rotulum sine consensu Universitatis ad summum pontificem mitteret* (Partie des pièces et actes qui concernent l'estat present... de l'Université de Paris, *Paris* 1653, n° 9, p. 9). *Non omnes obedierunt, quidam propterea expulsi sunt.* In Reg. Suppl. Bened. *invenitur etiam* Rotulus Parisiens. de studio expulsorum, *pro an.* 1396 *signatus. Vid.* Chartul., IV. *Universitas Paris. noluit facere rotulum ad Benedictum*, « ut tolleret quamcumque occasionem tepiditatis in prosecutione unionis suppositis suis, » *ut scribit* Simon de Cramaud *in suo tractatu pro subtractione* (*Reg. Arch. Vat. arm.* 54, n° 33, *fol.* 30). *Nihilominus in* Chron. du rel. de St-Denys, II, 218, *narratur ad an.* 1394-1395, *Universitatem consilio doctorum et rectoris rotulum, qui tamen non generalis fuit, ad Benedictum misisse.*

1396

[Acta in procuratoria Gerardi Kalant.]

(*Fol.* 23 b) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum anno Domini M° CCC° XCV° secundum stilum gallicanum, decima die mensis Februarii super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem. 2us erat ad eligendum temptatores bachalariandorum et ad distribuendum de mensibus super examinatione licenciandorum in artibus. 3us erat ad audiendum computum receptoris et super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo electus fuit concorditer in procuratorem dicte nacionis Gerardus Kalant. Super 2° articulo electi erant temptatores bachalariandorum, et primus mensis super examinatione predicta erat distributus; alii vero menses erant dilati ad aliam congregacionem postea fiendam. Super 3° articulo computus domini receptoris erat dilatus. Et unus bachalarius supplicavit super disposicione de aliquibus libris requisitis ad licenciam in artibus, quos non audivit Parisius, sed audivit eos ut dixit in alia Universitate, scilicet Oxoniensi. Et supplicacio fuit concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, undecima die mensis Februarii apud Sanctum Julianum, erant distributi alii menses super examinacione bachalariorum licenciandorum. Et post erat nacio solemniter in taberna, et dominus receptor solvit unam quartam vini de sex albis, et ego Gerardus Kalant procurator solvi duos francos in eadem congregacione nacionis in taberna, et perpotabantur pro procuratoria et pro mensibus, qui omnes michi distribuebantur.

Facta congregacione nacionis Anglicane XX^{a} die mensis Februarii anno quo supra apud fratres Minores pro locando domum *ad cornu cervi*, que est nacionis, erant dati deputati ad tractandum cum magistro Johanne Bonrode, qui ipsam sibi tunc supplicaverat locari; sed nichil concludere deberent sine consensu nacionis dicti deputati.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXII^{a} die mensis Februarii anno quo supra super duobus articulis. Primus erat ad locandum domum nacionis *ad cornu cervi*, et fuit locata tunc per plenam nacionem magistro Johanni Bonrode pro XXV francis annuatim, incipiendo terminum a festo Pasche proximo futuro. 2us articulus erat ad supplicandum. Et supplicavit dominus Albertus Thome de Lukerch, ut admitteretur ad subdeterminacionem tanquam pauper. Et supplicacio fuit concessa.

(*Fol.* 24) Isti sunt domini determinantes in anno Domini M° CCC° XCV° secundum stilum ecclesie Gallicane.

Primo determinavit dominus Duncanus Petit[1] sub magistro Laurencio Lundoris, cujus bursa sex solidi et IIII denarii.

Item determinavit dominus Ghiselbertus de Mera sub magistro Nicolao de Gameren, cujus bursa VII solidi et IIII denarii.

Item determinavit dominus Walramus de Palacio sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa VII solidi et IIII denarii.

Item determinavit dominus Jacobus de Preston sub magistro Johanne Dorp, cujus bursa quinque solidi.

Item determinavit dominus Goscalcus Vrese sub magistro Henrico de Arnhem, cujus bursa III sol.

Item determinavit dominus Růdigerus Boutbur sub magistro Johanne Boutbur fratre suo, cujus bursa quinque solidi.

Item determinavit dominus Jacobus Johannis de Harlem sub magistro Henrico de Arnhem, cujus bursa IIII solidi.

Item determinavit dominus Hinricus Witte sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa VII solidi et IIII denarii.

Item determinavit dominus Ghiselbertus Scay sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa VII solidi et IIII denarii.

Item determinavit dominus Petrus de Bomel sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa III solidi et VIII denarii.

Item determinavit dominus Johannes de Harlem sub magistro Henrico de Arnhem, cujus bursa IIII albi.

Item determinavit dominus Christoforus Pontfret sub magistro Laurencio de Lundoris, cujus bursa sex solidi et VIII denarii.

Item determinavit dominus Johannes de Sancto Michaele sub magistro Laurencio de Lundoris, cujus bursa sex solidi et IIII denarii.

Item determinavit dominus Thomas Johannis de Delf sub magistro Petro Pynonis, cujus bursa quinque solidi.

Item determinavit dominus Bernardus Echof de

1. *Ms.* petiit.

Lubeke sub magistro Henrico de Arnhem, cujus bursa quinque solidi.

Item determinavit dominus Johannes Aveze sub magistro Henrico de Arnhem, cujus bursa quinque s.

Item determinavit dominus Johannes de Verlo sub magistro Johanne de Zutphania, cujus bursa quinque solidi.

Item determinavit dominus Wolterus de Leyden sub magistro Johanne Dorp, cujus bursa sex solidi.

Item determinavit dominus Amelius de Broek sub magistro Nicolao de Monikedam, cujus bursa VII s.

Item determinavit dominus Revinus Scotus sub magistro Henrico de Arnhem, cujus bursa sex solidi et VIII denarii.

Item determinavit dominus Ghiselbertus Witte sub magistro Johanne Dorp, cujus bursa quinque s.

Isti sunt subdeterminatores.

Primo subdeterminavit dominus Albertus Thome de Lukerch sub domino Růdigero Boutbur, determinatore principali, cujus bursa nichil, quia juravit paupertatem.

Item subdeterminavit dominus Jacobus de Scoenhovia sub magistro Johanne Boutbur, et ejus determinator erat Walterus de Leyden, cujus bursa nichil quia juravit statutum [paupertatis].

Item Johannes de Dyeppurg, subdeterminans sub Johanne de Delf determinatore sub eodem magistro, cujus bursa nichil, quia juravit statutum.

Item dominus Johannes de Francfordia, subdeterminans sub Jacobo Prestom determinatore sub eodem magistro, cujus bursa nichil quia similiter juravit.

1396

[Continuatio mag. Gerardi Kalant.]

(*Fol. 24 b*) Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, nona die mensis Marcii, apud Sanctum Julianum super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem. 2us ad audiendum computum receptoris. 3us erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo continuatus et electus fuit concorditer Gerardus Kalant in procuratorem dicte nacionis. Super 2° et 3° articulo nichil fuit factum protunc. Et tunc nacio ivit ad tabernam, ubi magister Johannes de Austria solvit dimidium francum, quem propinavit nacioni pro suo *valete* [1].

Facta congregacione nacionis anno suprascripto, undecima die mensis Marcii, apud Sanctum Maturinum super supplicacionibus et injuriis, supplicaverunt domini Jacobus de Schonhovia, Johannes de Dyeppurg et Johannes de Francfordia, ut ad subdeterminandum admitterentur tamquam pauperes, et supplicacio eorum et cujuslibet eorum fuit concessa.

Isti sunt licenciati anno Domini M° CCC°XCVI°.

Licenciatus fuit dominus Růdigerus Boutbur sub magistro Johanne Boutbur, cujus bursa quinque sol.

Licenciatus fuit dominus Jacobus de Preston sub magistro Laurencio de Lundoris, cujus bursa quinque solidi.

Licenciatus fuit dominus Allexander de Carnis [2] sub magistro Laurencio de Lundoris, cujus bursa quinque solidi.

Licenciatus fuit dominus Johannes de Jutfaes sub magistro Nicolao de Gameren, cujus bursa quatuor solidi.

1396

Acta in procuratoria Wilhelmi de Scoenhoven.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno

1. *Quia cum aliis nuntiis, scil. cum mag. Johanne Breviscoxae et mag. in art. Johanne Mercatoris post Martii* 12 *profectus est, ut epistolam Universitatis de via cessionis ad Universitatem Vindobonens. portaret (ep. Universit. Paris. Aug.* 26 *an.* 1395; *Martii* 12 *an.* 1396 *et responsum Univers. Vindob. Maii* 12 *in Bibl. caes. Vindob., ms. lat.* 4134, *fol.* 125b-131; *Bibl. Erford. Amplon.* Q. 125, *fol.* 196-205. *Prima et tertia epist. summarie apud* Kink, Gesch. der kais. Universität Wien, I, p. 13). *Quamvis Johannes Mullinger de Austria tunc licentiatus in theol. fuit, nondum tamen ultimos actus perfecit ita ut esset magister, et remansit in natione. Vindobonae tunc temporis* Colomannus de Novavilla *rector fuit,* (*vid.* Aschbach, Geschichte der Wiener Universität, I, p. 152). *Karolus rex etiam cum nuntiis Universitatis suos ambassiatores Vindobonam misit, et quidem (quod hucusque ignorabant) ad duces Austriae, ut ferunt* Acta rectoratus Univers. Vindob. I, *fol.* 32 (*Arch. Univers. Vindob.*): Item 21 die mensis Aprilis venerunt solempnes ambasiatores ex parte regis Francie et Universitatis Parisiensis, scilicet episcopus unus et unus abbas et unus doctor in theologia, et cum illis milites cum pulcherrima comitiva, et hoc ex parte regis Francie ad principes Austrie; et iterum ad Universitatem nostram unus doctor in theologia, et unus licenciatus in theologia, et unus magister in artibus simul venerunt ex parte Universitatis (*ms.* scismatis) presentantes primo literam missilem Universitatis Parisiensis rectori in plena congregacione Universitatis Wiennensis. Item presentaverunt literas sigillatas cum appenso sigillo magno, scilicet Universitatis Parisiensis, continentes periculum scismatis etc. Item sabbato (*Maii* 6) ante Ascensionem Domini responsum habuerunt magistri Parisienses ab Universitate Wiennensi in literis clausis medio sigillo Universitatis. *Vid. etiam* Acta fac. art. I *ibid., fol.* 73, 74.

2. *Ms. clare* carnis. *Sed fortasse* Tarvis, *i. e.* Torves.

Domini M^{o} CCC^{o} XCVI^{o}, VI^{a} die Aprilis apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem. 2us ad dandum mensem in Sancta Genovefa. Super primo erat concorditer electus Wilhelmus de Scoenhovia in procuratorem, et solvit protunc unum francum de prima procuratoria, et eciam quatuor solidos. Super 2° datus fuit mensis magistro Nycolao de Saxonia, et solvit 4^{or} solidos.

Incepit dominus Rutcherus Boutbur sub magistro Johanne Boutbur, cujus bursa valet V solidos.

Incepit dominus Alexander de Carnis [1] sub magistro Laurencio de Londoris, cujus bursa valet VI solidos.

Indicta congregacione nacionis X^{a} die Aprilis apud Sanctum Julianum [pauperem] super duobus articulis. Primus erat ad eligendum deputatos vel magistros in nacione, qui haberent scribere super aliquibus conclusionibus que proponi debebant *in consilio generali* [2] coram prelatis, et ut illa scripta mitterentur in archa Universitatis. 2us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. De primo deliberatum erat quod ille conclusiones deberent copiari, et postea ad provectiores et prudenciores nacionis mitti. De 2° nichil factum fuit protunc.

Incepit dominus Jacobus de Preston sub magistro Laurencio de Londoris, cujus bursa valet V solidos.

Licenciatus est dominus Johannes de Zande sub magistro Nycolao de Gameren, cujus bursa valet IIII solidos.

Incepit dominus Johannes Jutfaes sub magistro Egidio Jutfaes, cujus bursa valet IIII solidos.

Incepit dominus Johannes de Zande sub eodem magistro, cujus bursa valet IIII solidos.

(*Fol.* 25) Licenciatus est dominus Thomas de Delf sub magistro Theoderico de Delf, cujus bursa valet V solidos.

Licenciatus est dominus Jacobus de Ulma sub magistro Johanne Boutbur, cujus bursa nichil.

Licenciatus est dominus Wolterus de Leyden sub magistro Henrico de Aernem, cujus bursa valet VI solidos.

Licenciatus est dominus Galterus de Caribir sub eodem magistro, cujus bursa valet V solidos.

Licenciatus est dominus Rogherus de Suecia sub magistro Johanne de Boutbur, cujus bursa valet V solidos.

Licenciatus est dominus Jacobus de Fausid sub magistro Laurencio de Londoris, cujus bursa valet VII solidos.

Licenciatus est dominus Johannes de Haerlem sub magistro Henrico de Aerhem cujus bursa valet IIII albos.

Licenciatus est dominus Godefridus de Tilia sub eodem magistro, cujus bursa valet VII solidos.

Incepit dominus Galterus de Caribir sub magistro Theodorico de Delf, cujus bursa valet V solidos.

Incepit dominus Thomas de Delf sub magistro Theoderico de Delf, cujus bursa valet V solidos.

Incepit dominus Walterus de Leyden sub magistro Theoderico de Delf, cujus bursa valet VI solidos.

Licenciatus est dominus Johannes Galencoop sub magistro Nycolao de Gameren, cujus bursa valet VII solidos et IIII denarios.

Incepit dominus Rogherus de Suecia sub magistro Theoderico de Delf, cujus bursa valet V solidos.

Incepit dominus Godefridus de Tilia sub magistro Henrico de Aernhem, cujus bursa valet VII solidos.

Incepit dominus Jacobus de Ulma sub eodem magistro, cujus bursa nichil.

Incepit dominus Johannes Galencoop sub magistro Nycolao de Gameren, cujus bursa VII solidi et IIII denarii.

Indi[c]ta congregacione nacionis XX^{a} die Aprilis apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus erat ad distribuendum 3um mensem in Sancta Genofefa. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. De primo erat deliberatum, et datus erat mensis concorditer magistro Johanni de Veen, qui nichil solvit protunc. De 2° nichil erat factum protunc.

Indi[c]ta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum XXX^{a} die Aprilis super supplicacionibus

1. *Ms.* caruis.

2. *I. e.* in secundo Concilio Paris., *quod hoc anno* (*ut jam* Garampi *in schedis Arch. Vat. annotavit*) *Parisios pro April.* 16 *a rege convocabatur, ut de via cessionis ibidem tractaretur, revera tamen ab Aug.* 16 *usque Septemb.* 11 *celebratum est, de quo vid.* Ehrle, *in* Archiv. f. Litteratur-u. Kirchengesch., VI, p. 193 *sqq. Cum praelatis Franciae etiam deputati Universitatum imprimis Universitatis Paris. congregati erant. Deputati nat. Anglic. fuerunt* (*vid.* l. c., p. 220) : Johannes [Mullinger] de Austria, Galterus (*ms. et* Ehrle *perperam* Gatherus) Forestarii, Johannes de Edinburgh (*ms. et* Ehrle : Edombuet), Johannes de Claromonte. *Acta Concilii secundi* (*in Arch. Vat., arm.* 54, n° 46, *in fine vol.*), *ab* Ehrle *edita, sunt potius summarium, cujus scriptor non nimis peritus fuit in scribendis nominibus propriis. Major pars Concilii secundi fuit pro subtractione obedientiae Benedicto XIII ; annis duobus vero tantum elapsis obedientia subtracta est. Hujus secundi Concilii Paris. apud coaevos raro mentio fit, neque etiam apud* Simonem de Cramaud. *In* Bibl. Gratianopolit. *ms.* 988 *nunc dilacerato et manco, olim exstabant :* Scripta dom. Sanctonensis, postea Aniciensis, super concilio celebrato Parisius anno XCVI° (*vid.* Catal. *ed.* P. Fournier, p. 300). *Fortasse idem, quod ap.* Ehrle, *l. c.*, p. 233.

et injuriis supplicavit dominus Jacobus de Ulma, ut admitteretur ad licenciam magistralem tanquam pauper. Et concessum est sibi protunc per nacionem.

1396

Acta in procuratoria Theodorici de Scyedam.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum die 4ª mensis May anno Domini quo supra super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum dominum procuratorem qui protunc fuit. 2us erat ut quidam magistri, qui de novo inceperunt, solverent primam procuratoriam. De primo concorditer nullo reclamante fuit electus Theodericus de Scyedam in procuratorem nacionis Anglicane. De 2° nulli novi magistri [1] venerunt nec bedellus aliquas pecunias ab eis potuit habere. Tamen nacio tabernam intravit, et solvit procurator electus IIII solidos, et procurator depositus IIII solidos. De supplicacionibus nichil.

Licenciatus est dominus Johannes Zeller sub magistro Nycolao de Gameren, cujus bursa VII solidi et IIII denarii.

Incepit dominus Johannes Zeller sub eodem, cujus bursa VII solidi et IIII denarii.

Item licenciatus est dominus Heynricus Witte sub magistro Nycolao de Gameren, cujus bursa VII solidi et IIII denarii.

Item licenciatus est dominus Wilhelmus de Harlem sub magistro Heynrico de Arnem, cujus bursa IIII solidi.

Item licenciatus est dominus Johannes Walays Scotus sub magistro Laurencio de Londoris [2], cujus bursa VI solidi.

Item licenciatus est dominus Theodericus de Harlem sub magistro Nycolao de Monkendam, cujus bursa IIII albi.

(*Fol. 25* b) Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum die 20ª mensis May anno quo supra, super supplicacionibus, erant duo bachalarii eodem die licenciandi, supplicantes quatinus nacio daret eis dilacionem aliquam solvendi pecuniam bursarum quia, sicut asserebant protunc, pecuniam non habebant. Et erant illi duo bachalarii Wilhelmus de Harlem et Theodericus de Harlem. Super isto nacio deliberabat quod bene placeret eis dilacionem solvendi, dummodo tamen ponerent pignera que essent meliora in proporcione sexquialtera pecunia bursarum solvendarum nacioni, vel saltem de quibus receptor esset contentus volens respondere nacioni pro illa pecunia, vel quod haberent fidejussores. Et sic dederunt pignera in manibus receptoris, et erant licenciati.

Item licenciatus est dominus Johannes Kerstancii sub magistro Theoderico de Delf, cujus bursa IIII solidi et VI denarii.

Incepit dominus Heynricus Witte sub magistro Nycolao de Gameren, cujus bursa VII solidi et IIII denarii.

Incepit dominus Johannes Kerstancii sub magistro Theoderico de Delf, cujus bursa IIII solidi et VI denarii.

Incepit dominus Wilhelmus de Haerlem sub magistro Heynrico de Aernem, cujus bursa IIII solidi.

1396

[Acta in procuratoria Johannis de Claromonte.]

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum prima Junii ad eligendum procuratorem, electus fuit magister Johannes de Claromonte. Item et ad audiendum compotum receptoris, qui fuit dilatus usque alias propter solempnitatem festi, quia fuit dies Sancti Sacramenti [3]. Item super supplicacionibus et injuriis. Nullus tamen supplicavit.

Licenciatus est dominus Gotscalcus Vrese sub magistro Henrico de Arnem, cujus bursa III solidi, IIII denarii.

Licenciatus est dominus Ghisebertus Scay sub Henrico de Arnem, cujus bursa sex solidi.

Licenciatus est Jacobus Spronc [4] sub magistro Johanne de Sutfania, cujus bursa XVI denarii.

Licenciatus est dominus Ghisebertus [de] Aemsterdam sub magistro Nicolao de Monkendam, cujus bursa VII solidi, IIII denarii.

Licenciatus est Petrus de Bomel sub magistro Nicholao de Monkendam, cujus bursa II solidi.

Item licenciatus est Henricus Loufenberck sub magistro Johanne Boutbort, cujus bursa nichil, et juravit statutum paupertatis, et hoc per ordinacionem nacionis, que ad hoc specialiter, fuit convocata.

Facta [5] congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum VIIª die Junii anno Domini M° CCC° 96° super tribus articulis. Primus ad audiendum compo-

1. *Iterum* magistri.
2. *Ms.* Londonis.
3. 1 *Junii.*
4. *An.* 1391 in *Univers. Colon. intitulatus* (*vid.* KEUSSEN, Matrikel, I, 51), *ubi determinavit. Vid.* p. 716, 31.
5. *In margine :* Nota de domo ad cornu cervi.

tum de expositis ad domum *cornu cervi*, qui fuit auditus. Et eo facto et visis expositis in domo ad *cornu cervi* super reparacionibus factis et examinatis a mense Marcii ultimo transacti usque ad diem compoti, reperte fuerunt expendite C septuaginta et unus franci, X solidi et VI denarii parisien. Et fuerunt prius facte expense que ascenderunt ad C quadraginta quatuor francos et V denarios parisiens.[1]. Notandum circa factum predicte domus, quod ipsa fuerat locata cuidam abbati a festo beati Johannis Baptiste anni 95^{ti} usque festum Pasche sequens proxime pro XV francis, qui abbas exposuit in minutis reparacionibus XXIII solidos, et pro censu annuo debito ecclesie Sancti Hilarii V solidos IIII denarios pro illo anno, qui fuit solutus in festo sancti Remigii, prout quolibet anno consuevit, et sic recepit XIII francos, III solidos, VIII denarios.

Item in festo Pasche intravit magister Johannes Bomrode predictam domum[2] solvendo usque festum Pasche proxime sequens pro locagio predicte domus XXV francos, quos solvit pre manibus receptori. Et sic receptor recepit XXXVIII francos, III solidos, VIII denarios in defalcacionem expositarum summarum. Et sic illis defalcatis debentur receptori II^{c} franci et LXXVII franci, VII solidi, III denarii parisiens.

Et secundus articulus istius congregacionis fuit ut novi magistri solverent francos suos pro nova procuratoria. Et solverunt VII^{tem} illa die quilibet francum, quos nacio exposuit in taberna.

3us fuit super supplicacionibus et injuriis, et nulli supplicaverunt.

Incepit Gotscalcus sub magistro Henrico de Arnhem, cujus bursa III solidi, IIII denarii.

Incepit Ghisebertus Scay sub eodem, cujus bursa VI solidi.

Incepit Ghisebertus de Amsterdam sub magistro Nycolao de Monkendam, cujus bursa VII solidi, IIII denarii.

Incepit dominus Petrus de Bomel sub magistro Henrico Arnhem, cujus bursa II solidi.

1396

(*Fol. 26*) [Acta in procuratoria Friderici de Pritzwalk.]

Facta congregacione nacionis aput Sanctum Maturinum die XXVI^{a} mensis Augusti anno Domini quo supra super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Et quia antiquus procurator noluit continuari certis de causis[3], electus fuit concorditer magister Fridericus de Pritzwalk. 2us articulus erat super supplicacionibus. Et supplicavit magister Franco locum tenens procuratoris, qui absens erat pro factis Universitatis[4], quod dictus procurator haberetur excusatus et in factis per eum aguatus. Et erat ista supplicacio concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Maturinum in die beati Mathei super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum receptorem, vel ad continuandum antiquum. Secundus erat ad ordinandum de scolis nacionis pro magistris volentibus regere et ad eas distribuendas. Tercius erat super supplicacionibus et injuriis.

Super primo continuatus erat magister Egidius de Juetfas in receptorem. Super 2° articulo magistri qui volebant legere supplicaverunt pro scolis, et juraverunt quod intendebant legere per majorem partem ordinarii magni. Verum est tamen quod magister Egidius de Jůtfa[e]s dixit, quod non esset in toto determinatus utrum legere vellet vel non; sed in brevi antequam locarentur scole pro magistris, ipse se determinaret, et si legere vellet, supplicavit quod nacio sibi provideret de scolis. Et ita eciam supplicavit magister Nicolaus de Gameren. Super istis deliberavit nacio, primo quod si magister Egidius se determinaret ad legendum, quod ipse haberet primas scolas, et sic consequenter alii secundum antiquitatem regencie. Si tamen non legeret, quod tunc senior in regencia post eum illas scolas haberet, et sic consequenter. Et ita eciam de magistro Nicolao de Gameren. Verum est tamen quod deliberavit nacio quod ipsi se determinarent ad legendum vel non, antequam alie scole extra vicum conducerentur, ne nacio dampnificaretur. Item deliberavit nacio quod si aliquis magister extra vicum conduceret aliquas scolas sine consensu nacionis vel saltem procuratoris et receptoris, quod nacio non esset obligata ad solvendum pro ipso. Voluit tamen nacio quod quilibet posset sibi providere de scolis, et post provisionem factam antequam contractum perficeret, hoc intimaret procuratori et receptori. Item deliberavit nacio quod quilibet volens regere poneret fidejussorem, qui redderet

1. *In margine*: Summa totalis III^{c} XV franci, X sol., XI den. paris.
2. *Vid. supra* p. 717, 45.
3. *Quia fuit in* Concilio Paris.
4. *Ut nuntius Universitatis.*

nacionem indempnem, si predictus magister volens regere non regeret per majorem partem magni ordinarii ex negligencia sua, vel dimitteret regenciam sine causa legitima.

Regentes pro isto anno erant.

Magister Egidius de Jutfaes[1].
Magister Nicolaus de Gameren.
Primo magister Laurencius de Lundoris.
Item magister Gherardus Ysebrandi.
Item magister Johannes de Suutfania.
Item magister Rutgerus de Zueetcia.
Item magister Henricus Witte.
Item magister Willelmus Bloc.
Item magister Alexander de Carnis.

1396

(*Fol. 26* [b]) Acta in procuratoria magistri Henrici de Busco.

Facta congregatione nationis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXIII[a] Septembris anno Domini M CCC XCVI° super duobus articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem vel continuandum antiquum. Et quia antiquus procurator certis ex causis in futura procuratoria non posset vacare, concorditer fuerat electus magister Henricus de Busco.

2[us] articulus fuit super supplicationibus. Et supplicavit antiquus procurator ut natio eum vellet habere supportatum si tempore sue procuratorie minus sollicitus in factis Universitatis aut nationis extitisset. Cujus supplicationi dicta natio annuens eum habuit eciam commendatum.

Facta congregatione nationis apud Sanctum Bernardum congregacione Universitatis ibidem solempniter celebrata protunc, 2[a] Octobris[2], super duobus articulis. Primus erat super censu annuali et hereditario debito per nationem de scolis *septem artium* cuidam matrone Burgensi defuncte solito solvi, dum vixit in humanis, qui census hereditarius citra mortem ejusdem nemini solutus extitit ex deliberatione nationis, cum literas super censu confectas nemo studuit presentare, ut retulit dominus receptor nationis magister Egidius Jutfaes : quid natio deinceps (cum litere illius census ad dictum dominum receptorem nuper per quendam apposite fuerint vise, lecte et intellecte, ut asseruit dictus dominus receptor) dicerneret faciendum. Deliberavit natio eidem literarum census illius portatori fore solvendum, si dictus dominus receptor verisimiliter crederet, per alium ob dictam census solutionem nationem non vexandam, et sibi solutionem deberi, recepta tamen quitancia sufficienti de quiti clamatione oportuna in premissis.

Alius articulus erat super supplicationibus et injuriis. Et supplicavit magister Henricus de Bergis ut natio vellet sibi ministrare scolas pro ordinario futuro, licet in congregatione nationis super hoc celebrata protunc, quia dubius de lectura fuerat, conformiter aliis magistris non petebat. Cujus supplicationi annuit natio.

Congregatione Universitatis celebrata apud Sanctum Maturinum VIII[a] Octobris[3] natione Anglicana in loco suo existente ad deliberandum super propositis per dominum rectorem, venit ad nationem dominus procurator nationis Pickardorum aliquibus ejusdem nationis magistris associatus, referens et dicens ex parte ejusdem nationis, qualiter scole *septem artium* superiorum essent omnino inepte, ut in ipsis aliquis magister legeret periculo corporis, quod imminere posset propter disposicionem illarum scolarum ad ruinam, supplicans ob hoc per nacionem Anglie super hoc provideri, ut illarum scolarum aliquis magistrorum de natione Pickardie usum et commodum habere posset sicud debet, et hactenus consuevit, vel quod natio Pickardorum eas faceret propriis expensis reparari, defalcandis annuatim nationi Anglie de censu debito nationi. Fuerat deliberatum per nationem quod essent deputati ex parte nationis, qui haberent tractare cum natione Pickardorum, ut nationi Pickardorum possent alique alie scole assignari, et tractatum illius facerent. Si autem per illum modum non posset natio Pickardorum quietari, natio Anglie deliberaret de modo magis convenienti vel de reparando vel de alio sicud expediencius videretur. Supplicavit eciam protunc magister Arnoldus Wytwiic[4] ut cum competenti tempore non poterat venire Parisius ad supplicandum pro scolis die, quo super hoc fiebat congregatio nationis, ipse non minus pro ordinario futuro reputaretur regens, quia aliis horis, quibus scole magistris assignate vacarent, ipse intenderet legere. Et fuit supplicatio ejus concessa.

1. *Iste et sequens posterius inscripti sunt. Vid.* p. 728, 24, 29.
2. *Ms.* Septembris.
3. *Primum erat in ms*[to] Septembris.
4. *Alias* Utwiic. *Hodie* Uiterwijk.

1396

(*Fol.* 27) Acta in procuratoria magistri Andree Hermanni.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXI^a die Octobris anno Domini M° CCC° XCVI° super duobus articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem vel continuandum antiquum. Et quia antiquus procurator certis ex causis in futura procuratoria non posset vacare, concorditer fuerat electus magister Andreas Hermanni curatus in Malsen.

Secundus articulus fuit super computacione receptoris magistri Egidii de Jutfaes, que computacio fuit dilata. Et solvit Andreas Hermanni predictus unum francum pro nova sua procuratoria, et mag. Johannes de Ghalencoep tunc eciam solvit francum pro sua nova procuratoria futura, qui franci erant expositi in vico Sancti Jacobi pro uno prandio in hospicio *de cervo*, presentibus ibidem magistro Johanne de Austria licenciato in theologia, et magistro Egidio de Jutfaes receptore, et quibusdam aliis magistris multis nacionis Anglicane.

Item eodem die fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Mathurinum super contribucione et supplicacione domini rectoris, que supplicacio fuit concessa ad ordinandum literas post regem Francie et alios principes mittendas[1], et quod contribucio infra quindecim dies sub pena tacta ab aliis facultatibus et nacionibus daretur ab illis, qui non solverunt.

Item XXIII^a die Octobris incepit dominus Andreas Glayne sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa 7 solidi.

Item congregacione Universitatis celebrata apud Sanctum Mathurinum XV^a Novembris, eciam fuit congregacio nacionis super duobus articulis. Primus erat ad ordinandum de festo nacionis et ad eligendum procuratores sive provisores expensarum et de pecunia habenda. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum de pecunia fuit concorditer deliberatum et conclusum, quod receptor exponeret pecuniam; et si non haberet, accommodaret seu reciperet mutuo et a quo vel quibus reciperet et esset obligatus, quod nulli quacumque necessitate urgente alteri aliquid de pecunia nacionis exponeret, quousque illi vel illis esset satisfactum. Et concorditer erant electi provisores prandii magister Johannes Greyn Scotus, et magister Johannes Bonroden. Et erat dictum bedellis ut darent in scriptis procuratori nacionis nomina illorum magistrorum, qui non solverunt jocundum introitum.

1396

(*Fol.* 27 b) Acta in procuratoria magistri Andree Glayne.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die XVIII^a mensis Novembris anno Domini M° CCC° XCVI° super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us articulus erat ad audiendum compotum domini receptoris si placeret, et eciam ad ordinandum provisores in festo nacionis. 3us est super supplicacionibus et injuriis. Super primo ex quo antiquus procurator certis de causis in futura procuratoria non posset vacare, electus est concorditer Andreas Glayne. Super 2° computacio receptoris erat dilata usque post festum beati Egmundi. Et provisores erant ordinati ad providendum de festo magister Johannes Gray et magister Johannes Campen. Super 3° articulo supplicaverunt bedelli quod nacio eis concedere vellet, quod de quolibet determinante illius anni capere possent dimidium francum. Et supplicacio eorum erat concessa.

Item eodem die solvit magister Andreas Glayne protunc procurator unum francum pro prima sua procuratoria.

Congregacione Universitatis celebrata apud Sanctum Maturinum die XX^a mensis Novembris nacio Anglicana ivit ad locum consuetum ad deliberandum super duobus articulis propositis per rectorem. Primus articulus erat de litera missa a rege Anglie Universitati Parisiensi, quomodo magnam affectionem haberet ad unionem ecclesie[2]. De qua nacio regratiabatur sibi valde. Et quomodo magister Petrus Plev[3] cogeretur per penam privacionis, si non vellet proponere coram consilio regis de facto unionis. Hoc erat concessum per nacionem. Eciam quomodo privilegia nostra cotidie aggravantur et quod haberetur unus deputatus honestus, qui proponeret hujusmodi factum unionis coram rege. Tunc deliberavit nacio Anglicana quod facultas theologie ordinaret unum de ipsis theologis apciorem et in illa materia magis rec-

1. *Agitur semper de facto unionis eccles., seu potius de via cessionis amborum paparum. Vid.* Chartul. IV.

2. *Hucusque haec epistola regis Angliae Universitati Parisiensi directa ad an.* 1395 *referebatur* (*Vid.* Bulaeum, IV, 772); *sed ex superioribus apparet eam ad an.* 1396 *pertinere.*

3. *I. e.* Petrus Plaoul, *de quo* Chartul. III. *Ipsemet scribit sic, Arch. nat. Paris.*, J. 517, n° 206. *Alii saepe* l *in fine omiserunt.*

tum. 2us articulus erat super supplicacionibus et injuriis, etc.

1396

[Acta in procuratoria Galteri Forestarii.]

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem XVI^{a} die mensis Decembris anno gracie etc. 96, super tribus articulis. Primus videlicet ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. 2° ad audiendum compotum receptoris. 3° super supplicacionibus et injuriis. Super quibus articulis, quia procurator precedens certis de causis noluit continuari, electus fuit in procuratorem magister Galterus Forestarii Scotus concorditer a tota nacione, qui eodem die fuit electus intrans ad eligendum rectorem. Et electus fuit in rectorem concorditer magister Rolandus Raymer de nacione Normannie [1]. Super 2° articulo compotum receptoris ex causa deferebatur. Super 3° nullus supplicavit preterquam procurator pro intrancia, qui ad intranciam fuit electus, et sic nacio gratanter annuit sue supplicacioni.

1397

[Continuacio Galteri Forestarii.]

Congregacione facta nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XIII^{a} Januarii super 3 articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. 2us ad audiendum compotum receptoris. Et tercius super supplicacionibus et injuriis. Super primo continuatus fuit magister Galterus Forestarii predictus. Super 2° placuit nacioni differre compotum protunc. Super 3° supplicavit magister Petrus Prenner ut non obstante, quod non fuerat regens a tempore ordinarii, quod aliqui scolares sub eo possent determinare. Et placuit majori parti nacionis, licet aliqui in dubium hoc revocabant, an id fieri posset. Nullus tamen interemit supplicacionem.

(*Fol. 28*) Supplicaverunt in nacione quatuor scolares Dacie, pretendentes ipsos debere habere quoddam Collegium juxta collegium Laudunense versus Carmelitas, quatinus nacio vellet avisare eos ad recuperandum dictum collegium tam propter augmentacionem studii quam nacionis, et propter equitatem. Ad quorum instanciam dati fuerunt deputati magister Johannes de Austria, magister Egidius Jutfaes, magister Theodericus de Foresta et magister Johannes de Claromonte, qui haberent bonum modum procedendi cum dictis scolaribus avisare.

Congregatis predictis deputatis deliberaverunt, quod dicti scolares supplicarent in Universitate pro deputatis Universitatis ad avisandum modum rehabendi dictum collegium, et quod procurator nacionis post ipsos scolares pro deputatis hujusmodi ex parte nacionis similiter supplicaret. Post quorum supplicacionem dati fuerunt de facultate theologie mag. Johannes Luketi et mag. Petrus Dyereyo [2]; de facultate decretorum abbates videlicet Montis sancti Michaelis [3] et Gemeticencis [4].

Dominus Franco de Barcouda incepit sub magistro Egidio Jutfaes, cujus bursa VI solidi.

1397

[Continuacio Galteri Forestarii.]

Facta congregacione nacionis Anglicane X^{a} die Februarii apud Sanctum Maturinum super 3 articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. 2us ad audiendum compotum receptoris. 3us super supplicacionibus et injuriis. Super quorum primo continuatus fuit procurator precedens ad instanciam nacionis. Super 2° articulo placuit nacioni differre compotum ex causa. Super 3° articulo nichil.

Quo die magister Franco de Bercouda solvit I francum solvi consuetum pro prima procuratoria.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum super 3^{bus} articulis die sabbati 3° die Marcii. Primus ad eligendum examinatores baculariorum determinancium in XL^{ma}. 2us ad distribuendum menses audicionum Sancte Genovefe pro examinacione licenciandorum. 3us super supplicacionibus etc. Super primo electi fuerunt per magistrum Conradum antiquiorem non regentem, duos regentes antiquiores et receptorem licet absentem, ipse magister Conradus, receptor, et magister Arnoldus Utwyke, et magister Nicholaus Gameren examinatores baculariorum. Super 2° magister Franco de Bercouda dedit pro V^{to} mense ex curialitate sua IIII solidos; et alii IIII^{or} primi menses non erant protunc distributi ex causa. Super 3 articulo nichil.

Quo die magister Godefridus de Tilia solvit unum francum pro prima procuratoria. Et electi examina-

1. *Decemb.* 16-*Martii* 24. Chart. III, 459 : « Ramier ».
2. *Vid. de istis in* Chartul., III.
3. *Qui fuit* Petrus Regis. *Vid.* Chartul., III, p. 250, *not.* 1.
4. Simon de Bosco, *de quo ibid. ad an.* 1391, n° 1589.

tores baculariorum solverunt unum francum curialiter, que pecunia realiter perpotata fuit *in chapelletis*. Nec aliquid superfuit.

Isti sunt determinantes anni Domini M CCC^{mi} XCVI.

Primo Johannes de Spini sub magistro Laurencio de Londoris, cujus bursa V solidi.

Item Johannes Aurifabri sub eodem, cujus bursa VI solidi, IIII denarii.

Item Henricus de Driden sub magistro Gerardo Domher, cujus bursa II solidi.

Item Thomas de Rynde sub eodem, cujus bursa V albi.

Item Michael de Leydis sub magistro Gerardo de Domher, cujus bursa V solidi.

Item Theodericus Oem sub magistro Laurencio de Londoris, cujus bursa V solidi.

1397

(*Fol.* 28 ᵇ) Acta in procuratoria magistri Johannis de Zande, alias de Campen.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M CCC XCVI°, X^a die Marcii apud Sanctum Maturinum, super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us erat super computo domini receptoris. 3us super supplicacionibus et injuriis. Super quorum primo electus fuit in procuratorem concorditer nullo reclamante magister Johannes de Zande, qui dedit nacioni I francum ad perpotandum. Super 2° placuit nacioni differre computum domini receptoris. Super 3° supplicavit Ortwinus[1] de Francfordia ut sibi computaretur illud tempus, quod habuit Heydelberghe, pro gradu bacularíatus. Et fuit supplicacio concessa.

Eadem die fuerunt distributi menses ad examinandum bacularios in camera, pro quorum primo et 4° solverunt, ut moris est, magister Egidius Jutfacs et magister Galterus Forestarii 4 solidos; pro 2° solvit dominus procurator IIII solidos; pro 3° solvit dominus Godscalkus Vrese V solidos; et fuit pecunia ista simul perpotata *in chapletis*.

Item convocata prefata nacione Anglicana anno Domini quo supra, XII^a die Marcii, apud Sanctum Maturinum hora 3^a post prandium super duobus articulis. Primus articulus erat de aliquibus juramentis que debebant jurare illi, qui petebant dilacionem bursarum. 2us super supplicacionibus et injuriis. Super primo deliberatum fuit, quod quilibet petens dilacionem bursarum juraret juramenta que sequuntur : Primum est quod quilibet juret in plena nacione extunc se non habere facultatem apposita debita diligencia ad solvendum hujusmodi bursas nacioni ex parte determinancie per eum debitas; 2^m est, quod si ante terminum assignatum contingeret eos habere potenciam solvendi, extunc satisfacerent nacioni preveniendo terminum solucionis eis concessum; 3^m est, quod ponerent bona pignera que publice essent duplicis valoris vel ad minus sequialteri in comparacione et respectu ad debitum pro determinancia, sub tamen custodia et manu domini receptoris; 4^m quod si infra tempus prefixum pignera sua non redemerint, extunc nacio vel receptor secure vendere posset dicta pignera, non requisito consensu illius qui ea impigneravit, et eciam sine auctoritate judicis vel ejus consensu super hoc requisito, ita quod juri suo de non vendendi[s] pigneribus sine auctoritate judicis extunc renunciet.

Super 2° articulo supplicavit dominus Johannes Mathei pro dilacione bursarum in determinancia, et fuit supplicacio concessa, et juravit juramenta suprascripta. Et fuit protunc deliberatum quod dicta juramenta scriberentur in libro percumenario[2] nacionis; et ita factum est.

Item convocata nacione prefata, scilicet Anglie, anno Domini quo supra, ultima die mensis Marcii apud Sanctum Maturinum hora prima Nostre Domine super duobus articulis. Primus erat ad dispensandum; 2us super supplicacionibus et injuriis. Super primo supplicavit dominus Johannes de Porta, ut ipse poterit subdeterminare et cum hoc solvere bursas suas, et quod de illo nacio velit secum dispensare. Cujus supplicacio fuit concessa et nacio secum protunc dispensavit. Super 2° articulo supplicaverunt dominus Georgius Coltmayer de Ferynghen, dominus Conrardus de Munsinghen et dominus Pantaleon de Meminghen, ut ad subdeterminanciam a[d]mitterentur tanquam pauperes. Et fuit supplicacio cujuslibet ipsorum concessa. Et juravit quilibet statutum paupertatis.

Item facta congregacione prefate nacionis Anglicane anno Domini quo supra, II^a die mensis Aprilis, apud Sanctum Maturinum, hora 3^a post prandium

1. *Fuit* Ortwinus Hoppener de Francfordia, *an.* 1393 *in Universitate Heidelbergensi intitulatus. Vid.* Toepke, Die Matrikel der Universität Heidelberg, I, p. 56.

2. *l. c.* pergamenario.

ad audiendum supplicaciones quorundam determinancium, qui in prima congregacione fuerunt absentes. Et supplicaverunt protunc domini Goeswinus de Hoven, Walinghus de Oudwater, Henricus de Ghorinchem, ut ad subdeterminanciam admitterentur tanquam pauperes. Et fuit protunc supplicacio cujuslibet ipsorum concessa, sub tamen condicione illa, quod quilibet ipsorum juraret statutum paupertatis. Et ita quilibet ipsorum protunc fecit.

(*Fol. 29*) Isti sunt domini determinantes in anno Domini M° CCC°XCVI° secundum stilum ecclesie gallicane.

Primo determinavit dominus Jacobus de Delf sub magistro Johanne Dorp, cujus bursa VI solidi, IIII denarii.

Item determinavit dominus Reynerus de Delf sub magistro Egidio Jutfaes, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Ortwinus de Francfordia sub eodem, cujus bursa VII solidi.

Item determinavit dominus Petrus de Monikedam sub eodem, cujus bursa VII solidi.

Item determinavit dominus Jordanus de Derthesen sub magistro Nycolao de Gameren, cujus bursa VII solidi.

Item determinavit dominus Henricus de Sciedam sub eodem, cujus bursa III solidi.

Item determinavit dominus Nycolaus de Scoenhovia sub eodem, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Gherardus de Eten sub magistro Heinrico de Aernhem, cujus bursa V sol.

Item determinavit dominus Jacobus Mathei sub eodem, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Johannes de Asperen sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa III sol. VI denarii.

Item determinavit dominus Nicolaus Becherer [1] de Argentina sub magistro Johanne Boutbourt, cujus bursa V solidi, VI denarii.

Item determinavit dominus Nycolaus Johannis de Haerlem sub magistro Nycolao de Monikedam, cujus bursa IIII solidi.

Item determinavit dominus Ghysebertus de Delf sub magistro Johanne Dorp, cujus bursa VI solidi, IIII denarii.

Item determinavit dominus Albertus de Zwivel sub magistro Johanne de Zutfania, cujus bursa VII solidi.

Item determinavit dominus Bernardus Flogheling [2] sub magistro Egidio Jutfaes, cujus bursa VII solidi.

Item determinavit dominus Rembrandus Nycolai sub magistro Nycolao de Monikedam, cujus bursa IIII albi.

Item determinavit dominus Johannes Reys sub eodem, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Petrus Nycolai de Dacia sub magistro Rutghero de Zuesia, cujus bursa V solidi.

Isti sunt subdeterminantes anni suprascripti.

Primo subdeterminavit Johannes de Porta sub magistro Laurencio de Londoris, sub principali determinatore Nycolao de Scoenhovia, cujus bursa V solidi, per dispensacionem.

Item subdeterminavit dominus Georgius Coltmayer de Feringhen sub magistro Rutghero de Zwesia sub principali determinante, scilicet Henrico de Scyedam.

Item subdeterminavit dominus Conrardus de Munsinghen sub eodem, sub principali determinante scil. Alberto Zwivel.

Item subdeterminavit dominus Pantaleon de Meminghen sub eodem, et sub principali, scilicet Thoma de Rynde.

Item subdeterminavit dominus Goeswinus de Hoeven [3] sub magistro Johanne de Zutfania, sub principali determinante, scilicet Jacobo Mathei.

Item subdeterminavit dominus Walinghus de Oudwater sub magistro Nicolao de Monikedam, sub principali Michaele de Leydis.

Item subdeterminavit dominus Henricus de Ghorinchem sub eodem, sub principali Gherardo de Eeten.

Quilibet juravit statutum paupertatis.

Item licenciatus est dominus Johannes de Francfordia sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa IIII albi.

1. *Ipse est idem* Nicolaus Becherer, *qui an.* 1403, *Junii* 10. *epistolam de restitutione obedientiae et rebus franco-alemannis ad Wernherum Spatzinger Argentinam direxit, editam a* Weizsaecker, Deutsche Reichstagsakten, V, n° 293. *Ignotum fuit hucusque*, Becherer, *magistrum Paris. fuisse. An.* 1398 *licenciatus est, an.* 1400 *procurator.*

2. *Ejus nomen adulterntum in* Catal. licent. in theol. *in Bibl. nat. Paris., ubi ad an.* 1411 Bernardus Flengoin, Flogueluich vel Flonguenth.

3. *An.* 1412 *ut mag.* art. et med., can. Quinqueeccl. *intitulatus in Univers. Colon.* Keussen, Matrikel, I, 130.

1397

(*Fol. 29 b*) Acta in procuratoria magistri Johannis de Zande, alias de Campen.

Item facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M° CCC° XCVI° secundum stilum gallicanum, VII^a^ die Aprilis hora prima Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us erat super computo domini receptoris. 3us erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo continuatus fuit concorditer nullo reclamante magister Johannes de Zande, alias de Campen. Super 2° dilatus fuit protunc compotus domini receptoris. Super 3° articulo nichil erat actum.

Item facta congregacione nacionis Anglie anno quo supra, XXVI^a^ die Aprilis hora prima Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad habendum pecunias pro *legacione fienda* versus Almaniam scilicet *versus Francfordiam*[1], quia deliberatum erat per Universitatem quod singule facultates et naciones contribuerent, et eis restituerentur per Universitatem. 2us articulus erat de aliquibus literis faciendis ex parte nacionis et dirigendis dominis aliquibus ibidem in consilio, quod Francfordie celebraretur, existentibus, et illud erat supplicatum nacioni per alias tres naciones. 3us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis.

Super primo articulo deliberatum fuit concorditer per nacionem quod nacio exponeret illas pecunias, quas rector requireret. Et protunc dictum erat receptori quod ipse exponeret ex parte nacionis. Et ita fecit. Et concessit Universitati pro legacione illa complenda ex parte nacionis XXV francos minus IIII solidis, et receptor Universitatis fecit obligacionem ad restituendum illas pecunias nacioni de pecuniis recipiendis per Universitatem[2].

Super 2° articulo deliberatum fuit quod litere fierent, et prius minute, et postea minute corrigerentur per plenam nacionem, et quod scriberetur principalioribus dominis existentibus in consilio illo in Francfordia per imperatorem celebrando.

Super 3° nichil erat actum.

Item convocata prefata nacione Anglicana anno Domini quo supra, XXVIII^a^ die Aprilis, hora 4^a^ post prandium, scilicet in nonis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus articulus fuit ad audiendum minutas literarum dirigendarum singulis dominis consilium per imperatorem in Francfordia convocatum tenentibus. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo deliberatum fuit protunc per plenam nacionem, quod minute correcte, sicud protunc per nacionem erant correcte, ingrossarentur et expedirentur et sigillarentur sigillo magno nacionis, et quod cum magistro Johanne de Austria[3] mitterentur, qui protunc erat legatus Universitatis ad eundum ad illud consilium, et quod minute de illis literis post ingrossacionem ponerentur in sista sive archa nacionis, et quod receptor solveret expensas faciendas pro literis ex parte nacionis, et postea computaret. Et ita totaliter factum est secundum convencionem habitam.

Super 2° articulo nichil erat actum etc.

(*Fol. 30*) Item incepit dominus Jacobus Spronc sub magistro Nycolao de Monikedam, cujus bursa XVI denarii.

Isti sunt licenciati in eadem procuratoria magistri Johannis de Campen.

Item licenciatus est dominus Henricus de Sciedam sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa III sol.

Item licenciatus est dominus Johannes Aveze sub eodem, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus est dominus Johannes de Dieborgch, sub eodem, cujus bursa XVI denarii.

Item licenciatus est dominus Christoforus Pontfert sub magistro Laurencio Londoris, cujus bursa VI solidi, VIII denarii.

Item licenciatus est dominus Johannes de Verlo sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa V sol.

Item licenciatus est dominus Radulphus de Aemsterdam sub eodem, cujus bursa VII solidi, IIII denarii.

1. *Maii* 13 *an. praesentis* 1397 *Francfordiae magnum consilium principum celebrabatur, de qua adeas* Weizsaecker, Deutsche Reichstagsakten, II, p. 415 *sqq.*, *et* Lindner, Gesch. des deutschen Reiches unter König Wenzel, II, 359 *sqq. Carolus rex Francorum suos etiam nuntios ibidem misit, cui se deputati Universitatis Paris. adjunxerunt* (*epist. Caroli ad magistros civium etc. Francfordenses, April.* 30, *apud* Weizsaecker, *l. c.*, n° 269). *Ex sequentibus apparet, mag.* Johannem Mullinger de Austria, *istum continuum nuntium Universitatis, inter deputatos Universitatis extitisse, de quibus, non nominatis singulis, etiam Thedericus de Niem loquitur*, De Schismate, *ed.* Erler, p. 182. *Socii Johannis in ista et in posterioribus legationibus Francfordiam fuerunt* (*si recte intelligimus epistolam Universitatis an.* 1400 *apud* Weizsaecker, *l. c.*, III, n° 134) Dominicus Parvi, mag. s. theologie, *et* Johannes Mercatoris (Jehan Marchant, maistre en ars et bachellier en decret, *ut ipse scribit, in Arch. nat. Paris.*, J. 517, n° 183). *Vid. infra ad an.* 1400, *Augusti* 25.

2. *Pecunia revera exposita est, i. e. nuntii Universitatis profecti sunt, ut ex infra relatis ad* 22 *Julii apparet.*

3. *De quo supra, qui semper adhuc ad nationem pertinebat.*

Item licenciatus est dominus Mathias Dartzant sub eodem, cujus bursa VII solidi, IIII denarii.

Item licenciatus est dominus Jacobus Mathei sub magistro Nycolao de Monikedam, cujus bursa V sol.

Item licenciatus est dominus Johannes de Sancto Michaele sub magistro Laurencio de Londoris, cujus bursa VI solidi.

Sequuntur nomina incipiencium in predicta procuratoria.

Primo incepit dominus Johannes de Francfordia[1] sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa XVI denarii.

Item incepit dominus Henricus de Sciedam sub eodem, cujus bursa valet III solidos.

Item incepit dominus Johannes Aveze sub eodem, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Johannes de Dieborgch[2] sub eodem, cujus bursa XVI denarii.

Item incepit dominus Johannes de Verlo sub eodem, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Mathias Dartzant sub eodem, cujus bursa VII solidi, IIII denarii.

Item incepit dominus Radulphus de Amsterdam sub eodem, cujus bursa VII solidi, IIII denarii.

1397

Acta in procuratoria magistri Nicolay [de Pritzwalk] de Saxonia etc.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M° CCC° nonagesimo septimo, quinta die mensis Maii, in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us articulus erat ut quidam magistri, qui de novo inceperunt, solverent primam procuratoriam ut moris est in nacione, necnon ad audiendum compotum domini receptoris. 3us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo electus erat concorditer nullo contradicente magister Nicolaus de Saxonia sive de Pritzwalk. Super 2° articulo deliberatum fuit quod novi magistri solverent primam procuratoriam. Et ita factum est. Intravit enim nacio tabernam, et ibidem solverunt quatuor magistri novi quilibet unum francum, ut consuetum est, scilicet magister Mathias Dartzant... (*sic*), residuum solverunt procurator et receptor etc. Computus receptoris protunc dilatus fuit. De 3° articulo nichil factum fuit, quia nullus protunc supplicavit.

Licenciatus est Theodoricus Oem sub magistro Laurencio Londoris, cujus bursa quinque solidi.

Item incepit dominus Cristoforus Pontfert sub magistro Laurencio Londoris, cujus bursa VI solidi, VIII denarii.

(*Fol. 30* b) Item licenciatus est dominus Johannes Aurifabri sub magistro Laurencio Londoris, cujus bursa sex solidi et 4^{or} denarii.

Item facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M° CCC° nonagesimo septimo, decima octava die mensis Maii in primis Sancti Jacobi aput Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat pro expedicione cujusdam bacclarii licenciandi in examine Nostre Domine. Verum, ut michi retulit, facultatem non habuit solvendi bursas protunc, sed pignera libenter ponere vellet prope dominum receptorem; et quia dominus receptor ipsum expedire non potuit nec voluit, nisi prius supplicaret in nacione, ideo ad supplicacionem ipsius congregacionem nacionis feci, ne predictus bacclarius in licencia impediretur. Et quoad hoc deliberavit nacio quod ipse supplicaret, et nacio faceret illud quod posset. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. Supplicavit idem bacclarius quod nacio vellet sibi dare dilacionem super bursis solvendis, quia protunc facultatem solvendi non habuit. Cujus supplicacio concessa erat et dedit sibi nacio terminum solvendi bursas festum sancti Johannis, illo annexo quod poneret prope dominum receptorem vadia dupli vel ad minus sexquialteri valoris ad valorem bursarum.

Item ego Nicolaus de Saxonia protunc procurator nacionis supplicavi quatenus nacioni placeret, ut in presencia nacionis constituere possem procuratores, absentes tamen, ad acceptandum nomine meo beneficia quecumque michi collata vel conferenda, et ad petendum institucionem canonicam in ipsis et ad cetera faciendum meo nomine, que dicta beneficia de consuetudine vel statuto requirerent, nec non ad resignandum ea permutacionis causa et ad faciendum omnia alia, que facerem seu facere possem si presens essem, eciamsi mandato indigerent speciali. Et fuit supplicacio ab omnibus admissa. Quapropter ego Nicolaus de Saxonia sive de Pritzwalk melioribus modo et forma quibus potui in presencia nacio-

1. *De quo infra ad an.* 1400, *Octob.* 17.

2. *An.* 1400 *ut mag. art. Paris. in Univers. Heidelbergens. intitulatus* (Toepke, Die Matrikel der Univers. Heidelb., 1, 75, *ubi* Johannes Kuntch de Diepporg).

nis constitui procuratores meos venerabiles viros dominum Johannem Vilevelt, plebanum in Wylsnak; Petrum de Brandenbourgh, plebanum in Bysem; et Gherardum Scutthen, clericum Havelbergen. dyoc. in meos procuratores legitimos, cum potestate substituendi modo supradicto, supplicans nacioni nomine meo, ut super hac constitucione procuratorum, *cum notarios publicos* michi *utiles habere non possem propter* istud abhominabile et nephandissimum *scisma* nunc in ecclesia sancta Dei vigens, sigillaret sigillo nacionis quandam literam. Que supplicacio eciam concorditer concessa fuit. Item eodem modo supplicavit magister Fridericus de Pritzwalk, etc., cujus supplicacio eciam fuit admissa, et insuper in presencia nacionis ratificavit quorundam beneficiorum sibi collatorum, ut ad noticiam ipsius se dixit pervenisse, acceptacionem factam nomine suo per quendam amicum suum, necnon si et in quantum opus esset de novo acceptavit, constituens dominos supradictos suos procuratores ad petendum institucionem canonicam et prestandum obedienciam et cetera modo et forma quibus supra. Super quibus supplicavit nacioni literam sigillo nacionis sigillari, cujus supplicacio similiter concessa fuit etc.

Item licenciatus est Jacobus Johannis de Herlem sub magistro Nicolao de Monkedam, cujus bursa 4^or^ solidi.

Item licenciatus est Jacobus Johannis de Delf sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa sex solidi.

Item licenciatus est Ghisbertus Wit sub eodem, cujus bursa sex solidi.

Item incepit Jacobus Mathei sub magistro Nicolao de Monkedam, cujus bursa quinque solidi.

Item incepit Jacobus Johannis de Herlem sub eodem, cujus bursa quatuor solidi.

Item incepit dominus Jacobus Johannis de Delf sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa sex sol.

Item licenciatus est Johannes de Dordraco sub magistro Johanne de Zutphania, cujus bursa quinque solidi.

Item licenciatus est Duncanus Petit sub magistro Laurencio de Londoris, cujus bursa sex solidi, 4^or^ denarii.

Item licenciatus est Gherardus Eeten sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa 4^or^ solidi.

Facta congregacione nacionis anno Domini M^o^ CCC^o^ nonagesimo septimo, prima die mensis Junii aput Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus ad avisandum modum bonum concordie inter nacionem Picardie et nacionem nostram de scolis superioribus *septem arcium*. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo tacti fuerunt aliqui modi pacificandi. Verumptamen finaliter nacio dedit deputatos, qui irent ad naciones scilicet Francie et Picardie ad supplicandum, quatenus vellent dare deputatos suos, qui una cum deputatis nostris haberent avisare modum pacificandi et concordie de istis scolis, quod et fecerunt. Verumptamen nolebant quod illi deputati sicut et nos haberent potestatem aliquid concludendi, sed solummodo haberent avisare etc., et postea referrent in nacionibus suis. Et fuerunt deputati nacionis nostre procurator, magister Egidius de Jutfaes, magister Johannes de Claromonte, magister Galterus Forestarii, etc. Et congregati fuerunt una cum deputatis aliarum nacionum eadem die post prandium in Carmelitis.

Super 2° articulo nichil. Amen.

1397

(*Fol. 31*) Acta in procuratoria magistri Arnoldi Wtwiic anno Domini 1397°.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini 1397°, 2^a^ die mensis Junii, in primis Nostre Domine apud Sanctum Julianum super 3^bus^ articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us super computo receptoris. 3us super supplicacionibus et injuriis. Super primo electus fuit in procuratorem magister Arnoldus Wtwiic concorditer nullo reclamante. Super 2° nacio distulit computum receptoris. Super 3° nichil, quia nullus supplicavit.

Isti sunt licenciati in eadem procuratoria.

Primo Jacobus de Crachovia, cujus bursa nichil.

Secundo Arnoldus de Scoenhovia, cujus bursa IIII albi.

3° Arnoldus de Zutphania, cujus bursa IIII albi.

Isti sunt qui inceperunt.

Incepit dominus Duncanus Petyt sub magistro Johanne de Edenborgh, cujus bursa VI solidi et IIII denarii.

Incepit dominus Johannes Aurifabri sub magistro Johanne de Edenborch, cujus bursa VI solidi, IIII denarii.

Incepit dominus Ghisbertus Wit, cujus bursa VI solidi, sub magistro Arnoldo Wtwiic.

Incepit dominus Gherardus de Eten sub magistro Nycolao de Gameren, cujus bursa III sol., VI denarii.

Item incepit dominus Johannes de Dordraco sub magistro Nycolao Monckedam, cujus bursa V sol.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno ut supra, 5^a die mensis Junii, in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super uno articulo, scilicet pro admittendo dominum Jacobum de Cracovia ad jurandum statutum paupertatis pro bursis solvendis pro licencia. Super quo articulo, facta ejus supplicacione ut admitteretur, deliberavit nacio eum admittendo, juramentis consuetis habitis.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno ut supra 12^a die mensis Julii in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad deliberandum, an virga nacionis mitteretur cum legatis Universitatis ad partes Almannie [1]. 2us ad supplicandum. Supplicavit Beadmundus [2] quatenus nacio vellet sibi dare licenciam eundi cum predictis legatis, attento quod eo multum indigebant, ex quo predictus Bemundus erat notus in partibus predictis et scivit lingwam. Super hoc deliberavit nacio quod virga mitteretur, habita scilicet caucione ydonea pro restitucione in casu quo perderetur vel frangeretur in via. Super 2° supplicacio ejus erat concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno ut supra, 22^a die mensis Julii in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super 2^{bus} articulis. Primus erat super computo receptoris, 2us super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit magister Johannes Clermont, licenciatus in jure canonico, ex quo erat recessurus de Parysius, et in brevi ut sperabat rediturus, quatenus nacio, si litteras recommendatorias aut quovis alio auxilio nacionis indigeret, sibi vellet tempore oportuno eas prebere. Super primo articulo deliberavit nacio quod (*Fol. 31* ^{b}) audito computo domini receptoris super singulis per eum receptis et expositis suum computum tanquam gratum approbavit. Et summa expositorum anni XCVII usque festum beate Marie Magdalene [3] erat CV libre, X solid., VI den.; et summa receptorum cum arregiis ultimi anni computo facto anno et die ut supra erat II^c XXX libr., XII solid., VII denar. Et sic defalcatis expensis factis per receptorem usque festum beate Marie Magdalene remanet debitor nacioni in C XXV libr., II solid., I den. Et notandum, quod magister Johannes Milonis receptor Universitatis tenetur nacioni de pecuniis, quas capit nomine Universitatis in XXV francis [4], de quibus receptor nacionis habet literam sub signeto rectoris.

Super 2° articulo supplicacio magistri Johannis predicti concorditer fuit concessa.

Item computavit dominus receptor in eadem congregacione de duabus domibus quantum ad exposita pro eisdem anno ut supra. Et primo de locacione domus sue in vico Brunelli recepit illo anno preterito tunc XVIII francos. Deinde expendit in reparacionibus ex nacione XIIII francos, IX solidos, IIII denarios, et III solidos pro quodam paupere [5]. Et sic remane[n]t cum receptore III franci, III solidi, VIII denarii, quibus additis debitis illi domui [6] superius scripte de anno hoc debet receptor in XXXIIII francis, XI solid., VIII denariis.

Summa expositorum premissorum de isto anno preterito usque diem hujus compoti facti pro domo *cervi* erat XX libr., II solid., VIII den.

Et recepit dominus receptor pro logagio illius domus a magistro Thoma [Marescalli] [7] in mense predicto usque ad festum Jacobi anni 1397 XXX franc., quibus defalcatis expositis predictis, remane[n]t III libr., XVII sol., III den. paris., de quibus servandus est receptor in proximo computo. Quibus tribus libris, XVII solidis, IIII denariis defalcatis de summa, in qua domus tenetur nacioni et receptori, qui pecuniam illam mutuavit, videlicet de II^c LXXVII francis, VII solidis, III denariis, remanet domus obligata in II^c LXXII francis, IX solidis, XI denariis.

Et predictus computus potest brevius sic colligi. Facta computacione receptoris 22^a die Julii [8] anni Domini 1397, que dies fuit Marie Magdalene, et tunc computo audito super 3^{bus} videlicet ex parte nacionis in se et ex parte domus *ad cornu cervi*, et ex parte domus *ad ymaginem nostre Domine* in vico Brunelli : ex parte nacionis in se fuit obligatus receptor nacioni in CXXV libris, duobus solidis, I denario, item

1. *Supra agitur de legatione Universitatis ad* secundum consilium principum Francfordiae, *hoc anno, Julii* 25, *celebrandum. Hucusque non omnino certum erat, an Universitas Paris. etiam suas legatos miserit. Vid.* WEIZSAECKER. Deutsche Reichstagsakten, II, p. 460. *Sed vid.* III, p. 65, *art.* 6. *Ex supra relatis apparet, legationem istam solemniorem fuisse priore, quia bedellus etiam cum virga mittebatur. Carolus rex Francorum in sua epist. Julii* 12 *non meminit legatorum Universitatis* (*vid. ibid.*, n° 287), *nec etiam Simon Cramaud in sua epist. Julii* 21 (*ibid.* n° 289).

2. *Bedellus nationis, cler. Treverens. dioec.*

3. *I. e.* 22 *Julii.*

4. *Scil. pro contributione ad subveniendum legatis Universitatis, qui Francfordiam profecti sunt. Vid. supra*, p. 737, 34.

5. *Ms.* paupreo.

6. *In margine* nota ad cornu cervi.

7. *Fuit nationis Picardicae.*

8. *Ms.* aprilis.

fuit obligatus ex parte domus *ad ymaginem nostre Domine* in triginta quatuor francis, undecim solidis, octo denariis; item e contra ex parte domus *ad cornu cervi* de expositis ibidem fuit nacio sibi obligata, et domus nacioni in ducentis septuaginta duobus francis, novem solidis, undecim denariis.

(*Fol. 32*) Facta congregacione generali nacionis Anglicane anno ut supra, die 28ª mensis Julii in nonis Nostre Domine, apud Sanctum Maturinum, super 2^bus^ articulis. Primus erat de reparacione domus site in vico Brunelli, quam deputati nacionis visitantes retulerunt, quod erat ibidem una camera, que indigebat reparacione tecti, addentes quod pro paucis expensis unus paries ejus, qui non erat multum durabilis etc., repararetur simul cum tecto, totam cameram usque ad tectum domus propinque elevando. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis.

Super primo articulo deliberavit nacio quod domus repararetur meliori modo quo poterat juxta exigenciam pecuniarum possibilium haberi. Super 2° nichil.

Facta congregacione generali nacionis Anglicane anno ut supra, prima die mensis Augusti in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super 2^bus^ articulis. Primus erat de collegio Dacie, super quo deliberatum fuit in Universitate ad supplicacionem et requestam nacionis, quod si domini scolares de Dacia non vellent tenere appunctuamentum habitum per Universitatem, scilicet quod darent illis de collegio Laudunensi XL francos, et ultra propter quemdam errorem illorum de Lauduno circa computum reparacionum et arregiorum domus ponerent decem libras in deposito; tunc nacio Anglicana adimpleret appunctuamentum, et illo facto tunc domus illorum scolarium devolveretur ad manus nacionis predicte ad utilitatem domus et scolarium. Et super isto convocati erant predicti scolares de Dacia ad congregacionem nacionis, quibus nacio perswasit quod predictum appunctuamentum observarent, alias ipsa nacio vellet adimplere et locare domum juxta deliberacionem Universitatis. Quo audito illico predicti scolares respondebant quod vellent semper stare judicio et consilio nacionis, regraciantes nacioni de bona assistencia in predicta materia. Et tandem fuit concorditer deliberatum, quod scolares primo darent illis de collegio Laudunensi XL francos, et dominus receptor ex parte nacionis poneret decem libras in manu rectoris [1], in quibus si domini de Dacia essent dampnificati per Universitatem, quod absit, redderent nacionem indempnem. Quod predicti scolares promiserunt adimplere eo modo quo dictum est.

Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Supplicavit magister Rogerus de Swecia pro domo de Swecia sita in vico Brunelli, quod sibi restitueretur et sociis suis, ex quo erant de Swecia. Deliberavit nacio, quod nacio ignoravit an illa domus spectabat ad totam Sweciam, vel ad unam provinciam, vel ad unum collegium, et sic dubitavit de jure predicti magistri in quo, si vellet nacionem informare, ipse redderet eum contentum. Et sic supplicacio ejus erat protunc interempta, quia predictus magister protunc non sufficiebat informare nacionem de jure predicto.

1397

(*Fol. 32 b*) Acta in procuratoria magistri Johannis de Dorp de Leydis.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M° CCC° 97°, 26ª die mensis Augusti in primis Nostre Domine apud Sanctum Julianum super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum priorem. Secundus ad exigendum debita novorum magistrorum pro prima procuratoria. 3us super supplicacionibus et injuriis. Super primo electus fuit magister Johannes de Dorp concorditer. Super secundo solverunt tres novi magistri, et quilibet eorum unum francum. Et de tribus francis solutis ex concordi deliberacione nacionis expositi fuerunt duo in taberna, et tercius reservatus pro tempore futuro. Super tercio supplicavit procurator antiquus, quod in factis per ipsum haberetur gratus et recommendatus. Cujus supplicacio fuit concessa, quia recta et racioni consona.

Isti sunt tres magistri qui solverunt pro prima procuratoria, de quibus superius facta est mensio: magister Johannes Verlo, magister Jacobus Mathei, et magister Jacobus de Haerlem.

Facta congregacione nacionis Anglicane in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum anno ut supra super duobus articulis. Quorum primus habuit duo puncta. Primum erat ad ordinandum de scolis *septem arcium* superioribus, quarum usus pertinet nacioni Picardie, nam requisivit nacio Picardie a nacione Anglicana scolas predictas sic reparari, quod caderent sub usu [2]. Secundum punctum erat, nam quidam magister et aliqui scolares nacionis de

1. *Qui tunc fuit* Petrus Cauchon, *Junii 23-Octobris* 10.

2. *Vid. supra*, p. 728, 19 *sqq.*

regno Swechie allegaverunt in Universitate, se esse proprietarios cujusdam domus site in vico Brunelli, quam possidet nacio, et supplicabant illam eis restitui. Quibus Universitas dedit deputatos ad videndum de jure, quod magister predictus et scolares se habere dixerunt. Et quia expediens videbatur quod aliqui certi magistri nacionis interessent, ubi magister et scolares predicti jus suum declararent, punctum erat ad deputandum aliquos ex parte nacionis, qui semper [ut] deputati Universitatis interessent, quando de predicta materia ageretur. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis.

Super primo puncto ordinavit nacio quod supplicaretur nacioni Picardie quod sibi placeret expectare per quindenam propter absenciam magistri Egidii de Jutfaes, qui alias ex parte nacionis cum illis de nacione Picardie tractabat super dicta materia, quod supplicatum fuit vicem tenenti procuratoris Picardie propter absenciam procuratoris. Super secundo puncto ordinavit nacio in casu, quo dicti magister et scolares vellent prosequi supplicacionem suam in Universitate, quod semper aliqui ex parte nacionis interessent; si tamen eis placeret prosecucionem differre usque ad reditum magistri Egydii, magis placebat nacioni, quia dictus magister Egydius forte per literas vel alias quantum esset [1] eorum jus clare ostenderet, et sic factum per solam nacionem tractaretur. Ad quod magister predictus ex parte sui et scolarium convenit.

Super secundo articulo supplicavit procurator Normanie ex parte nacionis sue, quod nacioni placeret deponere illa appodiamenta, quibus scole *septem arcium* a magnis scolis Normanie sustinebantur. Cui nacio respondit, multum nacioni sue regraciando de ejus benivolencia, qua promisit scolas suas scolas nacionis sic sustinere. Et ulterius supplicavit quod placeret illud appodiamentum sic dimitti per quindenam; interim nacio provideret. Quam supplicacionem dictus procurator Normanie quantum in se erat admisit, et dixit se credere quod nacio sua eciam eam libenter admitteret.

Consequenter circa istum articulum tangebatur quod multi erant novi magistri, qui adhuc pro prima procuratoria non solverunt, qui tamen prompti erant solvere. Et sic nacio ex concordi deliberacione intravit tabernam, ubi sex franci exponebantur, quorum quatuor solverunt quatuor magistri pro prima procuratoria eorum, scilicet magister Johannes de Dordraco, magister Gerardus Eten, magister Alexander de Folerton et magister Johannes Zeller, et quintus francus solvebatur cum uno franco usque ad illud tempus reservato, de quo superius facta est mensio [2], et sextum francum Bemondus concessit nacioni super primis proventibus [3].

(*Fol. 33*) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum in die sancti Mathei super tribus articulis. Primus erat ad eligendum vel continuandum receptorem. Secundus erat ad distribuendum scolas regentibus. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Super primo continuatus fuit magister Egydius de Jutfaes in receptorem, licet erat absens. Super secundo regentes pro anno preterito resignaverunt scolas in manibus nacionis, et volentes regere pro anno isto supplicaverunt pro scolis. Quibus nacio concessit scolas sub tali condicione, quod jurarent regere per majorem partem ordinarii; vel si oppositum illius contingeret, quod personaliter solverent locagium scolarum; et eciam si aliquis legere dimitteret, quod in scolis suis succederet unus magister de nacione, et nullus alterius nacionis.

Super tercio articulo supplicaverunt magister Johannes Boburch et magister Johannes Verlo, ex quo ex defectu servitii non erant determinati an regerent vel non, si se ad regendum determinarent ante festum Remigii, quod nacioni placeret eis providere de scolis. Quorum supplicacionem admisit nacio.

Regentes pro isto anno

Magister Heynricus de Aernem.
Magister Nycolaus de Ghameren.
Magister Nycolaus de Monkedam.
Magister Gerardus Doemheer.
Magister Johannes de Zutfania.
Magister Alexander Carnis.
Magister Rogerus de Suecia.
Magister Heynricus Wit.
Magister Johannes de Frankenfordia.
Magister Johannes Aveze.
Magister Johannes Beest.
Magister Gerardus Eten.
Magister Johannes Boburch est tercius vel quartus regens in ordine, cujus nomen sic postponitur, quia dum aliorum nomina scribebantur, nondum erat determinatus ad regendum.

1. *Atramento deletum.*
2. P. 746, 32.
3. *Ex quo apparet, Bomondum Parisiis ex partibus Alemaniae jam reducem fuisse, sed verisimiliter solum. Vid. infra* p. 751, *not.* 1.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno ut supra, 22ª die mensis Septembris super duobus articulis. Primus erat ad ordinandum super facto pendente inter illos de collegio Laudunensi [1] et aliquos scolares de regno Dachie pro quadam domo pertinente illis de Dachia, quam prius illi de collegio Laudunensi possidebant. Nam appunctuatum erat per Universitatem quod illi de collegio Laudunensi redderent predictam domum scolaribus de Dachia liberam et immunem ab omni onere, et pro reparacionibus et aliis expensis habitis predicti scolares solverent illis de collegio quadraginta francos, de quo appunctuamento magister et alii de collegio stabant contenti. Et scolaribus dictis videbatur quod gravarentur; attamen appunctuamento illi se conformabant, et quadraginta francos solverunt posterius. Dum domum requirerent dicti scolares, illi de collegio Laudunensi allegaverunt se errasse in computo suo de decem libris, quas requirebant antequam domum reddere volebant. Quo audito Universitas deliberavit quod predicti scolares de Dachia decem libras ponerent (*Fol. 33* b) in deposito, et per rectorem et deputatos discerneretur, an dicte decem libre illis de collegio Laudunensi aut scolaribus de Dachia pertinerent [2]. Super quo deputatis repetitis vicibus convocatis magister collegii predicti nunc deputatos habuit suspectos, nunc allegavit deputatos ignorare factum, et sic nullos deputatos approbavit, nisi illos, qui ad ejus requestam, et non per Universitatem dati nec per rectorem vocati in judicio comparuerunt. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Circa quem supplicaverunt scolares de Dachia, quod nacio eis vellet assistere et super pretactis ordinare.

Super primo articulo et super supplicacione facta ordinavit nacio quod in proxima congregacione Universitatis predicta ex parte nacionis proponerentur et Universitati supplicaretur, quod vellet dare certos deputatos de singulis facultatibus, qui veritatem de pretactis habeant discutere, non obstante quacumque suspicionis allegacione. Insuper dedit nacio deputatos, videlicet magistrum Egydium de Jutfaes, magistrum Hughonem de Delf, Magistrum Arnoldum de Utwiic [3], et procuratorem, qui semper deputatis habebunt interesse, dum de predicta materia agetur.

1397

Acta in procuratoria magistri Johannis de Dorp.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M° CCC° nonagesimo septimo, vicesima quarta die mensis Septembris, in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum, super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem, et ad continuandum antiquum. Secundus erat ad audiendum computum receptoris. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Super primo continuatus fuit concorditer magister Johannes de Dorp in procuratorem. Super 2° delatus fuit computus. Super tercio supplicavit magister Egydius Jutfaes, ex quo continuatus fuit in receptorem eo absente, quod placeret nacioni ipsum habere subportatum de illo officio, et eligere alium receptorem. Cujus supplicacionem nacio non concessit, sed dicto magistro Egydio de Jutfaes supplicavit, quod sibi placeret continuare officium receptorie per istum annum, sicud jam pluribus aliis annis continuavit.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine anno ut supra, 28ª die mensis Septembris supplicavit nacio, quod super controversia pendente inter illos de collegio Laudunensi et inter scolares de regno Dachie pro quadam domo, de qua superius frequenter est facta mensio, Universitas vellet providere, continuando videlicet antiquos deputatos, quibus factum constabat, et aliquos novos adjungendo, qui haberent plenam potestatem terminandi factum, alioquin nacio causam ad aliud judicium trahere intendebat. Quam supplicacionem Universitas concessit, videlicet antiquos deputatos continuando, et novos adjungendo, qui controversiam totaliter haberent terminare. Et altera die convocatis deputatis per dominum rectorem, et partibus presentibus, lata fuit sentencia contra illos de collegio Laudunensi, videlicet quod pro quadraginta francis, quos solverunt scolares de Dachia, illi de Lauduno haberent reddere dictis scolaribus de Dachia suam domum liberam et immunem ab omni onere, et nominatim ab illis de Sancta Genevefa, et quod decem libre posite in deposito restituerentur scolaribus de Dachia. Et quia magister de collegio Laudunensi contra dictam sentenciam murmuravit nec eam validam reputavit, rector pro majori certitudine illam sentenciam in proxima con-

1. *Ms* Lodunensi, *et sic postea in ista procuratoria.*
2. *Vid. supra p.* 745, 32.
3. *Ms.* Vytwiic.

gregacione toti Universitati retulit. Quam Universitas approbavit, et magistro dicti collegii injunxit, quod alias linguam suam magis compesceret, nec tam immoderate contra rectorem et deputatos in verba prorumperet.

Et eadem die qua supra facta fuit congregacio nacionis (*Fol. 34*) super duobus articulis. Primus erat ad reperiendum modum tractandi cum Picardis de scolis *septem arcium* superioribus. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Super primo deliberavit nacio quod si nacioni Picardie placeret, ex parte utriusque deputarentur tres vel quatuor valentes viri, qui in unum bonum modum haberent condescendere. Super secundo supplicavit magister Johannes Beest quod nacio sibi vellet concedere scolas sicud aliis concessit, quia intencionis erat regendi. Cujus supplicacio fuit concessa.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno ut supra, prima die mensis Octobris, super duobus articulis. Primus erat ad concordandum magistrum Johannem Boburch et magistrum Nycolaum de Monquedam inter se altricantes, quis eorum in regencia precederet. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo auditis allegacionibus et proposicionibus utriusque contendencium nacio dedit deputatos, qui per viam amicicie et composicionis dictos magistros concordarent. Super secundo nichil.

Facta congregacione nacionis Anglicane in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum anno ut supra, 18ª die mensis Octobris, super duobus articulis. Primus erat ad audiendum aliqua nova scripta nacioni a magistro Johanne de Austria, legato Universitatis ad partes Almanie [1]. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo lecte fuerunt litere nacioni misse, continentes aliquas requestas, ad quas nacio condescendit et ordinavit, quod ex parte nacionis dicto magistro Johanni rescriberetur. Quod et ita factum est. Super 2° nichil fuit factum, quia nullus supplicavit.

1397

Acta in procuratoria Johannis de Edynbourch.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno etc. nonogesimo septimo, die 22ª Octobris, apud Sanctum Julianum hora primarum super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem. 2ᵘˢ ad audiendum compotum receptoris. 3ᵘˢ erat super supplicacionibus. Super primo post diversas electiones et multis magistris officium refutantibus fuit electus Johannes de Edynbourch concorditer, et ob honorem matris sue nacionis officium procuratorie protunc acceptavit. Super 2° articulo delatum fuit compotum receptoris. Et isto die solverunt tres novi magistri suam primam procuratoriam, videlicet magister Christoforus Pontfret,... (*sic*), de quibus remanserunt 12 sol. in manibus Boymundi. Super 3° nichil, etc.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum hora primarum die 13ª Novembris super duobus articulis. Primus ad ordinandum de festo sancti Eadmundi. 2ᵘˢ super supplicacionibus, etc. Super primo placuit nacioni facere festum solempniter, ut alias fuit consuetum, tam in ecclesia, quam in prandio, et quod magister Egidius vellet facere diligenciam pro expensis in dicto festo [2], quia nacio protunc non habebat pecunias pre manibus. Et electi fuerunt diversi provisores, qui refutaverunt, etc. Super 2° supplicaverunt bedelli nacionis, quatinus isto anno et pro hac unica vice graciose nacio concederet eis super quemlibet determinaturum in artibus nacionis nostre dimidium francum, et eorum supplicacio concorditer fuit concessa.

Die 17ª Novembris apud Sanctum Maturinum hora primarum fuit congregacio nacionis super duobus articulis. Primus ad ordinandum de festo sancti Edmundi. Et super isto nacio supplicavit magistro Egidio de Jutfaes, ut faceret expensas in festo nacionis. Et ipse annuit supplicacioni nacionis. Et electi fuerunt provisores magistri Alexander de Foulerton et Johannes de Campen. Super 2° nichil.

1. *Difficile dictu ubinam tunc legatus fuerit ; verisimiliter* Norimbergae, *ubi in fine Septembris et mense Octobris* consilium principum *celebrabatur. Vid.* WEIZSAECKER, *l. c.*, II, p. 472 *sqq.*, *qui tamen nihil affert de legatione Universitatis ad istud parlamentum. Mense Decembris* Francofurti *consilium fuit. Notandum tamen, an.* 1400 *Universitatem Paris. ad Frankfordienses scribere, se* Johannem de Austria *cum aliis tunc* tertia vice *in Alemanniam misisse* (*vid.* WEIZSAECKER, *l. c.*, III, nº 134). *Ex quo sequitur, Johannem cum aliis legatis post secundum consilium Frankfordiense minime in Franciam reversum esse, sed in Alemannia remansisse.*

2. *Ms. add.* clare si pro quia, *verba quae scriptor delere omisit.*

1397

[Continuatio Johannis de Edinbourg.]

(*Fol. 34* ^{b}) Facta congregacione nacionis anno etc. M°CCC^{mo} nonogesimo septimo, die lune XIX^{a} die Novembris, apud Sanctum Maturinum hora primarum super duobus articulis. Primus ad eligendum procuratorem nacionis. Et ibidem fuit electus et continuatus Johannes de Edynbourg. 2us articulus super supplicacionibus et injuriis, super quo nichil.

1397

Acta in procuratoria magistri Johannis de Zande, alias de Campen.

Facta congregacione nacionis Anglie anno Domini quo supra, XVII^{a} die mensis Decembris, hora prima Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus articulus erat ad eligendum novum procuratorem predicte nacionis. 2us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo electus fuit in procuratorem nacionis prefate Johannes de Zande, alias de Campen, quia procurator precedens ob certas causas noluit continuari. Super 2° articulo nichil erat actum.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini et mense quibus supra, XVIII^{a} die, apud Sanctum Maturinum in nonis Nostre Domine post prandium super duobus articulis. Primus articulus erat ad audiendum aliqua que magister Henricus de Aernhem, protunc rector Universitatis [1], habuit dicere in nacione super *facto juramentorum* [2]. Et exprimebat ibidem dominus rector, quomodo in nocte diei precedentis habuit a deputatis Universitatis, quod pro presenti anno esset tacendum de facto juramentorum propter discordias et discensiones exortas inter aliquos magistros prefate Universitatis, tum eciam quia rex factum in manibus suis posuit, etc. 2us articulus super supplicacionibus et injuriis.

Super primo deliberavit nacio concorditer, quod pro presenti anno taceret de juramentis, sicud habuit a deputatis Universitatis, et hoc quandiu non haberet aliquod mandatum a rege sive ab Universitate ad contrarium.

Super 2° supplicaverunt magistri Alexander [de Foulerton] Scotus et Johannes de Zande, protunc procurator, quod cum ita esset quod ipsi erant electi per nacionem in procuratores festi Etmondi regis, quod computum ipsorum quod fecerunt in presencia receptoris nacionis esset gratum et avoatum. Quorum supplicacionem nacio concessit, etc.

1398

Item facta congregacione generali Universitatis apud Sanctum Maturinum hora prima Nostre Domine, VII^{a} die mensis Januarii, fuit eciam facta congregacio nacionis specialiter super duobus articulis. Primus erat ad audiendum aliquos dominos de Zwesia, qui repetebant quandam domum sitam in vico Brunelli *ad ymaginem nostre Domine*, quam nacio habet ab Universitate, que domus spectat ad illos qui sunt canonici in ecclesia Scharensi in Zwesia. Et iste dominus dixit se esse canonicum de dicta ecclesia. Super quo articulo nacio sic respondit, quod certificaret nacionem quod ipse esset in dicta ecclesia canonicus, et quod de hoc poneret causionem sufficientem, et tunc nacio libenter pro ipso faceret, quicquid juris est. 2us articulus super supplicacionibus et injuriis. Super quo supplicavit magister Rutgherus de Zwesia quod alias prefatam domum repetivit tam ab Universitate, quam nacione, ut ipse de hoc haberetur excusatus, quia percepit se non habere jus ad dictam domum. Cujus supplicacionem nacio concessit, etc.

(*Fol. 35*) Item facta congregacione nacionis Anglie anno Domini quo supra, XI^{a} die mensis Januarii hora prima Nostre Domine apud Sanctum Julianum pauperem super duobus articulis. Primus erat ad permutandum cum Piccardis usum quem habent in scolis *septem arcium* superioribus pro usu quem habemus in scolis parvis prope Secanam supra terram, et hoc in casu quo Gallici vellent permutare cum Piccardis usum pro usu, scilicet illum usum quem habent Gallici in scolis *ad rubeum equum* supra terram,

1. *Rector ab an.* 1397, *Decemb.* 17 *ad* 1398, *Martii* 24, *scilicet famosus* Henricus Poelman de Arnheim, *de quo pluries supra et infra, et imprimis in* Chartul. III, p. 631 *sqq.*

2. *De isto facto in causa cessionis et subtractionis vid.* Chartul. IV. *Proponebatur nempe in Universitate, ut praesertim officiarii jurarent prosequi unionem ecclesiae per viam cessionis et subtractionis, nec aliquod praestare impedimentum. Ex supra dictis apparet, circa hoc in Universitate exortas esse discordias. In* Memoriale factum in principio Consilii per illos qui erant pro parte papo (*Arch. Vat. arm.* 54, n° 46, *in principio vol.*), *i. e. in tertio* Concilio Paris. *an.* 1398 *celebrato, etiam dicitur:* Multa facta sunt in Universitate post tres annos, que non erant communi consensu habita nec sollemnizata, et ubi homines non habuerunt animum in consulendo et deliberandu liberum, et quemadmodum experiencia docuit *in facto juramentorum*, quod dum venit rex ad discutionem, reperta est major et sanior pars ad oppositum hujus, quod dicebatur deliberatum. *Quod etiam postea evenit. Vid. infra*, p. 765, *not.* 3.

ubi Piccardi habent proprietatem, pro usu quem habent Piccardi in scolis Gallicorum. 2us articulus erat super supplicacionibus et injuriis.

Super primo placuit nacioni illa permutacio, ut alias deliberaverant, et protunc supplicavit nacio in nacione Piccardie, que eciam habuit congregacionem protunc super eadem materia, ut vellet permutare nobiscum usum pro usu eciam, sicud tactum est. Et respondit nacio Piccardie quod libenter vellet permutare nobiscum amore concordie, hoc tamen addito quod in casu quo contingeret nacionem [1] edificare ibidem novas scolas, quod vellet gradus ponere per unum pedem plus supra terram suam, scilicet supra illum transitum quem habuit nacio ibidem clausum, ad finem ut cathedra ipsorum in scolis suis haberet satis de lumine. Et regraciabatur nacio ipsis, et dixit procurator quod libenter illa referret in nacione.

Super 2° supplicavit ille dominus de Zwesia, qui alias supplicavit ut domus, que spectabat ad provinciam Zwesie sita in vico Brunelli *ad ymaginem nostre Domine*, sibi redderetur, et adduxit ibidem aliquos testes, ut alias sibi per nacionem erat responsum quod faceret. Et protunc nacio non auditis testibus remisit eum ad Universitatem, cum nacio haberet domum predictam ab Universitate, et quod ibidem doceret jus suum, et nacio libenter sibi assisteret etc.

1398

Acta in procuratoria magistri Johannis de Zande, alias de Campen.

Item facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M°CCC°LXXXXVII° secundum stilum gallicanum, apud Sanctum Julianum pauperem, XIIII^{a} die mensis Januarii, hora prima Nostre Domine super quatuor articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us ad audiendum compotum domini receptoris. 3us ad dandum Piccardis responsum super facto scolarum *septem arcium*, quod ipsi petiverunt a nacione, ut patet satis in congregacione per ante super hoc celebrata. 4us super supplicacionibus et injuriis.

Super quorum primo continuatus fuit concorditer in procuratorem prefate nacionis magister Johannes de Zande, qui protunc solvit in taberna VI solidos, et receptor ex parte nacionis X albos, que pecunie protunc erant realiter perpotate. Super 2° placuit nacioni differre compotum domini receptoris.

Super 3° responsum erat ibi tunc Piccardis per os procuratoris, quod nacio non vellet eis aliquid promittere de illo pede terre, quem petiverunt de illo transitu medio, quia de illo transitu nacio non erat bene certa; sed tamen pretendit habere jus in illo transitu. Et si esset certificata de hoc, et edificaret ibidem novas scolas, et si faceret ibidem gradus, bene vellet eis facere graciam et non multum eis contradicere. Sed nichil voluit eis promittere. Et de illis X solidis, quos petiverunt annuatim in casu quo nacio eis non concederet illum pedem, respondit nacio quod nichil voluit dare, quod videbatur notum quod injuste illos petiverunt.

Super 4° supplicavit magister Rutgherus de Swesia, quod cum ita esset quod ipse erat actu regens, et non legerat per majorem partem ordinarii sicud quilibet regens facere tenetur, quod nacio vellet eum quitare et absolvere de solucione scolarum, quia ex certa causa oportebat eum exire villam. 2° quod nacio vellet respondere pro ipso in casu quo indigeret litteris nacionis vel aliis similibus. Quas supplicaciones nacio concessit sibi.

Item facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini quo supra, XXII^{a} die mensis Januarii, hora prima Nostre Domine apud Sanctum Maturinum immediate post sermonem factum in die beati Vincentii super duobus articulis. Primus articulus erat ad audiendum relacionem deputatorum missorum ex parte nacionis ad magistrum Guilhelmum Charceney[2] super facto scolarum *septem arcium*, quia predictus magister Guilhelmus habuit quendam transitum per scolas *septem arcium* protunc obstructum, et scole erant ita ruinose, quod oportebat eas de novo reparare; sed quia predictus magister habuit jus in transitu, ideo nacio noluit edificare sine consensu suo. Et petiverunt predicti deputati, scilicet procurator et receptor, scilicet magister Egidius Jutfacs, et magister Galterus Forestarii Scotus (*Fol. 35* ^{b}), ex parte nacionis a predicto magistro Guilhelmo quod vellet eis dimittere transitum illum amore nacionis, et nacio alias faceret pro ipso. Et respondit predictus magister quod libenter dimitteret transitum illum ob amorem nacionis, hoc addito quod quando nacio edificaret illas scolas, quod vellet tantum facere quod non haberet casum aque in alio transitu suo, ubi jam habet, et voluit quod nacio faceret ibi murum rectum usque ad tectum. Et tunc petiverunt predicti deputati, cum ibi perderent unum pedem in latitudine in scolis superioribus, quod vellet nacioni dare dimi-

1. *Scil.* Angliae.

2. *Infra*, p. 757, 35 : de Sarsineto.

dium pedem de terra sua oe illo alio transitu. Et promisit tunc deputatis duos digitos vel tres, et quod faceremus unam literam per manus unius notarii de chasteleto de predicta concordia. Et responderunt predicti deputati quod ista libenter referrent in nacione et sibi responsum in brevi darent. Et sic super isto primo articulo protunc deliberatum fuit per omnes magistros ibidem existentes quod nos caperemus illud quod ab ipso habere poteremus (*sic*), scilicet dimidium pedem vel palmam vel 3^s digitos, ad finem ut predicte scole poterint reparari, et quod de ista concordia fieret una litera per unum notarium chastelleti.

2us articulus erat super supplicacionibus et injuriis, super quo nichil protunc.

Item facta congregacione Universitatis anno Domini quo supra, XXIII^a die mensis Januarii, hora prima Nostre Domine apud Sanctum Maturinum, eciam fuit facta congregacio specialis nacionis Anglicane eadem hora super duobus articulis. Primus erat idem cum articulo congregacionis precedentis, et hoc erat ideo factum ut illud factum transiret per totam nacionem. Super quo articulo deliberatum fuit concorditer omnino eodem modo sicud in primo articulo congregacionis precedentis, quia erat eadem materia. 2us articulus super supplicacionibus et injuriis, super quo articulo nichil erat actum, etc.

Item facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini quo supra, IX^a die mensis Februarii, apud Sanctum Maturinum hora prima Nostre Domine super 4^or articulis.

Primus erat ad audiendum relacionem deputatorum ex parte nacionis super facto scolarum *septem arcium* tam quoad acta in nacione Piccardie, quam quoad magistrum Guilhelmum de Sarsineto, quia Piccardi petiverunt unum pedem terre in scolis *septem arcium* pro illa turri ibidem facienda, per quam haberetur assensus ad scolas superiores, et hoc presise pro illo assensu. Et in quadam congregacione Piccardorum in Sancto Juliano iverunt quidam deputati ex parte nacionis nostre ad nacionem Piccardie offerendo eis istum pedem, quem petiverunt pro illa turri presise, hoc tamen addito quod illa turris edificaretur expensis communibus et equalibus ambarum nacionum, et semper ita servaretur in posterum. Et erant deputati dominus procurator, dominus receptor, scilicet magister Egidius de Jutfaes, magister Arnoldus Wtwyc, magister Franco de Delf et magister Johannes Dorp. Et istud nacio Piccardie acceptavit. Et predicti deputati simul cum nacione Piccardie intraverunt tabernam, et ibi eis propinavit quatuor quartas de meliori vino, valentes VIII solidos.

Circa factum magistri Guilhelmi concordati sunt deputati cum dicto magistro Guilhelmo, secundum quod tactum est in congregacionibus suprascriptis, scilicet quod dictus magister dabit nacioni illum transitum, quem habet in scolis *septem arcium* jam obstructum libere etc., ex alia parte earundem scolarum promisit dare unam palmam de terra sua ad latitudinem palme sue, ad finem ut murus ille sit spissior, sub illa condicione quod nacio edificando predictas scolas faciet ibidem murum directum usque ad tectum, et ipsum liberabit a casu aque. Circa ista petivit predictus magister Guilhelmus quod ostenderent sibi deputati nacionis quod haberent plenam potestatem terminandi istud factum ex parte nacionis. Et erant deputati procurator, dominus receptor et magister Galterus Forestarii. Et voluit quod istud ostenderetur notario per procuratorium sive per sigillum nacionis.

2us articulus principalis ad ordinandum officiarios nacionis, scilicet examinatores bachalariorum et eciam ad distribuendum menses.

3us articulus erat super aliquibus tangentibus nacionem et honorem nacionis. Et istius erant tria puncta.

Primum erat ad avisandum quomodo haberetur pecunia pro reedificacione scolarum *septem arcium*, et hoc de illa domo *ad cornu cervi* sita in monte Sancti Hilarii, que obligata est nacioni in magna summa pecuniarum.

2um punctum erat ad dandum deputatos, qui haberent ex parte nacionis concordare cum isto domino preposito ecclesie Scharensis, qui repetivit in Universitate domum *ad ymaginem nostre Domine*, sitam in vico Brunelli ex parte ecclesie, quia predicta domus spectat ad ecclesiam Scharensem. Et erant deputati sibi dati in Universitate, et illi dederunt sibi ultra deputatos tres pro ipso, et tres pro nacione nostra, etc.

(*Fol. 36*) 3um punctum et principale istius articuli erat super ulteriori modo procedendi in facto unionis per viam substractionis beneficiorum [1], quia

1. *I. e ut Benedicto XIII potestas conferendi beneficia in regno Franciae subtraheretur. Universitas Paris., seu potius quamplurimi Universitatis, jam an.* 1394, *Februarii, asseruerunt*, quod utrique (papae) subtrahatur omnimoda obedientia, et beneficia conferantur per ordinarios, *si duo papae cedere nollent. Vid.* Schedulam commun. *in* Chartul., III, n° 1678. *Idem Universitas an.* 1395, *Aug.* 31, *proposuit. Vid.* MARTÈNE, Thes. nov. anecd., II, 1135.

dominus procurator erat requisitus per plures magistros nacionis nostre quod faceret super isto congregacionem, propterea quia hoc tunc videbatur eis expediens, sicud bene apparebit ex conclusione super hoc habita.

4us articulus super supplicacionibus et injuriis.

Super primo articulo deliberatum fuit concorditer; primo super primo puncto, scilicet quantum ad nacionem Piccardie habuit nacio nostra gratum, ratum et avoatum illud quod deputati in ista materia fecerunt, scilicet quod Piccardis daretur ille pes, quem petiverunt. Super 2° puncto ejusdem articuli dedit nacio deputatis super illa materia plenam potestatem terminandi illud factum, sive per sigillum nacionis, sive per procuratorium, secundum quod illis de alia parte placeret.

Super 2° articulo principali ordinati erant examinatores bachalariorum secundum statum et consuetudinem nacionis, scilicet dominus receptor et senior magister nacionis non regens, et duo antiquiores regentes. Et erant isti quatuor : magister Egidius de Jutfaes tanquam receptor, magister Conrardus... (*sic*) tanquam senior non regens, magister Henricus de Aernhem, qui tunc erat rector Universitatis, et magister Nicolaus Gameren tanquam antiquiores regentes. Sed distribuciones mensium pro tunc erant dilate usque ad primam congregacionem nacionis, quia nullus se presentavit.

Super 3° articulo principali, cujus tria erant puncta, deliberatum fuit concorditer, primo super puncto primo quod fieret diligencia que fieri poterit ad habendum pecunias de illa domo *ad cornu cervi* pro edificacione scolarum *septem arcium*, et hoc per omnes magistros et per quemlibet in solidum. Super 2° puncto ejusdem articuli quantum ad aliam domum *ad ymaginem beate Virginis* erant deputati dati, scilicet dominus procurator, magister Johannes de Austria[1], magister Egidius de Jutfaes, et magister Galterus Forestarii, qui haberent concordare cum illo preposito ecclesie Scharensis, qui dictam domum repetebat.

Super 3° puncto et principali ejusdem articuli deliberatum fuit concorditer nullo contradicente, et pro tunc conclusum, quod dominus procurator haberet requirere dominum rectorem, quod faceret unam congregacionem generalem Universitatis, in qua faceret unum articulum specialem et principalem super materia substractionis beneficiorum, et quod requireret facultatem theologie, quatenus daret sibi unum proponentem[3] pro isto facto, quia hoc diu fuit conclusum per Universitatem; tum eciam quia dominus rector super illo fuit pluries requisitus. Et cum hoc fuit conclusum pro illo tunc, quod istud ammodo non revocaretur in dubium, quin istud rector deberet prosequi, et eciam quod dominus procurator de cetero non faceret mensionem de isto, nisi requirendo dominum rectorem, quod istud exsequeretur.

Super 4° articulo principali supplicavit dominus Gherardus Brant de Davantria, qui erat bachalarius Coloniensis[2], quatenus placeret nacioni ipsum hic admittere tanquam bachalarium, quia hoc pluries fuit visum in nacione. Cujus supplicacioni nacio annuit et eam eciam concessit, etc. Et ista sunt conclusa non retractando deliberata que procurator conclusit.

1398

(*Fol. 36* b) Acta in procuratoria magistri Johannis de Zande, alias de Campen.

Item facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini quo supra, XIa die mensis Februarii, apud Sanctum Julianum pauperem hora prima Nostre Domine super 4or articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem vel ad continuandum. 2us erat super compoto domini receptoris. 3us erat ad distribuendum menses pro bachulariis in Sancta Genovefa. 4us erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo continuatus fuit concorditer per omnes magistros in procuratorem procurator antiquus, scilicet magister Johannes de Zande, alias de Campen. Et tunc nacio nostra intravit tabernam *ad sapletos* una cum nacione Gallicana et nacione Piccardorum, quia tunc fuimus concordes cum predictis nacionibus super permutacione usuum scolarum et eciam Piccardi cum Gallicis, et nos cum Piccardis.

Super 2° dilatus fuit compotus domini receptoris protunc. Super 3° dilate fuerunt distribuciones mensium protunc, quia nulli se presentaverunt pro istis mensibus, excepto magistro Arnaldo Wtwyc, qui

1. *Ex quo apparet,* Johannem Mullinger de Austria *e sua legatione in Alemanniam Parisios jam reversum esse.*

2. Gerardus Meynaldi de Davantria, *an.* 1391 *in Universitate Colon. intitulatus est. Vid.* Keussen, Die Matrikel der Universität Köln, I, 50. *In nota tamen confunditur eum alio* Gerardo Brant, *qui an.* 1383 *factus est baccalareus Pragensis, an.* 1387 (1388) *magister artium Pragensis* (Mon. Hist Univers. Pragens., I, 215, 256). *Sed* Gerardus Brant Colon. *an.* 1398 *nondum erat magister artium. Incertum etiam quis sit Gerardus Brant an.* 1387 *in nat. Germ. Bonon. intitulatus* (Acta nat. Germ. Univ. Bonon., 149, 16, 47). *An.* 1400 *noster in Univers. Heidelbergensi* (*vid.* Toepke, *l. c.*, I, p. 76). *An. eodem adhuc Parisiis morabatur. Vid. infra*, p. 810, 1.

3. Guillelmum de Gardino *vel* Johannem Luqueti. *Vid.* p. 765, 30 ; 766, 6.

pro omnibus obtulit unum scutum, sed non potuit habere quia impeditus fuit.

Super 4° supplicavit quidam bachalarius studii W[i]enensis in artibus, cum non esset Parisius bachalarius, et tamen intendebat procedere in artibus, quod ipse hic admitteretur tanquam bachalarius, cum hoc alias est visum. Et est nomen ejus Henricus de Ulma[1]; cujus supplicacionem nacio concessit, salvis salvandis.

Et notandum quod in ista eadem die nacio nostra una cum nacione Gallicana et nacione Piccardorum (qui omnes tunc fuerunt concordes in facto scolarum super permutacione usuum per supplicaciones in ambabus nacionibus factas) intravit tabernam *ad chapletos*, ubi nos omnes simul consumpsimus XXXIX solidos paris. omnibus computatis, quos nacio nostra ex consensu magistrorum voluit solum solvere, et ita fecit. Sed notandum quod de predicta summa dominus procurator, quia tunc fuit continuatus, solvit unum scutum, scilicet XVIII solidos. Et tunc fuit conclusum quod residuum reciperetur de mensibus et traderetur receptori in defalcacionem summe predicte, et si esset superfluum, perpotaretur, et si minus, receptor solveret ex parte nacionis. Et tunc solvit receptor unam quartam vini de melioribus, scilicet II solidos, etc. Et[2] notanda sunt bene hec, scilicet de concordia istarum scolarum, quia diu pro illa nacio laboravit, etc.

Item incepit dominus Jacobus de Scoenhovia sub magistro Nycolao de Monikedam, cujus bursa XVI denarii.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini quo supra, XXIª die mensis Februarii, hora prima Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat super aliquibus tangentibus nacionem, cujus articuli tria erant puncta. Primum erat de domo *ad cornu cervi*, quam inhabitavit ex locacione nacionis magister Thomas Maerscalli[3], qui per octo dies ante domum libere resignavit in manibus nacionis, quia intellexit quod nacio voluit aliqua facere de domo ista, ut haberet pecunias pro edificacione scolarum *septem arcium*. Et resignavit predictus magister predictam domum in festo Annunciacionis beate Virginis post medium Quadragesime, hoc tamen addito quod sibi defalcaretur secundum ratum temporis.

2um punctum ejusdem articuli erat de facto domus nacionis site in vico Brunelli *ad ymaginem beate Virginis*, quia deputati de isto facto erant concordati cum illo qui dictam domum repetivit. Et erant appunctuata ista, primum quod poneret causionem de non alienando istam domum sine consensu nacionis; 2um quod nullum de sua provincia reciperet in socium sine consensu nacionis; 3um quod in casu quo contingeret eum recedere de Parisius, quod nulli committeret predictam domum, sed redderet nacioni libere sicud eam a nacione recepit; 4um quod de festo Johannis ad annum certificaret nacionem per literas capituli, quod esset de illo capitulo, ad quod ista domus spectabat.

3um punctum et principale ejusdem articuli erat de facto unionis et de ulteriori modo procedendi, quia tetigit dominus procurator, quomodo intellexit a veridicis, quod domini *reges Romanorum et Francie* de die dominica ad octo dies post[4] erunt simul *in villa Remensi* super facto unionis et ad concordandum simul. Et circa hoc petivit dominus procurator, quod quilibet diceret quid sibi pro isto videretur faciendum, scilicet an Universitas mitteret deputatos, an non.

2us articulus et principalis ad distribuendum menses pro bachalariis. 3us articulus super supplicacionibus et injuriis.

Super primo placuit nacioni protunc resignacio dicte domus eo modo quo ipse resignavit. Et erant deputati dati, qui haberent loqui cum magistro Galtero super ista domo, quia ipse bene vellet eam inhabitare ad finem, quod ipse concederet aliquas pecunias super ista domo pro edificacione scolarum *septem arcium*, et erant deputati dominus procurator, dominus receptor et magister Hugo de Delf.

(*Fol.* 37) Super 2° puncto ejusdem articuli placuerunt nacioni apunctuamenta habita per deputatos super illa materia, duobus tamen additis, primum est quod ipse dominus archidiaconus, qui dictam domum repetivit, faceret unam cedulam, ubi ista appunctuamenta essent scripta, et quod ipse poneret causionem juratoriam de istis, eciam quod ista litera

1. *Apud* ASCHBACH, Gesch. der Wiener Universität, p. 161, *aa.* 1397 *affertur* Henricus Notarii (*Aschbach* Nithart) de Ulma, *sed ut magister, qui ut liquet e* Matricula Univers. Vindobon. (*in Arch. Univers. Vindobon.*), *fol.* 77 *sq. eodem an. mag. factus est, et aa.* 1391 *inscriptus inter* Rhenenses (*fol.* 23). *Proindeque diversus est.*

2. *Haec scripta sunt manu altera, et ante ultimam rubricam, scil. post lin.* 9.

3. *I. e.* Marescalli, *nat. Picard.*

4. *Hoc esset* 3 *Martii; sed solummodo Martii* 31 (JARRY, La vie politique de Louis de France, p. 203), *secundum* Chron. du relig. de St-Denys, II, 564 (*vid. etiam* LINDNER, Gesch. des deutschen Reiches, II, 390) *Martii* 23, *Carolus rex Francorum et Wenceslaus rex Romanorum Remis simul fuerunt.*

esset suo proprio sigillo sigillata; 2um est quod non faceret fieri aliquas in dicta domo reparaciones sine consensu nacionis; et ad visitandum illas reparaciones dominus receptor nacionis erat deputatus ex officio; tum 3° quod pecunie debite vel recipiende super istam domum ponerentur in reparacionibus domus, et non ad utilitatem suam sive ad usum suum.

Super 3° puncto ejusdem articuli placuit nacioni quod dominus rector requireretur, quatenus ipse faceret diligenciam de habendo aliquos deputatos sive *legatos*, qui irent *cum domino rege Francie ad* illud *consilium*[1], et quod ipse faceret congregacionem Universitatis super isto; alias nacio aliter procederet. Que omnia acta sunt per procuratorem.

Super 2° et 3° articulo protunc nil erat actum, etc.

1398

Sequuntur nomina determinancium istius anni Domini M.CCC. nonagesimi septimi secundum stilum ecclesie Gallicane, secundum alium stilum 98, etc.

Primo determinavit dominus Nycolaus de Dacia sub magistro Rutghero de Zwesia, cujus bursa VIII solidi.

Item determinavit dominus Navno de Dacia sub eodem, cujus bursa VIII solid.

Item determinavit dominus Rembrandus de Purmer sub magistro Nycolao de Monikedam, cujus bursa III solidi.

Item determinavit dominus Coenrardus Lang[2] sub magistro Johanne de Francfordia, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit dominus Marcwardus de Weyla sub eodem, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit dominus Hermannus Permiter de Eslinga[3] sub eodem, cujus bursa XVI denar.

Item determinavit dominus Helyas de Culenborch sub magistro Johanne de Zutfania, cujus bursa II solidi, VIII denarii.

Item determinavit dominus Johannes Tyenhoven[4] sub magistro Nycolao de Gameren, cujus bursa III solidi, IIII denarii.

Item determinavit dominus Jacobus Symonis de Leyden sub eodem, cujus bursa VIII solidi.

Item determinavit Johannes Aernoldi de Woerden sub magistro Gherardo Eeten, cujus bursa IIII solidi.

Item determinavit dominus Johannes Pelen de Amsterdam sub magistro Johanne de Zutfania, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit dominus Johannes Pender sub eodem, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit dominus Johannes de Egmonda, protunc provisor provincie Almanie, sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa IX solidi.

Item determinavit dominus Albertus de Lederdam[5] sub magistro Nycolao de Gameren, cujus bursa III solidi, IIII denarii.

Item determinavit dominus Arnoldus Hermanni sub magistro Johanne de Zutphania, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit dominus Hermannus Ummen sub eodem, cujus bursa II solidi.

Item determinavit dominus Johannes Ydyl sub magistro Alexandro de Carnis, cujus bursa V sol.

Item determinavit dominus Johannes Leonis sub eodem, cujus bursa VI solid., VI denar.

Item determinavit dominus Paulus Meynardi sub magistro Henrico de Aernhem, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit dominus Ulricus Baselaer sub magistro Rutghero de Zwesia, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit dominus Andreas de Sancto Monte sub magistro Johanne de Francfordia, cujus bursa XX denarii.

Item determinavit dominus Johannes Schroeter sub eodem, cujus bursa XX denarii.

Item determinavit dominus Arnoldus Dorp sub magistro Johanne Dorp, cujus bursa XVI denar.

Item determinavit dominus Johannes Mazingher sub magistro Johanne de Francfordia, cujus bursa XVI denarii.

(*Fol. 37* [b]) Item facta congregacione nacionis An-

1. *Nemo hucusque narravit, Universitatem etiam Paris. suos legatos ad istud colloquium Remense misisse.* FROISSART (Œuvres, *éd.* KERVYN DE LETTENHOVE, XVI, p. 83) *scribit, fuisse « une très grande assemblée de prélats et seigneurs », et etiam in* Chron. du rel. de St-Denys *de legatis Universitatis altum silentium. Proinde dubitare quis posset, an Universitas propositum suum etiam peregerit. Sed ex infra relatis* p. 768, 42 *apparet, Universitatem revera suos legatos misisse; nuntius nationis Anglic. fuit idem qui paene semper,* Johannes Mullinger de Austria.

2. *Qui postea vocatur* de Esslinga. *An.* 1407 *intitulatur ut mag. art. in Universitate Heidelbergensi. Vid.* TOEPKE, Die Matrikel der Univers. Heidelberg, I, p. 103.

3. *Ms.* Selinga.

4. *I. e.* Diedenhofen.

5. *An.* 1395 *intitulatus est in Universitate Coloniensi. Vid.* KEUSSEN, Matrikel, I, p. 64.

glie anno Domini quo supra, XXVI^a die mensis Februarii, in nonis Nostre Domine post prandium apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad dispensandum cum aliquibus bachallariis, qui petebant dilacionem bursarum pro determinancia, quia ipsi dicebant se tunc non habere facultatem solvendi hujusmodi bursas pro determinancia per eos debitas. 2us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Et supplicaverunt ibidem in nacione illi domini qui deberent determinare quod ipsi possent ponere pignera pro bursis determinancie, et erant VII supplicantes et nomina illorum habentur in alio latere per ante cum nominibus aliorum determinancium. Super primo articulo placuit nacioni dispensare cum ipsis, hoc addito quod quilibet illorum juraret juramenta requisita pro illis qui petebant dilacionem bursarum, et hoc in plena nacione. Et ita factum est. Super 2° supplicaciones eorum fuerunt concesse, hoc addito quod facerent secundum statuta nacionis. Et ita fecerunt etc.

Item facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini quo supra, ultima die mensis Februarii, hora 3^a post prandium apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat super aliquibus tangentibus honorem nacionis, et hoc valde. Cujus articuli 3^a erant puncta. Primum erat de proposicione habita coram domino duce Biturie super facto sancte unionis per viam subtractionis, quia dominus procurator supplicavit domino proponenti, scilicet magistro Wilhelmo de Gardino [1], quod ipse excusaret nacionem in isto facto, cum dominus rector [2] omnia illa que tunc fecit, fecit contra concessum et consilium nacionis, cujus oppositum in sua electione promisit. Et supplicavit dominus procurator, quia hoc fecit per consilium aliquorum magistrorum [3], quod in hoc haberetur gratus et avoatus.

2um punctum erat de eodem facto et de proposicione habenda coram domino nostro rege de isto eodem facto unionis per viam substractionis. Et erat punctum tale, an dominus procurator haberet ex parte nacionis supplicare domino proponenti, scilicet magistro Johanni Luketi, quod eciam coram rege excusaret nacionem in isto facto, dicendo sibi quod nacio est et fuit semper pro conclusione sua habita in consilio suo ultime celebrato super isto facto [4], et quod dominus rector solus est qui est contra nacionem, non obstante quod sit de nacione, et oppositum in nacione promis[er]it.

3um punctum erat de ulteriori modo procedendi in isto facto, quia dominus procurator requisitus fuit per procuratores duos aliarum nacionum [5], quod ipse assisteret ipsis in istis factis, attento illo quod dominus rector in illo noluit procedere secundum conclusionem per Universitatem domino regi et ejus consilio traditam; eciam viso illo, quod dominus rector noluit concludere secundum majorem partem, quamvis [6] requisitus per alias facultates.

2us articulus fuit iterum ad distribuendum menses. 3us fuit super supplicacionibus et injuriis.

Super primo articulo, primo super primo puncto habuit nacio concorditer dominum procuratorem gratum et avoatum in illo facto, ymo plures dixerunt quod dominus procurator per juramentum suum hoc facere tenebatur, quia illa supplicacio fuit maxime necessaria ad finem, ut honor nacionis servaretur.

Super 2° puncto ejusdem articuli fuit dominus procurator concorditer requisitus per omnes magistros nacionis, quod supplicaret domino proponenti, qui coram domino rege est propositurus istud factum, quod ipse vellet nacionem nostram excusare in isto, dicendo quod ipsa est semper et fuit semper in isto facto prompta et parata, et semper fuit pro conclu-

1. *Mag. in theol., de quo pluries in* Chartul., III, *et supra*, p. 760, 4.

2. Henricus Poelman de Arnheim.

3. *De facto hoc, hucusque ignoto, vid.* Chartul., IV. *Breviter hic quaedam referemus. Antequam rex Remos ad colloquium pergeret, voluit Universitas. Paris. conclusionem habere* de subtractione beneficiorum *Benedicto XIII* (*vid.*, p. 760, 1 *sqq.*). *Conclusio Universitatis tunc minime concors fuit, ut etiam post aliquos menses in concilio Parisiensi.* Poelman de Arnheim, *qui sicut olim pro Clemente VII* (*vid. supra* p. 621, 26, *et postea, deinde* p. 645, 46; 651, 14), *sic nunc, contra maximam partem Universitatis, pro Benedicto fuit, in quo ab aliquibus magistris Universitatis adjuvabatur. Et sic se opposuit conclusioni nationis Anglicanae, quae erat pro subtractione, quia dixit, non esse concordiam, nec conclusit secundum conclusionem Universitatis regi traditam. Impedivit etiam Gallicanos et Normannos. Ad simile factum alludebat* Petrus Ravati, *episc. S. Pontii in tertio concilio Paris., dicens* : De Universitate Paris. sine injuria cujuscunque loquendo dicitur a fidedignis ipsius Universitatis, quod quanquam ista fiant nomine ipsius, tamen si regi placeret facere perscrutari vota singulorum, reperiretur quod considerata auctoritate, zelo et gradu suppositorum, ista non procedunt de voluntate totius Universitatis, ymo ut ita loquar, nec medie, nec forsitan tercie partis (Arch. Vat. arm. 54, n° 21, fol. 223^b; *compendiose in* Concil. *ed.* LABBE-MANSI, XXVI, 848). *Additur :* « Et hic domini de Universitate aliqui murmurarunt, dicentes quod non erat verum » (*deest apud* LABBE-MANSI *et apud* EHRLE). *Certe Petrus Ravati immoderatus fuit. Tamen aliquid veri latebat in ejus sententia, ut e superioribus et ex facto* juramentorum (*vid. supra*, p. 753) *apparet. Idem dicit magister* Nicolaus Becherer : quam substractionem... unacum Universitatis *majori parte* concluserunt, attamen quamplurimis tacite non consentientibus, ut... pluribus doctoribus magistrisque Universitatis alme Paris. WEIZSAECKER, Deutsche Reichstagsakten, V, p. 597.

4. *In* secundo Concilio Paris., *de quo supra*, p. 721, *not.* 2.

5. *Nat.* Gallic. *et* Normann.

6. *Ms.* et quia.

sione regis habita in consilio suo, et quomodo dominus rector illa que facit, facit contra concensum nacionis simpliciter et absolute, cujus oppositum tamen facere promisit in nacione in sua electione. Et ita factum est per dominum procuratorem.

Super 3° deliberatum fuit concorditer per omnes, quod dominus procurator adjungeret se aliis procuratoribus in isto facto, et quod faceret cum illis quicquid eis expediens videretur pro facto, et hoc semper in bonum et ad prosecucionem conclusionis tradite per Universitatem domino regi, et hoc cum consilio aliquorum magistrorum in isto facto.

Super 2° et 3° articulo nichil protunc erat actum, et hoc ex illa causa, ut primus articulus melius expediretur, et eciam quia tarde fuit, etc.

Et notandum quod in ista congregacione comparuerunt plures magistri, qui in congregacione celebrata super facto substraxionis non comparuerunt, quia impediti, et illi erant omnino ejusdem conclusionis cum conclusione tunc habita per nacionem, scilicet quod substraxio fieret, et quod domino regi proponeretur, etc. Et ista conclusit dominus procurator, non retractando alias deliberata etc. Notavit hec Campen etc.

(*Fol. 38*) Item facta congregacione nacionis Anglie anno Domini quo supra, IX^a die mensis Marcii hora sexta in clinqueto apud Sanctum Bernardum, et hoc ideo quia tunc dominus rector ibidem fecit congregacionem Universitatis super aliquibus proponendis per dominum rectorem, quia dominus rector voluit facere unum articulum ad habendum concordiam de proponendo coram rege domino nostro. Et feci illa[m] congregacionem nacionis ad finem, ut me ex parte nacionis opponerem domino rectori, et quod nacio staret in alias deliberatis super isto, quia ista, de quibus dominus rector petivit concordiam, alias fuerunt deliberata per Universitatem, saltem per 3as facultates, et ista protunc ita fuerunt conclusa, sicud ego procurator ea posui in deliberacione, et ita feci proposicione facta per dominum rectorem in proponendo deliberanda. Et protunc de propositis per rectorem nichil fuit deliberatum [1].

Super supplicationibus nichil erat actum etc.

1398

Acta in procuratoria magistri Johannis de Zande, alias de Campen, etc.

Facta congregacione generali nacionis Anglicane anno Domini quo supra, XI^a die mensis Marcii, hora VII^a de mane apud Sanctum Maturinum super 4^or articulis. Primus articulus erat ad eligendum procuratorem. 2us ad audiendum computum domini receptoris. 3us fuit super facto scolarum *septem arcium*, quia aliqui deputati nacionis una cum deputatis nacionis Piccardie fecerunt pactum cum latomis ad faciendum unam turrem et unum murum medium inter Piccardos et nos, quia hoc ita per ante per nacionem nostram fuit conclusum. Et fuit pactum tale, quod latomi illi, scilicet unus pro nobis et unus pro Piccardis, facerent simul illam turrem, et haberent de tasea XXIX solidos, sed ipsi facerent apportari omnes lapides et omnia necessaria, et iterum deportari omnes immundiciones expensis suis. Et sic pro omnibus istis non haberent nisi XXIX solidos paris. pro tasea. 4us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis.

Super primo continuatus fuit in procuratorem nacionis procurator precedens, scilicet magister Johannes de Campen nemine contradicente seu reclamante. Super 2° dilatus fuit protunc computus domini receptoris certis de causis. Super 3° placuit nacioni pactum illud factum per deputatos nacionis et per Piccardos cum latomis eo modo, quo deputati fecerunt. Et erant deputati nacionis procurator et magister Egidius de Jutfaes et magister Galterus Forestarii. Super 4° articulo nichil, quia nullus supplicavit, etc.

Alia congregacio.

Item convocata nacione prefata specialiter anno Domini quo supra, XIII^a die mensis Marcii, hora secunda post prandium apud Sanctum Maturinum super 4^or articulis. Primus erat ad habendum pecunias pro nacionis nuncio, scilicet pro magistro Johanne de Austria, quia in congregacione Universitatis celebrata in die precedenti, conclusum fuit quod aliqui nuncii irent ex parte Universitatis ad illud consilium celebrandum per duos reges Romanorum et Francie in confinibus Francie [2]. Et protunc, scili-

1. Henricus Poelman *noluit se submittere Universitati, proindeque ut perjurus et infamis ex Universitate ejectus est. Vid. ad an.* 1399, *Febr.* 27. *Fuit an.* 1403 *restitutus, postquam Universitas Benedicto XIII obedientiam restituerat.*

2. *Scilicet* Remis. *Vid. supra* p. 763, 12.

cet in illa congregacione Universitatis fuit conclusum, quod quelibet facultas provideret suo, et quelibet nacio suo nuncio de expensis. Ideo feci congregacionem nacionis super isto.

2us articulus fuit super facto domorum nacionis scilicet *ad ymaginem beate Virginis* in vico Brunelli et de domo *ad cornu cervi*, quia illi qui predictas domos locaverant, adhuc nichil solverunt pro locagio istius anni et nacio protunc indigebat pecuniis pro nuncio et pro scolis *VII arcium*.

3us articulus fuit de istis magistris noviter magistrandis per Dei graciam, quia moris est quod quilibet magister solvat unum francum pro prima procuratoria, et ille francus communiter perpotabatur, et quia nacio jam est multum pauper et oportet eam edificare scolas *septem arcium*, tum eciam quia omnes magistri illum francum solverunt statim post incepcionem.

4us super supplicacionibus et injuriis. Supplicavit dominus receptor quod fieret diligencia ex parte nacionis ad habendum pecunias de illis domibus, quia ipse non potuit habere. Supplicavit etiam Guilhelmus subbedellus pro deputatis, quia ipse in officio nacionis et in labore fuit verberatus; et nacio se sibi adjunxit et ille qui[1] ipsum percussit, ipsum citari fecit.

(*Fol. 38 b*) Super primo articulo deliberatum fuit, quod dominus nuncius sive legatus nacionis haberet ad minus expensas suas a nacione, et quod haberet tantum sicud alie naciones darent suis. Et eciam dictum, quod si plus exponeret quam nacio sibi dedit, quod nacio hoc solveret; et si rediret ante tempus et si quid superfluum esset de pecuniis, quod benefaceret et nacioni redderet secundum conscienciam suam.

Super 2° deliberatum fuit et conclusum, quod ex parte nacionis fieret diligencia ad habendum pecunias de illis domibus pro nuncio et scolis, et quod fieret eciam diligencia de locando domum *ad cornu cervi* alicui, qui nacioni concederet aliquam summam pecunie pre manibus antequam domum intraret.

Super 3° fuit per totam nacionem deliberatum concorditer et protunc conclusum, quod quilibet magistrandus, qui esset de nacione, solveret unum francum pro prima procuratoria, quem solvere consueverunt et communiter solet potari; sed quod non potaretur, sed solverent omnes, antequam inciperent, et quod ille francus poneretur ad usum nacionis. Eciam conclusum fuit, quod hoc fieret usque ad revocacionem nacionis.

Super 4° supplicaciones fuerunt concesse simpliciter, etc.

Sequuntur nomina subdeterminancium istius anni suprascripti.

Item subdeterminavit dominus Fredericus Trast sub magistro Rutghero Trast sub principali determinatore Navnone de Dacia[2], cujus bursa V solidi. Solvit per dispensacionem.

Item subdeterminavit dominus Petrus Key sub magistro Johanne de Zutphania sub principali determinatore Johanne de Woerden, cujus bursa nichil, quia pauper.

Item subdeterminavit dominus Guilhelmus Henrici de Delf sub eodem, sub principali determinatore Johanne de Amsterdam, cujus bursa XVI denarii. Solvit per dispensacionem.

Item subdeterminavit dominus Ghiselbertus de Wiszenborch sub magistro Gherardo de Eten, sub principali determinatore Andrea de Sancto Monte, cujus bursa nichil. Juravit statutum paupertatis.

Item subdeterminavit dominus Henricus de Asperen sub magistro Nycolao de Monikedam, sub principali determinatore Johanne de Egmonda, cujus bursa nichil. Juravit statutum paupertatis.

Item facta congregacione nacionis Anglie anno Domini quo supra, IIa die mensis Aprilis hora prima Nostre Domine apud Sanctum Julianum pauperem super 4or articulis. Primus erat ad distribuendum menses pro bachallariis apud Sanctam Genovefam; 2us articulus fuit ad habendum pecunias de domo *ad cornu cervi* pro edificacione scolarum *septem arcium*, quia quidam magister instetit pro illa domo, scilicet magister Thomas Fabri[3]. 3us erat ad audiendum computum domini receptoris, quia ipse erat iturus ad partes, et eciam ad substituendum unum. 4us fuit super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo datus fuit primus mensis magistro Guilhelmo Bloc pro IIII solidis, quia nullus plus obtulit, et alii non sunt dati, quia nulli se presentaverunt. Super 2° articulo deliberatum fuit, quod aliqui deputati, scilicet procurator et alii magistri, quos procurator caperet, haberent tractare cum dicto domino Thoma Fabri et sibi dicere, quod daret tantum de pecuniis pre manibus, quod nacio posset edificare illas scolas. Et dictum fuit quod deputati circa hoc facerent melius quod possent. Super 3° articulo, quia tarde erat[4], dati fuerunt deputati, quod audirent compu-

1. *Ms.* quod.
2. *De ipso vid. an.* 1399, *Maii* 5, p. 799, *not.* 2.
3. *Fuit nationis Normannorum.*
4. *Ms.* erant.

tum domini receptoris. Et placuit nacioni quod ipsi in ejus absencia unum substitueret. Super 4° supplicaverunt magister Benedictus de Hongaria [1] et dominus Johannes de Colonia, qui fuerunt licenciati in decretis Parisius in die precedente, et in licencia de locis ipsorum fuerunt male contenti et appellaverunt de locacione a facultate decretorum ad Universitatem. Et sic ipsi supplicaverunt quod nacio ipsis assisteret et pro eis in Universitate supplicaret. Et supplicatio magistri Benedicti fuit concessa; supplicacio alterius, quia graciosa, fuit per unum magistrum interempta. Et dati erant deputati, qui haberent ipsos audire et eos cum decretistis concordare. Sed nacio noluit appellare cum ipsis etc.

1398

(*Fol. 39*) Acta sunt hec in procuratoria magistri Franconis de Delf.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M° CCC° nonagesimo octavo, octava die mensis Aprilis hora sexta de mane apud Maturinum super duobus articulis. Primus est ad eligendum novum procuratorem. 2us super supplicacionibus et injuriis. Super primo electus fuit concorditer magister Franco de Delf in procuratorem nacionis predicte. Super 2° supplicavit magister Johannes de Zande alias de Campen, predecessor meus, ut haberetur gratus, ratus, avoatus et recommendatus. Et concessa erat ejus supplicacio concorditer apud omnes nemine contradicente. Supplicavit eciam dominus Aquinus Asari de Zwesia archidyaconus ecclesie Scarensis, ut nacio cum eo supplicaret in Universitate quatinus Universitas sibi concederet et traderet in manibus suis domum *ad ymaginem beate Marie* sitam in vico Brunelli, de qua nacio secum concors est. Et supplicacioni omnes annuerunt unanimiter.

Facta congregacione Universitatis apud Sanctum Maturinum X^a die ejusdem mensis venit ad nacionem magister Benedictus de Ungaria, et supplicavit quatinus nacio sibi vellet assistere in prosequendo factum suum contra facultatem decretorum, de quo mencio facta est prius per procuratorem precedentem. Et nacio super hoc deliberavit quod sibi vellet dare auxilium et consilium, et ipsum juvare omnibus modis possibilibus, preter ad placitandum contra facultatem. Et cum hoc dedit deputatos ad ipsum concordandum cum predicta facultate.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, X^a octava die ejusdem mensis, in primis Nostre Domine scilicet in octava hora super tribus articulis. Primus est de facto domorum ad nacionem pertinencium, scilicet *ad cornu cervi* in vico Sancti Hylarii, et *ad ymaginem nostre Domine* in claustro [2] Brunelli. 2us fuit ad distribuendos menses. 3us fuit super supplicacionibus et injuriis.

Super primo tetigi quomodo diligencia erat facta pro habendo unum abbatem vel alium probum virum, qui inhabitaret domum *ad cornu cervi*, qui concederet certam summam pecunie, antequam intraret, cum fierent scole *septem arcium*; sed nullus potuit talis reperiri. 2° tetigi, ex quo nullus talis potuit reperiri, et magister Egidius de Jutfaes tunc receptor nacionis diu exposuit pecunias suas in reparacione illius domus, et amplius non posset carere eis sine magno dampno, quod predicta domus poneretur in manibus suis, donec sibi esset satisfactum per nacionem vel alias. 3° tetigi quomodo feci citari magistrum Thomam Mareskalli, qui predictam domum anno precedenti inhabitavit; sed modicum aut nichil de locagio solvit. Super primo deliberavit nacio quod adhuc fieret diligencia si posset reperiri aliquis abbas vel alius, qui vellet predictam domum inhabitare et concedere pecunias, ut tactum est. Super 2° distulit nacio usque adventum magistri Egidii predicti, qui protunc erat in partibus suis, et si interim non posset reperiri abbas vel alius, post adventum ejus nacio bene tractaret et concordaret secum. Super 3° placuit nacioni quod magister Thomas fu[er]it citatus, et voluit quod fieret prosequcio sicud deceret. De alia domo tetigi eciam quod nacioni non erat satisfactum de locagio. Et respondit magister Johannes Mayenberch quod esset aliquid refaciendum, et quando illud esset factum, ipse libenter vellet satisfacere nacioni. Et illud placuit nacioni.

Super 2° articulo principali distributus erat 2us mensis magistro Johanni de Campem pro duobus solidis, quia nullus plus voluit dare, et alii remanserunt distribuendi.

Super 3° principali supplicavit dominus Heynricus de Gorickem, licenciandus in artibus, quod cum ita esset quod pro presenti non haberet bene solvere bursas sicud alii, quatinus nacio vellet ipsum admittere secundum statuta paupertatis, et similiter pro magisterio, ne oporteret nacionem super hoc vexari, quod posset jurare statuta paupertatis in manibus

1. *Seu* de Makra. *De hoc famoso supposito, an.* 1403 *propter rebellionem in Hungaria excitatam a rege Sigismundo incarcerato, vid. ad an.* 1406, *Jun.* 8.

2. *I. e.* Clauso.

procuratoris. Et supplicacio sua fuit admissa. Supplicaverunt eciam dominus Heynricus de Ulma et dominus Heynricus Andree quod, cum pro presenti non haberent pecunias, quod nacio vellet expectare usque ad festum Penthecostes de bursis. Et deliberavit nacio de Heynrico de Ulma quod ex quo alias admissus sit tanquam bachalarius [1], quod satisfaceret de bursis bachalariatus et licencie, et juraret statuta et poneret vadia in presencia nacionis. Et ita fecit. De domino Heynrico Andree, quia non constabat de bachalariatu alibi nec Parisius, nacio ipsum tunc admisit tanquam bachalarium, prestito juramento super hoc, quod alibi fuit bachalarius [2]. Et postea supplicacio sua erat concessa, sicut supplicacio alterius.

(*Fol. 39 b*) Isti sunt qui fuerunt licenciati anno nonagesimo octavo.

In primo licenciatus est dominus Helyas de Culenburch sub magistro Nycolao de Ghameren, cujus bursa II solidi, VIII denar.

Item licenciatus est dominus Bernardus Flogheling sub magistro Johanne Bouburt, cujus bursa VII solidi.

Item dominus Heynricus de Ghorickem licenciatus est sub magistro Nycolao de Ghameren, cujus bursa nichil, quia juravit statutum [paupertatis].

Item licenciatus est dominus Heynricus Andree [de] Ghiislingen sub magistro Heynrico de Aernem, cujus bursa VII solid. Et iste admissus fuit in congregacione tanquam bachalarius; solvet tantum pro bachalariatu et proporcionabiliter pro scolis.

Item licenciatus est dominus Johannes de Asperen sub magistro Nycolao de Ghameren, cujus bursa III solidi, VI denarii.

Item licenciatus est dominus Gheraerdus Brant, alias de Devantria, sub eodem, cujus bursa VII sol., et tantum in bachalariatu preter scolas.

Item licenciatus est dominus Heynricus de Ulma sub magistro Heynrico de Aernem, cujus bursa V solidi, VI denarii. Et quia iste idem admissus fuit alias tanquam bachalarius, eciam solvet V solidos et VI denarios pro bursa, et pro scolis proporcionabiliter.

Item licenciatus est dominus Nycolaus [a] de Argentina sub magistro Heynrico de Aernem, cujus bursa V solidi, VI denarii.

Item licenciatus est dominus Thomas de Rinde sub eodem, cujus bursa V solidi, VI denarii.

Item licenciatus est dominus Ortwinus de Francfordia sub magistro Nycolao de Ghameren, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus est dominus Nycolaus de Scoenhovia sub eodem. cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus est dominus Theodericus Theoderici Poelman, alias de Aernem, sub magistro Heynrico de Arnem, cujus bursa III solidi.

Item licenciatus est dominus Johannes de Hassia sub magistro Nycolao de Ghameren, cujus bursa III solidi.

Item licenciatus est dominus Johannes de Egmonde, provisor provincie Almannie tunc temporis, sub magistro Nycolao de Ghameren, cujus bursa IX sol.

Item licenciatus est dominus Petrus de Ghiesen sub magistro Nicolao de Ghameren, cujus bursa septem solidi.

Item licenciatus est dominus Reynerus de Delf sub magistro Nicolao de Ghameren, cujus bursa quinque solidi.

Item licenciatus est dominus Johannes Pender sub magistro Johanne de Zutphania, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Item licenciatus est dominus Paulus de Harlem sub magistro Nicolao de Monkedam, cujus bursa II solidi.

Item licenciatus est dominus Jordanus de Derthesen sub magistro Nicolao de Gameren, cujus bursa septem solidi.

(*Fol. 40*) Isti sunt qui inceperunt in artibus anno nonagesimo octavo.

In primis incepit dominus Helyas de Culenburch sub magistro Nycolao de Ghameren, cujus bursa II solidi, VIII denarii.

Item incepit dominus Bernardus Flogheling sub magistro Johanne Bouburt, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Heynricus de Ghorichem sub magistro Nycolao de Ghameren, cujus bursa nichil, quia juravit statutum [paupertatis].

Item incepit dominus Gherardus Brant, alias de Devantria, sub magistro Nycolao de Ghameren, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Johannes de Asperen sub eodem, cujus bursa III solidi, VI denarii.

Item incepit dominus Nycolaus de Argentina sub

1. *Vid. supra*, p. 761, 3.

2. *In Universitate Pragensi invenitur ad an.* 1385 Henricus Andree de Succia (Mon. hist. Univers. Prag., I, 233), *sed an.* 1387 (1388) *ibid. admissus ad magisterium* (p. 257). *Et noster non fuit* Succus, *sed* Suevus, de Geislingen.

3. *I. e.* Nicholaus Becherer.

magistro Heynrico de Aernem, cujus bursa V solidi, VI denarii.

Item incepit dominus Thomas de Rinde sub eodem, cujus bursa V solidi, VI denarii.

Item incepit dominus Heynricus Andree sub magistro Heynrico de Aernem, cujus bursa VII sol.

Item incepit dominus Heynricus de Ulma sub eodem, cujus bursa V solidi, VI denarii.

Item incepit dominus Ortwinus de Francfordia sub magistro Nycolao de Ghameren, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Nycolaus de Scoenhovia sub eodem, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Jacobus de Cracovia sub magistro Nycolao de Ghameren, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Item incepit dominus Theodericus Theoderici Poelman, alias de Aernhem, sub magistro Heynrico de Aernhen, cujus bursa III solidi.

Item incepit dominus Johannes de Hassya sub magistro Nicolao de Gameren, cujus bursa III sol.

Item incepit dominus Johannes Pender sub magistro Johanne de Zutphania, cujus bursa nichil.

Item incepit dominus Reynerus de Delf sub magitro Nicolao de Ghameren, cujus bursa quinque sol.

Item incepit dominus Jordanus de Derthesen sub magistro Nicolao de Ghameren, cujus bursa septem solidi.

(*Fol. 40* b) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, XXIIIª die ejusdem mensis, in nonis Nostre Domine scilicet in 3^a hora post prandium super duobus articulis. Primus fuit super distribucione mensium, qui in precedenti congregacione remanserunt distribuendi. 2us fuit super supplicacionibus et injuriis. Super primo deliberavit nacio quod differretur usque alias, attento quod non potuit habere nisi 4^{or} albos de 3° mense, quod nimis modicum sibi videbatur protunc. Super 2° supplicaverunt dominus Heynricus Andree et dominus Heynricus de Ulma pro dilacione solucionis bursarum, attento quod pro presenti non haberent pecunias, cum quibus nacioni possent satisfacere. Et petiverunt terminum ut in licencia usque ad festum Penthecostes. Et concessit nacio supplicacionem eorum secundum statuta nacionis, et posuerunt et tradiderunt pignora receptori in presencia nacionis.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum hora sexta de mane, penultima die ejusdem mensis [1], super duobus articulis. Primus fuit ad distribuendum menses, scilicet 3^m, 4^m et sequentes ex quo non fuerunt nisi duo distributi. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. Primum articulum nacio differebat usque ad alias. Super 2° venit ad nacionem dominus Ortwinus de Francfordia, licenciatus in 2^a audicione Sancte Genofeve, qui non potuit expediri apud procuratorem pro incipiendo in artibus, eo quod sibi juramenta ad gradum licencie optinendum [2], ut moris est, non juravit, jurans et juramento confirmans ipsum hoc non fecisse in fraudem seu prejudicium nacionis, sed ex sola ignorancia provenisse, et supplicavit nacioni ut nacio vellet sibi indulgere et quod adhuc posset jurare juramenta requisita ad gradum licencie. Et deliberavit nacio, concedendo supplicacionem suam, dummodo juraret in presencia procuratoris et aliquorum aliorum magistrorum. Et juravit michi procuratori predicta juramenta in presencia magistri Nycolai de Ghameren, tunc temporis substituti receptoris, magistri Johannis Ghalencop, magistri Gherardi Brant, alias de Devantria, et aliorum qui presentes fuerunt tunc temporis.

1398

Continuacio predicti magistri Vranconis de Delf.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, die sexta mensis Maii, hora prima Beate Marie scilicet immediate post sermonem, cum tunc festum erat Johannis ante portam Latinam, super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem. 2us fuit ad distribuendum menses, scilicet 3^m et sequentes. 3us super supplicacionibus et injuriis. Super primo continuatus fuit in procuratorem nacionis procurator precedens, scilicet magister Franco de Delf nullo reclamante. Super 2° distributus fuit 3us mensis magistro Heynrico Wit pro duobus solidis, qui reservabantur ad satisfaciendum receptori de pecuniis alias perpotatis. Super 3°, primo supplicavit procurator precedens, quatinus in illis que fecerat in procuratoria precedenti, haberetur ratus, gratus, avoatus et recommendatus. Et supplicacio sua concessa unanimiter apud omnes. 2° supplicavit dominus Jacobus de Cracovia, licenciatus in artibus, quia libenter vellet incipere, et non haberet facultatem bursas solvendi, quod nacio vellet ipsum admittere ad incipiendum secundum statuta nacionis. Et supplicacio sua

1. *Aprilis* 29.

2. *Ms.* optinenda.

erat concessa. Et juravit juramenta requisita et statuta nacionis de volentibus jurare paupertatem in presencia nacionis [1]. Item supplicavit dominus Andreas de Sancto Monte, quod cum alias data erat dilacio suarum bursarum et posuerat pignora, et jam tempus sue dilacionis esset transactum, quod nacio vellet prolongare tempus solucionis suarum bursarum, remanentibus pignoribus. Et concessit nacio supplicacionem ejus.

1398

[Acta in procuratoria Nicolai de Pritzwalk.]

Facta [2] congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Julianum, die 14ª mensis Maii, in primis Nostre Domine super tribus articulis. Primus ad eligendum sive ad substituendum aliquem in locum procuratoris, scilicet magistri Franconis de Delf, qui causa legitima recessurus fuit ad partes suas. 2ᵘˢ ad distribuendum quartum mensem pro examine Sancte Genovefe. 3ᵘˢ super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo concorditer fuit electus in procuratorem magister Nicolaus de Saxonia sive de Pritzwalk. Super 2° ordinatus fuit magister Johannes Zeller, qui obtulit duos solidos. Super 3° supplicavit antiquus procurator, quatenus haberetur excusatus atque gratus etc. Et concessa fuit supplicacio sua.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Maturinum in nonis Nostre Domine, die 18ª mensis Maii, super duobus articulis. Primus erat de domo *ad cornu cervi*, quam nullus visitavit ut ipsa locaretur, et quantum ad hoc posui in deliberacione, quia michi significatum erat per Bemundum bedellum nacionis, quod esset quidam notabilis dominus et canonicus, qui illam domum locare voluit; et tractatu secum facto per deputatos nacionis, qui super locacione illius domus erant deputati, obtulit 27 francos sive 24 coronas, nec plus voluit dare. Sed quia in hoc nichil volui facere, nec eciam ipsi deputati, sine (*Fol. 41*) consensu nacionis, ideo posui in deliberacione nacionis, an placeret quod domus isti canonico traderetur. Et deliberavit nacio quod (attento, quod diligencia esset facta de habendo aliquem, qui predictam domum caperet pro certa pecunia in anno, et nacioni aliquam summam pecunie pre manibus traderet pro edificacione scolarum *septem arcium*, nec reperiri potuit talis, nec eciam pedagogum habere voluit, propter hoc quia per tales domus destrueretur, secundum quod patet de magistro Thoma Marescalli) quod domus sibi traderetur per procuratorem et receptorem, et quod ipsi viderent, in quo statu domus esset quando sibi traderent eam, ut dampna per predictum magistrum Thomam facta sciri possent, quia nacio contra ipsum intendebat prosequi. 2ᵘˢ articulus erat super supplicacionibus, et de hoc nichil.

Item facta congregacione nacionis Anglicane die 24ª mensis Maii aput Sanctum Julianum in primis Sancti Jacobi super duobus articulis. Primus articulus erat ad ordinandum aliquem examinatorem pro quinto mense in examine sancte [Genovefe], quia ibidem tunc celebrabatur congregacio facultatis ad audiendum juramenta magistrorum, qui examinare deberent pro quinto mense, et baccalariorum examinandorum pro eodem mense. 2ᵘˢ articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo ordinatus fuit magister Gherardus de Eeten, qui obtulit duos solidos. Super 2° nichil, quia nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Cosmam et Damianum, die 28ª Maii post missam nacionis, que tunc ibidem celebrabatur de Spiritu Sancto pro gracia Spiritus Sancti impetranda, ex deliberacione concordi Universitatis, quod quelibet facultas ac nacio celebraret missam de Spiritu Sancto, ut in *concilio prelatorum* [3], quod tunc cele-

1. *Ms. add.* 3° juravit.
2. *Quoe sequuntur scripta sunt manu Nicolai de Pritzwalk.*
3. *Supra agitur de* tertio Concilio Paris., *quod a rege Carolo VI Martii 7 convocatum erat, et a Maii 22, seu potius Maii 29, usque Junii 10 et Julii 28, Parisiis celebratum est. Ideoque Maii 28 solum missa de Spiritu S. dicebatur. Acta Concilii vid. apud* Labbe-Mansi, XXVI, p. 839-910, *e Bibl. nat. Paris., ms. lat.* 14644, *fol.* 51-83; *ex eodem ms*ᵗᵒ Bulaeus, IV, 829-851, *ubi cura Bulaei quaedam fusius, quaedam succincte.* Ehrle *edidit ex Arch. Vat. arm.* 54, n° 46, *in fine summarium, partim magis completum, hujus Concilii in* Archiv f. Litteratur-u. Kirchengesch., VI, 273-287. *Ipsum fugit, in eodem arm.* 54, n° 21, *fol.* 185-259, *esse aliam collectionem (mancam quidem) gestorum, seu potius* orationum *in tertio Concilio Paris. habitarum. In principio ejusdem collectionis exstat epistola regis* le XX jour de juin, *deinde sequitur* propositio Simonis de Cramaud *Maii* 22, *ex qua ponimus sententiam ubique omissam :* « Rex vocavit vos, scil. an via cessionis debeat practicari per medium substractionis, vel qualiter; et quanquam rex de se posset hoc facere, ipse vult habere deliberacionem vobiscum. Et pro Deo sitis diligentes, quia in casu (*ms.* causam) negligencie vestre rex ordinabit ut sibi videbitur. *Inhibetur tamen vobis ex parte regis et dominorum, quod nullus audeat disceptare super via cessionis alias per ipsum electa...* » (*fol.* 186ᵇ). *Non est nostri hic alia ex hac nova collectione, quae non pauca continet in duabus aliis redactionibus omissa, afferre. Maxima pars praelatorum aliarumque in Concilio congregatorum pro subtractione immediata et totali fuit. In Arch. nat. Paris.* J. 517, *exstant schedulae, in quibus singuli suffragium scripserunt, et praeterea apographa ibid.* J. 518, *fol.* 355 *sqq. E natione* Anglicana *nominantur*

brabatur Parisius, talis haberetur conclusio ac tale medium, qua vel quo mediante istud nephandissimum et non satis deflendum scisma, quod (proch dolor) nostris temporibus in ecclesia sancta Dei viget, possit cedari ac extirpari ac radicitus evelli, super duobus articulis.

Primus erat pro expedicione cujusdam bacelarii licenciandi in examine Sancte Genovefe, scilicet domini Johannis Pender, qui secundum quod michi retulit non habuit facultatem solvendi bursas, paupertate gravatus : ideo quia ipsum expedire non potui sine concensu nacionis et absque hoc quod juraret in nacione statuta paupertatis, istam congregacionem feci. 2us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Et ibidem supplicavit prefatus dominus Johannes, quatenus ex quo pauper esset, quod admitteretur ad jurandum statuta paupertatis. Et quoad ambos articulos placuit nacioni quod juraret juramenta ordinata pro talibus. Et ita juravit in plena nacione.

1398

[Acta in procuratoria Galteri Forestarii.]

(*Fol. 41* b) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, die lune 3o Junii, super 3 articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem novum vel continuandum antiquum. Super quo articulo electus fuit concorditer nemine contradicente magister Galterus Forestarii Scotus.

Secundus articulus fuit super facto scolarum et nichil fuit determinate actum. 3us super supplicacionibus, et nichil eciam fuit.

4a Junii. Juravit michi dominus Ghisebertus de Delf, licenciandus in crastino sub magistro Nicholao Gameren, cujus bursa VI solidi, IIII denarii.

Incepit dominus Ghisebertus de Delf sub magistro Nicholao Gameren, cujus bursa VI solidi, IIII denarii.

10a Junii. Juravit michi dominus Andreas de Sancto Monte licenciandus in artibus sub magistro Johanne Bouberth, cujus bursa XX denarii.

15 Junii. Juravit michi dominus Petrus Nicholai de Dacia licenciandus sub magistro Johanne Boubort, cujus bursa VI solidi.

17 Junii. Juravit michi ad incipiendum in artibus dominus Petrus Nicholai licenciatus, incepturus sub magistro Johanne Bouborth, cujus bursa VI solidi.

(*Fol. 42*) [1] 18 Junii. Juravit michi procuratori dominus Albertus Thome licenciandus in artibus sub magistro Henrico Witt, cujus bursa II solidi.

19 die Junii. Incepit dominus Andreas de Sancto Monte in crastino, quia tunc juravit, sub magistro Johanne Bouborth, cujus bursa XX denarii.

26 Junii. Juravit michi Willelmus de Egmunda pro licencia in artibus sub magistro Nicholao de Monekedam, cujus bursa II solidi.

27 Junii. Juravit michi dominus Albertus Thome, licenciatus in artibus, incepturus sub mag. Henrico Witt, cujus bursa II sol.

Facta fuit congregacio nacionis apud Sanctum Maturinum, XXVIIIa die Julii, super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum compotum receptoris; secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Super primo auditus fuit compotus in presencia tocius nacionis ibidem, et placuit, et consignatus fuit compotus per procuratorem cum subscripcione sua manuali in libro receptoris. Super secundo articulo supplicavit archidiaconus Scarensis, ut sibi darentur pecunie locagii domus Svecie in vico Brunelli. Deliberavit nacio, quod quia graciose admittebatur dictus archidiaconus ad inhabitandum domum illam sub condicionibus tactis in procuratoria magistri Franconis, noluit sibi dare aliquas pecunias, sed videbatur nacioni ex eo quod pretendebat se habere jus ad proprietatem, exponat de suo in reparacionibus necessariis, et cum docuerit sufficienter de proprietate, nacio sibi plenius respondebit.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, VIIa die Augusti, super II articulis. Primus erat ad avisandum modum, quod magistris de nacione providebitur de graciis per dominos episcopos distribuendis, et ad faciendum rotulum si videretur conveniens, et per quem modum fieret [2]. 2us fuit super supplicacionibus.

opiniones solum (no 160) Gautier Forestier, maistre en ars, bachelier en decret, et procureur de la nacion d'Angleterre (*pro* 1 *Julii*), *et* (no 155) Gillez de Jutfaes, maistre es ars et bachellier formé en theologie, *i. e.* procuratoris *et* receptoris *nationis; prior obedientiae Benedicti fuit, posterior Bonifacii. Sicut an.* 1396 *in* secundo Concilio *duo nat. Angl. obedientiae Benedicti, et alii duo Bonifacii fuerunt.* Forestier *et* Jutfaes *scripserunt*, « que l'on doit oster à pape toute obéissance sans nulle dilacion ou monicion » (*Arch. nat. l. c.*).

1. *In margine superiori* G. Forestarii.

2. *Junii* 11 *Universitas Paris. conclusit et proposuit ut obedientia Benedicto XIII subtraheretur. Originale harum* « litterarum subtractionis » *exstat in Arch. nat. Paris.*, J. 515, no 14, *munitum 8 sigillis, scil. communi Universitatis, unoquoque trium facultatum et quatuor nationum* (*vid. etiam* BULAEUM, IV, 845). *Julii* 28 *rex Franciae subtractionem obedientiae, Aug.* 8 *gratias per Benedictum concessas nullum effectum sortiri publicavit* (BUL. p. 853; MARTÈNE, Thes. nov. II, 1153). *Cum Benedictus collatione etiam beneficiorum privatus esset, statutum est, beneficia ecclesiastica per eos conferri debere, ad quos collatio spectet. Natio Anglicana proinde deliberavit, ut aliae nationes. rotulum ad episcopos aliosque pro beneficiis impetrandis diri-*

Deliberatum fuit super primo, quod vellent facere sicut alie naciones (si sine prejudicio suo *possent illi de alia obediencia*[1]) *et facere rotulum et inscribi.* Et petebant regentes preponi, antiquiores econtra, ymo quod quilibet suo staret ordine. Referebant se tamen quasi omnes ad laudabiles consuetudines facultatis in hac parte, et dederunt deputatos ad recipiendum cedulas supplicacionum, [scil.] cum procuratore unum regentem et tres alios.

Super 2° nichil.

(*Fol. 42 b*) Protestati fuerunt magistri regentes quod eis non cederet in prejudicium, sicud alias consuetum fuit, quod ipsi in rotulo debeant preponi non regentibus, quod modo non preponuntur. Item omnes illi *de alia obediencia, facientes majorem partem nacionis*, per modum nacionis eciam protestati sunt, quod per ea que fiebant per regem aut Universitatem, *non intendebant se pro aliqua parte* per modum nacionis *declarare*, sed *manebat nacio sicut ante sine determinacione certa pro aliqua parte*[2]. Intendebat tamen semper cum Universitate prosequi unionem ecclesie. Item memorandum quod omnes magistri qui in rotulo positi fuerunt presentes, juraverunt prosequi unionem ecclesie per viam cessionis et subtractionis, nec in posterum aliquod prestare impedimentum directe vel indirecte, et pro quolibet absente juravit unus magister presens, qui ejus novit conscienciam.

Monendum quod inventus fuit unus antiquus rotulus in quo magistri juxta ordinem antiquitatis erant inscripti, nec regentes preferebantur, et tamen multi fuerunt in eo notabiles regentes, sicut magister Marsilius, magister Jordanus de Clivis, Calcar[3] et hujusmodi[4].

Juravit Willelmus de Egmunda licenciatus, incepturus sub magistro Nicholao de Monekedam, id[5] est Frisone, cujus bursa II solidi, 25 die Augusti.

1398

(*Fol. 43*) Acta in procuratoria magistri Nicolai de Gameren.

Indicta congregacione nacionis per procuratorem hora primarum apud Sanctum Maturinum anno Domini quo supra, XXVI^{a} die mensis Augusti, super 3^{bus} articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us erat ad audiendum compotum receptoris. 3us super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum electus erat concorditer nemine contradicente Nicolaus de Gameren in procuratorem. Quoad secundum articulum receptor non computavit protunc, quia post ultimam ejus computacionem modicam vel nullam fecit misiam vel receptam. Quoad 3^{m} articulum supplicavit magister Galterus Forestarii[6], qui iturus erat ad partes in brevi post hoc tempus, quatinus nacio in actis per ipsum tempore sue procuratorie haberet eum gratum et avoatum. Et supplicacio sua fuit concessa concorditer.

Indicta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum in die sancti Mathei anno quo supra super 3^{bus} articulis. Primus erat ad eligendum vel continuandum receptorem nacionis prefate. Secundus erat ad distribuendum scolas regentibus. 3us super supplicacionibus et injuriis. Super primo continuatus fuit magister Egidius de Jutfaes in receptorem nacionis. Super 2° regentes anni precedentis suas scolas, quas a nacione pro illo anno obtinuerunt, in manus nacionis iterato ut moris est resignaverunt, supplicantes nacioni ut eis pro futuro anno de scolis secundum laudabilem consuetudinem provideret. Cui supplicacioni nacio annuens omnibus regere volentibus scolas distribuit secundum ordinem antiquitatis ipsorum, hac condicione annexa quod quilibet volens regere nacioni prestaret juramentum quod esset intencionis regendi et regeret per majorem partem ordinarii, nisi racionabilis et legitima causa, propter quam merito deberetper nacionem haberi pro excusato, intervenerit. Quod juramentum a quolibet in nacione fuit prestitum. Super 3° nullus supplicavit.

Regentes pro isto anno.

Magister Henricus de Arnhem[7].
Magister Arnoldus Wtwiic.
Magister Nicolaus de Gameren.
Magister Johannes Boutbur.

gere, si illi de obedientia Bonifacii IX, majorem partem nationis constituentes, sine praejudicio hoc facere possent.

1. *Scil.* Bonifacii IX.

2. *Propter hoc natio Anglicana noluit suum sigillum* « litteris subtractionis » *apponere. Nihilominus, inscia natione, appositum est, ut apparet infra ad an.* 1403, *Maii* 30, *si recte sententiam ibidem positam intelligimus.*

3. Gerardus de Calcar.

4. *Supra agitur de quodam rotulo sub Gregorio XI, vel potius de rotulo non signato ad Urbanum VI misso.*

5. I. e. Frisone, *inter lineas.*

6. *Mox. scil. an.* 1407, *Nov.* 26, *factus est episc. Brechinens.* (Reg. Aven. Bened. XIII, *vol.* 54, *f.* 559).

7. *Ista rubrica deleta est, Henrico ex Universitate ejecto.*

Magister Nicolaus de Moneckedam.
Magister Gerardus Domheer.
Magister Johannes de Zutfania.
Magister Henricus Wiit.
Magister Johannes de Francfordia.
Magister Godscalcus Vriese.
Magister Gerardus de Eten.
Magister Johannes de Dordraco.
Magister Henricus de Ghorrinchen.
Magister Johannes de Asperen.

Et [1] Willelmus Bloc supplicavit tempore procuratorie Franconis de Delf ut posset esse regens, quia habuit de partibus nova quod oportebat regere, ut dicebat, et supplicacio fuit concessa, quia optulit solvere scolas, dummodo nacio in postea tantum sibi satisfaceret.

Facta congregacione nacionis Anglicane in crastino beati Mathei apud Sanctum Maturinum hora 3ª post meridiem super duobus articulis. Primus erat ad deliberandum super facto magistri Henrici de Arnhem [2], quod ante meridiem tractatum erat in congregacione Universitatis per dominum rectorem in eadem domo celebrata, de quo protunc non fuit habita concordia. Et quia nacio Anglicana in illa congregacione Universitatis deliberavit, quod si et in quantum magister Henricus vellet se submittere, quantum ad illa que spectant solum ad submissionem ejus secundum Universitatem, quod Universitas daret sibi audienciam ad respondendum super sibi objectis et propositis : ideo restabat ut nacio deliberaret in casu quo prefatus magister non vellet se submittere Universitati modo supra tacto, an deberet reputari privatus vel non.

Et super isto erant magistri multum sollempniter (*Fol. 43 ᵇ*) congregati usque ad numerum XLIIII magistrorum inclusive, cujus numeri magistrorum una medietas, scilicet XXII, deliberavit quod quia ante meridiem in congregacione Universitatis se Universitati submittere rennuit, prout sibi visum erat, ideo censebat ipsum ab Universitate privandum et de facto privatum una cum duabus facultatibus superioribus, scilicet theologie et decretorum, nec ammodo, ut dicebat ista pars prefata, super illis sibi in Universitate objectis et propositis (propter factorum pro majori parte notorietatem) ab Universitate esset audiendus [3]. Alia vero medietas, que eciam erat numero XXIIrum magistrorum, deliberavit quod omnino apparuit sibi quod magister Henricus in congregacione Universitatis prefata seipsum Universitati sufficienter submisit, dicendo quod plenarie Universitati submissus esset et quod, vellet nollet, jurisdictionem illam quam Universitas in ipsum vel in quodcumque aliud ejus suppositum exercere posset, subterfugere non valeret. Quo attento visum fuit isti parti seu medietati magistrorum numeri prefati, quod super sibi in Universitate objectis et propositis audiendus esset, et quod Universitas super illis non posset sibi racionabiliter audienciam denegare, et sic non censebat ipsum protunc privatum, sed primitus in Universitate audiendum. Dicebat tamen hec prefata pars, quod si et in quantum se Universitati submittere rennueret illa submissione, que est spectans ad forum Universitatis in ordine ad suum factum de quo agebatur, quod tamen non credebat ut patet ex pretactis : vellet tunc quod Universitas suum processum secundum stilum et modum in talibus consuetum contra ipsum elevatum continuaret et ad finem, ut decetero pro honore Universitatis, deduceret.

Ex istis patet quod super materia prefati articuli nacio sic solempniter congregata quoad suas deliberaciones devenit in duas medietates divisa. Quapropter ex illis deliberacionibus nullam potui conclusionem reportare, et sic nacio remansit et stetit in sua conclusione et terminis super illo facto prehabitis eo modo quo prius.

2ᵘˢ articulus principalis erat super supplicacionibus et injuriis, super quo nichil, quia nullus supplicavit.

1398

Acta in procuratoria magistri Franconis de Delf licenciati in medicina.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem in octava hora de mane XXIIIª die mensis Septembris super tribus articulis. Primus est ad eligendum novum procuratorem. 2ᵘˢ est ad audiendum compotum receptoris. 3ᵘˢ erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo electus erat magister Franco de Delf in procuratorem nacionis prefate. Super 2º quia receptor modicum aut nichil exposuit vel recepit, ideo distulerunt magistri compotum ejus. Super 3º supplicavit magister Nycolaus de Ghameren predecessor meus, quatinus in actis per eum haberetur gratus, ratus et avoatus. Et annuerunt magistri supplicacioni ejus.

1. *Ea paragraphus tota posteriore manu addita est.*
2. *Scil. de facto commisso per ipsum tam in natione Anglic. quam in duabus aliis nationibus, de quo supra*, p. 765 *sqq.*
3. *Intelligas* Henricus.

Facta congregacione nacionis prefate apud Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine scilicet hora octava, vicesima quarta die ejusdem mensis[1] super duobus articulis. Primus articulus est, nam in die precedente erat congregacio deputatorum, ubi per dominum rectorem ex parte deputatorum eram requisitus ad faciendum congregacionem nacionis ad habendum concordiam super facto magistri Heynrici de Aernem, nam secundum quod dixit et eciam patet per acta et scripta per dominum procuratorem immediate precedentem, in ultima congregacione Universitatis celebrata apud Sanctum Maturinum XXII^a^ die Septembris nacio deliberavit, quod si magister Heynricus predictus vellet se submittere Universitati, quod tunc vellet quod audiretur; sed nichil dixit in casu quo non vellet se submittere. Et ideo ad habendum concordiam super illo, sue requeste obediens feci fieri congregacionem nacionis, et sic erat iste primus articulus, ex quo nacio deliberavit, quod in casu quo predictus magister Heynricus vellet se submittere Universitati, quod audiretur; quid igitur fiendum in casu quo non vellet se submittere (et per *ly*[2] « submittere » tantum intelligebatur protunc, scilicet quod staret correctioni Universitatis in illis, que spectant ad Universitatem, sine aliqua appellacione (*Fol. 44*) facienda)? Et circa illum articulum deliberavit nacio quod si illo modo vellet se submittere Universitati, quod adhuc placeret sibi eum audire; sed in casu quo non, tunc nacio vellet procedere contra eum ad ejus privacionem et staret cum duabus aliis facultatibus, scilicet theologie et decretorum, et duabus nacionibus scilicet Francie et Normannie.

Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis, et super illo nichil, quia nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine, ultima die ejusdem mensis, super duobus articulis. Primus erat, quia alias deliberatum erat per nacionem quod magistris volentibus regere pro isto anno distribuerentur scole secundum antiquitatem, et aliqui erant qui non poterant habere scolas, quia non voluerunt ponere fidejussores, ideo requisiverunt me, quod super hoc facerem convocari nacionem. Et tunc nacio super illo convocata deliberavit, quod servaretur antiquus modus, scilicet quod ipsi providerent sibi de scolis, et receptor haberet nomine nacionis respondere. 2us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et de illo nichil.

Facta congregacione nacionis Anglicane, IIII^a^ die Octobris, anno quo supra in nonis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat quia aliqui conquerebantur magistri volentes regere in vico Straminis, quod non poterant habere scolas in quibus legerent, requirebant igitur quod nacio eis provideret de scolis secundum modum consuetum. Et me requisiverunt quod super hoc facerem convocari nacionem. Quod ad requestam ipsorum feci, ubi erat deliberatum quod sibi de scolis providerent, et receptor nomine nacionis responderet, quod dixit se facturum, dummodo ipsi ponerent fidejussores de hoc quod vellent regere pro majore parte ordinarii; et in casu quo non regerent, nisi legitima causa interveniret, propter quam merito ipsi deberent excusari apud nacionem, quod ipsi vel sui fidejussores pro eis haberent nacioni satisfacere de locagio scolarum, ut alias moris est in nacione. 2us est super supplicacionibus et injuriis, et de illo nichil.

1398

(*Fol. 44^b^*) Acta in procuratoria magistri Arnoldi Wtwiic.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, die lune 21^a^ Octobris, super 3^bus^ articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem, vel ad continuandum antiquum. 2us ad audiendum compotum receptoris. 3us super supplicacionibus et injuriis. De primo concorditer fuit electus in procuratorem magister Arnoldus Wtwic, nemine contradicente. Super 2° distulit compotum receptoris usque alias. Super 3° nichil, quia nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, 24^a^ die mensis predicti, super duobus articulis. Primus articulus erat super quadam littera missa ad procuratorem nacionis ex parte magistri Franconis de Barcowda in carceribus domini episcopi Parysiensis detenti. In qua littera predictus magister supplicabat nacioni quatenus vellet fidejubere pro expensis factis per ipsum in carceribus, et esset promptus et paratus facere omnem obligacionem racionabilem predicte nacioni de restitucione illorum, que nacio predicta in ejus expedicione sibi concederet. Et quia erat quidam amicus ejus, qui bene vellet sibi concedere 5 francos, dummodo nacio predicta illi promitteret reddere in festo

1. *Ms. add.* ejusdem.

2. *Pro articulo, ut Scolastici in usu habebant.*

Philippi et Jacobi, in casu quo magister Franco interim sibi non satisfaceret : ideo nacio audiens, quod quoad victualia valde tenuiter retinebatur, *ymo socius ejus mortuus fuit ex defectu victus* [1], ipsa mota pietate concessit supplicacionem ejus, facta tamen obligacione sufficienti. Secundus articulus super supplicacionibus. Supplicavit Wilhelmus subbedellus ut deputaretur unus magister ex parte nacionis, qui haberet aliqua proponere ex parte sui balivatus, quem habet in vico Straminis, in proxima congregacione facultatis arcium. Quod concessum est ei.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, 8ª die mensis Novembris, hora primarum super 2^{bus} articulis. Primus erat super festo Eadmundi. Super quo deliberabat nacio quod, quia nacio erat multum onerata debitis racione scolarum edificandarum, voluerunt magistri, quod quilibet volens interesse festo nacionis contribueret duos vel tres solidos, ne nacio gravaretur in expensis, debitis attentis. Secundus articulus erat super supplicacionibus. Et supplicabant bedelli, quod quilibet determinans isto anno solveret eis dimidium francum, sicut annis preteritis fuit eis concessum. Concessa est supplicacio pro isto anno duntaxat, ut non trahant in consuetudinem. Et de hoc vide in libro precedenti [2], quare eis est concessa, quia eram primus qui dedit eis.

1398

(*Fol. 45*) Continuacio mag. Arnoldi Wtwiic.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, die lune 18ª die Novembris, super tribus articulis. Primus articulus ad eligendum procuratorem novum vel ad continuandum antiquum. Et continuatus fuit magister Arnoldus Wtwiic concorditer. 2us ad audiendum compotum receptoris. Et tunc illum distulerunt usque alias. 3us super supplicacionibus et injuriis. Nullus.

Sed in eadem congregacione electi fuerunt duo magistri, scilicet magister Heynricus de Busco, magister Johannes de Campen ad recipiendum a quolibet magistro 2 solidos, et ad ulterius providendum super necessariis in festo predicto, scilicet Eadmundi regis. Ulterius in eadem congregacione deliberatum fuit, quod duo magistri adirent magistrum Heynricum de Sancta Katherina [3], sacre theologie professorem, supplicando ut veniret ad festum nostrum et celebraret. Similiter quod adiretur magister Herbernus de Jutfaes, magister in medicina, ad festum predictum ipsum invitando, attento quod sit suppositum valens et honestum.

Notandum tamen quod pro illo anno non fuit factum prandium in eodem festo, quia non omnes magistri volebant solvere, et nacio debitis nimis onerata non poterat solvere residuum, quod restabat ultra pecunias receptas ab aliquibus magistris. Ideo videbatur expediencius non facere festum, quam facere semifestum, et hoc avisatum fuit post vesperas nacionis multis magistris presentibus.

Incepit dominus Arnoldus de Zutphania sub magistro Nycolao Monekedam de Frisia, cujus bursa II solidi.

Item dominus Paulus de Haerlem sub eodem, cujus bursa II solidi.

1398

Acta in procuratoria magistri Henrici de Busco.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, die lune XVIª Decembris, super 3^{bus} articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us ad audiendum compotum receptoris. 3us super supplicacionibus et injuriis. De primo, fuit electus in procuratorem magister H[enricus] de Busco. De 2° computus differebatur usque alias. Super 3° supplicatum erat per quendam magistrum, sed statim supervenit congregacio facultatis ad eligendum novum rectorem [4], et sic propter illam occupacionem nichil super supplicacione erat deliberatum, quare pro non facta habetur. Et sic brevitatis causa hic non scribitur, ne frustra membranas [5] occupet.

1399

(*Fol. 45 b*) Acta in procuratoria magistri Gerardi de Eten.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, die lune 13ª die Januarii, super 3^{bus} articulis. Primus erat ad eligendum novum pro-

1. *Bonum exemplum, quomodo tunc temporis in carceribus custoditi Parisiis male tractarentur. Vid. ad haec* Chartul., III, n° 1589.
2. *Qui tamen nunc desideratur, de quo supra* p. 659, *not.* 5.
3. Henricum de Tremonia, *Ord. Vallisscholar., de quo supra* p. 713, *not.* 3.
4. *Electus est* Egidius Jutfaes, *a Decemb.* 16 *an.* 1399, *usque ad Martii* 24.
5. *Licet codex chartaceus sit.*

curatorem vel ad continuandum antiquum. 2us ad audiendum computum receptoris. 3us super supplicacionibus et injuriis. De primo, electus fuit in procuratorem magister Gerardus de Eten. Super 2° differebatur computus receptoris usque alias. Super 3° supplicavit magister Henricus de Busco pro littera recommendatoria ad villam Bruxellensem[1], cujus supplicacio concorditer erat concessa.

1399

Continuatio magistri Gerardi de Eten.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, die lune 10ma die mensis Februarii, super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Et continuatus fuit magister Gerardus de Eten. 2us ad audiendum computum receptoris, qui differebatur ad alias. 3us super supplicacionibus et injuriis. Supplicavit scolaris unus, ut libri alibi auditi juxta formam statuti requisiti ad gradum bachalariatus reputentur pro gradu bachalariatus sufficere, cujus supplicacio concorditer concessa fuit juxta formam statuti.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, 19ma die mensis Februarii super 3^{bus} articulis. Primus articulus ad inveniendum modum habendi pecunias de domo *de cornu cervi*, cum quibus possent edificari scole *septem arcium*, et istud magistri distulerunt usque alias propter computum receptoris. 2^{s} articulus ad audiendum computum receptoris. Et computavit dominus receptor de receptis et expositis per totum istum annum, cujus computus placuit magistris. 3us articulus super supplicacionibus et injuriis. Supplicavit dominus Wilhelmus Duercoep ut admitteretur hic tanquam bachalarius, quia fuit bachularius Coloniensis[2], cujus supplicacio concorditer concessa fuit.

Sequuntur nomina determinancium istius anni Domini M. CCC 99^{mi}, etc.

Primo determinavit Florencius Gael de Delf sub magistro Johanne de Zutfania, cujus bursa XX denarii.

Item determinavit Wilhelmus Reyneri de Aemsterdam sub magistro Gerardo de Eten, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit Reynerus Claerbouc[3] sub eodem, cujus bursa IIII solidi.

Item determinavit Gerardus de Asperen sub magistro Nycholao de Gameren, cujus bursa VII sol.

Item determinavit Theodericus de Sassen sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa V solidi.

Item determinavit Arnoldus Reyneri sub magistro Nycholao de Gameren, cujus bursa VI solidi.

(*Fol. 46*) Item determinavit Johannes Theoderici de Sassen sub eodem, cujus bursa V solidi.

Item determinavit Nycholaus de Donkel sub magistro Johanne de Francfordia, cujus bursa V solidi.

Item determinavit Thomas de Grenlav[4] Scotus sub magistro Johanne Boutbourt, cujus bursa IIII sol.

Item determinavit Jacobus Makart sub magistro Nycholao Monikedam, cujus bursa VII solidi.

Item determinavit Nycholaus Heylgenlib sub magistro Gerardo de Eten, cujus bursa XVI den.

Item determinavit Henricus Luneborch sub eodem, cujus bursa XVI den.

Item determinavit Hermannus Stappach sub magistro Johanne Boutbourth, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit Bokellus Jacobi de Delf sub magistro Gerardo de Eten, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit Jacobus de Treveris sub magistro Gerardo Dombeer, cujus bursa VII solidi.

Item determinavit Nycholaus de Monikedam sub magistro Gerardo de Eten, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit Gerardus de Oudewater sub magistro Gerardo de Eten, cujus bursa III solidi.

Item determinavit Johannes Elwa[l]d Scotus sub magistro Johanne Boutbourt, cujus bursa VI solidi.

Item determinavit Philippus Gerardi sub magistro Gerardo de Eten, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit Johannes Achyrlomin sub magistro Johanne Boutbour, cujus bursa IIII solidi.

Item determinavit Jacobus de Lyndesay sub magistro Johanne Boutbour, cujus bursa IIII solidi.

Item determinavit Johannes Wiggheri sub magistro Gerardo de Eten, cujus bursa XVI den.

Item determinavit Hermannus Vos sub magistro Johanne Boutbour, cujus bursa VI solidi.

Item Gerardus Petri de Oudewater sub magistro de Eten, cujus bursa IIII solidi.

Item determinavit Hugo Reyneri de Delf sub magistro Gerardo de Eten, cujus bursa XX denarii.

1. *Vid.* p. 794, 48.
2. Wilhelmus « Duerkoyp », *Monaster. dioec., an.* 1389 *in Univers. Colon. intitulatus est. Vid.* Keussen, Die Matrikel der Universität Köln, I, 29.
3. *An.* 1406 *tantum licentiatus est. Vid. infra.*
4. *Ms.* Grenlar.

Item Johannes de Tuloch[1] sub magistro Johanne Boutbour, cujus bursa IIII solidi.

Item determinavit Johannes Rebar sub magistro Johanne Boutbour, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit Symon Bognem sub magistro Nycholao de Monikedam, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit Henricus Dode sub magistro Johanne de Zutphania, cujus bursa V solidi.

Item Aelbertus Pagani sub magistro Johanne Boutbour, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit dominus Johannes Neyse sub magistro Gerardo de Eten, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Henricus Seldenhoern sub magistro Johanne Boutbour, cujus bursa XVI d.

Item determinavit dominus Johannes de Woudenberch sub magistro Egidio de Jutfaes, cujus bursa VIII solidi.

(*Fol. 46* b) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, 27ma die mensis Februarii hora 3a post meridiem super 2bus articulis. Primus articulus est, quid agendum de clave nacionis, an scilicet clavis nacionis tradenda sit ad quasdam litteras sigillandas facientes mencionem de privacionis denunciacione magistri Henrici de Aernhem, attento quod super hoc non fuit aliqua conclusio habita in nacione in quadam congregacione Universitatis in Sancto Maturino facta[2], et super isto deliberavit nacio multum sollempniter congregata quod clavis nacionis nullo modo rectori tradenda esset ad prefatas litteras sigillandas secundum illam formam in Universitate lectam, continentem aliquas clausulas de perjurio, infamia et contumacia seu filio inobediencie mencionem facientes, istis prefatis clausulis remanentibus. 2us articulus super supplicacionibus et injuriis. Supplicabat dominus procurator, quod nacio ipsum haberet excusatum, ymmo gratum et avoatum de hoc, quod ista hora magistros fecit convocari, quoniam ex multorum magistrorum consilio hoc habebat, quia dubius erat quid de materia primi articuli facturus esset. Et fuit supplicacio procuratoris per nacionem concessa.

Sequuntur nomina subdeterminancium istius anni supradicti.

Item subdeterminavit Johannes Johannis de Ryswiic sub magistro Gerardo de Eten, sub principali determinatore Phylippo de Delf, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Item subdeterminavit Nycholaus Pueri Scotus sub magistro Johanne Boutbour, eciam cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

Item subdeterminavit Petrusman de Oudewater sub magistro Gerardo de Eten, sub principali determinatore Gerardo de Oudewater, cujus bursa XVI denarii per dispensacionem.

1399

Acta in procuratoria magistri Petri Prenner.

Facta congregacione nacionis Anglicane hora primarum apud Sanctum Julianum pauperem anno Domini MCCC LXXXXIX, Xa die mensis Marcii super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem. Et electus fuit magister Petrus Prenner. 2us erat ad audiendum computum receptoris, qui fuit dilatus quia post ultimam ejus computacionem modicam fecerat receptam. 3us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit magister Gerardus de Eten, quod haberetur gratus in officio procurationis transacte, que supplicacio fuit concessa.

(*Fol. 47*) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, XXa die mensis Marcii, hora VIIIa super duobus articulis. Primus erat ad distribuendum menses pro bachalariis apud Sanctam Genovefam examinandis. 2us fuit super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo datus fuit primus mensis magistro Bernhardo de Saxonia pro VIII solidis, quia nullus plus obtulit; secundus et quartus menses dati fuerunt magistro Johanni de Hassia pro VIIII solidis, eciam eadem de causa; tercius et quintus fuerunt dati magistro Jordano *ad ymaginem nostre Domine* pro VII solidis; et sextus seu ultimus datus fuit magistro Johanni de Asperen pro II solidis, eciam quia nullus plus obtulit.

Super 2° articulo supplicaverunt predicti magistri pro predictis mensibus, et supplicacio eorum fuit concessa. Item nacio conclusit protunc quod pecunie predicte statim post congregacionem essent perpotande. Et ita factum est.

Facta congregacione predicte nacionis apud Sanctum Maturinum tercia die Aprilis post prandium, hora IIIa, super tribus articulis. Primus articulus erat ad audiendum dominum archidiaconum ecclesie Scarensis, volentem se ostendere esse de predicta ecclesia, et quod deberet esse procurator domus

1. *Ms.* culoch.

2. *Vid. supra* p. 784, 22.

situate in vico Brunelli *ad ymaginem nostre Domine*, secundum quod predictus dominus promiserat nacioni ostendere tempore quo intravit predictam domum, que nacio dederat sibi terminum scilicet usque ad festum Johannis, infra quem ipse haberet ostendere quod esset de predicta ecclesia, et licite et de jure posset inhabitare predictam domum. Secundus articulus erat ad habendum deputatos, qui haberent videre de modo habendi pecunias de domo *ad cornu cervi* pro edificacione scolarum *septem arcium*. 3us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis.

Super primo articulo ostensum fuit quoddam procuratorium, quod prefatus dominus archidiaconus ostendebat, in quo cavebatur quod predictus dominus esset de ecclesia Scarensi et eciam esset procurator predicte domus, et haberet plenariam potestatem providendi regentibus etc. de tali domo etc. Et illud procuratorium habuit prefatus dominus a domino episcopo Scarensi. Et viso isto procuratorio et lecto in plena nacione placuit nacioni quod prefatus dominus haberet potestatem regendi secundum tenorem procuratorii, et nacio haberet copiam procuratorii. Et ita factum est.

Isto tamen addito quod in casu in quo predictus archidiaconus recederet, deberet dimittere domum ad minus in tali statu, secundum quod erat tempore quo intravit eandem, et quod interim, quod traheret moram in illa domo, deberet facere reparaciones, et in casu in quo non faceret, nacio vellet se opponere et recurrere ad Universitatem, que ex speciali privilegio in talibus habet remediare. Item quod in casu in quo vellet facere magnas reparaciones, quod tunc haberet adire receptorem predicte nacionis et sibi illa[s] intimare et cum consensu suo facere. Item in casu in quo ille dominus vellet recedere, non deberet ponere domum extra manus nacionis, secundum quod alias fecit quidam, qui posuit ad manus Johannis de Tungern, qui quidem Johannes dimisit domum in tali disposicione, quod nisi nacio se intromisisset, totaliter quodammodo cecidisset ad terram. Non volebat tamen nacio ipsum ad ista obligare, sed volebat quod illa dicerentur sibi ad finem, ut esset magis diligens, et in casu in quo non esset diligens, volebat se opponere et recurrere ad Universitatem, etc.

Super 2° articulo dati fuerunt deputati magister Johannes For[e]starii, magister Hugo (*Fol. 47* ^b^) de Delf, magister Hainricus de Boscho, magister Nicolaus de Saxonia et magister Johannes Dorp.

Super tercio articulo supplicavit magister Egidius Jutfaes receptor, quatinus nacio vellet audire computum suum, quia recessurus erat ad partes, qui computus dilatus fuit usque ad regressum suum, quia modicum receperat. Item supplicavit predictus dominus receptor, quatinus nacio vellet substituere magistrum Hainricum de Bosco, qui haberet supplere vices suas usque ad ejus regressum. Que supplicacio concessa fuit per omnes concorditer. Item supplicavit magister Andreas de Bavaria, quatinus nacio vellet sibi assistere in quadam causa pendente inter eum et magistros Johannem de Campen et Johannem Yselstain coram domino officiali Paris. Et ibi recitavit predictus magister Andreas multas injurias, quas dixit sibi magistrum Egidium predictum fecisse, et finaliter dixit quomodo predicti magistri Johannes de Yselstain et Johannes de Campen moti forte propter eum dixerunt sibi injurias in plena nacione, scilicet quod esset infamatus etc. Super ista supplicacione volebat nacio quod istud tractaretur per deputatos nacionis, scilicet per duos ex una parte, scilicet magistri Andree, et alios ex alia parte una cum procuratore. Et deputati fuerunt magistri Johannes de Austria et Georgius de Sorbona [1] pro magistro Andrea; magister Hugo, magister Johannes Dorp pro predictis magistris, scilicet Johanne de Campen et Yselstain.

1399

Acta in procuratoria Johannis de Galencoop.

Indicta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno 1399° die septima mensis Aprilis, hora 8ma super tribus articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem. Electus fuit concorditer Johannes Galencoop. 2us erat super scolis *septem arcium*. Et tetigit ibidem procurator precedens, quod burse levande isto anno a licenciandis et incepturis converterentur in edificacionem scolarum prefatarum; sed protunc nichil factum fuit propter absenciam receptoris, qui transivit ad partes suas. 3us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit dominus procurator precedens, quatinus in actis per ipsum in sua procuratoria haberetur gratus, recommendatus et avoatus. Et annuit supplicacioni ejus nacio concorditer.

Supplicavit eciam magister Heinricus de Busco, quod cum domina duxissa Brabancie [2] per certum

1. *Scilicet* Georgius de Rein, *Sorbonicus de quo jam supra.*

2. Johanna.

modum ordinavit providendum magistris de Brabancia Parisius studentibus, ad intercessionem domini ducis Borgondie hoc supplicantis per suas literas directas duxisse, ad promocionem magistri Johannis Mercatoris protunc rectoris [1], quas deferebat magister Radulphus de Tylia [2] cum litteris Universitatis pro labore in facto unionis procurande exhortativis; qui magister Radulphus, licet diu sit quod rediit ad Universitatem, nichil tamen aperuit Universitati quid fecit super litteris ejus, sed duxisse Brabancie nomina magistrorum de Brabancia studencium tradidit, prout ipse solus vel ipse et magister Johannes Mercatoris, qui istud secrete inter se disposuerant dum rector erat, concordaverant in casu admissionis provisionum fiendarum studentibus Parisiensibus, omittendo nomen magistri Henrici de Busco, suppositi nacionis nostre, qui in Brabancia ab infancia enutritus est, semper ibidem morabatur et morari intendit, et fere omnes habet amicos suos Brabantinos, a quibus originem sumpsit. Cui magistro Radulpho (*Fol. 48*) adhuc in patria existenti pro illo facto dictus magister Heinricus scripserat, timens quod accidit, quod licet verisimiliter crederet quod dictus magister Radulphus eum cum aliis promoveret, cum hoc sibi non noceret nec prejudicaret, et plurium promocio sibi deberet esse gratior quam pauciorum, nec in ipso magistro Heinrico aliquam pateretur repulsam, quia nullus in curia ibidem aliquis calumpniaret, quia omnes eum ab infancia ibidem vidissent et cum eis conversari novissent : ipse predictis attentis, cum adhuc in patria esset, si quid esset omissum (quod non putaret), reparare vellet, cum melius ibidem posset reparari pro nunc, quam alias. Nihil per dictum magistrum Radulphum pro dicto magistro Heynrico factum aut reparatum est, sed exclusus remansit. Quare magister Heynricus de Busco supplicavit matri sue nacioni ut, cum ob ipsam, quia de nacione Anglie est Parisius, non obstantibus omnibus premissis, est privatus graciis et promocionibus in Brabancia, mater sua nacio Anglicana vellet scribere domine duxisse Brabancie, ut consideratis premissis, quibus juvatur quod debet reputari de patria Brabancie, non obstante distinctione nacionum Parisius, que in Brabancia nemini deberet prejudicare, ipse posset gaudere eisdem graciis cum aliis de Brabancia, et quod factum magistri Radulphi ei non possit esse nocivum in loco provisionum aut alias. Cujus supplicacioni magistri Heynrici libenter annuit nacio. Audivit minutam litere, que satis placuit; sed secundum modum consuetum dedit deputatos ad visitandum particulas. Et [3] voluit nacio factum istud in libro nacionis notari et scribi, quia nacio reputavit sibi factam in personam magistri Heynrici magnam fraudem, et zelum talem qualem gerunt nacioni tales magistri Piccardi in hoc facto presenti, satis experimento didicisse, et quid facerent pro nacione aut suppositis in casibus, quibus facultas eis arrideret, immemores eorum que nacio Anglicana favorabiliter ipsis aut alteri eorum sepe graciose exibuit et aliis de illa lingua. Volens insuper istud habere cordi nec memoria [4] excidere in hiis, que de contingentibus ventura sunt eos quomodolibet tangencia.

Indicta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, III^a^ die mensis Aprilis, hora 2^a^ post prandium tempore quo celebrabatur congregacio Universitatis in eodem loco super duobus articulis.

Primus erat de restitucione cujusdam obligacionis restituende archidiacono ecclesie Scarensis, et tetigit ibidem procurator qualiter prefatus archidiaconus venit ad eum die precedente et dixerat sibi, quod vellet rehabere obligacionem illam que est in archa signata sigillo suo, in qua continentur 4^or^ puncta : primum est quod predictus archidiaconus poneret caucionem juridicam de non alienando domum sine consensu nacionis; 2um quod non reciperet aliquem de illa provincia in socium domus sine consensu nacionis; 3^m^ quod si contingeret eum recedere de Parisius quod nulli committeret predictam domum, sed redderet nacioni libere eam sicud recepit eandem ab ea; 4^m^ quod de festo Johannis preterito jam ad annum certificaret nacionem per literas capituli vel episcopi, quod ipse esset de illo capitulo, ad quod illa domus spectabat. Quod factum est ut patet respicienti acta in procuratoria precedenti [5]. Petivit ergo procurator quid esset acturus. 2us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et venit prefatus archidiaconus et supplicavit nacioni quod vellet sibi tradere prefatam litteram seu obligacionem. Super istis articulis deliberavit nacio quod ex quo in illa littera obligatoria habebantur aliqua puncta obligancia pro semper, ut sibi apparuit, ideo dedit deputa-

1. *Rector an.* 1398, *Junii* 23- *Octobr.* 10. Johannes Mercatoris, *Picard. nat., sacpe fuit legatus Universitatis in causa unionis ecclesiae.*
2. *Ut nat. Picard. procurator affertur ad an.* 1389 (Chartul., III, p. 516); *an.* 1403 *licent. in theol. e* Catal. licent., *sed* decessit ante magisterium.
3. *In margine* nota bene.
4. *Ms.* memoriam.
5. *Vid.* p. 793, 12.

tos de isto ad referendum duntaxat, sed non ad terminandum.

(*Fol. 48* [b]) Indicta congregacione nacionis, 17ª die mensis Aprilis hora 3ª post prandium, qua celebrabatur congregacio facultatis in eodem loco, scilicet in Sancto Maturino anno quo supra, super duobus articulis. Primus erat ad discernendum vel declarandum de quodam casu, et erat iste. Si contingeret quod bacularius in alio studio de nostra nacione admitteretur pro gradu bachalariatus cum ista condicione « solutis solvendis », utrum deberet jurare procuratori juramenta, que jurant alii Parisius pro gradu bachalariatus in nostra nacione acceptati, et specialiter hoc juramentum de fideliter dicendo quantitatem burse sue. Et tactis aliquibus motivis per procuratorem deliberavit nacio, quod talis, quicumque esset, haberet jurare procuratori omnia juramenta requisita pro gradu bachalariatus, nisi forsitan essent aliqua, que repugnarent juramentis per talem in alio studio factis. Eciam tangebat procurator et quesivit, qualiter talis haberet quantificare bursam suam. Et deliberavit nacio remittendo hoc ad conscienciam illius, postquam juravit juramenta requisita pro gradu bachalariatus, et specialiter illud juramentum de fideliter dicendo quantitatem burse sue.

2ᵘˢ articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et de isto articulo nichil, quia nullus supplicavit.

Sequuntur nomina licenciatorum istius anni et in isto mense.

Primo licenciatus est dominus Hermannus Ummen sub magistro Johanne de Zutphania, cujus bursa II solidi.

Item licenciatus est dominus Conrardus de Eslinga [1] sub magistro Johanne de Francfordia, cujus bursa II solidi.

Item licenciatus est dominus Johannes Elwald sub eodem, cujus bursa VI solidi.

Item licenciatus est dominus Hermannus de Eslinga sub eodem, cujus bursa II solidi.

Item licenciatus est dominus Wilhelmus Duercoop sub magistro Johanne de Zutphania, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus est dominus Johannes Ydil sub magistro Johanne de Francfordia, cujus bursa V s.

Item licenciatus est dominus Jacobus de Leyden, provisor provincie Almannie, sub magistro Nycolao de Gameren, cujus bursa IX solidi.

Sequuntur nomina incipiencium istius anni et istius mensis.

Primo incepit dominus Hermannus Ummen sub magistro Johanne de Zutfania, cujus bursa II sol.

Item incepit dominus Conradus de Eslinga sub magistro Johanne de Francfordia, cujus bursa II s.

Item incepit dominus Hermannus de Eslinga sub eodem, cujus bursa II solidi.

Item incepit dominus Wilhelmus Duercoop sub eodem, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Johannes Ydil sub eodem, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Jacobus de Leyden, provisor provincie Almannie, sub magistro Nycholao de Gameren, cujus bursa IX solidi.

1399

(*Fol. 49*) Acta in procuratoria magistri Johannis de Egmonda.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum XXVIIª die mensis Aprilis immediate post sermonem [2], protunc congregacione Universitatis celebrata in eodem loco, super duobus articulis. Primus erat ad substituendum aliquem in locum procuratoris scilicet magistri Johannis [de] Galencoop, qui causa legitima recessurus fuit ad suas partes. 2ᵘˢ erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo concorditer fuit substitutus in procuratorem magister Johannes de Egmonda. Super 2° supplicavit procurator recessurus, quatenus de per ipsum actis haberetur excusatus. Et fuit concessa concorditer sua supplicacio.

1399

Continuacio magistri Johannis de Egmonda.

Facta congregacione nacionis Anglicane Vª die mensis Maii [3] apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris ut consuetum erat. 2ᵘˢ articulus erat super restitucione cujusdam obligacionis facte per dominum

1. Conradus Lang *seu* Lange, *de quo supra* p. 763, 33.
2. *Quia fuit dies dominica.*

3. *Primo scriptum erat* XXXV die mensis Aprilis. *Postea delebatur* XXX, *et loco* Aprilis *superscribebatur* Maii.

archidiaconum ecclesie Scarensis, qui quidem erat obligatus nacioni in multis punctis. 3[us] articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit procurator quatinus haberetur excusatus de per ipsum actis in sua substitucione. Eciam supplicavit prefatus archidiaconus quatinus nacio vellet se tantum humiliare ut cognosceret se (*sic*) de levatis per nacionem.

Super primo articulo electus et continuatus fuit concorditer magister Johannes de Egmonda. Super 2° articulo deliberavit nacio quod si vellet se obligare nacioni in isto puncto, videlicet de non domus alienacione nisi hoc fuerit de consensu nacionis, bene placeret sibi restitucio littere unacum procuratorio, alias non. Super 3° articulo primo concorditer exaudita fuit supplicacio procuratoris; unde habebatur gratus, recommendatus de hiis que fecit. 2° de supplicacione archidiaconi prefati deliberavit nacio quod si vellet se submittere nacioni in puncto immediate tacto, ipsa nacio obediret racioni et liquitati [1]. Vocatus respondit quod uteretur concilio suorum magistrorum et referret in nacione. Verum est etiam, ut tradidi oblivioni, quod in 2° articulo erat mencio facta de ulteriori edificacione scolarum petendo concilium a nacione. Dedit nacio deputatos 4[or] vel quinque, qui haberent avisare unum bonum modum super continuacione scolarum edificandarum, scilicet mag. Johannem Forestarii, magistrum Georgium, mag. Hugonem, mag. Henricum, etc.

Item licenciatus est dominus Navno de Dacia sub mag. Rutghero de Zwecia, cujus bursa VIII sol. [2].

Item incepit dominus Navno de Dacia [3] sub eodem, cujus bursa VIII sol.

Item licenciatus est dominus Albertus de Lederdam sub magistro Nicholao de Gameren, cujus bursa IIII solidi.

Item licenciatus est dominus Ulricus Basler sub magistro Gherardo Boutbur, cujus bursa XVI den.

Item licenciatus est dominus Goeswinus de Hoeven sub magistro Johanne de Zutphania, cujus bursa [II sol.]

Item incepit dominus Albertus de Lederdam sub magistro Nicholao de Gameren, cujus bursa IIII sol.

Item incepit dominus Goeswinus de Hoeven [4] sub magistro Johanne de Zutphania, cujus bursa II s.

Item licenciatus est dominus Henricus de Asperen sub magistro Henrico Gorichem, cujus bursa II sol.

Item incepit dominus Henricus de Asperen sub eodem, cujus bursa II solidi.

Item licenciatus est dominus Michael Andree de Leyden sub magistro Nicholao de Gameren, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Michael Andree de Leyden sub eodem, cujus bursa VII solidi.

(*Fol. 49* [b]) Item licenciatus est dominus Albertus Pagani sub magistro Johanne Boutbur, cujus bursa XVI denarii.

1399

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis Anglie XXV[a] die mensis Maij apud Sanctum Julianum pauperem, protunc congregacione facultatis celebrata, super tribus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris vel primi continuacione. 2[us] erat super aliquibus nacionem tangentibus; primo ad audiendum compotum receptoris; 2° ad audiendum composicionem factam super domo *in cornu cervi*. Unde tetigit procurator, quomodo aliquorum magistrorum concilio, scilicet receptoris et aliorum eciam, domus *in cornu cervi* esset locata per unum lumbardum pro XXIIII scutis et uno franco pro immundiciebus removendis, attento isto quod non expediret capere magistrum Thomam Fabri in illius domus prefate locagium quamvis prima facie tradere voluisset nacioni centum scuta et sibi defalcarentur XVI franci pro locagio. 3[us] articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit procurator quatinus haberetur recommendatus et avuatus de hiis que fecit.

Super primo articulo concorditer continuatus fuit magister Johannes de Egmonda, qui protunc propinavit X solidos pro prima procuratoria, cum in prima non solverit. Super 2° articulo : ad primum concorditer deferebatur compotus ad aliam congregacionem; ad secundum placuit nacioni hoc ita esse ordinatum. Super 3° articulo concessa erat supplicacio domini procuratoris unde habebatur gratus, recommendatus etc.

Item licenciatus est dominus Johannes Achirlomin sub magistro Johanne Boutbur, cujus bursa IIII s.

1. *Vid. infra* p. 802, 1.
2. *Haec rubrica, et quidem sola, exstat in ms[to], ante* Continuacio, *etc., supra* p. 798, 41.
3. *Sine dubio est* Navno Johannis, *ut* p. 828, 46, *etiam vocatur, qui cum esset mag. artium et canonicus Lundens, an.* 1414, *Sept.* 12, *factus est episcopus Arosiens., an.* 1421, *Jul.* 14, *episc. Othoniens.* (*Arch. Vat., arm.* XII, 121).
4. *An.* 1412-1413 *in Univers. Colon. ut art. et medic. mag. inscriptus est* (*vid. supra* p. 736, *not.* 3), *An.* 1418-1419 *in Universitate Heidelberg.* (Toepke, Die Matrikel d. Univ. Heidelb., I, 142).

Item incepit dominus Ulricus Baeslar sub magistro Johanne Boutbur, cujus bursa XVI denarii.

Item incepit dominus Albertus Pagani sub eodem, cujus bursa XVI denarii.

Item licenciatus est dominus Johannes Leonis sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa VI solidi et VI denarii.

Item incepit dominus Johannes Achirlomin sub magistro Johanne Boutbur, cujus bursa IIII solidi.

Item incepit dominus Johannes Leonis sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa VI solidi et VI denarii.

Facta congregacione nacionis Anglicane, XVI^a die mensis Junii, apud Sanctum Maturinum protunc Universitatis convocacione celebrata super tribus articulis. Primus erat super edificacione scolarum edificandarum. Et tetigit ibi procurator de locagio domus *in cornu cervi* et illius modum per quem, nam ipse lumbardus una cum sociis suis composicionem facientibus super locagio prefate domus, dixerat tanquam superior Bomondo [1], se velle acceptaturum pro XXIIII scutis et uno franco pro inmundiciebus repellendis, sicud tactum erat in ultima congregacione nacionis. Et Bomondus suam notificacionem presentavit domino procuratori et receptori; procurator una cum domini receptoris fore finiri estimantes concilio, innotuit nacioni. Verum est quod tunc placuit nacioni composicio; sed dilacione duorum dierum elapsa dixit [2] se non posse concordari cum sociis suis. Tunc viso isto, diligenciarum actiones reformantes, facta est diligencia de illis actu in domo illa commorantibus, ut poterat experiri, optulerunt XXIIII francos. Procurator peciit quid super hoc fiendum, aut vellet [nacio] tradere illis domum inhabitantibus, vel vellet exspectare ad alios, ad quorum inquisicionem plus offerrent, vel mallent desistere a talibus et inspicere unam summam pecuniarum, ad quarum defalcacionem sibi defalcarentur alique pecunie pro locagio ad taxam ordinandam, quarum utilitas redundaret in usum scolarum edificandarum.

2us articulus erat super facto archydiaconi ecclesie Scarensis. Unde tetigit procurator qualiter alias venit et petivit restitui procuratorium etc. (*Fol. 50*), eciam peciit satisfieri de levatis per nacionem. Deliberavit protunc nacio quod si vellet ponere caucionem juridicam de non domus alienacione qualitercumque fuerit nisi de consensu nacionis, nacio obtulit se facturam illa que essent racionis et liquitatis [3]. Vocatus dixit quod super illo uteretur suorum dominorum concilio, et referret tunc in nacione. Protunc venit suam intencionem revelando, quod non appareret sibi justum nec juris, quod se ita redderet obligatum de ponendo caucionem juridicam.

3us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Supplicavit unus bachalarius pro dilacione alicujus temporis, quousque posset adimplere suas bursas, narravit enim necessitatus se illi supplicacioni subjungandus, cum erat de longinquissimis partibus et suum commodum non poterat ita cito adimpleri.

De duobus primis articulis nichil erat deliberatum propter temporis brevitatem, sed delati erant ad aliam congregacionem. Super 3° articulo erat deliberatum, quod poneret obligacionem sufficientem de solvendo bursas suas tempore bursarum adimplecionis et sufficienter nacioni.

Item licenciatus est Johannes Mazingher sub magistro Johanne de Francfordia, cujus bursa XVI den.

Item incepit dominus Johannes Mazingher sub eodem, cujus bursa XVI denarii.

Facta congregacione nacionis Anglie, XIX^a die mensis Junii, hora X^a de vespere apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Et duo primi articuli erant illi de quibus mensio erat alias facta in ultima congregacione nacionis, et 3us erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulorum propositorum erat concorditer deliberatum, quod defalcarentur sibi alique pecunie ad quotam ordinandam per dominum receptorem de locagio illius domus prefate *in cornu cervi* ab una summa pecuniarum prestitarum per ipsum nacioni, et si non posset iste modus optineri, quod exponatur locacioni, non obstante tamen isto quod non vellet preantea concedere nacioni tantas peccunias. Super 2° deliberatum erat concorditer, quod non restitueretur sibi obligatorium nec procuratorium, viso quod non vellet ponere caucionem juridicam nacioni, quod non alienaret domum qualitercumque fuerit, nisi de consensu nacionis. Super 3° nichil.

Facta congregacione nacionis Anglie XXIII^a die mensis Junii apud Sanctum Julianum pauperem super duobus articulis. Primus erat super facto locagii domus *in cornu cervi*. 2us erat super supplicacionibus. Super primo erat deliberatum quod receptor nacionis Anglie requireret deputatos Universitatis, qui haberent utilia ad usum domus apposita ratificare et eciam

1. Bedello nationis.
2. Lumbardus.

3. *Vox ignota apud* Ducange-Henschel *significare videtur* « quod liquet »; *nisi scriba pro* equitatis *hic et supra* p. 799, 20, *monstrum posuit.*

avisare super domo illa, quam unus abbas libenter haberet ad vitam suam, et tunc illo optento, quod provideretur scolaribus illius domus, si qui essent venturi. Super 2° nichil.

Item licenciatus est dominus Fredericus Traest sub magistro Rutghero Traest, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus est dominus Marcardus de Wila sub magistro Johanne de Vrancfordia, cujus bursa II s.

Item licenciatus est dominus Rembrandus de Purmer sub magistro Nicholao de Monikedam, cujus bursa III solidi.

Item incepit dominus Rembrandus de Purmer sub eodem, cujus bursa III solidi.

Item incepit dominus Marchardus de Vila sub magistro Johanne Dyppurg, cujus bursa II solidi.

(*Fol. 50* ᵇ) Facta congregacione nacionis Anglie, VIª die mensis Julii, apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat super modo solvendi creditori Universitatis, scilicet magistro Egidio de Asperomonte. Et tetigit ibi procurator quod alias erat in Universitate conclusum, quod quelibet facultatum sive nacionum solveret secundum ipsius exigenciam et ejusdem bursarum quantitatem; isto tamen non obstante per dominum rectorem erat tacta una quota secundum facultatem et quod quelibet nacionum traderet XV scuta. Verum erat quod alique secundum illam taxam solverunt, et magister Egidius prefatus demandaverat ad illam quotam ordinatam satisfieri. Dixit dominus receptor quod non audebat nisi haberet a nacione. 2ᵘˢ articulus erat de locagio domus *in cornu cervi*. Et insinuavit procurator nacioni quod prefata domus esset locata ab aliquibus Scotis sex pro XXV francis, et in istarum pecuniarum defalcacionem darent immediate X libras. 3ᵘˢ erat super supplicacionibus et injuriis.

Quoad primum deliberavit nacio se non tantum solvituram ad alias naciones, et quod vellet stare deliberacioni alias facte per Universitatem, videlicet satisfaceret sue supplicacioni et requeste secundum exigenciam et quantitatem bursarum; vel si istud non posset fieri, quod supplicetur aliis nacionibus quatinus nobis velint concedere ad tantam quotam, quousque pecuniarum relaxacio fuisset habita. Et si non, quod pecunie recepte in XXV francorum defalcacionem ad fidejussorem debitum exponantur cum aliis addendis. Super 2° placuit locagium. De 3° nichil.

Facta[1] congregacione nacionis Anglicane IIª die mensis Julii apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat super computo receptoris. 2ᵘˢ super supplicacionibus et injuriis. Super primo nichil, quia nimis pauci erant[2]. In 2° supplicavit procurator nacionis quatenus unus gereret vices suas in ejus absencia, quia recessurus erat ad partes certis de causis. Et amore predicti procuratoris et pro consensu nacionis magister Arnoldus Wtwiic acceptavit onus.

Facta congregacione nacionis Anglicane XIIIIª die mensis Julii apud Sanctum Maturinum hora primarum super 2ᵇᵘˢ articulis. Primus erat ad audiendum computum receptoris, et super edificacione scolarum. 2ᵘˢ super supplicacionibus et injuriis. Super primo placuit compotus. Super 2° quod fiat diligencia de rehabendo pecuniam de domo *cervi* ad edificandas scolas. Item solvit receptor magistris pro potando X solidos, quos defalcavit de XXI solidis, IX denariis. Et sic vero remanent XI et IX denarii, in quibus manet receptor obligatus nacioni omnibus solutis et defalcatis.

1399

[Acta in procuratoria Andree de Bavaria.]

(*Fol. 51*) Facta congregacione nacionis Anglie apud Sanctum Maturinum IIª mensis Octobris[3] anni nonagesimi noni super duobus articulis. Primus ad eligendum procuratorem, et fuit electus magister Andreas Hebel de Bavaria. 2ᵘˢ articulus super supplicacionibus. Nichil.

Item facta congregacione nacionis Anglie apud Sanctum Maturinum, XXIª mensis supra, super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum procuratorem. Et fuit continuatus magister Andreas. 2ᵘˢ articulus fuit ad eligendum receptorem, quia defunctus erat primus, videlicet magister Egidius de Jutfas[4], et fuit ille articulus dilatus propter paucitatem magistrorum, qui recesserant propter epidemiam[5]. 3ᵘˢ articulus fuit ad ordinandum de scolis. Et fuit conti-

1. *Abhinc usque ad finem folii scripsit* Arnoldus Utwiic.
2. *Vid. notam sequentem.*
3. *Desunt acta mensium Augusti et Septembris.* Epydimialis pestis et apostematum infectio Burgundiam... Meldense Parisienseque territoria afflixit a fine mensis Maii usque ad finem Novembris (Chron. du rel. de St-Denys, ed. Bellaguet, II, 692). *Propter epidemiam multi profecti vel defuncti sunt, ut lin.* 45 *et* p. 805, 29; 806, 39; 819, 32, *scribitur, et natio Anglicana tunc viduata fuit.*
4. *Ms.* Gutfas. *In epidemia defunctus est.*
5. *Ideo desunt nomina regentium hujus anni.*

nuatus ut precedens. 4us super supplicacionibus. Nichil.

1399

[Acta in procuratoria Alberti Thome.]

Facta congregacione nacionis Anglicane, XVIIIa die mensis Novembris anno Domini M.CCC. LXXXXIX, apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris; secundus super edificacione scolarum facultatis arcium; tercius articulus super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo concorditer nacioni placuit eligere novum procuratorem, et elegit magistrum Albertum Thome. Super 2° articulo, quia nacio tunc non habuit pecuniam, nichil fuit dictum, tum quia receptorem non habuimus, et hoc quia receptor nacionis alias, bone memorie magister Egidius, defunctus fuit, cujus anima requiescat in pace, et ideo facta fuit eciam mencio in nacione ad habendum receptorem. Nullus tamen de nacione voluit acceptare onus de exponendo, quia non fuit eis spes quod satis cito persolverentur; eciam propter defectum pecuniarum multi dixerunt quod non possent vel saltem quod non possent bono modo carere pecuniis suis. Finaliter auditis istis magister Johannes Forestarii de sui gracia acceptavit onus videlicet isto modo, quod ipse esset loco et vicem gerens receptoris usque ad adventum magistrorum [1] et quod posset exonerari ab officio, quando sibi videretur expedire.

In eadem congregacione facta fuit mencio de festo sancti Eadmundi. Iterum omnibus placuit quod nacio faceret festum juxta laudabilem consuetudinem nacionis. Sed difficultas fuit in peccuniis habendis. Nacio non habuit aliquas nisi duos francos, quos dixit se recepisse magister Georius [2] ab uno incipiente, et istos ipsos ipse offerebat ad exponendum pro dicto festo. Et quia isti duo franci non suffecissent pro festo, ideo dictus magister Johannes Forestarii supplens vices receptoris dixit, quod hiis duobus francis vellet superaddere alios tres frankos, dum tamen ipse rehaberet de primis peccuniis supervenientibus nacioni, et quod eciam maneret loco receptoris quousque sibi esset satisfactum. De hoc regraciabatur sibi nacio et placuit istud concorditer omnibus. Super 3° articulo nichil.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud ecclesiam Sanctorum Cosme et Damiani anno 1399 in festo Concepcionis nostre Domine post summam missam in predicta ecclesia super modo habendi peccuniam pro expositis specialiter in ecclesia, scilicet pro capellano loco curati, pro pedellis, pro offertoriis sive oblacionibus, straminibus, torciis, placuit nacioni quod magister Johannes Forestarii loco receptoris concederet nacioni peccuniam, que ascenderet usque ad duos vel tres frankos, et quod ipse conscriberet exposita illa tam pro ecclesia quam pro aliis factis nacionis, et quod iterum de primis peccuniis supervenientibus nacioni sibi satisfieret. Et regraciabatur nacio sibi de hoc secundum quod tenebatur, quia nondum recepit aliquid, sed de propriis exposuit.

1399

(*Fol. 51* b) Acta in procuratoria magistri Gherardi Brant, alias de Davantria.

Celebrata congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem anno Domini 1399, die sedecima mensis Decembris, infra 8vam et 9nam horas ante prandium super duobus articulis. Primus articulus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo electus fuit una consona voce magistrorum, nemine contradicente, Gherardus Brant, alias de Davantria, in procuratorem nacionis. Super 2° nichil fuit expeditum, quia etc.

1400

Facta congregacione nacionis Anglicane, VIIIa die mensis Januarii, apud Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus articulus erat super ordinacione et disposicione domus *ad cornu cervi* quoad duo puncta. Primum punctum, quia predicta domus locata fuit a quibusdam Schotis ipsam alias inhabitantibus, qui cum mortalitas [3] Parysius se inceperit amplificare ad augmentum, una cum pluribus timore ejus fugitivi, sua negocia cum clavibus domus predicte ex eadem absque scitu et consensu nacionis deportantes, ipsam penitus vacuam et inoccupatam dimiserunt; et quia, sicud eorum recessus noticie nacionis fuit incognitus, ita nec eorum adventus fuit actenus nacioni significatus : quapropter ad deliberacionem magistrorum proposui, quid supra hoc expediret ordinandum, an scilicet expediens esset

1. *Qui propter epidemiam profecti erant.*
2. *I. e.* Georgius de Rein.
3. *De qua mortalitate supra*, p. 803, *not.* 3.

domum de novo et iterato locacioni exponere, vel an predictorum scholarium fortasse adventus nobis incertus et dubius foret exspectandus. 2um punctum primi articuli istius erat super avizando modum habendi peccunias nostras de predicta domo, in quibus ipsa nacioni est obligata. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Venit dominus archydyaconus ecclesie Scharensis supplicans nacioni, ut sibi darentur deputati, qui domum ecclesie predicte, alias longis temporibus sub regimine nacionis gubernatam, pro nunc suo regimini de consensu nacionis concessam, super levatis et receptis et ad ejusdem utilitatem per nacionem expositis ad reddendum sibi computum bene avizati visitarent.

Super primo articulo quoad primum punctum, quia magister Johannes Forestarii adventum predictorum scholarium suorum compatriotarum nacioni significaverat, placuit ergo nacioni ipsos exspectare. Quoad 2^m^ punctum nacio distulit.

Super 2° articulo videbatur magistris concorditer supplicacionem predicti domini non esse racioni consonam, tum quia primo difficile esset sibi reddere computum de receptis et levatis et expositis ad domus utilitatem, ex eo quod magister Egidius bone memorie alias diu existens receptor nacionis jam in mortalitate decessit, cujus anima requiescat in pace, qui plura in reformando indigencia domus exposuerat, que forte iterato in ruinam ceciderunt, vel inveterata et corrupcioni proxima existunt; et sic pro nunc difficulter sciretur qualiter, quomodo, (*Fol.* 52) ubi, quando et quantum esset expositum et in ea reformatum, que, si computus perfecte reddi debuerit, omnia essent taliter consideranda; tum ex alio predictus dominus non habuit juste supplicare illud, quia alias in continuacione procuratorie magistri Johannis de Egmonda hoc idem supplicavit, et sibi responsum erat tali modo quo superius in presenti registro in predicta procuratoria est signatum. Et ita nacio nolens retractare illam conclusionem protunc per nacionem deliberatam, stetit in eadem pro nunc sicud et tunc, offerens predicto domino se in omnibus racioni et ea que racionis sunt facturam conformare. Illis scilicet condicionibus adjectis quod faceret caucionem de non alienando domum qualitercumque, nisi de consensu nacionis, et in casu quo ipsum contingeret recedere, reponeret domum ad manus nacionis. Item quod de peccuniis receptis ab inhabitantibus eam reformaret domum predictam pro nunc ruinosam, alioquin nacio se opponeret sibi. Qui vocatus audiens predicta, respondit se non fuisse deliberatum nec bene consultum ad predictam caucionem faciendam; sed finaliter asseruit se velle consulere super isto amicos suos, et ipso acquiescente consiliis, nobis suam mentem in hoc significaret.

1400

Acta in procuratoria magistri Nicolay Becherer de Argentina.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° secundum stilum nostrum, in festo beati Firmini [1], hora primarum super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat super ordinacione domus ecclesie Scharensis secundum supplicacionem domini archidyaconi, provisoris ejusdem domus in congregacione precedenti conscriptam. 3us erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo placuit nacioni eligere novum procuratorem, et voce unanimi nullo discrepante magistrum Nicolaum de Argentina [2] in procuratorem nacionis elegerunt. De 2° nichil tractatum fuerat propter temporis brevitatem nec non magistrorum in congregacione Universitatis occupacionem, nam secundum quod nacio prefatum dominum archidyaconum super condicionibus in precedenti congregacione annexis [3] et conscriptis impetebat, quatenus eis vellet suppeticionibus parcere. Qui quidem [4] se improvisum et inconsultum esse respondens, sed alias sibi consilio manifestato suam mentem nacioni reserare vellet, secundum quod in precedenti congregacione est conscriptum. Quapropter presentis articuli materia ad subsequentem congregacionem fuerat dilata. Super 3° articulo nichil etc.

1400

(*Fol.* 52 ^b^) Continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis Anglicane eodem anno, decima die mensis Februarii, apud Sanctum Maturinum hora consweta super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo placuit nacioni continuare magistrum Nicolaum de Argentina nullo

1. 13 *Januarii.*
2. *De quo supra ad an.* 1397, p. 735, *not.* 1.
3. *Ms.* annectis.
4. *Ms.* quidam.

discrepante. Super 2° articulo supplicavit primo antiquus procurator statim nominatus nacioni, quatenus peracta tempore officii sui grata, amata et recommendata habere dignaretur, ipsum quoque gratum et recommendatum, etc. Cujus quidem supplicacio concorditer unanimo modo nullo reclamante admittebatur. 2° supplicaverunt duo alterius Universitatis[1] bacallarii, scilicet Yvanus Richeri[2] et Ludolfus Ludis[3], quatenus tanquam bachallarii in hujus alme Universitatis studio admitterentur. Super quorum supplicacione fuerat unanimiter nullo dissenciente deliberatum, quod persolutis persolvendis nec non juratis jurandis ipsi libere tanquam bacalarii in hujus alme Universitatis studio perseverare possent.

Sequuntur nomina determinantium istius anni Domini M° CCCC° secundum stilum nostrum.

Primo determinavit Petrus de Carniola sub magistro Heinrico de Gorkam, cujus bursa III solidi.

Item determinavit Johannes Kern sub magistro Johanne Botbur, cujus bursa III solidi[4].

Satisfecit michi procuratori Yvanus Richeri de Erlach alterius Universitatis bachalarius de bursis, qui cum consensu nacionis pro bachalario admittebatur persolutis persolvendis, et jurandis juratis, cujus bursa II solidi.

1400

[Acta in procuratoria Gerardi Brant].

(*Fol. 53*) Facta congregacione Anglicane nacionis anno quo supra, IX^a^ die mensis Marcii, apud Sanctum Maturinum infra octavam et nonam horas super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem, vel etc. Secundus articulus erat super supplicacionibus etc. Quoad primum articulum fuit electus in procuratorem magister Gherardus Brant de Davanteria, nemine magistrorum recusante. Quoad 2^m^ articulum supplicavit dominus Johannes Brukner de Goberstad ut ad subdeterminanciam admitteretur tanquam pauper, cujus supplicacio erat concessa, quia juravit statutum paupertatis.

Sequuntur nomina determinancium istius anni.

Item primo determinavit dominus Heinricus de Dintheren sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Johannes Brukner de Goberstad, cujus bursa nichil.

Item dominus Arnoldus de Arsen, cujus bursa VII s.

Item Nicolaus Possessoris, cujus bursa XVI den.

Item Coenrardus Driel, cujus bursa XVI denarii.

Item Johannes de Arnhem, cujus bursa XVI denarii.

Sequuntur nomina subdeterminancium istius anni.

Item subdeterminavit Johannes Hůgilen sub magistro Henrico de Ghorinchen sub principali determinatore Arnoldo de Arsen, cujus bursa nichil, quia juravit statutum paupertatis.

1400

(*Fol. 53 b*) Acta in procuratoria magistri Johannis de Galencoep.

Indicta congregacione nacionis apud Sanctum Bernaerdum anno quo supra, sexta die mensis Aprilis, hora octava super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum etc. Electus fuit concorditer Johannes de

1. *Scilicet* Universitatis Vindobonens.

2. *In* Arch. Univers. Vindobon., *et quidem in* Matricula Univers., I, *invenitur fol.* 27 b *ad an.* 1392 *inter* Rhenenses *intitulatus* Yvanus de Monaco. *In* Acta fac. arcium. *legimus fol.* 68 b : (1395 *Junii* 6) ad videndum scolares presentatos pro examine baccalariatus in artibus et ad dispensandum super quibusdam eorum defectibus si videretur expediens, et fuerunt visi 6, scilicet... (2) Yvanus Reycheri de Monaco... qui fuerunt admissi ad examen. *Ibid. fol.* 86 (1399 *Aug.* 17) fuit dispensatum cum... Yvano baccalariis super tempore et actibus per eosdem complendis secundum formam, excepto Yvano qui parvum defectum habuit in lectura solum, cum quo simpliciter fuit dispensatum.

3. *An.* 1394 *in* Matricula Univers. Vindobon. *et quidem inter* Saxones *intitulatus* (fol. 30). *In* Acta fac. art. *fol.* 76 b *legimus ad an.* 1396, *Decemb.* 10 : Ad videndum scolares se examini pro gradu bacc. presentare volentes... Item *Ludolfus* defecit in quarto tractatu *Petri Helie*. Item audivit pro tunc *Priorum* circa principium. Item in *Algorismo*. Item in exordio secundi *Priorum*. Item in 6 questionibus septimi *Phisicorum*. — *Ibid.*, *fol.* 77 (1397 1-5 *Januarii*)... ad audiendum supplicacionem cujusdam baccalariandi, videlicet Ludolfi de Ludis, qui petivit dispensacionem super habitu proprio et pecunia facultati solvenda, et conclusum fuit quod sic usque ad pingwiorem fortunam. Item tercius articulus erat ad videndum scolares examinatos pro gradu baccalariatus in artibus et erant presentati isti... *Ludolfus Ludis*. — *Ibid. ad an.* 1397, *Martii* 17, *fol* 82 b : Quartus fuit Ludolfus Ludis cum quo fuit dispensatum, sic quod iret etiam ad aliam Universitatem si non commode reverti posset.

4. *Postea spatium dimidiae paginae.*

Galencoep, nemine contradicente. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit procurator precedens ut in actis per eum haberetur gratus et recommendatus. Cujus supplicacioni annuit nacio. Supplicavit eciam magister Johannes de Zande, alias de Campen, quod ex quo magister Egidius de Jutfaes pie memorie concesserat nacioni XV coronas, pro quibus magister Egidius prefatus posuerat unum librum in pignus, nacio vellet respondere executoribus predicti magistri Egidii pro illis pecuniis de primis pecuniis proventuris nacioni. Cujus supplicacioni favebat nacio, dummodo res sic se haberent, sicut allegavit predictus magister Johannes.

Indicta congregacione nacionis anno quo supra, die octava mensis Aprilis, apud Sanctum Maturinum ante prandium ad dispensandum et super supplicacionibus et injuriis, venit ad nacionem Leonardus de Laybach, et dicebat se non scire modum nacionis et igitur supplicavit, ut sibi nacio velit parcere et eum admittere ad determinanciam secundum modum consuetum. Et hoc concessit nacio.

Item congregata nacione die sequente in eodem loco juxta horam nonam venit ad nacionem Hugho de Arbona, et supplicavit ut nacio velit eum admittere ad jurandum statutum paupertatis pro subdeterminancia. Quod et factum est. Et juravit statutum paupertatis coram magistris.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XXV^{ta} die mensis Aprilis hora 8va super duobus articulis. Primus ad deliberandum an litera concessa Universitati ex parte regis placeret vel non. Et deliberavit nacio quod sic. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Et requisivit dominus receptor procuratorem ut faceret congregacionem nacionis, in qua posset computare in plena nacione.

Item subdeterminavit Petrus de Gota sub magistro Gerardo de Eten, sub principali determinatore Nicholao Possessoris, cujus bursa nichil.

Item subdeterminavit Bernaerdus Kůelnaer [1] sub magistro Henrico de Ghorinchem sub principali determinatore Coenraerdo de Driel, cujus bursa nichil.

Item subdeterminavit Aelbertus Munodruchingen sub magistro Johanne de Boutbur, sub principali determinatore Johanne Ghoberstat, cujus bursa nichil.

Item determinavit Leonardus de Laybach sub magistro Henrico de Ghorinchem, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit Hugo de Arbona sub magistro Hermanno de Eslinghe, sub principali determinatore Heinrico de Dintheren, cujus bursa nichil.

Incepit dominus Johannes Eluwald sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa VI solidi.

1400

(*Fol. 54*) Sequitur continuacio ejusdem.

Indicta [2] congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno Domini millesimo quadringentesimo, quarta die Maij, hora octava super tribus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum etc. Secundus ad audiendum compotum receptoris. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Super primo continuatus est in procuratorem Johannes Galencoep. Super 2° articulo nichil, quia receptor non erat presens. De 3° articulo supplicavit procurator precedens, ut in actis per eum in sua procuratoria haberetur gratus et recommendatus. Cujus supplicacioni favebat nacio.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, sexta die Maii post sermonem [3] in loco prefato super duobus articulis. Primus ad audiendum compotum receptoris, quem protunc nacio audivit; sed nichil factum fuit conclusive finaliter de approbacione compoti prefati, et circa illum articulum tetigit procurator qualiter quidam magister die precedente incepit, sine tamen solucione franci pro jocundo adventu et eciam franci pro prima procuratoria, quorum primus debebatur nacioni ex antiqua consuetudine, secundus debebatur ex deliberacione nacionis alias super hoc habita. Et deliberavit nacio quod talis magister, qui die precedente inceperat, solveret illos duos francos infra quindecim dies, quod et fecit, quia tradidit illos duos francos Wilhelmo subbedello nacionis.

Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et venerunt ad nacionem magister Richardus de Loenen et magister Johannes de Zande, alias de Campen, supplicantes, attento quod nacio alias concesserat supplicacionem eorum, scilicet quod ex quo magister Egidius de Jutfaes pie memorie concesserat nacioni quindecim coronas etc., prout habetur in procuratoria precedente, dummodo res sic se

1. *Infra scribitur* Kolner.
2. *Acta hujus procuratoriae ab alio ac Johanne de Galencoep scripta sunt.*
3. *Quia* Johannes ante portam lat.

haberent ut dicebat magister Johannes prefatus, et ex quo hoc in libro receptoris habebatur, quod scilicet magister Egidius prefatus concesserat nacioni quindecim coronas : nacio vellet respondere ut alias deliberatum erat. Que supplicacio concessa erat.

1400

Sequitur continuacio ejusdem magistri Johannis de Galencoep.

Indicta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, prima die Junii, hora octava super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum. 2us erat ad distribuendum menses. 3us super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit concorditer Johannes de Galencoep. Quantum ad 2m articulum primus mensis datus fuit magistro Nicolao de Argentina pro quatuor solidis; secundus mensis datus fuit magistro Navnoni de Dacia pro tribus solidis; et 3us magistro Jordano de Darthesen pro duobus solidis; et 4us magistro Conrardo pro duobus solidis. Et ivit nacio post congregacionem ad tabernam et perpotavit ibidem istas pecunias, et cum hoc dimidiam coronam, quam dedit procurator. De 3° articulo supplicavit procurator precedens, ut in actis per eum nacio haberet eum gratum. Cujus supplicacioni annuit nacio.

Indicta congregacione nacionis anno, mense, loco, quibus supra, die nona, hora 3a post prandium super duobus articulis. Primus ad providendum de domo *ad cornu cervi*, quia nacio adhuc nesciebat an inhabitantes domum prefatam vellent eam retinere vel resignare nacioni. Et narravit ibidem magister Johannes Eluwald, qualiter scolares inhabitantes predictam domum non erant adhuc determinati ad tenendum vel resignandum dictam domum. Si tamen nacio vellet precise pro locagio unius anni habere XX scuta, bene placeret illis scolaribus inhabitantibus domum; sed si non placeret nacioni habere etc., petivit prefatus magister Johannes dilacionem pro illis dictis scolaribus usque ad duodecimam horam diei sequentis in prandio ad dandum responsum nacioni super isto. Et hoc placuit nacioni.

Narravit eciam ibidem procurator, qualiter scole *septem arcium* stant incomplete, et quod nacio vellet dare unum bonum modum habendi pecunias ad complendum illas scolas. Et dedit nacio deputatos, scilicet dominum receptorem, magistrum Arnoldum Wtwiic et magistrum Johannem Dorp ad avisandum unum bonum modum habendi pecunias pro edificacione scolarum prefatarum.

2us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et venerunt ad nacionem duo scolares protunc intrantes cameras apud Nostram Dominam, supplicantes quod ex quo ipsi erant bachalarii in alio studio [1], nacio vellet eos admittere ad gradum bachalariatus, et quod ipsi admitterentur ad jurandum statutum paupertatis tam pro bursis bachalariatus, quam licencie et incepcionis in artibus, sine ampliori congregacione fienda super hoc. Quorum supplicacioni favebat nacio. Et juraverunt in presencia nacionis statutum paupertatis illi duo scolares, scilicet Johannes Stelezlini [2] et Ludolfus de Lude [3].

(*Fol. 54* b) Et notandum quod die sequente istam congregationem prefatam innotuit nacioni, qualiter scolares inhabitantes domum *ad cornu cervi* resignaverant eam, et tunc nacio locavit eam magistro Johanni Dorp pro tanta summa pecunie annuatim, quantam dederunt inhabitantes scolares predicti, scilicet pro XXV francis.

Item notandum quod receptor nacionis, scilicet magister Johannes Forestarii, ex deliberacione nacionis super hoc habita solvit magistro Richardo de Loenen executori magistri Egidii de Jutfaes, pie memorie, XV coronas, in quibus nacio prefato magistro Egidio tenebatur, pro quibus ipse posuerat unum librum in pignus apud magistrum Egidium de Asperomonte.

Sequuntur nomina licenciatorum istius anni.

Primo licenciatus est Ywanus Richerii de Erlach sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa II solidi.

Item licenciatus est Thomas de Grilla sub eodem, cujus bursa VI solidi.

1. *In* Universitate Vindobon.

2. Johannes Stolezel de Waltze *intitulatus est an.* 1396 *inter* Australes (Matricula Univers. Vindob. *fol.* 32 b). *In* Acta fac. artium, *fol.* 79 b *legitur* ad an. 1397, *Juli* 1 : presentati fuerunt et recepti quinque scolares locati secundum istum ordinem : Johannes Stoleztin de Walse... *Ibid. fol.* 80 *ad Jul.* 15 : ad audiendum supplicaciones quatuor scolarium examinatorum scilicet Johannis Stolezlin de Walse .. petere volencium dispensacionem super pecuniam facultati solvendam et super habitibus propriis habendis, cum quibus facultas dispensavit usque ad pinguiorem fortunam. *Ibid. fol*, 82 b : (1398 *Martii* 17) : « Secundus fuit Johannes Stolezlin qui petivit dari sibi licenciam ad partes et ad aliam Universitatem et committebatur consciencie sue, quia ipse allegavit infirmitatem quam hic incurrit, sic tamen quod *pro artibus et theologia non iret nisi Parisius* ».

3. *De* Ludolfo Ludis *jam supra*, p. 809, *not.* 3.

Item licenciatus est Johannes Stelczlini sub magistro Conrardo de Eslingha, cujus bursa nichil.

Item licenciatus[1] est Ludolfus de Lude sub eodem, cujus bursa nichil.

Item licenciatus est Arnoldus Reyneri sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus est Petrus de Carniola sub magistro Hermanno de Eslingha, cujus bursa III solidi.

Item licenciatus est Johannes de Tureyo sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa IIII solidi.

Item licenciatus est Johannes Bruknar de Goberstat sub eodem, cujus bursa XVI denarii.

Item licenciatus est Johannes de Reys sub magistro Johanne de Zutfania, cujus bursa II solidi.

Sequuntur nomina incipiencium istius anni.

Item incepit dominus Petrus Ghiesen sub magistro Aernoldo de Wtwiic, cujus bursa VI solidi.

Item incepit dominus Ywanus Richerii de Erlach sub magistro Aernoldo Wtwiic, cujus bursa II solidi.

Item incepit dominus Fredericus Traest sub magistro Johanne de Zutfania, cujus bursa V solidi.

Item incepit[2] dominus Ludolfus de Lude sub magistro Conrardo de Eslingha, cujus bursa nichil.

Item incepit dominus Thomas de Grilla sub magistro Aernoldo de Wtwiic, cujus bursa VI solidi.

Item incepit dominus Johannes Stelczlin sub magistro Conrardo de Eslingha, cujus bursa nichil.

Item incepit dominus Petrus de Carniola sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa III solidi.

Item incepit dominus Johannes Bruckner de Goberstat sub eodem, cujus bursa XVI denarii.

Item incepit dominus Arnoldus Reyneri sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Johannes de Thureyo sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa IIII solidi.

Item incepit dominus Johannes Reys sub magistro Johanne de Zutphania, cujus bursa II solidi.

Indicta congregacione apud Sanctum Maturinum anno ut supra, quinta die mensis Julii, hora primarum Nostre Domine super tribus articulis. Primus super distribuendo quartum mensem. Distributus erat magistro Hermanno de Omma[3]. 2us fuit super audiendo computum receptoris, et super resignacione officii sui, et super electione novi receptoris. Super primo computatum erat, quod ipse receptor mansit obligatus nacioni in 22 libris, 7 solidis, 4 denariis, et resignavit officium suum, et concorditer electus erat in receptorem magister Arnoldus Wtwiic. 3us fuit super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit magister Johannes Dorp quatinus placeret nacioni, quod subbedellus iret et faceret fieri reparaciones in domo *ad cornu cervi*, quam ipse inhabitat. Et est supplicacio concessa.

1400

(*Fol. 55*) Acta in procuratoria magistri Jordani de Derthesen substituti magistri Johannis Galencoop.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Cosmam et Damianum anno Domini ut supra, XIIIIa die mensis Augusti, in profesto Assumptionis beate Marie, vesperis et completorio finitis, super uno articulo, scilicet super supplicacionibus. Et supplicavit dominus procurator duo : primum erat quatenus, cum ipse iturus esset ad partes propter causam racionabilem, posset substituere unum in loco suo. Et placuit nacioni, et substituit me Jordanum de Derthesen. Secundum erat ut nacio vellet ipsum habere gratum et recommendatum etc. in actis per ipsum. Et eidem supplicacioni nacio favebat ut priori, etc.

1400

Continuacio magistri Jordani de Derthesen.

Facta congregacione *nacionis Almanie*[4] apud Sanctum Maturinum anno ut supra, XXVa die mensis[5] Augusti super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem sive ad continuandum. Et continuatus est concorditer magister Jordanus de Derthesen. Secundus erat super supplicacionibus, et nichil factum fuit ibidem[6].

1. Item licentiatus *postea deletum est.*
2. Item incepit *postea deletum est.*
3. *I. e.* Ummen.
4. *Notatu dignum, an.* 1400 *et postea plures nationis pro nomine* nationis Anglicanae *nomen* nationis Alemanniae *substituisse, quae locutio solum ab an.* 1442 *in morem venit. Vid. tamen supra* p. 309, *not.* 5, *et* p. 529, 40, *et* Chartul., III, n° 1592. *Hujus nominis mutationis minime causa fuit odium contra Anglicos, ut saepe asseruerunt, sed quia jam a longo tempore Anglici in natione Anglicana desiderabantur (quanquam ibi semper plures Scoti fuissent), et Alemanni majorem partem nationis constituebant. Locutio* natio Anglicana *sacc.* XIV *fuit de subjecto non supponente. Plures supprimebant epitheton ad* nationem, *sive* Anglicanam, *sive* Alemanniae, *et scribebant tantum* natio.
5. *Ms.* mesis.
6. *Ms. iterat* factum.

Facta congregacione nacionis anno et loco ut supra, XII^a die mensis Septembris super duobus articulis. Primus erat, ex quo dominus Stephanus dux Bavarie, pater regine [1], venerat Parisius, ut nacio avisaret quid faciendum esset sibi. Super hoc nacio avisavit quod vellet adire ipsum cum omnibus suppositis nacionis, et facere sibi reverenciam et honorem omnem, quam posset, et supplicare eidem ut ipse velit esse diligens et attentus in facto unionis ecclesie, nec non ut ipse vellet regine filie sue nostram nacionem sic recommendare, ut ipsa similiter esset memor nostre nacionis et haberet eandem recommendatam. Et ad ista proponenda coram predicto duce electus est magister Johannes de Austria [2]. 2us erat super supplicacionibus. Et nichil factum fuit, etc.

Facta congregacione *nacionis Almanie* apud Sanctum Maturinum in die sancti Mathei anno ut supra, XXI^a die mensis Septembris, infra sextam et septimam horas super duobus articulis. Primus ad distribuendum scolas regentibus. 2us super supplicacionibus, etc. Super primo articulo regentes anni precedentis supplicaverunt nacioni ut eis de scolis pro anno futuro provideret. Cui supplicacioni annuens omnibus regere volentibus scolas distribuit secundum ordinem antiquitatis regencie ipsorum, hac condicione annexa, quod quilibet volens regere nacioni poneret fidejussores, quod per majorem partem ordinarii regeret. Super 2° nullus supplicavit, etc.

1400

(*Fol.* 55 b) Acta in procuratoria magistri Johannis de Dorp de Leydis.

Facta congregacione nacionis in primis Nostre Domine penes Sanctum Maturinum anno quo supra, XXIII^a die Septembris, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo electus fuit concorditer in procuratorem magister Johannes de Dorp. Super secundo articulo supplicavit Guillelmus subbedellus nacionis quod nacio ipsum recommendare vellet facultati arcium, eidem supplicando quod sicud graciose anno preterito facultas sibi concessit, quod pro bona custodia scolarum [3] a qualibet nacione haberet duos francos, sic et isto anno sibi concedere vellet. Quam supplicacionem nacio concessit; et eam consequenter facultati porrexit, que similiter et ipsam admisit.

Facta congregacione nacionis penes Sanctum Maturinum in nonis Nostre Domine, quarta die Octobris, super duobus articulis. Primus erat ad ordinandum super aliquibus, que dominus archydiaconus Scarensis dicturus erat in nacione. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo comparuit dominus archydiaconus prescriptus in nacione, allegans domum quam inhabitat dispositam ruine, allegans eciam nacionem sibi debere de redditibus, quos nacio levavit dum dictam domum in custodia habuit; ideo requisivit archydiaconus sibi satisfieri ut posset domui subvenire, casum ejus prohibendo. Super quo deliberatum fuit, quia multi de senioribus magistris, ymo quasi omnes absentes fuerant, quos debitum allegatum, si quod sit, minus latere debet, quod fieret una alia congregacio nacionis, ad quam vocandi essent omnes magistri nacionis, visuri si nacio dicto domino aliquid debeat, et si sic, quod ei nacio satisfaciat quam cicius affuerit facultas, sub hac condicione quod dictus dominus pecuniam pro locagio domus per ipsum levatam ac eciam levandam habeat exponere in reparacionem domus de consilio nacionis, adjuncta etiam condicione quod domum, de qua sermo, non alienabit sine scitu ac plenario consensu nacionis. Super 2° articulo nichil, quia nullus supplicavit.

Nacione congregata [10^a Octobris] super electione novi rectoris [4], supplicavit magister Coenrardus de Hesselinga, quia quidam casus necessitatis ei supervenit, propter quem verisimiliter iturus erat ad partes, cum intencione tamen redeundi, quod nacioni placeret quod magister Hermannus de Hesselinga in scolis suis legeret tempore absencie sue. Quam sup-

1. Isabellae, *filiae ducis Bavariae Stephani, qui tunc cum legatis electorum Imperii Parisios venit. Vid.* Chron. du rel. de St-Denys, II, 760. JARRY, La vie politique de Louis de France, p. 238. *Alemanni Parisiis studentes Stephano et ejus filiae minime gratis reverentiam exhibuerunt, ut apparet e sequentibus.*

2. *Vix redux fuit de* consilio principum *Francfordiae hoc anno Maii, Junii, celebrato, de quo vid.* MORANVILLÉ *in* Bibl. de l'Ecole des chartes, XLVII, p. 489 *sqq. Universitas Paris. etiam illuc suos legatos misit, ut rector et Universitas April.* 26 *annuntiarunt, apud* WEIZSAECKER, Deutsche Reichstagsakten, III, n° 134, *ubi tamen corrigendum est nomen theol. professoris Dominici* Proiri *in* Parvi. *Dominicus Parvi de Varennis ab an.* 1388 *fuit mag. in theol. Vid.* Chartul., III, p. 259, *not.* 42. *Cum duobus istis legatis profectus est etiam Johannes Mercatoris.* Johannes Mullinger de Austria *semper adhuc licentiatus solum in theol. fuit.*

3. *Balivus vici Straminis. Vid.* p. 787, 9.

4. *Electus est* Johannes de Monte Leonis, *ab Octob.* 10 *ad Decemb.* 16. *Fuit nat. Gallic., et licent. in theol. an.* 1413 *e* Catal. licent.

plicacionem nacio concessit, adjecta condicione ista, videlicet si ex parte magistri Coenrardi per majorem partem ordinarii per se vel per magistrum Hermannum prenominatum non legeretur, quod magister Coenrardus ac ejus fidejussor pro locagio scolarum satisfaceret.

Facta congregacione nacionis penes Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine, XVII[a] die Octobris, super 2[bus] articulis. Primus continebat aliqua puncta. Primum fuit ad exsequendum deliberata super facto domini archydiaconi in precedenti congregacione. Super quo puncto multis magistris de nacione verisimile erat (attentis expensis et laboribus quos nacio habuit pro domo de qua sermo prius) nacionem nichil debere archydiacono; tamen ad magis contentandum ipsum dedit nacio sex deputatos, qui videbunt libros procuratoris et receptoris, et eciam visitabunt archam nacionis ad inquirendum, si omnibus expensis factis per nacionem pro dicta domo pensatis ac eciam laboribus, ipsa archydiacono in aliquo sit obligata, et si sic, quod ei satisfiat, (*Fol. 56*) observatis tamen condicionibus prescriptis et conclusis in precedenti congregacione.

Secundum punctum ejusdem articuli fuit, quia dominus Stephanus in Bavaria dux in brevi de Parisius erat recessurus, quod nacio ipsum adiret ad sibi recommendandum factum ecclesie et nacionem, et ad supplicandum quatinus regine filie sue nacionem dignaretur recommendare. Quod punctum nacioni placuit.

Tercium punctum ejusdem articuli fuit, quia *tempore mortalitatis multi magistri et scolares nacionis Parisius fuerunt mortui*[1], quod pro eis celebraretur officium. Et placuit nacioni.

Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. De quo nichil, quia nullus supplicavit.

Sequuntur nomina regentium istius anni cum nominibus suorum fidejussorum.

Magister Arnoldus de Vytwiic receptor.

Magister Johannes Baupour; fidejussit receptor.

Magister Johannes de Zuytfania; fidejussi ego Johannes de Dorp.

Magister Guillelmus Bloc; magister Johannes de Zuytfania re[spondit].

Magister Johannes de Francfordia[2]; magister Johannes re[spondit].

Magister Heynricus de Gorichem; respondi ego.

Magister Coenrardus de Esselinga; magister Hermannus de Esselinga re[spondit].

Magister Bernardus Flogelink; respondi ego ut prius.

Magister Hermannus Ummen; respondi.

Magister Arnoldus de Zuytfania; magister Guillelmus Bloc respondit.

1400

Acta in procuratoria magistri Jordani de Derthesen.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine tempore congregacionis Universitatis eodem anno ut supra, XVI[a] die mensis Octobris, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem; 2[us] erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit concorditer magister Jordanus de Derthesen. Super 2° articulo primo supplicavit predecessor meus ut nacio vellet ipsum habere gratum et recommendatum in actis tempore procuratorie sue. Item supplicaverunt bedelli quod placeret nacioni, ut ipsi, sicut et alias fecerant, de quolibet determinaturo in artibus caperent dimidium francum. Quibus supplicacionibus annuit nacio.

Facta congregacione *nacionis Almanie* apud Sanctum Maturinum anno et hora ut supra, XIIII[a] die mensis Novembris super duobus articulis. Primus erat super festo Eadmundi. Secundus super supplicacionibus, etc. Super primo articulo conclusit nacio quod fieret festum *in ecclesia et in taberna*, ut solitum est fieri, et hoc expensis nacionis. Super 2° articulo nichil, quia nullus supplicavit.

1400

(*Fol. 56*[b]) Continuacio magistri Jordani de Derthesen.

Facta congregacione *nacionis Almanie* apud Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine, XVIII[a] die mensis Novembris, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo nacio concorditer deliberavit pro continuacione magistri Jordani supradicti. Super 2° articulo supplicavit procurator, quatenus visis actis et factis in

1. *Vid.* p. 803, *not.* 3.
2. *Anno completo* Heidelbergam *petiit, ubi intitulatus est an.* 1401 *sub nomine* Johannes Lagenator de Dyppurg. *Vid.* TOEPKE, Matrikel, I, 82, *et supra* p. 739, 12.

tempore procuratorie sue nacio in eisdem velit ipsum habere gratum, ratum et avoatum. Cui supplicacioni annuit dicta nacio, etc.

1401

Acta in procuratoria magistri Bernardi Vloghelingh[1].

Indicta congregacione *nacionis Alemanie* apud Sanctum Maturinum in nonis Nostre Domine, XI^a die mensis Januarii anni millesimi quadringentesimi primi, super tribus articulis. Primus erat de facto domini archydiaconi Scarensis ex parte domus in vico Brunelli *ad ymaginem nostre Domine*. Et quia alias deliberatum fuit in nacione in procuratoria magistri Johannis, quod sex deputati visitarent libros receptoris, quod nondum factum fuit[2], ideo nacio stans in aliis deliberatis iterato dedit duos deputatos pro informacione debitorum contractorum in predictis libris.

2us articulus fuit super facto edificacionis scolarum ad avisandum de modo habendi pecunias. Quoad istud tacti sunt duo modi. Primus quod bonum esset si domus *de cornu cervi* locari posset ex consensu Universitatis alicui ad vitam, et de pecuniis inde receptis edificarentur scole. 2us modus, quod expediret quod regina[3] adiretur per medium domini episcopi Silvanectensis[4], et supplicaret sibi nacio, postquam informata esset de statu nacionis, quod accommodaret nacioni ducentos francos vel II^c scuta[5] pro complecione scolarum, quos vel que ipsa solveret in posterum per certas quotas annuales, ita quod hoc modo proponeretur factum.

3us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad istum supplicavit quidam magister, magister Helyas de Culeburch, pro litera testimoniali et recommendatoria ex parte magistri Hermanni de Braklis, qui existens in Montepessulano non habens literam a facultate recommendaretur a nacione bonus et continuus scolaris fuisse in facultate medicine Parisius, et ipsum audivisse lectiones ordinarias et extraordinarias. 2° supplicavit Boemundus bedellus nacionis pro aliquibus pecuniis sibi adhuc solvendis a receptore defuncto, quod de illis solveretur. Que supplicaciones fuerunt admisse.

1401

Acta in procuratoria magistri Johannis de Egmonda.

Facta congregacione *nacionis Anglie* apud Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine, XIII^a die mensis Januarii anni supradicti, super duobus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris vel antiqui continuacione. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo electus erat concorditer in procuratorem magister Johannes de Egmonda. Super 2° favebat nacio supplicacioni procuratoris antiqui, etc.

1401

(*Fol.* 57) Continuacio ejusdem magistri Johannis de Egmonda.

Indicta[6] congregacione *nacionis Almanie* apud Sanctum Maturinum hora terciarum super duobus articulis. Primus super electione novi procuratoris. 2us super supplicacionibus et injuriis. Super primo electus est concorditer magister Johannes de Egmonda. Super 2° supplicavit procurator super aguacione, recommendacione, etc., et fuit supplicacio admissa.

Indicta congregacione *nacionis Anglicane* apud Sanctum Maturinum hora primarum Nostre Domine, XI^a die mensis Februarii, super tribus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris vel antiqui continuacione. 2us articulus erat super facto officiariorum circa bachalarios examinandos, similiterque super compoto domini receptoris. 3us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit procurator, ut haberetur recommendatus et gratus in hiis que egit. Et supplicavit quidam dominus, ut nacio vellet annuere sue supplicacioni de acceptando ipsum in bachalarium solutis solvendis, viso quod alibi fuit talem gradum ingressus. Super primo unanimiter continuatus erat idem. Super 2° dati erant officiarii secundum solitum modum, super quo eciam habebatur compotus domini receptoris. Super 3° annuit nacio supplicacioni prefati, necnon in alterius domini supplicantis consensum adivit, etc.

Indicta congregacione nacionis Anglicane apud

1. *Postea spatium quinque linearum, ubi scribendum erat de electione novi procuratoris, qui verisimiliter* 16^a *Decembris electus est.*
2. *Ms. iterat* factum.
3. Isabella, *cui reverentiam paulo antea exhibuerunt.*
4. Johannis de Diodona, *de quo in* Chartul. n° 1310 *not.* 1. *Ab an.* 1388 *provisor Sorbonae. Vid. infra* p. 835, *not.* 1.
5. *Infra ad an.* 1402, *Martii* 31 *scribitur, reginam nationi stipem* XX *franc. dedisse! Vid. etiam* p. 829 ; 830, 40.
6. *Haec rubrica usque* 26 *deleta est, quia postea abundantius de eodem agitur.*

Sanctum Maturinum hora prima Nostre Domine, vicesima prima mensis Februarii, super instantiis et requestis quorundam dominorum bachalariandorum volencium supplicare pro dilacionibus bursarum, videlicet domini Johannis de Alcmaria, domini Reynaldi de Argentina, domini Andree Gerechini de Dacia, domini Johannis Gerechini de Dacia, domini Ludovici Eslinger, domini Nicolai Lutzenborch. Super quo deliberavit nacio volens annuere suis supplicacionibus usque ad terminum Pasche ab eis prefixum [1], servatis tamen statutis et ordinacionibus nacionis continentibus posicionem pignerum duplicis valoris vel ad minus sexquialteri in respectu ad debitum, etc.

Secuntur nomina determinancium anni supradicti.

Primo determinavit Guillelmus Bel sub magistro Johanne Botbur, cujus bursa VI solidi.

Item determinavit dominus Johannes de Alcmaria sub magistro Johanne de Zutphania, cujus bursa VII s.

Item determinavit dominus Johannes Berghen sub magistro Hermanno de Ummen, cujus bursa XVI den.

Item determinavit dominus Reinaldus de Argentina sub magistro Johanne Botbur, cujus bursa VI sol.

Item determinavit dominus Bertoldus Rechbok sub magistro Johanne Botbur, cujus bursa III solidi.

Item determinavit dominus Andreas Gerechini de Dacia sub magistro Ar[noldo] Wtwiic, cujus bursa VIII solidi.

Item determinavit dominus Johannes Gerechini de Dacia sub eodem, cujus bursa VIII solidi.

Item determinavit dominus Ludovicus Eslinger sub magistro Johanne Botbur, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Gerardus Petri de Leydis sub magistro Egidio Jutfaes [2], cujus bursa VII solidi, IIII denarii.

Item determinavit dominus Nicolaus Lutzenborch sub magistro Henrico de Gorichen, cujus bursa VI s.

Item determinavit dominus Johannes Durbecker de Sarburch sub eodem, cujus bursa VI solidi.

Item determinavit dominus Nicolaus de Arluno sub magistro Hermanno Eslinger, cujus bursa XVI den.

(*Fol.* 57 [b]) Item determinavit dominus Gerardus de Wesalia sub magistro Heinrico de Gorichen, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit dominus Petrus Wilhelmi de Aemsterdam sub magistro Hermanno de Ummen, cujus bursa XVI denarii.

Indicta congregacione *nacionis Alemanie* apud Sanctum Maturinum hora primarum Nostre Domine, VI[a] die mensis Marcii super duobus articulis. Primus erat super confortacione sive honore nacionis. 2[us] erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo recitavit procurator deliberacionem alias in convocacione unica magistrorum factam per magistrum Bernardum antecessorem meum super edificacione scolarum nostrarum in vico Straminum, nec non de viis habendi pecunias super earundem ulteriori continuacione [3]. Precipue tamen relacionem fecit [de] motibus domini episcopi Silvanectensis, quomodo instantissime circa factum nacionis nostre secundum requestam alias sibi factam insistit, scribendo nobis qualiter insteterat super facto nostro apud reginam; tandem quod regina sufficienter ducta per ipsum preceperat sue cancellarie, vocate domine de Syemières [4], quatinus materiam per predictum episcopum, etc., propositam haberet alias regine commendare memorie. Et specialiter ad consulendum nostram nacionem requisivit ut duo vel tres magistri de nacione prefata haberent personam cancellarie accedere, sibi [h]anc requestam facientes, ut materiam alias sibi commissam per dominum episcopum, etc., velit tradere memorie regine et habere factum nostrum recommendatum. Unde nacioni antea sufficienter consulte placuit, ut ipsa adiretur, etc., et ad hoc dedit deputatos magistrum Johannem de Austria referentem, etc.

Super 2° supplicavit unus dominus quod visa ignorancia in principio Quadragesime et etiam visis bursis per ipsum dandis valeat admitti in medio Quadragesime ad gradum bachalariatus adimplendum. Placuit nacioni, dummodo non repugnaret statuto, nec quod in consequenciam de cetero retrahatur, etc.

1401

(*Fol. 58*) Sequuntur ea que facta fuerunt in procuratoria magistri Gerardi Doemheer, alias de Lucembourch, electi in procuratorem *nacionis Alamannie* die jovis, que fuit decima mensis Marcii anni Domini millesimi CCCC[mi] [5].

Primo convocatis generaliter magistris *nacionis Alamannie* ad congregacionem apud Sanctum Matu-

1. *Ms.* prefictum.
2. *Sed jam an.* 1399, *Octob.* 21 *defunctus erat. Vid.* p. 804, 42.
3. *Vid. supra* p. 821, 21.
4. Chimières.
5. *Sec. stilum gallicanum.*

rinum celebrata die XVII^a mensis Marcii per dictum procuratorem dicte nacionis propositi fuerunt 3es articuli. Primus fuit ad habendum deputatos, qui una cum dicto procuratore sint solliciti erga dominam reginam Francie et dominum episcopum Silvanectensem et dominam dictam de Chymières et alios, quorum interesse poterit de habendo pecuniam a predicta regina pro hedificacione scolarum in vico Straminum. 2us articulus fuit super distribucionibus mensium pro examinatoribus bachalariorum in Sancta Genovefa. 3us super supplicacionibus et injuriis.

Super primo articulo deputati fuerunt magister Johannes de Austria proponens, magistri Arnoldus Witwiic, Johannes Dorp, Petrus Prendre, vel alii in casu quo predicti vel aliquis eorum haberi non posset, et quo ad istum articulum dictus procurator fecit posse suum pluries ad Sanctum Paulum [1] et ad domum habitationis domine regine eundo, et de sollicitando dominum episcopum Silvanectensem per Bomundum, et fuit negocium finaliter resolutum ad hoc quod domina regina debebat precipere argentario [2] suo dicto Hamonet, quatinus nobis daret certam summam pecunie.

Super 2° articulo et 3° simul supplicavit magister Bernardus [Ummen] pro omnibus mensibus. Cujus supplicacioni nacio consensit, et hujus gracia dictus magister Bernardus propinavit interesse volentibus decem solidos.

Item in dicta procuratoria subdeterminaverunt tres scolares in artibus, quorum nomina sequuntur.

Primo subdeterminavit dominus Johannes Spenlin de Rotemburg, dyocesis Constancien., sub magistro Johanne Bautpour, sub principali determinatore, scilicet... (*sic*), cujus bursa II sol.

Item dominus (*sic*) [3].

Item [4] in dicta procuratoria licenciati fuerunt duo bachalarii in artibus, quorum nomina sequuntur.

Primo licenciatus fuit dominus Gerardus de Mekeren [in] Sancta Genovefa sub magistro... (*sic*), cujus bursa VII sol.

Item 2° licenciatus fuit dominus Johannes Kern in Nostra Domina sub magistro... (*sic*), cujus bursa III sol.

1401

(*Fol. 58*^b) Procuratoria magistri Jordani de Derthesen.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno MCCCCI, septima die mensis Aprilis, in primis Nostre Domine super duobus articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem; secundus super supplicacionibus, etc. Super primo electus est in procuratorem magister Jordanus de Derthesen. Super 2° primo supplicavit procurator antiquus, ut nacio ipsum in peractis in tempore procuratorie sue vellet eum habere avoatum etc., cui supplicacioni favebat nacio. 2° supplicavit idem procurator, cum ipse legisset per duos annos continue libros Ethicorum, et esset in actu legendi adhuc, quatenus nacio sibi sicud et aliis factum fuerat dare vellet unam quotam pecunie, allegans ad hoc singularum nacionum consuetudinem. De ista supplicacione placuit nacioni, si esset consuetudinis dare, quod bene vellet quod ipse haberet certam quotam; nullam tamen nominavit. In pluribus bonum videbatur quod magistri super hoc melius convocarentur. Item supplicavit dominus Johannes Kern in artibus incipere volens, ut nacio vellet esse contenta de solucione bursarum pro magisterio ad certum tempus deferenda, de quibus solum crederetur suo juramento. Super ista supplicacione nacio voluit stare in statuto et consuetudine super hoc habitis, etc.

Sequuntur nomina licenciatorum istius anni.

Primo licenciatus est dominus Gherardus de Mekeren sub magistro Johanne de Sutfania, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus est dominus Johannes Kern sub magistro Johanne Burbuert, cujus bursa III solidi.

Item licenciatus est dominus Heinricus Dintheren sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus est dominus Bernaerdus Echof sub magistro Bernardo Flogheling, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus dominus Jacobus de Treveris sub magistro Johanne Burbuert, cujus bursa VII s.

Item licenciatus est dominus Wilhelmus de Aemsterdam sub magistro Aernoldo Wtwiic, cujus bursa II solidi.

Item licenciatus est dominus Coenraerdus Dric sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa IIII sol.

Item licenciatus est dominus Arnuldus de Dordraco sub magistro Arnuldo Wytwyke, cujus bursa VII solidi.

1. *I. e.* l'Hôtel S.-Paul, *de quo* JAILLOT, Recherches, III, *Quartier S. Paul*, p. 42.
2. *Seu* thesaurario.
3. *Postea spatium quatuor linearum.*
4. *Haec et sequentes duae rubricae deletae sunt, quia in sequenti procuratoria licentiati inscripti sunt.*

Item Jacobus Lyndesay licenciatus sub eodem magistro Arnuldo Wy[t]wyke, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus est Johannes de Leydis sub magistro Aernoldo Wtwiic, cujus bursa VI solidi.

Item licenciatus est Bernardus Kolner sub mag. Aernoldo Wtwiic, cujus bursa II sol.

Item licenciatus est Nicholaus Cehyld[1] sub magistro Aernoldo Wtwiic, cujus bursa II solidi.

Sequuntur nomina incipiencium istius anni.

Primo incepit dominus Gherardus de Mekeren sub magistro Johanne de Sutfania, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Johannes Kern sub magistro Johanne Burbuert, cujus bursa III solidi.

Item incepit dominus Heinricus Dintheren sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Jacobus de Treveris sub magistro Johanne Burbuert, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Bernaerdus Echof sub magistro Bernaerdo de Flogheling, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Wilhelmus de Aemsterdam sub magistro Aernoldo Wtwiic, cujus bursa II sol.

Item incepit dominus Coenraerdus Driel sub magistro Aernoldo Wtwiic, cujus bursa IIII solidi.

Item incepit Aernoldus de Dordraco[2] sub magistro Aernoldo Wtwiic, cujus bursa VII solidi.

Item incepit Johannes de Leydis sub eodem magistro Aernoldo Wtwiic, cujus bursa VI solidi.

1401

(*Fol. 59*) Acta in procuratoria Johannis Eluvald.

Facta congregacione *nacionis Anglie*, quinta die mensis Maij anno Domini millesimo CCCCI° in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus ad eligendum procuratorem; secundus super locatione domus *cornu cervi* in vico Sancti Hyllarii; tercius super supplicacionibus et injuriis. Super primo electus fuit concorditer in procuratorem magister Johannes Eluvald. Super 2° fuerunt dati deputati qui haberent visitare domum, et scire pro quanto posset ipsam locare et illud nacioni referre.

Super tercio supplicavit magister Gerardus Dumheren ut nacio vellet sibi dare aliquam summam pecunie racione lecture sue libri Ethycorum, secundum quod nacio dedit aliis magistris ipsum in consimili lectura precedentibus. Quam supplicacionem nacio non acceptavit, quia multi fuerunt magistri qui deliberarunt quod non videbant modum, per quem poterat nacio sibi succurrere, visa ejusdem nacionis paupertate; et aliqui magistri ejus supplicacioni acquieverunt. Sed quia multis apparuit quod supplicacio ejus erat graciosa, et unus[3] solus potest interemere supplicacionem gratiosam : ideo fuit conclusum quod protunc non poterat aliquid habere. Item supplicavit procurator antiquus ut nacio vellet ipsum habere in peractis tempore procuratorie sue avoatum, gratum. Cui supplicacioni favebat nacio.

Item facta congregacione ejusdem nacionis Anglie VI^a^ die mensis Maii anno supradicto super duobus articulis. Primus articulus fuit super facto domus in vico Brunelli *ad ymaginem beate Marie* propter lapides per magistrum Thomam Fabri ab eadem domo remotos, nam supplicabat archidiaconus qui tunc inhabitabat illam domum, quatinus nacio vellet sibi assistere ad procedendum contra dictum magistrum Thomam. Cujus supplicacioni favebat nacio, sibi assignando certos deputatos, qui secum haberent procedere in illo facto. Item in eadem congregacione fuerunt dati certi deputati ad locandum domum *de cornu cervi* pro utilitate nacionis, videlicet magistri Aernoldus Wtwiic, Johannes Dorpe, Johannes Suthfania et procurator. Alius articulus fuit super aliis supplicacionibus, et protunc nulli alii fuerunt supplicantes.

1401

(*Fol. 59* ^b^) Acta in procuratoria magistri Navnonis Johannis de Dacia.

Facta congregacione nacionis Anglicane, II^a^ die mensis Junii anno Domini MCD primo, in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus articulus ad eligendum novum procuratorem; secundus ad audiendum compotum receptoris; tercius super supplicacionibus et injuriis. Super primo electus fuit concorditer in procuratorem magister Navno Johannis de Dacia. Super secundo nichil fuit factum, quia receptor non venit. Super tercio supplicavit antiquus procurator, quod

1. *Qui supra* p. 810, 17, *vocatur* Possessoris ?
2. *Ms.* Dorgraco.
3. *Ms.* unius.

nacio vellet ipsum in peractis tempore sue procuratorie habere av[o]atum, gratum et aguatum. Cui supplicacioni nacio annuit.

Item incepit dominus Bernardus Kolner sub magistro Arnoldo Witwiic, cujus bursa II solidi.

Item facta congregacione nacionis Anglicane XI^{a} die mensis Julii super tribus articulis. Primus articulus erat ad avisandum modum ulterius procedendi in facto nacionis pro pecuniis habendis a domina regina. Secundus articulus fuit ad audiendum compotum receptoris. 3us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo recitat procurator, quia alias negocium fuit resolutum ad hoc, quod domina regina haberet precipere thezaurario suo [1] quatinus daret nacioni certam summam pecunie, quod multas fecerat diligencias per Bomundum pro sciendo quando dictus thezaurarius esset prope reginam, quod tunc deputati nacionis haberent adire dominam reginam sibi supplicare, quatinus preciperet thezaurario in presencia ipsorum deliberare nacioni summam, quam gracia sua dignaretur sibi concedere. Et quia procurator non obstantibus diligenciis per ipsum habitis in nullo profecit, reputabat hunc modum multum difficilem. Tamen nacio deliberavit quod adiretur domina regina presente episcopo Silvanectensi vel thezaurario ipsius regine vel ambobus, et dedit deputatos alias datos in eadem materia, videlicet magistrum Johannem de Austria, etc.

Super secundo articulo auditus fuit compotus receptoris in presencia tocius nacionis, et computatum erat quod ipse receptor remansit obligatus nacioni in 52 libris paris., 1 franco cum IIII denariis. Et quia alias nacio semper consuevit tempore compotus aliquid perpotare, visum fuit nacioni concorditer, quod ille francus cum IIII denariis perpotaretur. Et ita factum fuit, et placuit compotus et fuit signatus per procuratorem in libro receptoris.

Quoad tercium articulum venit dominus archidyaconus Scarensis ad nacionem, et primo regraciabatur nacioni de bona assistencia sibi facta in causa domus sue, de qua superius in procuratoria magistri Johannis Helvad [2] facta est mencio. Et supplicavit nacioni pro ulteriori assistencia in eadem causa in casu, quo indigeret. Quam supplicacionem nacio concessit. Secundo supplicavit dictus dominus archidyaconus quatinus placeret nacioni sibi dare pecunias, in quibus pretendebat nacionem sibi teneri ex parte domus ecclesie Scarensis, cujus ipse est amministrator et procurator, allegans ipsam domum esse ruinosam, et bene indigere reparacionibus. Super quo nacio dedit deputatos, videlicet antiquiores magistros de nacione, qui habeant visitare libros procuratoris et receptoris, et eciam archam nacionis ad inquirendum, si nacio sit sibi obligata in aliquo, et referent nacioni. Et quia pluries fuerunt dati deputati in eadem materia, tamen non fecerunt aliquid in illo facto, ideo nacio voluit quod isti deputati habeant istam visitacionem et informacionem facere infra mensem post diem congregacionis.

Ulterius tetigit procurator, quomodo quidam de Trajecto inferiori, dictus magister Guillelmus Buser, tenetur nacioni in aliqua summa pecunie, ideo bonum videbatur quod avisaretur aliquis modus habendi illas pecunias ab ipso, et ad faciendum mencionem de isto fuit procurator requisitus per aliquos magistros de nacione. Super quo nacio dedit deputatos superius datos, qui habeant visitare archam nacionis et libros procuratoris et receptoris et se informare de debitis nacionis, et videatur eciam per ipos, si sit obligacio de illis in archa, et referent nacioni, et postea avisetur modus ulterius procedendi.

(*Fol. 60*) Item facta congregacione nacionis Anglicane, XVII^{a} die mensis Augusti, in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus articulus erat ad avisandum modum ulterius procedendi in facto nacionis pro pecuniis habendis a domina regina ad edificacionem scolarum *septem arcium*. Secundus articulus erat de tribus scutis tradendis cuidam, ex parte domus *ad cornu cervi*, qui fecit deportari immundicias de vico *Josselini* retro ante dictam domum *ad cornu cervi*. Tercius articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo recitat procurator, quomodo non obstantibus multiplicibus diligenciis in facto nacionis quas fecerat per Bomundum bedellum, nunquam tamen post ultimam deliberacionem nacionis potuit haberi oportunitas accedendi ad reginam secundum modum tactum in illa deliberacione, et ideo procurator posuit in deliberacione nacionis, utrum placeret sibi ulterius secundum istum modum prosequi idem negocium erga dominam reginam, vel visa difficultate ipsius eligere unum alium modum, secundum quem posset prosequi negocium antedictum. Et deliberavit nacio conformiter quod voluit ire ad dominam reginam sceleriter infra III vel IIII dies, si oportunitas se offerret, non curando utrum episcopus Silvanectensis esset presens vel Hamoneth thezaurarius regine vel neuter eorum, et juxta hoc tetigerunt aliqui

1. *Dicto* Hamonet. *Vid. supra* p. 825, 22; 831, 1.

2. *I. e.* Elwald.

quod bonum esset prius loqui cum domina Syemières, cancellaria regine, pro sciendo utrum aliquid disposuerat regina vel ne in isto facto. Et ulterius quia aliqui dixerunt quod magister Johannes de Austria non erat in villa, qui solebat esse proponens in isto facto, et dubitabatur utrum ita sceleriter rediret, ideo nacio deliberavit quod supplicaret magistro Georgio [1] de Sorbona quatinus ipse vellet sibi acceptare onus et proponere factum nacionis ante reginam ex parte nacionis.

Super 2° articulo recitat procurator quomodo quidam venit ad eum et petivit nomine nacionis ab eo III scuta, quia fecerat deportari immundicias de vico *Josselini*[2] retro domum *ad cornu cervi*, et dixit quod exposuit pro illis immundiciis deportandis extra vicum et ad campos VIII scuta, et quod nacio deberet solvere tria de illis ex parte domus *ad cornu cervi*; ac procurator misit eundem ad receptorem, qui respondit sibi quod ex quo nullus fuit in foro facto de deportacione illarum immundiciarum ex parte nacionis, nichil traderet sibi, nisi mencio de illis in plena nacione fieret. Ideo procurator posuit in deliberacione de illis, utrum placeret nacioni quod traderentur vel ne. Et quia nacio dubitavit utrum totum de jure sibi nacio deberet solvere, fecit ipsum vocari ad se, et venit et juravit se non posse de minori contentari, et sibi de jure tantum deberi. Super quo nacio deliberavit conformiter quod traderentur sibi tria scuta per receptorem.

Quoad tercium articulum supplicaverunt bedelli nacionis, videlicet Bomundus et Guillelmus, quatinus nacio vellet ipsis succurrere in aliquo, visa indigencia ipsorum, quia paucas habuerant isto anno bursas, et ille quas habuerunt modice fuerunt propter paupertatem suppositorum. Super quo nacio deliberavit et consideravit ipsorum indigencias; consideravit eciam labores et diligencias, quos Bomundus fecerat in facto nacionis erga dominam reginam expediendo, et voluit dare Bomundo VI francos, et Guillelmo IIII^or^ francos. Ulterius voluit nacio quod Bomundus faceret bonam diligenciam in posterum in facto nacionis.

Ulterius venit dominus archidyaconus Scarensis ad nacionem, et primo regraciabatur nacioni pro laboribus et diligenciis alias adhibitis in amministratione domus ecclesie Scarensis. Ulterius idem intimavit nacioni, quomodo accidit sibi casus, propter quem oportuit ipsum recedere de Parisius. Unde ordinavit et substituit procuratores domus ecclesie Scarensis *ad ymaginem nostre Domine* in vico Brunelli procuratorem nacionis et socium suum dominum Cristiernum Hemmingi in solidum, ita quod, quicumque illorum presens sit, habeat plenam potestatem regendi, locandi, locagia percipiendi et cetera disponendi, secundum quod ipsemet potest, supplicans nacioni quatinus dictos procuratores suos haberet recommendatos et vellet ipsos juvare in amministracione ejusdem domus in casu quo indigerent. Quam supplicacionem nacio concessit sub tali condicione tamen, quod dicti procuratores substituti obligarent se nacioni per literas apertas ipsorum, quod ipsis recedentibus nemini traderent domum sine consilio nacionis. Ulterius supplicavit nacioni idem archidyaconus quatinus vellet esse memor de reddendo pecunias, in quibus tenetur dicte domui. Super quo deliberavit nacio quod dum se facultas offerret, libenter solvere vellet dictas pecunias antedicte domui.

1401

(*Fol. 60* ^b^) Acta in procuratoria magistri Goedscalci dicti Vrese.

Indicta congregacione nacionis Anglicane hora primarum Nostre Domine aput Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCCI°, die veneris XXVI^a^ mensis Augusti, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Et electus fuit concorditer magister Goedscalcus Vrese. Secundus articulus super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit magister Navno Johannis de Dacia, ut haberetur ab ipsa nacione gratus, recommendatus et aguatus in actis per eum nomine officii procuratoris. Et hec sibi concorditer fuit concessa. Idem eciam magister nomine sui et ejus socii Cristierni Hemmingi dedit nacioni quandam cedulam suo et socii sui predicti sigillo signatam, in qua se unanimiter nacioni esse obligatos recognoverunt ad non tradendum aut resignandum alicui quandam domum in vico Brunelli *ad ymaginem nostre Domine* sitam sine consensu nacionis, etc., secundum jam memorate cedule formam.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini ut supra, XII^a^ die Septembris, hora terciarum aput Sanctum Julianum super duobus articulis. Primus erat ad subveniendum cuidam scolari de Hungaria, qui injuste incarceratus solum pro expen-

1. Georgio de Rein.

2. *Nomen vici* Josselini *igitur antiquius est quam* Jaillot *supponebat* (Quartier St.-Benoît, p. 105 *sq.*).

sis per ipsum ejus incarceracionis tempore factis in carceribus Cassaleti[1] detinetur, cui nacio ut pia mater condolens deliberavit, ut eidem scolari pro solucione dictarum expensarum duo vel tres franci per receptorem nomine dicte nacionis accommodarentur, prius tamen per ipsum receptorem vadio tanti valoris vel circiter, sicut esset pecunia dicto scolari mutuanda, a dicto scolari vel alio ejus nomine recepto. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis, super quo nichil protunc fuit deliberatum, quia protunc nemo supplicavit.

Facta congregacione nacionis aput Sanctum Maturinum ipso die beati Mathei apostoli hora VII^a, ut nacio esset expedita de suo facto proprio ante congregacionem Universitatis, que fuit indicta pro hora VIII^a immediate sequente, super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum receptorem vel continuandum antiquum nacionis prefate. Super quo articulo continuatus fuit concorditer in receptorem antedicte nacionis magister Arnoldus Wtwiic.

Secundus articulus erat ad distribuendum scolas magistris proponentibus regere in ordinario futuro. Super isto articulo placuit nacioni secundum laudabilem et approbatam consuetudinem magistris regentibus de scolis providere. Circa quem articulum tactum fuit per procuratorem ex ammonicione quorundam bonum et commodum nacionis prefate zelancium per modum avizamenti (considerato quod super scolas magnas inferiores Almannie sufficiens spacium est ad ordinandum duas scolas; et si sic ordinaretur, minoribus expensis quibus fieri poterit, commodose nacio relevaretur a duabus libris annuatim, quas dat pro locagio scolarum unius magistri, qui tamen non tam decenter et honeste esset locatus in scolis locandis sicut esset in scolis fiendis per ordinacionem prefatam; viso eciam quod nacio sic recuperaret infra spacium trium vel quatuor annorum expensas pro ordinacione dictarum scolarum fiendas), quod omnino nacio tenderet ad execucionem talis ordinacionis, ymo in magnum prejudicium regencium, honoris et utilitatis nacionis, predicta ordinacio tam diu fuit omissa. Super isto avizamento nacio nichil finaliter determinavit, quia hoc avizamentum fuit tactum non per modum articuli, sed solum si contingeret in posterum super dicta ordinacione fieri articulum aut congregacionem nacionis specialem, quod tunc nacio maturius super hoc poterit deliberare, determinare et concludere. Voluit tamen nacio concorditer quod procurator convocaret deputatos ex magistris nacionis, qui haberent una cum procuratore visitare locum dictarum scolarum, considerando an defectus luminis, an aliquis alius defectus, ne sepedicta ordinacio ad honorem et commodum nacionis et regencium produceretur ad effectum, preberet impedimentum[2].

Tercius articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Super quo supplicarunt magistri intendentes regere in ordinario futuro, quod eis nacio de scolis velit providere secundum ordinacionem et consuetudinem per nacionem approbatam, de quorum numero magistri regentes anno preterito resignaverunt scolas eis assignatas per nacionem in manibus ejusdem nacionis ut moris est. Cui supplicacioni nacio concorditer annuens, omnibus pro tunc supplicantibus secundum ordinem antiquitatis regencie ipsorum scolas distribuit; hac tamen condicione annexa, quod quilibet illorum supplicancium poneret fidejussores, quod per majorem partem ordinarii regeret, nisi interveniret legittima excusacio, propter quam nacio merito haberet eum excusatum.

(*Fol. 61*) Sequuntur nomina regencium istius anni cum nominibus suorum fidejusssorum.

Magister Arnoldus Wtwiic receptor.

Magister Johannes Banpour; fidejussor receptor.

Magister Johannes de Zutfania; fidejussor magister Jacobus de Haerlem[3].

Magister Guillelmus Bloc; fidejussor mag. Arnoldus de Zutfania.

Magister Henricus Gorichem; fidejussor magister Hermannus Omen[4].

Magister Goedscalcus Vreze; fidejussor magister Guillelmus Bloc.

Magister Arnoldus de Zutfania; fidejussor magister Guillelmus Bloc.

Magister Hermannus Omen; fidejussor H[enricus] Gorichem.

Magister Hermannus de Esselinga; fidejussor magister Coenrardus de Esselinga.

Magister Johannes Reest; fidejussor magister Jacobus de Haerlem.

1. *I. e.* Castelleti.
2. *Vid.* p. 835, 17 *sqq.*
3. *Primo scriptum erat* H[enricus] de Gorichem.
4. *I. e.* Ummen. *Primo in ms^to* Johannes de Zutfania.

1401

Continuacio magistri Godscalci Vreze.

Indicta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XXIII^a^ die Septembris, hora primarum Nostre Domine, protunc congregacione facultatis arcium celebrata in eodem loco, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Super quo concorditer deliberavit nacio pro continuacione magistri Godscalci Vreze. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Super quo supplicavit procurator precedens iterum continuatus, ut haberetur gratus, recommendatus et avoatus in actis per eum nomine officii procuratoris. Cui nacio concorditer annuit. Circa istum articulum recitavit procurator, quod deputati super facto scolarum tacto circa secundum articulum congregacionis ultimo celebrate per nacionem ordinati convenerunt in hoc, quod convenienter de scolis magnis superioribus Almannie poterant fieri due scole, una scilicet anterior versus vicum facultatis nostre magna et honesta, alia vero posterior que esset multo minor, sufficeret tamen pro magistro habente audienciam XXX scolarium et ultra. Sed consideratis expensis pro ordinacione dictarum scolarum faciendis, que tamen summam XII francorum non excedissent, consideratis eciam aliis motivis per dominum receptorem in nacione recitatis, placuit magistris execucionem dicte ordinationis differre, sub tali tamen intencione et spe, quod dicte ordinacionis celeris fieret execucio, dum nacio de expensis fiendis per receptorem pecuniarum a scolaribus nacionis proximo in nostra facultate graduandis melius esset provisa.

1401

(*Fol. 61* ^b^) Procuratoria magistri Jordani de Derthesen.

Facta congregacione *nacionis Alemanie* apud Sanctum Maturinum anno ut supra, XXI^a^ die mensis Octobris, hora primarum super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem. Et fuit electus concorditer magister Jordanus de Derthesen. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et quantum ad hunc articulum supplicavit procurator, quod in actis et factis nacio vellet ipsum habere gratum, ratum et avoatum. Cui supplicacioni favebat nacio.

Item notandum, quod in quadam congregacione Universitatis celebrata apud Sanctum Maturinum nacione tracta ad partem venit magister Johannes de Zutfania in nacione, et supplicavit, cum ipse propter legitimam et necessariam causam iturus esset ad partes et in brevi reversurus, quod nacio vellet ipsum habere regentem et subportatum de solucione scolarum, cum ipse alium magistrum ejusdem nacionis regentem loco ipsius substitueret. Que supplicacio concorditer fuerat concessa.

Item facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno ut supra, quinta die mensis Novembris, hora secunda post meridiem venit ad nacionem magister Johannes Eluvald Scotus, et supplicavit nacioni, cum veritas esset quod non esset nisi unus bursarius in collegio Sorbone de suppositis nacionis nostre, quatinus vellet sibi dare literas recommendatorias et supplicatorias ad dominum episcopum Silvanectensem, provisorem collegii predicti [1], pro recepcione ipsius in bursarium illius collegii, attento quod essent multi, non de nacione nostra, sed de aliis nacionibus, qui pro hujusmodi bursa diligenter laborarent, quod maxime videtur fieri in prejudicium nacionis nostre. Cui supplicacioni favebat nacio.

1401

(*Fol. 62*) Acta in procuratoria magistri Johannis Eluvald.

Facta congregacione nacionis Anglie apud Sanctum Maturinum anno ut supra, XVIII^a^ die Novembris, super 2^bus^ articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem. Et fuit electus idem magister Johannes Eluvald. 2us fuit de festo nacionis. Et fuit ordinatum quod fieret festum secundum quod in anno precedenti fiebat. Et fuerunt dati provisores magister Petrus Prender et magister Jacobus Herlem. Supplicabat dominus procurator precedens quatinus haberetur gratus, ratus et avoatus in hiis que egit. Cujus supplicacioni nacio acquievit, etc.

Facta congregacione nacionis, etc. apud ecclesiam nacionis in die sancti Edmundi post missam anno ut supra super duabus supplicacionibus. Nam primo

1. *Perperam* FRANKLIN, La Sorbonne, p. 226, *quendam* Robertum de Croso *affert ut episcopum Silvanectens. et provisorem Sorbonae, ub an.* 1388-1412. *Ut* p. 822, *not.* 4 *diximus, fuit* Johannes Diodona *provisor an.* 1388-1409. *Plures nationis tunc in Sorbona bursas habuerunt* : Georgius de Rein, Johannes de Colonia, Bernardus Flogeling (FRANKLIN Weglinghe!), Johannes de Davantria, Gerardus Dumbeer, Johannes de Austria, Johannes de Galencoop, Johannes Elwald (FRANKLIN Elwal), Arnoldus de Wtwiic (FRANKLIN Wultwict!), Johannes Derling.

supplicavit procurator pro deputatis ad regraciandum domino episcopo Silvanectensi de hoc, quod contulit bursas de Serbona dicto magistro Johanni Eluvald ad requestam nacionis[1]. 2° supplicavit magister Thomas de Cracovia, ut darentur sibi deputati, qui haberent ipsum recommendare domino cancellario[2] ex parte nacionis[3]. Cujus supplicacio fuit admissa.

1401

Acta in procuratoria Johannis Galencoop.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem anno quo supra, XVI^a die Decembris, super duobus articulis. Primus ad eligendum procuratorem. Electus fuit concorditer Johannes Galencoop. 2us fuit super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit dominus procurator precedens, ut nacio haberet eum gratum, et recommendatum, et avoatum in hiis que egit tempore procuracionis sue. Concessit nacio supplicacionem suam.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno et mense quibus supra, ultima die ejusdem, venit ad nacionem mag. Navno Johannis de Dacia cum domino Cristerno Hemmingi supplicans, quatinus nacio vellet permittere quod ipse et dominus Cristernus substituerent aliquos procuratores domus *ad ymaginem nostre Domine* in vico Brunelli site, ex quo ipsi erant recessuri. Quorum supplicacio erat concessa cum ista condicione quod ipsi substituendi obligarent se per litteras patentes non alienare domum, nec tradere cuicumque sine consensu nacionis. Et substituerunt prefati in procuratores dicte domus magistrum Jacobum de Haerlem et Hermannum de Dacia, etc.

Incepit dominus Jacobus Lindesay sub magistro Laurencio de Londonis, cujus bursa VII solidi.

1402

(*Fol. 62* ^b) Acta in procuratoria magistri Jacobi Johannis de Harlem.

Facta congregacione nacionis Anglie apud Sanctum Maturinum anno Domini MCCCCI, XIII^a die mensis Januarii, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem. Et electus fuit concorditer Jacobus Johannis de Harlem. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Supplicavit dominus procurator precedens, ut nacio haberet eum gratum et avoatum et recommendatum in hiis que egit tempore procuracionis sue. Concessit nacio supplicacionem suam.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, nona die mensis Februarii, super duobus articulis. Primus ad ordinandum examinatores determinancium et ad avisandum utrum expediat facere nova stillicidia. Super primo placuit nacioni eligere examinatores secundum modum consuetum, et elegit (*sic*). Super secundo puncto dati erant deputati qui haberent visitare scolas et videre utrum necessarium sit facere nova [stillicidia]. Super 2° articulo supplicaverunt sex bachellarii, quorum duo erant de studio Coloniensi et alii quatuor de studio Arfordensi, ut hic admitterentur tanquam bachellarii. Quorum supplicacio fuit concessa juratis jurandis et solutis solvendis.

Sequuntur nomina determinancium istius anni, scilicet M CCCCI.

Primo admissi fuerunt dominus Johannes Berc[4], Johannes [de] Xanctis[5] et Henricus Berc[6], bachellarii Arfordens., quorum bursa septem solidi.

Item admissus fuit dominus Nycolaus de Offenburg, bachellarius studii W[i]ennens.[7], cujus bursa VII solidi.

Item admissus fuit dominus Conrardus Lubeck[8],

1. *Vid. not. praecedentem.*
2. Johanni Gersonio.
3. *Sed ex infra, ad an.* 1403, *Aug.* 27, *relatis et ex* Catal. licent. *Thomas de Cracovia an.* 1403 *tantum in theol. licentiatus est.*
4. Johannes Mulhusen de Beren *an.* 1394 *sub rectore* Amplonio Ratynghen *in Universitate Erfordensi intitulatus est* (*vid.* Weissenborn, Acten der Erfurter Universität, I, p. 43 ^a, 13).
5. Johannes Loeffelt de Xanctis *in Universitate Erfordensi an.* 1396 *sub rectore* Hermanno Lurez de Nurenburga *intitulatus est* (Weissenborn, *l. c.*, p. 49 ^b, 16 *ubi perperam* Lassvelt).
6. Henricus Maltmynger de Berka *an.* 1394 *in Universitate Erfordensi intitulatus* (Weissenborn, *l. c.*, p. 43 ^a, 14, *ubi tamen perperam praefigitur* m[agister]).
7. Nycolaus Suneschcyn de Offenburga *an.* 1396 *inter* Rhenens. *in* Matricula Universit. Vindobon. *fol.* 32 ^b *intitulatus est* (Arch. Univers. Vindobon.). *In* Act. fac. art., *fol.* 83, *ad an.* 1398, *Junii* 29, *legimus* : Ad recipiendum scolares examinatos pro baccalariatu in artibus quorum nomina sequuntur secundum ordinem eorum : ... (7) Nycolaus de Offenburge. *Ibid. fol.* 86 (1399 Aug. 17) : fuit dispensatum cum Nicolao de Offenburkch et ... baccalariis super tempore et actibus per easdem complendis secundum communem formam... Item Nicolao de Offenburga baccalario, pro quo mag. Hermannus de Waltsee, predicto absente, supplicavit, erat concessa et admissa littera testimonialis ac recommendatoria facultatis cum suo sigillo.
8. Conradus Lubeck de Wolfhagen *intitulatus in Universitate Erfordensi an.* 1395 *sub rectore* Johanne de Eymbecke (Weissenborn, *l. c.*, p. 44 ^a, 21); *an.* 1404, *Jun.* 23 *ut mag.*

bachellarius studii Arfforden., cujus bursa VII solidi.

Item admissus fuit dominus Thomas de Hongaria [1], bachellarius studii W[i]ennensis, cujus bursa nichil.

1401

Continuacio magistri Jacobi Johannis de Harlem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, decima die mensis Februarii, hora primarum Nostre Domine super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Super quo concorditer deliberavit nacio pro continuacione magistri Jacobi Johannis de Harlem. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Super quo supplicavit procurator precedens, iterum continuatus, ut haberetur gratus, recommendatus et avoatus in hiis que egit tempore procuracionis sue. Cui nacio concorditer annuit. Supplicaverunt 2° duo bachellarii W[i]ennen., ut hic admitterentur tanquam bachellarii. Et concessa fuit eorum supplicacio solutis solvendis et juratis jurandis.

Item admissus fuit dominus Heinricus [de] Xanctis, bachellarius studii Colonien. [2], cujus bursa II solidi.

Item admissus fuit dominus Henricus de Venlo, bachellarius studii Colonien. [3], cujus bursa VII sol.

(*Fol. 63*) Sequuntur nomina determinancium istius anni supradicti.

Primo determinavit dominus Ludolphus de Aemstelredam sub magistro Hermanno de Ummen, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit dominus Reynerus Venatoris de Arnem sub magistro Hermanno de Ummen, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Johannes Petten sub magistro Johanne Rees, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit dominus Robertus de Merton de Scocia sub magistro Johanne Eluvald, cujus bursa VII solidi.

Item determinavit dominus Jacobus de Peblys de Scocia sub magistro Johanne Eluvald, cujus bursa VI solidi.

Item determinavit dominus Guilhelmus Glendenuwyn de Scocia sub magistro Johanne Eluvald, cujus bursa VII solidi.

Item determinavit dominus Matheus Godefridi sub magistro Heinrico de Gorkem, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit dominus Wilhelmus Riiswiic sub magistro Henrico de Gorkem, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit dominus Ulricus Stolcz sub magistro Hermanno de Esselinge, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Thomas Adougan de Scocia sub magistro Johanne Eluvald, cujus bursa VII solidi.

Item determinavit dominus Alexander de Villa Johannis de Scocia sub magistro Johanne Eluvald, cujus bursa VII solidi.

Item determinavit dominus Petrus de Woudrichem sub magistro Johanne Rees, cujus bursa XVI den.

Item determinavit dominus Burcardus Liber sub magistro Hermanno Eslingen, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Henricus Brugg sub magistro Hermanno de Eslingen, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Theodricus Spirinc sub magistro Johanne Rees, cujus bursa XVI den.

Item determinavit dominus Theodricus de Hoeven [4], sub magistro Johanne Rees, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit dominus Johannes Laverok de Scocia sub magistro Johanne Boburth, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Johannes Dalketh de Scocia sub magistro Johanne Eluvald, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Johannes Boey de Oesterhout, alias de Almkerc, sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Wilhelmus de Mon-

Heidelbergae intitulatus (Toepke, Matrikel, I, 94), *sed an.* 1405 *iterum Parisiis invenitur Vid. infra.*

1. *In Rotulo ad Benedictum* XIII *an.* 1403 *vocatur* Thomas Ethiopis, *Jauriens. dioec. Sed in* Matricula Universit. Vindobon. *plurimi* Thomas de Ungaria *afferuntur, nullus* Ethiopis. *Nescimus quisnam sit. Ex infra relatis ad an.* 1406, *Jun.* 8, *ipse ut amicus* Benedicti de Mokra *cognoscitur.*

2. Henricus Bemel (*seu potius* alias de Bemel) de Xanctis, *Colon. dioec. an.* 1397 *in Universitate Colon. sub rectore* Radulfo de Rivo *ut scolaris artium intitulatus est. Postquam fuerit magister artium, Coloniam reversus et magisterium in theol. adeptus est famamque acquisivit. Vid.* Keussen, Die Matrikel der Universität Köln, I, 70, *et not. 5 ad* num 33.

3. Henricus de Venlo, alias de Canne, *Leodiens. dioec. an.* 1397 *sub rectore* Paulo de Gelria *in Universitate Colon. ut scol. art. intitulatus* (Keussen, l. c., p. 73, 16).

4. *An.* 1414 *in Universitate Heidelbergensi ut magister intitulatus est. Vid.* Toepke, Matrikel, I, 125.

sterkerc [1], sub magistro Herrico de Gorkem, cujus bursa XVI denarii.

Facta congregacione nacionis 13ª die mensis Februarii supplicaverunt tres bachellarii pro dilacione bursarum, ut puta dominus Henricus Brugg, dominus Nycholaus Offenburg, Johannes Petten, quorum duo primi ceperunt terminum usque ad festum Pasche, 3ᵘˢ usque ad festum Philippi et Jacobi. Quibus supplicacionibus nacio annuit.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum 21ª die mensis Februarii super duobus articulis. Primus ad avisandum utrum expediret deplumbare stillicidia super magnas scolas. Et voluit nacio quod deplumbarentur. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis, super quo nichil factum fuit, quia nullus supplicavit.

Item subdeterminavit dominus Arnoldus de Wesalia sub magistro Johanne Rees, cujus bursa nichil.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum quinta die Marcii super duobus articulis. Primus ad audiendum compotum domini receptoris; secundus super supplicacionibus et injuriis. Super primo placuit compotus domini receptoris. Super secundo supplicaverunt duo bachellarii ut admitterentur subdeterminare, ponendo tamen bursas, quia in principio XLᵐᵉ non habuerunt unde poterant solvere. Placuit nacioni supplicacio eorum pro nunc; sed non vult quod trahatur in consequenciam.

1402

(*Fol. 63 ᵇ*) Acta in procuratoria magistri Ghiisberti Wit [2].

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno Domini 1401ᵐᵒ, decima die mensis Marcii super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Super primo electus fuit in procuratorem magister Ghiisbertus Wit. Super secundo supplicavit procurator precedens, ut haberetur gratus, recommendatus et avoatus in hiis, que egit tempore procuracionis sue. Cui supplicacioni annuit nacio.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem tactum fuit in nacione de recessu magistri Ghiisberti Wit procuratoris nacionis, et habitus fuit excusatus, quia legitime impeditus. Et substitutus fuit in procuratorem magister Jacobus Johannis de Haerlem.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum ultima die mensis Marcii super tribus articulis. Primus erat ad distribuendum menses; secundus erat super facto regine Francie; 3ᵘˢ super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum omnes menses dati erant magistro Johanni Eluvald pro XII solidis.

Quantum ad secundum tactum fuit, quod nacio fecerat plures diligencias apud dominam reginam ad edificandum scolas inceptas in vico Straminum, ut ipsa nobis subveniret in certa summa sicut promiserat, et dictum fuit ei quod nacio bene indiguit quingentis scutis; tandem multis laboribus et expensis factis, quia quasi per duos annos tenuit nacionem in continuo motu, dedit responsum nacioni quod iremus ad thezaurarium suum et peteremus illam summam, quam pro nobis deputavit. Postquam autem venimus ad eum, *nichil scivit de facto, quia regina nichil dixerat sibi*. Sed ob reverenciam nacionis adivit reginam super facto nostro, et respondit nobis quod *regina deputaverat XX francos* [3] pro nacione, et quod erat promptus ad tradendum illos. Super quo facto nacio fuit solempniter congregata die predicto, et deliberavit concorditer, nemine reclamante, quod *non expediret capere illas pecunias*, cum nichil possemus incipere cum illis. Multa eciam alia motiva tacta fuerunt, propter que non expediret capere. Vellet eciam nacio quod intimaretur domino episcopo Silvanectensi et thezaurario et domine de Chymières, ut veniret ad aures regine.

Super 3° articulo nichil.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum hora primarum, secunda die mensis Aprilis, supplicaverunt tres bachellarii licenciandi pro dilacione bursarum, quibus supplicacionibus nacio annuit secundum statuta nacionis, scilicet ut ponerent vadia et solverent ante festum Johannis Baptiste.

Sequuntur nomina licenciatorum anni supradicti.

Item licenciatus est dominus Johannes de Xanctis, alias Loeffelt sub magistro Henrico Gorkem, cujus bursa VII solidi.

1. *Sed infra non affertur inter licentiatos et incipientes, an.* 1404 *tamen ut magister* (de Monsterkerke). *Fortasse est idem ac* Guillelmus Storman.

2. *Haec procuratoria scripta est manu* Jacobi de Harlem, *substituti procuratoris.*

3. *Et notandum, reginam* Isabellam *Alemannam fuisse, e Bavaria. At paupertas nationis inflexit sensus* bedelli Boemundi, *ut infra* p. 845, 31, *videbimus.*

Item licenciatus est dominus Johannes Berc sub magistro Henrico Gorkem, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus est dominus Henricus Berc sub magistro Henrico Gorkem, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus est dominus Conrardus Lubeck sub magistro Johanne Boburth, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus est dominus Henricus de Venlo sub magistro Johanne de Zutphania, cujus bursa VII sol.

Item licenciatus est dominus Burcardus Liber sub magistro Hermanno Eslinghen, cujus bursa VI solidi.

Item licenciatus est dominus Johannes Spenlin sub magistro Johanne Boburth cuius bursa III sol.

Item licenciatus est dominus Theodericus de Zassenem sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus est dominus Johannes de Alcmaria sub magistro Johanne de Zutfania, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus est dominus Robertus de Mertoen sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa VII sol.

Item licenciatus est dominus Jacobus Makaert sub magistro Henrico de Gorinchem, cujus bursa VII sol.

Item licenciatus est dominus Gherardus Petri de Leyden sub magistro Arnoldo de Wtwiic, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus est dominus Gherardus de Oudewater sub magistro eodem, cujus bursa II solidi.

Item licenciatus dominus Hugo de Arbona sub magistro Joanne Boutbur, cujus bursa nichil.

Item licenciatus est dominus Henricus de Xanctis, alias de Bemel, sub magistro Hermanno de Ummen, cujus bursa II solidi.

Item [1] licenciatus est dominus Johannes de Tulach sub magistro Johanne Boutburt, cujus bursa VII sol.

Item licenciatus est dominus Thomas de Ungaria sub receptore, cujus bursa nichil, quia [juravit statutum paupertatis].

(*Fol. 64*) Sequuntur nomina incipiencium anni supradicti.

Item incepit dominus Johannes de Xanctis sub magistro Henrico Gorkem, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Johannes Mulhusen de Berça sub eodem, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Henricus Maltmyngher de Berca sub eodem, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Conrardus de Lubeke sub magistro Johanne Boburth, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Johannes Spenli sub magistro Johanne de Sutfania, cujus bursa 3^{s} solidi.

Item incepit dominus Purcardus Liberi sub eodem, cujus bursa 5 solidi.

Item incepit dominus Henricus de Venlo sub eodem, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Theodericus de Zassenem sub magistro Arnoldo de Wtwiic, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Johannes de Alcmaria sub magistro Johanne de Zutfania, cujus bursa VII sol.

Item incepit dominus Jacobus Makaert sub magistro Henrico de Gorinkem, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Gherardus Petri de Leyden sub magistro Arnoldo de Wtwiic, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Robertus de Merton sub magistro eodem, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Gherardus de Oudewater sub eodem, cujus bursa 2 solidi.

Item incepit dominus Henricus de Xanctis, alias de Bemel sub magistro Hermanno de Ummen, cujus bursa 2 solidi.

Item incepit dominus Johannes de Tulach sub magistro Johanne Boutburth, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Hugo de Arbona sub eodem, cujus bursa nichil quia [juravit statutum paupertatis].

Item incepit dominus Thomas de Hongaria sub receptore, cujus bursa nichil, quia etc.

1402

(*Fol. 64* b) Procuratoria magistri Johannis de Galencoep.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini 1402 secundum stilum ecclesie Gallicane [2], 7^{a} die mensis Aprilis, hora 8va super 3^{bus} articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem. 2us erat super facto scolarum *septem arcium*. 3us super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus erat concorditer magister Johannes de Galencoep in procuratorem nacionis. Quantum ad 2^{m} dati fuerunt deputati in bono numero, tam regentes quam non regentes, scilicet procurator prefatus, receptor nacionis, magister Johannes de Austria, magister Johannes Boutburt, magister Richardus de Loenen, magister Petrus Prenner, magister Johannes Dorp,

1. *Iste et sequens exstant in* ms^{ti} *fol. 64 post incipientes.*

2. *Sed etiam secundum alium stilum.*

magister Johannes de Zuytphania, magister Goedscalcus Vrese, ad avisandum modos edificandi scolas predictas et ad audiendum, ad quantum se extenderet summa exponendorum pro eisdem, et hoc secundum estimacionem carpentariorum et lathomorum. Et erant dati prescise ad referendum. Quantum ad 3^m^ articulum habitus erat procurator precedens gratus, recommendatus et avoatus.

Facta congregacione nacionis anno, mense, quibus supra, die XXI^a^ ejusdem, apud Sanctum Maturinum hora quasi nona ante prandium super 2^bus^ articulis. Primus articulus fuit super facto scolarum predictarum. Et continebat aliqua puncta. Primum punctum super relacione illorum que deputati dati in congregacione precedenti fecerant cum lathomis et carpentariis. 2^m^ punctum, an nacio vellet edificare isto anno scolas prememoratas, audita relacione, vel differre usque ad proximum annum. 3^m^ punctum erat super aliquibus continentibus istud factum edificacionis. Et fecit procurator relacionem de predictis. 2us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum habuit nacio gratum et ratum quod deputati fecerunt, et dedit nacio deputatos nominandos per procuratorem, tres videlicet una cum bedello nacionis, qui haberent potestatem concordandi et componendi cum operariis et faciendi forum, ita tamen quod ad minus tres haberent istam potestatem in absencia quarti. Ulterius voluit nacio edificare predictas scolas in presenti anno audita relacione, et non expectare ad annum sequentem. Preterea nacio regraciabatur Bomondo bedello nacionis, qui promisit concedere nacioni C francos pro edificacione predicta, intendens factum istud habere cordi alias per Dei graciam, cum nacioni fortuna arriserit. Preterea nacio acceptavit illos C francos tali pacto, quod nacio solvet quolibet anno usque ad persolucionem illius summe eidem Bomondo XXV francos in termino assignando et cum obligatione ad penam X francorum, si non solverentur in termino vel terminis assignando vel assignandis. Item deposuit exnunc nacio prandium in festo Eadmondi, quousque persolucio predicta fuerit impleta, ita scilicet quod non fiat expensis nacionis. Insuper dedit nacio consensum invadiandi clenodia nacionis, utpote virgam, missale, calicem et alia, si que fuerint, si necessitas perurgeat. Insuper voluit quod non daretur debitoribus, qui posuerunt vadia, aliquis amplior terminus ultra festum sancti Johannis Baptiste, nec eciam aliis, si que ponerent vadia; et si tunc non redimant, quod vendantur absque pluri. Voluit insuper nacio quod fieret diligencia pro habendo illa XXIIII^or^ scuta, que debet Universitas nacioni, ita quod supplicetur in Universitate. Et ita ego procurator conclusi nomine officii.

Quantum ad 2^m^ articulum supplicaverunt aliqui magistri pro literis testimonialibus in communi forma scriptis, quorum supplicacioni favit nacio.

(*Fol. 65*) Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno et mense quibus supra, XXIII^a^ ejusdem, eadem hora qua tunc celebrabatur congregacio Universitatis, super 2^bus^ articulis. Primus fuit ad audiendum conclusionem habitam in precedenti congregacione nacionis, et ad confirmandum eandem non retractando deliberata. 2us articulus super supplicacionibus et injuriis, etc. Quantum ad primum articulum lecta erat ibidem conclusio prefata et confirmata et approbata. De 2° articulo nichil.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno, mense, quibus supra, ultima die ejusdem mensis, hora octava vel quasi super 2^bus^ articulis. Primus ad audiendum minutam Bomondi et ad corrigendum eam, si quid corrigendum esset. Secundus super supplicacionibus et injuriis, etc. Quantum ad primum audivit nacio minutam, et placuit, dimittendo tamen illam particulam, scilicet de obligacione bonorum mobilium nacionis, scilicet depositorum utpote virge, calicis et missalis, que particula eciam protunc fuit deposita cum consensu Bomondi. Deliberavit eciam nacio quod procurator et receptor se obligarent nomine proprio pro summa contenta in minuta secundum formam minute, quod et fecerunt. Et nacio promisit ipsos, videlicet procuratorem et receptorem prenominatos, tenere indempnes. Et petivit receptor de istis instrumentum in presencia nacionis. De 2° nichil.

1402

Continuacio ejusdem magistri Johannis de Galencoep.

Indicta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, quinta die mensis Maii, hora quasi nona super 3^bus^ articulis. Primus fuit ad eligendum procuratorem; 2us ad sigillandum literam Bomondi, de qua in precedenti congregacione mensio; 3us super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit procurator quatinus haberetur gratus et recommendatus in actis per eum tempore procuracionis precedentis. Quantum ad primum continuatus fuit in procuratorem magister Johannes de Galencoep, procurator precedens. Quantum ad 2^m^ sigillata erat litera illa. Et consensus est Bomondus qua-

tinus nacio possit invadiare virgam, calicem et missale pro complemento scolarum *septem arcium*, si necessitas immineat, et de hoc peciit nacio instrumentum a magistro Johanne Francisci. Et voluit nacio quod Bomondus in isto consentiret, antequam sigillaretur litera. Quod et factum est. Quantum ad 3m habitus fuit procurator gratus et recommendatus in actis per eum tempore procuracionis precedentis.

Indicta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno, mense, quibus supra, XXII° die ejusdem, post prandium hora 3a ad supplicacionem duorum bachalariorum, et venerunt ad nacionem duo bachalarii supplicantes, ex quo non possent ponere bursas propter paupertatem, quatinus nacio vellet eos admittere ad jurandum paupertatis statutum tam pro licencia, quam pro incepcione. Et erant illi duo dominus Thomas de Ungaria et dominus Hugo de Arbona. Supplicavit insuper dominus Thomas de Ungaria quod ex quo tempore admissionis sue ad bachalariatum quantificaverat bursam suam ex simplicitate ad XVI denarios, quatinus nacio intuitu pietatis vellet eum admittere ad jurandum pro bachalariatu statutum paupertatis. Quorum supplicacioni annuit nacio propter Deum.

1402

(*Fol. 65 b*) Continuacio ejusdem.

Indicta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, 2a Junii hora octava super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem; 2us super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit procurator precedens quatinus in actis per eum tempore procuracionis haberetur gratus et recommendatus. Quantum ad primum continuatus fuit procurator precedens, scilicet Johannes de Galencoep. Quantum ad 2m supplicacio ejusdem concessa est.

Indicta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, quarta mensis Julii, hora nona super duobus articulis. Primus ad eligendum novum servitorem, scilicet subbedellum nacionis, ex quo Guilhelmus de Roede subbedellus noster, cujus anima requiescat in pace, decesserat. 2us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit in subbedellum nacionis per majorem partem nacionis, et per consequens per nacionem, Mathias de Monickedam. De 2° nichil.

Indicta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno, mense, quibus supra, octava ejusdem, hora octava super duobus articulis. Primus habuit duo puncta. Primum punctum fuit ad capiendum caucionem burgensium pro subbedello; 2m punctum fuit ad audiendum computum receptoris. Quantum ad primum punctum ex deliberacione nacionis ivit procurator cum aliquibus magistris, scilicet magistro Johanne Boutburt, magistro Jacobo de Haerlem et pluribus aliis, et ceperunt caucionem burgensium pro XXti francis. Et est fidejussor Petrus de Haerlem burgensis Parisiens. pro predicta summa. Quantum ad 2m punctum auditus est computus receptoris; sed nichil conclusive factum est de eo, quia scole nostre *septem arcium* nondum fuerunt complete, pro quibus oportebat exponere multas pecunias. Sed fuit computus ejus summatus quantum ad recepta. Quantum ad 2m articulum supplicavit magister Ludolfus de Lude pro litera recommendatoria ad episcopum Lubicensem[1], cujus supplicacio concessa est, et correcta est litera.

Notandum, Mathiam subbedellum nostrum prefatum in una congregacione nacionis super hoc specialiter convocata petivisse licenciam eundi ad partes suas causa disponendi de negociis suis, et petivit dilacionem recessus sui usque ad festum Dionisii. Et fuit concessa supplicacio ejus.

Notandum insuper, scolas *septem arcium*, quas dudum nacio tempore receptorie magistri Egidii de Jutfaes fundaverat, et que post per longa tempora ruinose et incomplete perstiterant propter defectum pecunie, *tempore procuracionis predicte* et receptorie magistri Arnoldi Wtwiic *fuisse perfectas*, quarum complementum in magnum redundat commodum nacionis. Non est autem visum simile opus a nacione completum[2].

1402

(*Fol. 66*) Continuacio ejusdem.

Indicta congregacione nacionis anno quo supra apud Sanctum Maturinum, XXVIta die Augusti, hora octava super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem. Et continuatus fuit concorditer magister Johannes de Galencoop procurator precedens. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis, de quo nichil.

Notandum quod in quadam congregacione nacionis lecta fuit quedam litera, in qua nacio obligavit se

1. Johannes de Dulmen.

2. *Sequitur una linea scripturae omnino erasa.*

Morelioen latamo in XX scutis racione scolarum *septem arcium* ad solvendum illa XX scuta dominica *Reminiscere*[1] in Quadragesima, et est ingrossata et sigillata sigillo magno nacionis.

Indicta congregacione nacionis anno, loco, quibus supra, post sermonem ipso die Mathei apostoli super 4^or articulis. Primus articulus fuit ad eligendum novum receptorem vel ad continuandum antiquum. Et continuatus fuit concorditer receptor precedens magister Arnoldus Wtwiic. Secundus articulus ad audiendum computum receptoris. Et dilatus fuit usque ad consummacionem scolarum *septem arcium*. Tercius ad distribuendum scolas magistris volentibus regere. Et resignaverunt regentes anni precedentis scolas suas in manu nacionis, et supplicaverunt volentes regere isto, quatinus nacio ipsis vellet providere de scolis, quorum supplicacioni favit nacio secundum formam statuti, ita videlicet quod quilibet ipsorum promitteret regere per majorem partem ordinarii, et pro illo poneret fidejussorem. Quod et factum est. Quartus articulus super supplicacionibus, etc. Et supplicavit magister Coenraerdus de Eslangher[2], quod ex quo magister Hermannus de Eslinga jam non erat Parisius, et tamen intendit regere, quatinus nacio sibi vellet providere de scolis secundum modum solitum. Et fuit concessa supplicacio.

Sequuntur nomina regencium hujus anni.

Magister Arnoldus Wtwiic, receptor.

Magister Guilhelmus Bloc; fidejussor ego.

Magister Goedscalcus Vreze; fidejussor magister Wilhelmus Bloc.

Magister Hermannus de Ommen; fidejussor magister Johannes Aveze.

Magister Hermannus de Eslinga; fidejussor magister Johannes Bouthur.

Magister Johannes Aveze; fidejussor magister Hermannus de Ummen.

Magister Johannes Royst; fidejussor magister Jacobus de Haerlem.

Magister Goeszwinus de Aernem[3]; fidejussor magister Hermannus de Ummen.

Magister Coenraerdus de Lůbeeck; fidejussor magister Coenraerdus de Eslangher.

Magister Henricus de Xanctis; fidejussor magister Johannes de Xanctis.

Magister Hugo de Arbona; fidejussor magister Coenraerdus de Lubeeck.

1402

(*Fol. 66^b*) Procuratoria Wilhelmi Bloc.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, 23^a Septembris, hora octava super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem; 2us super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit procurator precedens quatinus in actis per eum tempore procuracionis haberetur gratus, avoatus et recommendatus. Quantum ad primum electus fuit concorditer Wilhelmus Bloc in procuratorem nacionis. Quantum ad 2^m nacio annuit supplicacioni domini procuratoris precedentis.

1402

Continuacio ejusdem.

Indicta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, 21^a Octobris, hora octava super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem; 2us super supplicacionibus et injuriis, ubi ego supplicavi quatinus in actis per me magistris placeret me habere gratum, ratum, avoatum et recommendatum. Quantum ad primum ego fui concorditer per omnes nemine contradicente continuatus in procuratorem nacionis matris nostre. Quantum ad 2^m nacio annuit supplicacioni mee, grat[um]... Persolvit dominus Heynricus Vischlin pro bachalariatu et licencia optentis in artibus, quia alias non solverat bursas suas. Et ejus bursa est duorum solid.

1402

Procuratoria Jacobi Johannis de Haerlem.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, 19^a Novembris, hora octava super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem; secundus ad ordinandum de festo nacionis et de exequiis Wilhelmi defuncti; 3us super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus fuit in procuratorem magister Jacobus Johannis de Haerlem. Quoad secundum deliberaverunt concorditer magistri, quod fieret festum in

1. *An.* 1403, *Martii* 11.
2. *I. e.* Eslinga.
3. *I. e.* de Hoeven. *Vid. supra* p. 800, *not.* 3. *Medicinae studuit.*

ecclesia sicut consuetum erat, et si aliqui magistri vellent convenire in aliqua taberna ad honorandum nacionem, quod receptor ex parte nacionis daret duos francos, et residuum ipsimet solverent. Volebant eciam magistri quod fierent exequie Wilhelmi subbedelli nostri. Quoad 3m supplicavit primo procurator precedens, quatinus in actis per eum tempore procuracionis sue haberetur gratus, avoatus et recommendatus. Secundo supplicavit magister Johannes Aveze, quatenus nacio vellet ipsum habere supportatum de solucione scolarum, et reputare ipsum regentem pro illo anno ac si ulterius regeret per majorem partem ordinarii, attento quod non poterat retinere servicium suum et regere, quia non compaciebantur se invicem. Quibus supplicacionibus nacio annuit.

1402

(*Fol 67*) Procuratoria Henrici Maltmengher de Berka.

Facta congregacione nacionis anno quo supra, 16a Decembris, hora octava apud Sanctum Julianum pauperem super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem, vel ad continuandum antiquum. Et electus fuit in procuratorem dicte nacionis H. Maltmengher de Berka concorditer nemine reclamante. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Supplicavit primo procurator precedens, quatinus in actis per eum tempore procuracionis sue haberetur gratus et recommendatus. Cujus supplicacioni favit nacio. Supplicavit 2° mag. Johannes Dorp inhabitator domus *ad cornu cervi*, quod ex quo fenestre in camera sua indigebant neccessaria reparacione, attento quod modicum magis exponeretur pro novis fenestris, quam pro reparacione antiquarum, ut nacio vellet consentire quod fierent fenestre nove. Et consentit nacio. Et dedit iste procurator decem solidos ad perpotandum, quia erat prima procuratoria istius procuratoris.

1403

Procuratoria Thome de Monte Viridi, Scoti.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XIIIa die Januarii, hora octava super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit procurator precedens quatinus in actis per eum tempore procuratorie ejus haberetur gratus, avoatus et recommendatus. Quantum ad primum electus fuit concorditer Thomas de Monte Viridi in procuratorem nacionis. Et de 2° nacio annuit supplicacioni domini procuratoris precedentis.

1403

Procuratoria Henrici Maltmengher de Berka.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, 10a februarii, hora octava super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit procurator precedens quatinus in actis per eum tempore procuratorie ejus haberetur gratus et recommendatus. Quantum ad primum electus fuit concorditer in procuratorem dicte nacionis Henricus Maltmengher de Berka, nemine reclamante.

Super 2° nacio annuit supplicacioni domini procuratoris precedentis. Et dedit iste procurator pro ista procuratoria XIIII solidos ad perpotandum, etc.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XIIIIa Februarii, hora primarum super 3bus articulis. Primus erat ad audiendum computum receptoris. Secundus erat ad ordinandum de examinatoribus baccallariandorum et ad ordinandum menses pro licenciandis isto anno. 3us erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum computavit dominus receptor in plena nacione sic, quod summa recepte tam ex parte nacionis quam eciam de mutuo concessis ex parte nacionis ascendebat ad tricentos francos et sexaginta unum francos, sex solidos, quatuor denarios. Consequenter summa expositorum seu misiarum tam pro nacione quam pro edificacione scholarum *septem arcium* ascendebat ad trecentos francos, septuaginta tres francos, tredecim solidos et sex denarios. Quibus omnibus computatis et defalcatis et defalcandis remansit nacio obligata primo domino receptori, scilicet magistro Arnoldo Vytwyck in duodecim francis et dimidio franco et sex denariis. Secundo nacio remansit obligata Bohemundo bedello nostro in centum francis solvendis ad 4or terminos. 3° nacio remansit obligata magistro Petro Cauzon [1] in quadraginta schutis. 4°

1. *Seu* Cauchon, *nat. Gallic., qui hoc anno, Octob.* 10, *electus est in rectorem. Vid. infra in fine an.* 1406.

nacio remansit obligata Johanni lathamo in viginti schutis. Et sic in toto nacio debet centum francos et octuoginta omnibus computatis et defalcatis. De quo computu facto nacio habuit dominum receptorem gratum, avoatum et recommendatum. Et regraciabatur sibi et Boemundo bedello nostro de laboribus factis in edificacione scholarum *septem arcium* per eos. Super aliis duobus articulis nichil factum fuit propter temporis brevitatem.

(*Fol.* 67ᵇ) Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XXIIIª Februarii, 8ª hora, super duobus articulis. Primus erat de temptatoribus baccallariandorum ejusdem anni, et ad distribuendum menses licenciandorum ejusdem anni. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit magister Johannes de Austria, ut nacio vellet sibi assistere et ipsum recommendare in Universitate et pro eo supplicare pro isto, quia ipse petere vult in Universitate pro cappallania quadam, quam habuit magister Adam Carnificis pie memorie, cujus cappallanie collacio pertinet ad Universitatem. Super primo articulo de examinatoribus baccallariorum placuit nacioni quod fieret et quod essent illi, qui consueverunt esse antiquitus. Consequenter de mensibus licenciandorum placuit nacioni quod magister H[enricus] de Berka haberet omnes menses pro XII solidis parisiens., nemine reclamante. Super 2° articulo nacio annuit supplicacioni facte per magistrum Johannem de Austria, et vult sibi assistere in omnibus in quibus potest, etc.

Sequuntur nomina determinancium istius anni, scilicet M CCCCII [1].

Primo determinavit dominus Fredericus de Myddachten sub magistro Goeswino de Arnhem, cujus bursa VII solidi.

Item determinavit 2° dominus Hermannus de Doesborgh sub magistro Henrico Xanctis, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit dominus Eberhardus de Herrenberga sub magistro Hermanno de Eslinga, cujus bursa XVIII denarii.

Item determinavit dominus Johannes Gyl Scotus sub magistro Arnoldo Vytwyck, cujus bursa II sol.

Item determinavit dominus Johannes de Lychtona sub magistro Johanne de Bobordia, cujus bursa 3ª s.

Item determinavit dominus Johannes Roseti sub magistro Hermanno de Eslinga, cujus bursa tres s.

Item determinavit dominus Johannes Rodenstheyn sub magistro Conrado Lubeck, cujus bursa VII sol.

Item determinavit dominus Sthephanus Bygly sub magistro Johanne Elwald, cujus bursa septem solidi.

Item determinavit dominus Johannes de Horn sub magistro Henrico de Xanctis, cujus bursa XVI den.

Item determinavit dominus Paulus Gloterer sub magistro Hermanno de Eslinga, cujus bursa quinque s.

Item determinavit dominus Robertus Thome sub magistro Johanne de Bobardia, cujus bursa quinque s.

Item determinavit dominus Jacobus Haerlem sub magistro Hermanno Ummen, cujus bursa quinque s.

Item determinavit dominus Bartholomeus Haerlem sub magistro Hermanno Ummen, cujus bursa septem s.

Item determinavit dominus Johannes Derlyngh sub magistro Arnoldo Vytwyck, cujus bursa septem solidi, sex denarii.

Item determinavit Heynmannus dictus de Orreo de Treveri sub magistro Conrado Lubeck, cujus bursa quinque solidi.

Item determinavit dominus Johannes Vernesenzon [2] de Treveri sub magistro Conrado Lubeck, cujus bursa quinque solidi.

Item determinavit dominus Nycholaus Johannis de Amsterdam sub magistro Arnoldo Vytwych, cujus bursa quinque solidi.

Item determinavit dominus Jacobus Beeker de Amsterdam sub magistro Hermanno Ummen, cujus bursa quinque solidi.

Item determinavit dominus Johannes Dyemen de Amsterdam sub magistro Arnoldo Vytwyck, cujus bursa quinque solidi.

Item determinavit dominus Johannes de Gulsa sub magistro Conrado Lubeck, cujus bursa quinque sol.

Item determinavit dominus Fredericus Lansteyn [3] sub magistro Conrado Lubeck, cujus bursa 4^{or} albi.

Item determinavit dominus Wynandus de Confluencia sub magistro Hermanno de Eslinga, cujus bursa 4^{or} solidi.

Item determinavit dominus Henricus Morderecht de Montfordia sub magistro Arnoldo Vytwyck, cujus bursa quinque solidi.

Item determinavit dominus Otto de Montfordia sub magistro Arnoldo Wytwyck, cujus bursa quinque solidi.

(*Fol.* 68) Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, IIª die Marcii, hora

1. *Sec. stilum gallic.*

2. *In* Matrikel der Universität Heidelberg, *ed.* Toepke, I, 162 *invenitur ad an.* 1424 *intitulatus* Johannes Vernesen son de Treveris, *can. Metensis.*

3. *Qui an.* 1417 *in Universitate Colon. intitulatur alius est, quia solummodo scholaris. Vid.* Keussen, I, 156, 76.

8va super supplicacione quorundam scholarium volencium baccallariari eodem anno, habencium defectum in certis libris requisitis ad gradum baccallariatus in artibus, supplicaverunt igitur sex scholares ut nacio vellet cum eis dispensare de libro *Thopicorum* quem non audiverunt, aliqui non complete, aliqui nichil audiverunt de illo libro. Item supplicavit unus alter scolaris ut nacio vellet secum dispensare de libro *Priorum*, quem non audivit. Quibus supplicacionibus factis nacio concorditer concessit eas, ista condicione tamen adjuncta, videlicet quod in posterum audirent quanto cicius poterint audire, et quod eciam non traheretur in consequenciam, quod illud amplius fieret eis vel aliis quibuscumque etc.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, VII^a Marcii, hora 8va super supplicacione quorundam scholarium volencium baccallariari eodem anno, non habencium pecunias pro presenti, quo mediante possent satisfacere nacioni, et supplicaverunt sex scholares, quorum duo, scilicet Otto de Montfordia, Henricus Morderecht de Montfordia, pecierunt dilacionem pecuniarum usque ad unum mensem; alii 4^{or}, scilicet Johannes de Gulsa, Nicholaus Johannis de Amsterdam, Jacobus Becker de Amsterdam et Johannes Dyemen de Amsterdam pecierunt dilacionem pecuniarum usque ad duos menses. Quibus supplicacionibus factis nacio concessit eas, et hoc modo consueto, videlicet quod ponerent pignora domino receptori in proporcione sexquialtera, et ceteris secundum statuta nacionis, etc.

1403

Procuratoria magistri Cuonrardi Lang de Esslinga.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine anno quo supra, X^a die mensis Marcii super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo fuit electus concorditer nullo reclamante in procuratorem magister Cuonradus Lang de Esslinga. Quoad secundum articulum supplicavit magister Richardus Loenen, cum in tercia congregacione ante istam predictus magister una cum aliis magistris fuisset ordinatus ad examinandum scolares volentes habere gradum baccallariatus, item juravisset, consequenter solvisset jocundum adventum in taberna, et post examinasset scolares quoad predictum gradum sicut alii magistri ad examinandum ordinati fecerunt, nullo reclamante, ut prefatus magister asserebat, quatinus placeret nacioni quod ipse scilicet magister Richardus partem suam pecuniarum ab examinatis receptarum haberet, non obstante quod aliqui magistri examinatores sibi resistunt quoad illud ultimum punctum, eo quod predictus magister Richardus eodem anno nec fuit regens nec senior non regens nostre nacionis. Videbatur nacioni quod ex quo ad omnia predicta fuit admissus prenominatus magister modo quo supra, quod tunc racionabile esset ipsum capere partem de pecuniis ab examinatis ad predictum gradum receptis. Secundo supplicavit procurator precedens quatinus in actis per ipsum in sua procuratoria haberetur gratus et recommendatus, etc. Cujus supplicacioni annuit nacio, etc.

1403

Procuracio magistri Bernardi Vloghelingh.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum in primis Nostre Domine anno quo supra, octava die Aprilis, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us super supplicacionibus et injuriis. Super primo concorditer fuit electus in procuratorem nullo contradicente magister Bernardus Vloghelingh. Super 2° supplicavit procurator precedens, quatinus haberetur gratus et recommendatus in actis per ipsum tempore procuracionis sue. Et concessa fuit supplicacio.

1403

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, VI^a die Maii, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us super supplicacionibus et injuriis. De primo continuatus fuit per nacionem predictus magister Bernardus. Super 2° procurator supplicavit ut in factis suis esset recommendatus. Et concessa fuit supplicacio.

(*Fol. 68*^{b}) Facta congregacione nacionis anno 1403, XXIII^a die Maii super duobus articulis. Primus erat super honore nacionis, quia per aliquos inique famabatur in Universitate, qualiter magistri nacionis corrumperentur pecuniis pro facto restitucionis obediencie Benedicti. Fuerunt eciam congregaciones facultatis theologie, nacionis Francie ac eciam Picardie super materia ecclesie, quando ventilabatur

deliberavit, quod nullo modo volebat sigillare literas restitucio, quas congregaciones adiverunt decanus facultatis decretorum ac eciam procurator nacionis Normannie[1]. Fui requisitus ab aliquibus adire cum predictis decano et procuratore congregaciones illas ad supplicandum ex parte nacionis, quatenus starent in alias deliberatis per regem et Universitatem[2], nec attemptarent aliquid in oppositum. Quia nescivi intencionem nacionis super ista materia, feci congregacionem nacionis die memorata ad sciendum qualiter nacio vellet me debere facere in materia ista, et eciam ad tollendum infamiam antetactam currentem tunc contra honorem nacionis. Nacio deliberavit super ista materia quod nequaquam deberem me facere partem pro restitucione facienda vel pro laborantibus pro restitucione, nec eciam deberem me facere partem cum laborantibus ad oppositum. Et voluit nacio se pacifice gerere in ista materia. Et fui requisitus a pluribus in nacione, quatinus ego non adirem aliquem principem cum rectore[3] ad supplicandum in predicto negocio, nec essem in particularibus congregacionibus sive convocacionibus factis per rectorem, unde quovis modo oriri posset suspicio, sed nacio dixit se velle deliberare, quando in generalibus congregacionibus aut facultatis aut Universitatis haberet dicere intencionem suam. In ista congregacione clare patuit, neminem esse corruptum.

2us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. De isto nichil.

Notandum quod facta fuit congregacio Universitatis penultima die Maii apud Sanctum Maturinum ad requestam domini regis, qui misit quasdam literas facultati arcium ac eciam Universitati[4], facientes mencionem de restitucione obediencie, quia rex restituit eam, quod eciam Universitas restitueret. Nacio super hoc deliberavit sic, *quod ipsa privilegiata mansit Parisius de gracia domini regis sub obediencia alia, scilicet domini Bonifacii, in immunitate sua*, ita dixit se velle stare sub obediencia ejus sicut ante stetit et semper. De particulariter respicientibus istam obedienciam Benedicti, nacio se non intromisit, quia rex et regnicole obediencie illius sciunt, quid habent agere.

Licenciati anni antedicti.

Dominus Otto de Montfordia sub magistro Arnoldo Utwic, cujus bursa V solidi.

Dominus Ulricus Stols[5] sub eodem, cujus bursa V solidi.

Dominus Reginaldus de Argentina sub eodem, cujus bursa V solidi.

Dominus Nicholaus de Arluno sub magistro Conrado Lubeck, cujus bursa IIII albi.

Dominus Johannes de Arnem sub magistro Goswino fratre ejus, cujus bursa IIII albi.

Dominus Jacobus de Peblis sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa VII solidi.

Dominus Johannes Laveroch sub eodem, cujus bursa V solidi.

Dominus Thomas Adaugan, cujus bursa VI solidi.

Dominus Henricus Mordrecht sub eodem, cujus bursa V solidi.

Dominus Nicolaus Offenpurch sub eodem, cujus bursa V solidi.

Dominus Stephanus Bigli, cujus bursa VII solidi.

Dominus Guillelmus Glendonwyn, cujus bursa VII solidi.

Dominus Johannes Dalket, cujus bursa V solidi.

Dominus Guillelmus Storman, cujus bursa IIII albi.

Dominus Henricus Bruch, cujus bursa V solidi.

Incipientes ejusdem anni.

Dominus Otto de Montfordia sub magistro Arnoldo, cujus bursa ut ante V solidi.

Dominus Ulricus Stols[5] sub eodem, cujus bursa V solidi.

(*Fol. 69*) Dominus Reginaldus de Argentina sub eodem, cujus bursa V solidi.

Dominus Nicolaus de Arluno, cujus bursa IIII albi.

Dominus Johannes de Arnem sub magistro Goswino, cujus bursa IIII alibi.

1. Gallici *et* Picardi *pro restitutione erant*, Anglici *neutralitatem propugnabant*, Normanni *dimicabant pro subtractione* (*vid.* Chron. du rel. de St-Denys, III, p. 90, 94), *ut plures ex facultate decretorum.*

2. *l. c.* pro subtractione *an.* 1398 *stabilita.*

3. Radulpho de Porta, *ut* Bulaeus *asserit. Fuit Navarricus, et an.* 1411 *licent. est in theol.*

4. *Maii 28 rex in palatio ad S. Paulum consilium tenuit. Magistro* Nicolao Becherer *narrante ibidem tres cardinales fuerunt, quasi* 80 *episcopi et archiepiscopi, et quasi* 160 *abbates, cum capitularibus deputatis capitulorum et ambassiatoribus Universitatum Franciae* (*vid.* Weizsaecker, Deutsche Reichstagsakten, V, p. 397). *Tunc rex restitutionem, pluribus dissentientibus, conclusit* (*vid.* Chron. du rel. de St-Denys, *l. c.*), *et duas chartas, Maii* 28 *et* 30, *emisit* (Martène-Durand, Ampl. coll. VII, p. 677; Ordonn. des roys, VIII, 593; Bulaeus, V, 66). *In litteris Maii* 28 *rex scribit inter ceteros* celebriores moderatioresque viros Universitatis Paris. *consuluisse restitutionem; in litteris Maii* 30 *simpliciter :* de consilio Universit. Paris...

5. Ulricus Stolcze.

Dominus Jacobus de Peblis sub magistro Arnoldo, cujus bursa VII solidi.

Dominus Johannes Laveroch sub eodem, cujus bursa V solidi.

Dominus Thomas Adaugan sub eodem, cujus bursa VI solidi.

Dominus Henricus Mordrecht sub eodem, cujus bursa V solidi.

1403

Acta in procuratoria magistri Ghiisberti Wit.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno Domini 1403°, secunda die Junii, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Secundus super supplicacionibus et injuriis. Super primo concorditer fuit electus in procuratorem nemine contradicente magister Ghiisbertus Wit. Super 2° supplicavit procurator precedens ut in actis tempore procuracionis sue haberetur gratus et recommendatus. Cujus supplicacionem nacio concessit.

Sequuntur nomina licenciatorum in predicta procuratoria.

Licenciatus est dominus Johannes Boy sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa V solidi.

Licenciatus est dominus Reynerus Venatoris de Arnem sub magistro Hermanno Ummen, cujus bursa V solidi.

Licenciatus est dominus Guilhelmus Bel sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa V solidi.

Licenciatus est dominus Nycolaus Lutzenborch sub magistro Coenraerdo Lubeeck, cujus bursa V s.

Sequuntur nomina incipiencium in predicta procuratoria.

Nycolaus Offenpurch sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa VII solidi.

Stephanus Bigli sub eodem, cujus bursa VII solidi.

Guilhelmus Glendenvoyn sub eodem, cujus bursa VII solidi.

Heynricus Bruch[1] sub eodem, cujus bursa V s.

Johannes Dalketh sub eodem, cujus bursa V s.

(*Fol. 69* b) Item incepit dominus Johannes Boy sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Guilhelmus Storman sub magistro Godscalco Vrese, cujus bursa IIII albi.

Item incepit dominus Guilhelmus Bel sub magistro Hermanno Ummen, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Nycolaus Lutzenborch sub magistro Coenraerdo Lubeeck, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Reynerus Venatoris de Arnem[2] sub magistro Hermanno de Ummen, cujus bursa V solidi.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum XXVI^a Junii, super duobus articulis. Primus erat ad audiendum compotum de domo *ad ymaginem nostre Domine* in vico Brunelli et eciam super reedificacione muri in domo ad *cornu cervi*. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit magister Navno de Dacia constitutus procurator una cum magistro Jacobo de Haerlem predicte domus *ad ymaginem nostre Domine*, ut posset substituere loco sui dominum Michaelem de Dacia. Item supplicavit magister Henricus Brugg pro litera testimoniali. Item supplicavit dominus Bomondus ut posset se absentare per spacium duorum mensium. Super primo articulo nacio dedit deputatos, qui haberent audire compotum de domo *ad ymaginem nostre Domine;* similiter dedit deputatos qui adirent magistrum Johannem Piccardi, petendo sibi pecunias debitas nacioni racione locagii domus *ad cornu cervi*, ut mediantibus illis murus posset reedificari in predicta domo. Super 2° articulo nacio concessit omnes supplicaciones.

Item eodem die quo supra, ego una cum aliis deputatis, scilicet magistro Gheraerdo de Delf et magistro Johanne de Berca et aliquibus aliis magistris et bedellis nacionis audivimus compotum domus *ad ymaginem nostre Domine* a magistris illis, qui habebant reddere, scilicet magistro Navnone de Dacia et magistro Jacobo de Haerlem. Et omnibus solutis et defalcatis remanserunt domui libere XVIII franci, qui manserunt in manibus magistri Jacobi de Haerlem et domini Michaelis de Dacia substituti magistri Navnonis.

Notandum quod facta fuit congregacio Universitatis ultima die Junii apud Sanctum Maturinum, in qua rector inter cetera posuit[3] in deliberacione de sigillacione literarum restitucionis. Super quo nacio, non retractando deliberata super facto restitutionis,

1. *Seu* Brugg.
2. *Intitulatus Heidelbergae Jun.* 23. TOEPKE, p. 89.
3. *Perperam sec.* BUL. V, 919 : Guntherus Colli, *nam fuit* Nicolaus de Gondricuria, *e Rotulo an.* 1403.

restitucionis[1], sed sicut actenus de gracia domini regis stetit Parisius privilegiata sub obediencia domini Bonifacii, ita adhuc intendebat stare. Et super ista conclusione ego nomine nacionis in presencia nacionis petivi instrumentum a Bomondo bedello nacionis.

(*Fol. 70*) Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, quinta die Julii, hora 8va, super tribus articulis. Primus articulus habebat duo puncta. Primum erat ad audiendum relacionem eorum que facta erant per deputatos et me circa compotum domus *ad ymaginem nostre Domine* et circa reedificacionem muri domus *ad cornu cervi*. Unde retuli ea que facta erant circa compotum, scilicet quod omnibus solutis et defalcatis remanserunt domui libere XVIII franci in manibus magistri Jacobi de Haerlem et socii sui domini Michaelis de Dacia. Similiter retuli quomodo supplicavimus magistro Johanni Piccardi quatenus vellet satisfacere nacioni de pecuniis debitis racione locagii domus *ad cornu cervi*, et mediantibus illis murus in predicta domo posset reedificari, et qualiter predictus magister Johannes nobis respondit, scilicet quod protunc non erat pecuniosus, sed supplicavit nobis deputatis, ut nacio vellet facere forum de muro cum lathamo suo, et ipse satisfaceret lathamo, et tunc de aliis pecuniis restantibus faceret diligenciam ut cicius solveret quo posset. Secundum punctum erat super taxacione bursarum, quia tetigi in nacione quomodo isto anno aliqui minus juraverunt in licencia quam in bachalariatu, non obstante quod in licencia fuerint in eisdem expensis, in quibus fuerunt in bachalariatu.

Secundus articulus erat super aliquibus tangentibus honorem nacionis, et habuit duo puncta. Primum erat super reconsiliacione magistri Henrici de Arnem[2], si fuerit privatus. Secundum punctum erat super modo excusandi nacionem de apposicione sigilli nacionis literis subtractionis[3], attento quod nacio non vult sigillare literas restitucionis, sicud conclusum erat per nacionem in congregacione Universitatis ultima die Junii.

Tercius articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit magister Johannes Dorp ut nacio vellet reassumere magistrum Henricum [Poelman] absolute, sicud alie due naciones reassumpserunt ipsum absolute, et quod nacio vellet intercedere pro predicto magistro in Universitate. Item supplicaverunt bedelli ut nacio ipsis vellet facere graciam sicud consuetum erat.

Super primo puncto primi articuli placuit nacioni compotus factus de domo *ad ymaginem nostre Domine*. Similiter placuit nacioni quod officiarii nacionis facerent forum cum lathamo magistri Johannis Piccardi de muro *ad cornu cervi*, et quod magister Johannes sibi satisfaceret, et hoc si posset haberi in foro, in quo alter quereretur. Super 2° puncto primi articuli, scilicet taxacione bursarum, nacio remisit hoc ad antiqua statuta nacionis et ad discrecionem procuratoris, qui diligenter haberet inquirere de statu scolarium, antequam reciperet juramenta eorum.

Super primo puncto 2^{i} articuli, scilicet super facto magistri Henrici, nacio ex tunc reassumpsit magistrum Henricum ad nacionem tamquam suppositum nacionis, si fuerat privatus ab ipsa, et volebat nacio intercedere pro ipso in Universitate pro reconsiliacione ejus ad Universitatem. Verum est quod aliquibus bene placuisset, quod magister Henricus primo supplicasset in nacione, et quod postea nacio sibi astitisset pro reconsiliacione ejus ad Universitatem. Super 2° puncto 2^{i} articuli, scilicet super modo excusandi nacionem, nacio deliberavit quod sibi displicebat quod sigillum nacionis fuit appositum literis substractionis, et nescivit nacio per quem modum sigillum fuit appositum. Et igitur si non posset reperiri melior modus excusandi nacionem, tunc nacio vellet hoc imputare certis suppositis, que hoc sine deliberacione nacionis fecerunt. Ulterius deliberavit nacio quod non volebat se intromittere de sigillacione literarum restitucionis. Sed si nacio requireretur ad sigillandum literas restitucionis, tunc nacio vellet negare sigillum requirentibus ipsum, et nullo modo sigillare.

Super 3° articulo concessit nacio supplicacionem magistri Johannis Dorp. Similiter et concessit nacio supplicacionem bedellorum.

(*Fol. 70* ^{b}) Notandum quod facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Bernardum anno quo supra, XI^{a} die Julii, hora 8va super tribus articulis.

1. *Intelligas* cum sigillo nacionis. *Non solum rex, sed etiam Universitas Paris. emisit litteras restitutionis, quod hucusque ignorabant.*

2. *I. e.* Henrici Poelman, *exclusi ab Universitate. Vid. supra* p. 785 *sq.*

3. *Sic in ms^{to}, et opponitur litteris restitutionis. Litterae subtractionis an.* 1398 *sigillatae sunt* 8 *sigillis, inter quae etiam sigillum nat. Angliae* (*vid. supra* p. 779, *not.* 2). *Sed hoc factum esse videtur consentiente natione, quae pro subtractione agebat. Aliae litterae subtractionis nobis non sunt notae.*

Primus erat super confectione *rotuli mittendi ad Benedictum*[1]. 2us articulus erat super revocacione privatorum ab Universitate. 3us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit nacio in Universitate, ut Universitas vellet magistrum Henricum de Arnem revocare ad Universitatem et ipsum tenere suppositum Universitatis. Super primo articulo nacio deliberavit quod non volebat se intromittere de confectione rotuli mittendi ad Benedictum, sicud nec intromisit se de restitucione et aliis particulariter respicientibus obedienciam Benedicti, eciam neminem volebat impedire.

Super 2° articulo nacio revocavit magistrum Henricum ad Universitatem cum aliis tunc per rectorem nominatis. Similiter Universitas tunc revocavit ipsum et alios nominatos[2]. Et erat concessa supplicacio nacionis in forma.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, quinta die Augusti, hora 8^{vs} super duobus articulis. Primus erat super aliquibus tangentibus honorem nacionis et habuit duo puncta. Primum erat super confectione *rotuli mittendi ad Bonifacium* papam[3]. Secundum punctum erat super una requesta facta per magistrum Johannem Figuli, qui protunc tenuit locum procuratoris nacionis Piccardie, qui reddendo deliberata nacionis sue in facultate arcium requisivit rectorem, ut apponeret remedium ne nacio Anglicana de cetero deliberaret, sicud temporibus retroactis deliberavit. Et quia ista requesta cedebat in dedecus et prejudicium nacionis, posui in deliberacione nacionis utrum esset aliquid dicendum ex parte nacionis de requesta facta in facultate arcium. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis.

Super primo puncto primi articuli nacio in primis protestata est in facto rotuli nichil facere contra honorem regis aut Universitatis, et illa contestacione premissa nacio deliberavit quod volebat facere *rotulum* et ipsum mittere *ad dominum Bonifacium*, et ad habendum permissionem illius volebat nacio, quod in prima congregacione Universitatis nacio supplicaret in Universitate pro illa permissione vel non impedicione impetranda. Verum est quod nacio propter arduitatem facti et absenciam aliquorum antiquorum magistrorum volebat, quod ante congregacionem Universitatis convocarem adhuc nacionem super eodem facto et quemlibet per juramentum.

Super 2° puncto videbatur nacioni expediens propter supplicacionem nacionis fiendam, quod in prima congregacione Universitatis non fieret verbum de illa requesta facta. In 2° articulo nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis per juramentum apud Sanctum Maturinum, 6ta die Augusti, hora 8va super eisdem articulis, super quibus fuit congregata die precedente, et hoc propter deliberacionem nacionis habitam die precedente. Et stetit nacio in eadem deliberacione qua die precedente, et dedit proponentem magistrum Gherardum Dumheer, et dedit deputatos qui cum proponente haberent avisare raciones et motiva, que possent movere Universitatem ad annuendum supplicacioni nacionis.

(*Fol. 71*) Notandum quod facta fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum, septima die Augusti, hora septima, in qua proponens datus per nacionem proposuit et supplicavit pro facto rotuli, sicud conclusum erat per nacionem. Super quo Universitas deliberavit quod *nacio non posset facere rotulum ad Bonifacium* per modum nacionis vel sub sigillo nacionis; sed placuit Universitati quod faceret per alium modum. Et habuit nacio proponentem magistrum Gherardum de proposicione facta gratum et recommendatum. Item in eadem congregacione supplicavit magister Laurencius[4] Scotus ex parte magistrorum de regno Scothie, quod posset facere rotulum ad Benedictum, et ipsum sigillare sigillo nacionis, vel quod posset poni in rotulo alterius nacionis. Et quia ista supplicacio quoad primam ejus partem maxime tendebat in prejudicium nacionis,

1. *Hoc anno Universitas Paris. (sicut et aliae Universitates Franciae) rotulum misit ad Benedictum XIII, primum et ultimum, quem Universitas ut Universitas ad ipsum misit. Vid. rotulum in* Chartul. IV. *Nuntii ante Octob.* 8 *Parisios reliquerunt et ad curiam Benedicti profecti sunt. Rotulus in curia pro* 12 *kal. Novemb. an. primo* (1403, *Octob.* 20.) *signatus est. Major omnibus est, qui ad nos pervenerunt.* 32 *magistri in* theol. *regentes et* 7 *non regentes;* 24 *fac.* decret.; 27 *fac.* medic., *et* 12 *non regentes;* 359 *nat.* Gallic.; 127 *nat.* Picard. *et* 58 *absentes;* 294 *nat.* Normann. *et* 239 *absentes, quanquam Normanni contra restitutionem fuerunt. Natio* Alemanniae *seu* Anglicana *sola suis principiis fidelis remansit. Afferuntur* 13 *magistri praesentes, sed ex iis* 8 *fuerunt Scoti,* 1 *Jauriens. dioec.* (Thomas de Ungaria *seu* Ethiopis), 1 *ex Helvetia* (Henricus Brugg, *Curiens. dioec.*), *et* 2 *e Germania inferiori* (Arnaldus Witwiic. *Traject.*, Guillelmus de Egmonda *Traject.*), *unus solus e Germania proprie dicta*, Henricus de Fulda. *Praeterea* 6 *absentes afferuntur, omnes Scoti, praeter* Johannem de Claromonte, *Leodiens. dioec. et* Boemundum de Treveris *bedellum.* Johannes Mullinger de Austria *inter magistros theol. invenitur.*

2. *In* Chron. du rel. de St Denys, III, 100, *afferuntur* prior S. Martini de Campis, decret. doctor, *qui fuit* Fulco de Blandis (*de quo* Chartul. III), *et* Johannes de Moravia, « in theologia magister solemnis » (*de quo supra* p. 687, *not.* 1; 713, *not.* 1) *qui*, « durante subtractione ab omni actu scolastico privati, restituti sunt ». *Praeterea* fratres Praedicatores.

3. *Hujus rotuli nullum aliud vestigium remansit.*

4. De Londoris.

nacio non bene contenta de illa supplicacione quoad primam partem, ipsam quoad illam partem simpliciter interemit; sed quoad aliam vel alias partes supplicacionis nacio non contradixit, eciam non simpliciter concessit. Similiter predicta supplicacio protunc erat interempta per Universitatem quoad illam primam partem [1].

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XXI^a die mensis Augusti, hora 8va super duobus articulis. Primus erat ad eligendum examinatores scolarium pro gradu bachalariatus, quia dispensatum erat per facultatem, quod scolares apti ad gradum bachalariatus examinarentur, et efficerentur bachalarii, ut possent cum aliis inrotulari [2]. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavi quatenus placeret nacioni quod receptor redderet michi duos francos, quos sibi tradideram pro magistro Johanne de Arnhem, qui illos solvere tenebatur receptori ante incepcionem in artibus, et quod idem magister Johannes maneret obligatus nacioni et receptori ad solvendum hujusmodi duos francos. Super primo articulo nacio deliberavit quod observaretur antiqua consuetudo, scilicet quod duo antiquiores nacionis non regentes [3], et duo antiquiores regentes hujusmodi scolares examinarent. Super 2° articulo concessit nacio supplicacionem meam.

1403

Acta in procuratoria magistri Wilhelmi Bloc.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno Domini 1403, 27^a die Augusti, super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. 2us super supplicacionibus et injuriis. Ubi dominus procurator supplicavit haberi gratus et recommendatus et avoatus in actis per eum, quia difficilia et ardua fuerunt tractata, ut patet ex precedentibus. 2° supplicavit magister Thomas de Crachovia, quod nacio vellet intercedere pro eo ad facultatem theologie et apud cancellarium pro licencia in dicta facultate optinenda, quia cum tempus suum compleverat in jubileo precedenti [4], non fuerat licenciatus cum aliis. Ad primum nacio elegit in procuratorem magistrum Wilhelmum Bloc. Ad 2^m primo placuit et grata fuit supplicacio precedentis procuratoris in actis et scriptis; 2° nacio dedit magistrum Johannem Dorp ut proponeret pro magistro Thoma, vel procuratorem; tamen visum fuit magistris, quod utilius et commodosius proposicio staret in ore magistri Johannis Dorp, quam alterius.

Primo determinavit dominus Jasper Rousenkrancz de Ensesheyn sub magistro (*sic*), cujus bursa nichil.

Dominus Meynardus de Saxonia sub magistro Heynrico de Xanctis, cujus bursa IIII albi.

Dominus Heynricus de Saxonia sub magistro eodem, cujus bursa IIII albi.

Dominus Balthasar de Arlenberg sub magistro Hermanno de Eslinga, cujus bursa VI albi.

(*Fol. 71* ^{b}) Item dominus Johannes Boytin sub magistro Godscalco Vreeze, cujus bursa VII solidi.

Facta congregacione apud Sanctum Maturinum anno quo supra, 21^a die mensis Septembris super 4 articulis. Primus articulus fuit ad distribuendum scolas magistris volentibus regere, et quod darent fidejussores pro scolis, sicut consuetum est fieri. Et placuit nacioni quod magistri regentes haberent scolas secundum eorum antiquitates, dummodo ponerent fidejussores; et positi sunt fidejussores in casu, quod si non regerent pro majori parte ordinarii scilicet usque ad prandones, quod ipsi solverent persolitas scolas.

2us articulus fuit ad eligendum novum receptorem aut ad continuandum antiquum. Et fuit positum in deliberacione per modum expedientis propter requestam multorum magistrorum et notabilium, qui videbant multas invidias, rixas et dissenciones oriri in nacione ex continuacione receptoris per tres, 4, 5, sex, 7, 8, etc., annos, ideo positum fuit in deliberacione quod expediret in quolibet anno eligere novum receptorem, aut ad minus de biennio in biennium. Super quo nacio deliberavit quod eligeretur novus receptor pro isto anno, et sic consequenter, aut ad minus de biennio in biennium, ut nullus sibi videretur istud officium appropriare per hereditariam successionem. Eciam honores et onera sunt diversis magistris distribuenda, ut multi in nacione cognoscant facta nacionis, et sic magis pacifice et una voluntate magistri honorentur et inter se vivant sine cordiali invidia aut displicencia contra aliquem volentem sibi appropriare officium per magna tempora. Ulterius protunc supplicavit antiquus receptor quod

1. *Scoti sicut et* Laurentius de Londoris *exstant in rotulo communi Universitatis ut* nacio Anglicana, *sed sine inscriptione*.
2. *Supersunt rotuli baccalareorum et cursorum in* theol., *bacc. in* decret. *et* medic., *et baccal. in diversis nationibus*, excepta natione Anglicana, *quae ne nuntium quidem ad Benedictum misit, quamvis quaelibet alia natio miserit*.
3. *Inter lineas* sc. receptor et antiquior magister non regens.
4. *Quod verum est. Vid. supra* p. 837, 5, *et* p. 877, 27.

haberetur gratus de actis preteritis in receptoria sua per 3 aut 4 annos precedentes. Et nacio concorditer annuit supplicacioni sue, quia reperit eum virum probum et rectum in illis que fecerat pro officio receptorie. Et consequenter fuit electus magister Johannes Dorp in novum receptorem, qui solvit viginti solidos consuetos solvi, et adhuc decem solidos ex parte nacionis. Verum est tamen, sicut pauci magistri dixerunt, quod istud statutum esset illibertare [1] nacionem in eligendo aut continuando receptorem : responsum fuit quod *nacio est supra statuta non papalia*, ideo in casu ubi contingeret quod multum expediret continuare antiquum receptorem, tunc prudentis est mutare consilium. Eciam justis non ponitur lex, sed lex ponitur ad evitandum invidias, lites, discordias mentales, profundas et destructivas nacionis; ideo evitet quilibet lites, ponat legem pro bono communi ad generandum pacem.

3us articulus fuit ad audiendum compotum antiqui receptoris, qui dilatus fuit ad diem oportunam, quia dominus receptor antiquus debebat in crastino facere suum principium in theologia pro legendo Sentencias[2].

4us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis, ubi supplicaverunt regentes, quod secundum statutum et consuetudinem eis darentur scole, resignatis prioribus scolis in manu nacionis. Nacio concessit eorum supplicaciones juxta formam primi articuli. Item ego procurator requisitus feci aliam pro subveniendo ecclesie Sanctorum Cosme et Damiani, que tunc edificabatur per marticularium illius ecclesie pro una parte. Nacio considerans quod multa debebat solvere, eciam quod in anno precedenti dederat ecclesie predictorum sanctorum unam summam pecuniarum, adhuc non voluit desistere, quin intenderet eidem ecclesie aliquam summam pecunie, scilicet 8 vel decem scutorum tribuere, dum locus et tempus eciam facultas occurrerent, sine incommodo nacionis et sine prejudicio bedelli nostri, qui primo debebat solvi, ut patet ex superius scriptis.

Sequuntur nomina regencium ejusdem anni.

Primus magister Wilhelmus Bloc, cujus fidejussor magister Heynricus de Bercka.

2us magister Goedscalcus Vreze, cujus fidejussor magister Wilhelmus Bloc.

3us magister Hermannus de Ommen, cujus fidejussor magister Johannes de Xanctis.

4us magister Hermannus de Heslingha, cujus fidejussor magister Coenrardus de Heslingha.

Magister Johannes Reyst, cujus fidejussor magister Gherardus Delf[3].

5us magister Goezwinus de Aernem, cujus fidejussor magister... (*sic*).

Magister[4] Coenrardus Lubek de Wolfhaghen, cujus fidejussor magister Heynricus de Xanctis.

Magister Heynricus de Xanctis, cujus fidejussor mag. Heynricus de Bercka.

Magister Bernardus de Lubeke, cujus fidejussor mag. Bernardus de Sorbona[5].

Magister Wilhelmus de Aemsterdam, cujus fidejussor magister Johannes de Woerden.

Magister Johannes Spenlyn, cujus fidejussor magister Johannes Maczingher.

Magister Johannes de Alcmaria, cujus fidejussor magister Johannes Dorp, dominus receptor.

Magister Ulricus de.....[6], cujus fidejussor mag. Coenrardus de Heslingha.

Magister Wilhelmus[7] de Monte Sancte Gheertrudis, cujus fidejussor magister Godscalcus.

1403

(*Fol.* 72) Continuacio ejusdem.

Facta congregacione apud Sanctum Maturinum anno quo supra, 24a die mensis Septembris, super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum vel continuandum procuratorem. 2us articulus fuit ad supplicandum. Ubi ego procurator supplicavi quatinus in actis per me nacio vellet me habere gratum, avoatum et recommendatum. Super primo concorditer placuit magistris me continuare in eodem officio procuratoris. Super 2o nacio annuit supplicacioni mee. Nota quod novus receptor magister Johannes Dorp juravit juramenta fieri solita.

Facta congregacione apud Sanctum Maturinum anno quo supra, 27a die ejusdem mensis, super duobus articulis. Primus ad audiendum compotum

1. *Libertatem auferre. Vid.* DUCANGE-HENSCHEL, III, 761.
2. Arnaldus Utwiic *post sex annos, id est* 1409, *licentiatus est in theol. e* Catal. licent., *ubi* Welbit, Vutuvit. *Tunc ad concilium Pisanum ivit. Vid.* DELISLE, Cab. des mss., II, 144.
3. *Sed tota rubrica postea deleta est. Vid.* p. 870, 24.
4. *Haec rubrica in margine scripta est. Vid. infra ad* 8 *Octobris.*
5. *Scil. mag.* Bernardus Flogeling, *qui fuit bursarius Sorbonae. Vid. supra* p. 835, not. 1.
6. *Rubrica et nomina sunt diluta. Primo* Johannes, *deinde* Ulricus *scriptum fuit. Nomen civitatis omnino dubium. Vid. infra* p. 869, 41. *Vel* Johannes de Arnhem *designatur* (*v.* p. 884, 42), *vel* Ulricus Stolz (p. 877, 11).
7. Storman.

antiqui receptoris, qui computavit, et fuit nacio multum bene contenta de tali compoto, et regraciabatur sibi de laboribus habitis, et supplicacio ejus, quod haberetur gratus, avoatus etc., fuit concessa. 2us articulus fuit super supplicacionibus [et injuriis]. Ubi duo bachalarii supplicaverunt quod admitterentur ad nacionem tanquam bachalarii, quia fuerant facti bachalarii Colonie. Et nacio admisit eorum supplicaciones, dummodo solverent bursas eorum sicut moris est.

Isti sunt qui supplicaverunt, scilicet dominus Amplonius Toern de Creveldia[1], dyoces. Colon., cujus bursa septem solidi cum 4 denariis.

2us Johannes Stommel[2], dyocesis Coloniensis, cujus bursa septem solidi cum 4 denariis.

Sub mag. Hermanno Ummen:

3° determinavit Jacobus [de] Leydis, cujus bursa octo solidi.

4° determinavit dominus Johannes de Bueren, cujus bursa sex solidi.

5° determinavit dominus Jacobus Hermanni de Aemsterdam, cujus bursa 3 solidi.

6° determinavit Hugo Godfridi de Delf, cujus bursa sex solidi.

7° determinavit Gherardus Jacobi, cujus bursa sex solidi.

8° determinavit Jacobus Ysebrandi sub magistro Henrico de Xanctis, cujus bursa tres solidi cum 4 denariis.

9° determinavit dominus Wilhelmus Johannis de Scoenhovia sub magistro Henrico de Xanctis, cujus bursa sex albi.

10° determinavit dominus Wilhelmus Boudewynni sub magistro Johanne de Daventria, cujus bursa 6 s.

11° determinavit dominus Ysebrandus Mathye sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa sex albi.

Facta congregacione apud Sanctum Maturinum anno quo supra, 6a die mensis Octobris, hora quarta post prandium, super duobus articulis. Primus fuit ad ordinandum super antiquitate regencie pro distribucione scolarum ad regendum in vico Straminum, quia quidam magister[3] dixit, se debere preferri aliis magistris, qui nunquam rexerant ex eo, quod erat novus magister hujus anni presentis, et statim post incepcionem lecture sue ipse continuavit suas lectiones; modo tales de novo incipientes et continuantes lectiones suas reputantur regentes : ergo videbatur sibi quod racione regencie sue debebat preferri aliis, qui nunquam rexerant in accipiendo scolas, quia scole dantur secundum antiquitatem regencie, non magisterii. Super isto articulo nacio deliberavit, quod remittebat se ad nacionem Gallicanam, et quod in isto vellet agere sicut predicta nacio. Et ideo facta fuit diligencia ad sciendum, quid judicabat nacio Gallicana in predicto casu. Et repertum erat quod magister de novo incipiens et continuans lectiones suas reputatur regens quantum ad posse dare literas testimoniales scolaribus suis, et quoad poni in rotulo tanquam regens; sed non reputatur regens quoad distribucionem aut provisionem scolarum, ita quod nacio non dat talibus vel tali scolas; ideo in principio ordinarii scole distribuuntur sibi sicut alteri, qui nunquam rexit, et stabit in loco et ordine suo secundum antiquitatem gradus sui et magisterii in artibus. Istud ego retuli in nacione, et placuit nacioni quod sic fieret.

2us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Ubi supplicavit magister Wilhelmus de Monte Sancte Gheertrudis quod nacio admitteret ipsum tanquam regentem et daret sibi scolas. Ita concessum est. 2° supplicavit magister Johannes Reys, quod licet supplica[ve]rat pro regencia, tamen propter nova percepta supplicavit, quod nacio absolveret ipsum et suum fidejussorem ab obligacione etc., quia non intendebat regere. Ita concessum fuit. 3° supplicavit dominus Mathias sub[b]edellus, quia habebat causam necessariam recedendi a Parisius, quod nacio vellet sibi dare licenciam recedendi per aliquantum temporis. Nacio concessit sibi et Bomondus gereret vices suas.

(*Fol.* 72 b) Facta congregacione apud Sanctum Maturinum anno quo supra, 8va die mensis Octobris, hora 3a post prandium super duobus articulis. Primus erat ad requestam magistri Conrardi Lubeck, quia ex consilio amicorum suorum sibi fuit consultum, quod isto anno presenti regeret et quod haberet scolas a nacione Francie pro loco unius magistri[4], qui recesserat *Avinionem cum rotulo Universitatis*, ideo supplicavit in nacione quod nacio vellet ipsum accipere pro regente et ponere ipsum in loco et ordine suo sicut supplicasset in die beati Mathei, sicut moris est supplicare, quia tunc non habuit intencionem regendi, sed postea mutata fuit intencio

1. Amplonius de Creveldia *an.* 1397 *in Universitate Colon. intitulatus est* (Keussen, Matrikel, 1, 73). *Cum supra dicatur* baccal. Colon., *ipse fortasse alius est ac* Ampolonius de Creveldia *an.* 1399 *intitulatus in Universitate Erfordiensi* (Weissenborn, Acten der Erfurter Universität, 1, 55 b 1), *et idem ac* Amplonius, *intitulatus ut baccal. in art. in Universitate Heidelbergensi an.*1401 (Toepke, Matrikel, 1, 82, 2).

2. *Seu* de Colonia, *ubi an.* 1399 *intitulatus* (Keussen, 1, 80).

3. Johannes de Arnheim, *vel* Ulricus Stolz.

4. *Scilicet* Matthaei Roeder.

secundum consilium amicorum suorum. Super isto concessit supplicacionem suam in forma, ymmo si supplicasset pro scolis, nacio libenter voluisset sibi providisse de scolis. 2us articulus erat super supplicacionibus et injuriis, ubi nullus supplicavit.

1403

Acta in procuratoria magistri Goswini de Arnhem.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum XXIa die mensis Octobris, super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem. 2us fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum fuit concorditer electus nemine reclamante magister Goswinus de Arnhem in procuratorem. Et quoad 2m articulum supplicavit magister Guillelmus Bloc procurator precedens, ut haberetur gratus et avoatus in hiis, que egit in sua procuratoria. Cujus supplicacio ab omnibus fuit admissa. Nulli alii supplicaverunt.

Facta congregacione apud Sanctum Julianum pauperem anno Domini M° CCCCIII, XVIa die mensis Novembris, hora octava ante prandium, super duobus articulis. Primus erat ad ordinandum de festo nacionis secundum modum consuetum. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum ordinatum fuit quod festum nacionis fieret aliqualiter expensis magistrorum et aliqualiter expensis nacionis, sic scilicet quod quilibet magistrorum contribueret II solidos, et quod residuum expensarum solveret nacio. Et ista fuerunt ordinata ne nacio gravaretur, attento quod ipsa est adhuc multum involuta debitis ex parte edificacionis scolarum *septem arcium*, quas edificavit.

Quantum ad 2m articulum supplicavit magister Johannes Gale[n]coep ut nacio sibi assisteret et juvaret ipsum, quia ipse intendebat petere bursas de Serbona. Et super illo petebat deputatos qui habebant secum adire episcopum Silvanectensem[1], collatorem bursarum predictarum. Cujus supplicacio fuerat concorditer concessa, et sibi dati fuerunt deputati ut petivit[2]. Et non fuerunt plures supplicantes.

Eadem hora fuit congregacio facultatis, et relatum fuit qualiter clausura vici Straminis fuit a preposito Parisiensi[3] concessa, et non restabat nisi signare locum barrarum cum quibus debebat claudi.

1403

(*Fol.* 73) Continuacio ejusdem magistri Goswini de Arnhem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum vel continuandum procuratorem. 2us articulus fuit ad audiendum compotum receptoris. 3us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum continuatus est in procuratorem magister Goswinus de Arnhem. 2us articulus fuit dilatus usque ad alias, quia receptor modicum receperat, et restabant aliqua solvenda in brevi pro clausura vici Straminis. Sed quoad 3m articulum supplicavit procurator quod haberetur gratus et recommendatus in hiis, que fecit. Cujus supplicacio fuit admissa. Deinde in crastino facta fuit quedam avisacio per aliquos magistros, utrum magistri presentes in festo deberent solvere II solidos pro prandio, attento quod aliqui de nacione non honoraverant nacionem, et illi magistri presentes eandem honoraverunt in missa et in prandio. Sed pro parte poterat concludi. Concludebatur quod debebant solvere, et quia jam solverunt, debebant illi solidi remanere soluti.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud ecclesiam Sanctorum Cosme et Damiani in profesto[4] sancte Katherine post vesperas nacionis anno quo supra, super clausura vici Straminis, quia scilicet parve scole nacionis nostre in fine vici Straminis versus Secanam situate non poterant esse concluse vel incluse infra barras, sed illa barra versus Secanam debebat terminari versus medium magnarum scolarum nacionis nostre : conclusum fuit quod in casu, quo alie naciones habentes eciam ibidem scolas sic exclusas vellent laborare, scilicet nacio Picardie et nacio Normannie, quod tunc procurator noster se haberet adjungere illis, et cum ipsis procurare ut omnes scole includerentur. Sed si alie naciones et alii procuratores nichil facerent, quod procurator se deberet illis conformare. De supplicantibus nullus, etc.

1403

Acta in procuratoria magistri Conradi Lûbeck de Wolffhagen.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud

1. *Semper* Johannem Diodona, *provisorem Sorbonae, de quo supra.*
2. *Ipse etiam obtinuit. Vid.* p. 835, *not.* 1. *Studuit theologiae, et an.* 1410 *licentiatus est in theol.* e Catal. licent., *ubi* « de Galencorde », « Galenceur ».
3. Guillelmo de Tignonville.
4. 24 Novembris.

Sanctum Maturinum anno Domini 1403, die decima septima Decembris, super tribus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us fuit ad audiendum compotum receptoris. 3us super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum electus fuit concorditer nullo reclamante magister Conradus Lubeck de Wolffhagen. Quoad 2^m^ dilatus fuit compotus receptoris ex certa causa. Quoad tercium articulum supplicavit procurator precedens, ut haberetur gratus et recommendatus in factis per eum. Et concessa fuit sibi supplicacio. Eciam supplicavit, si in aliquibus deliquisset, ut sibi parceretur. Et concessum fuit sibi totum. Et procurator protunc electus eciam solvit vinum in taberna, sicut placuit nacioni quia fuit prima procuratoria sua, etc.

1404

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno 1403 secundum stilum scribendi in ecclesia Gallicana, 2^a^ die Januarii super duobus articulis. Primus super facto domus *ad cornu cervi*, que ut dicebant illi quibus constabat, pro parte fuit ruinosa, quare indigebat reformacione; et quia nacio a longis retroactis temporibus multas pecunias posuit in reformacione dicte domus, et non poterat recuperare illas pecunias in domo, positum fuit in deliberacione ad videndum modum, per quem domus posset reparari et in esse conservari sine ulterioribus expensis nacionis, et quod nacio eciam posset recuperare pecunias (*Fol. 73* ^b^) suas. 2us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis.

De primo articulo erant tacti tres modi. Primus erat quod si quis posset reperiri, qui vellet capere domum eo modo, quo nacio eam tenet, et vellet nacioni restituere pecunias expositas pro edificiis factis in domo, nacio bene vellet condescendere; 2us modus, quod si posset fieri quod per consensum Universitatis et eciam Castelleti domus venderetur simpliciter, vel ad vitam unius vel duarum personarum; 3us modus erat quod venderentur redditus super domum et quod de illis pecuniis, que pro hujusmodi redditibus caperentur, domus reformaretur et repararetur et locaretur annuatim pro una certa quotarum. Ad primam viam omnes bene condescendissent concorditer, sed non videbatur apparencia quod aliquis vellet hoc facere; tamen finaliter steterunt in ultima via, si non posset alia via reperiri. Et ad impetrandum consensum Universitatis ad hoc fuit dictum procuratori, quod ipse haberet supplicare in Universitate in proxima congregacione ex parte nacionis pro habendo hujusmodi consensu. Et fuerunt eciam dati deputati, qui haberent visitare domum et videre reparaciones necessarias ibi fiendas, etc. Super 2° articulo nichil fuit factum, quia nullus supplicavit, etc.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem anno et mense quibus supra, die 8^a^, ad audiendum relacionem deputatorum super facto domus *ad cornu cervi* et super supplicacionibus et injuriis. Super primo retulerunt deputati, qui visitarunt domum, quod domus indigeret necessario reparacione in cavea et in quibusdam aliis locis, et super isto nacio ulterius dedit deputatos, qui havisarent ulterius de modo per quem posset reparari, etc. Super 2° articulo nichil fuit factum.

Et notandum quod eodem die in eodem loco fuit congregacio facultatis, ubi rector [1] exhibuit litteram Castelleti super clausura vici Straminis, et ordinatum fuit tunc per facultatem quod receptores nacionum haberent tradere argentum pro operariis conducendis et lignis emendis pro barris etc.

1404

Continuacio procuratoris precedentis, scilicet magistri Conradi Lubeck de Wolffhagen.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, die 14^a^ mensis Januarii, anno supra scripto super quatuor articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. 2us erat ad audiendum compotum receptoris. 3us erat super facto domus *ad cornu cervi*. 4us super supplicacionibus et injuriis. Super primo articulo continuatus fuit concorditer nullo reclamante procurator precedens magister Conradus Lubeck de Wolffhagen. Quoad 2^m^ articulum dilatus fuit compotus receptoris, quia fuit legitime impeditus, ut constabat nacioni. Super 3° articulo optulit quidam magister, dictus magister Richardus [2], se velle concedere nacioni pro reparacione domus quinquaginta francos, ut nacio sibi concederet domum ad

1. Bulaeus, V, p. 919, *in* Nomenclatura rectorum *perperam ponit pro an.* 1403, *Decemb.* 16—1404, *Martii* 24 Jacobum de Barreio, *cum contra tunc rector fuerit* Reginaldus de Fontanis (*vid. infra* p. 875, 37), *quem* Bulaeus *assignat ad Octob.* 10 — *Decemb.* 16 *an.* 1404. *Reginaldus de Fontanis an.* 1408 (1409) *licent. est in theol., post* 1413 *vice-cancellarius, et* 1423, *Januar.* 8, *episc. Suessionens.*

2. *Verisimiliter* Richardus Loenen de Trajecto.

inhabitandum annuatim pro quinque francis. Et hic deliberatum fuit quod illud differretur ad aliam congregacionem, ubi omnes vocarentur per juramentum. Super 4° articulo supplicavit procurator, ut in hiis que egit gratus, aguatus et recommendatus. Cujus supplicacio ab omnibus fuit concessa etc.

(*Fol.* 74) Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra, die 18ª mensis Januarii super 3bus articulis. Primus super facto domus *ad cornu cervi*, ad videndum de modo tacto in congregacione immediate precedenti. 2us super reformacione capparum regencium in vico Straminis. 3us super supplicacionibus. Super primo articulo nacio regraciabatur magistro Richardo[1], qui optulit nacioni illas pecunias; sed nequaquam voluit acceptare illum modum, sed voluit quod in proxima congregacione Universitatis nacio supplicaret pro deputatis, qui una cum nacione haberent havisare modum, per quem sepedicta domus posset reparari, et quod nacioni eciam satisfieret de pecuniis expositis temporibus preteritis in reparacionibus dicte domus, quarum summa ascendit ultra centum et octuoginta francos. Super 2° articulo voluit, quod de cetero temporibus futuris magistri volentes regere exhiberent cappas suas, quando supplicarunt pro scolis in nacione, et quod dominus rector una cum procuratoribus et receptoribus nacionum haberet convocare regere volentes ante festum sancti Dionisii, et ibidem visitarent cappas etc. Super 3° articulo nichil fuit factum, etc.

Item juravit nobis dominus Petrus de Eynen[2], qui determinavit sub magistro Conrado Lůbeck, cujus bursa XVI denarii.

Notandum. Barre vici Straminum posite fuerunt primo quinta die Februarii anni 1403 secundum stilum ecclesie Gallicane; vel anni 1404 secundum usum Romanum, in rectoria magistri Renaldi de Fontanis, etc.

1404

[Procuratio magistri Hermanni de Ummen.]

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die undecima mensis Februarii anni 1403 secundum usum scribendi ecclesie Gallicane super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem. 2us articulus ad audiendum compotum receptoris, ad ordinandum de officiariis nacionis, scilicet temptationibus bachalariandorum, et ad ordinandum de mensibus pro examine Sancte Genovefe, et ad ordinandum de domo *ad cornu cervi*. 3us super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum electus fuit in procuratorem magister Hermannus de Ummen. Quoad 2um dilatus fuit compotus receptoris, quia dominus receptor fuit legitime impeditus, prout constabat nacioni. Quoad 2um punctum ejusdem articuli, juxta consuetudinem antiquam electi fuerunt in temptatores determinancium dominus receptor, scilicet magister Johannes Dorp, magister Wilhelmus Bloc, et magister Godscalcus Vreze, duo seniores regentes, et magister Coenradus Haeghenoůme tanquam senior non regens. De mensibus iterum dilatum fuit usque proximam congregacionem. Et quoad factum domus *ad cornu cervi* injunctum fuit procuratori, ut in die dominica faceret congregacionem ad avisandum, qualiter esset ulterius procedendum. Quoad 3um articulum supplicavit procurator, scilicet magister Coenradus Lubeck de Wolffhagen[3], ut in hiis que egit haberetur gratus, aguatus et recommendatus. Cujus supplicacio ab omnibus et singulis erat concessa.

Isti sunt determinantes hujus anni.

Primo determinavit dominus Symon Stramiglok sub magistro Willelmo Amsterdam, cujus bursa 6 s.

2° determinavit dominus Guillelmus Lyon sub magistro Arnoldo Vytwiic, cujus bursa sex solidi.

Item determinavit dominus Guillelmus de Dumeto de Aquisgranis sub magistro Bernardo Eychof, cujus bursa IX solidi.

Item determinavit dominus Adam de Fexhe sub magistro Hermanno de Eslinga, cujus bursa VII s. IIII denarii.

Item determinavit dominus Johannes Egidii de Dordraco sub magistro Johanne de Davantria, cujus bursa IX solidi.

Item determinavit dominus Jacobus Lamberti Koch de Dordrako sub magistro [Wilhelmo] de Amsterdam. IX solidi.

Item determinavit dominus Guillelmus Balnavis sub magistro Arnoldo Vytwiic, cujus bursa V solidi.

Item determinavit dominus Johannes de Zaerwarden sub magistro Hermanno de Ummen, cujus bursa IX solidi.

1. *Vid. not. praecedentem.*
2. *Ms. potius* Synen.
3. *Anno scholastico completo* Heidelbergam *profectus, an.* 1404 *intitulatus est. Vid. supra* p. 838, *not.* 8.

Item determinavit dominus Nicolaus Bruen de Delf sub magistro Hermanno de Ummen, cujus bursa II solidi.

Item determinavit dominus Nicolaus Tumerel de Arlino sub magistro Coenraedo Lubeck Wolfhagen, cujus bursa II solidi.

Item determinavit dominus Johannes de Xanctis sub magistro Wilhelmo de Monsterkerke, cujus bursa XVI denarii.

Item determinavit dominus Martinus Institoris sub magistro Ulrico Stols [1], cujus bursa III solidi. Solvit francum, et de residuo posuit pignora.

Item determinavit dominus Heinricus Pul sub magistro Johanne Spenlini cujus bursa III solidi. Posuit pignora.

(*Fol. 74 b*) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, die XVII^{a} mensis Februarii, anno quo supra hora quasi octava, super tribus articulis. Primus articulus erat ad audiendum compotum receptoris et ordinandum de mensibus pro examine Sancte Genovefe. 2us articulus erat, quia alias dominus procurator precedens supplicavit in Universitate pro deputatis, qui habebant videre misias et exposita in domo *ad cornu cervi*, ad habendum deputatos ex parte nacionis, qui una cum deputatis Universitatis haberent videre illa exposita. Et consequenter, quia magister Thomas de Cracovia erat licenciatus in theologia et nacio fuerat ad dominum cancellarium, recommendando sibi magistrum Thomam, an expediret quod procurator ex parte nacionis sibi regraciaretur. 3us super supplicacionibus et injuriis.

Quoad primum computavit dominus receptor, cujus compotus scriptus est in *libro receptorie*. De mensibus fuit dilatus, quia nullus adhuc optulit. Quoad 2^{m} articulum dati sunt deputati dominus receptor et magister Johannes de Austria [2] tanquam superintendentes, magister Richardus de Trajecto, magister Petrus Prender, magister Johannes Gaelencop et magister Coenraedus Langhen. Consequenter placuit ampliori parti quod haberemus adire dominum cancellarium et sibi regraciari ex parte magistri Thome predicti de honore nobis impenso. De 3° articulo nullus supplicavit.

Et notandum quod die vicesima tercia fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino, in nona hora, et eadem hora fuit congregacio nacionis super facto duorum bachalariorum volencium supplicare. Et supplicaverunt dicti bachalarii, scilicet Martinus Institoris et Heinricus [Pul], quia non haberent propositas pecunias ad satisfaciendum domino receptori pro bursis, et attento quod cotidie expectant nuncium eorum, qui debebat portare pecunias, quod nacio vellet cum ipsis dispensare, quod possent ponere pignora juxta formam consuetam. Et supplicacio eorum fuit admissa. Et sic juraverunt michi procuratori quod ponerent pignora in proportione sesquialtera in valore in presencia magistri Ulrici Stols, et quod nacio ad festum Pasche sine condicione posset vendere pignora.

Et notandum quod die VII^{a} mensis Marcii fuit congregacio facultatis in Sancto Juliano, et eadem hora fuit congregacio nacionis super facto domus *ad cornu cervi*. Et quia compotus repertus de expositis circa eandem domum fuit minus generalis et confusus valde, ideo dederunt magistri deputatos, scilicet receptores, scilicet novum et antiquos, et antiquiores magistros, qui una cum deputatis Universitatis haberent avisare de modo agendi circa eandem domum.

1404

Jacobus de Haerlem.

Facta [3] congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, decima die mensis Marcii, hora nona vel quasi, anno quo supra, super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem; secundus ad distribuendum menses; 3us super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus fuit in procuratorem magister Jacobus de Haerlem. Quoad secundum primus mensis concessus fuit magistro Hermanno de Ummen pro tribus solidis. Consequenter placuit nacioni quod magister Johannes de Dorp haberet omnes alios menses pro V solidis. Quoad 3^{m} articulum supplicavit procurator precedens, ut in actis per eum haberetur gratus et recommendatus, cujus supplicacioni annuit nacio. Item eodem die nacio intravit tabernam, ubi de communi consensu magistrorum receptor solvit IIII^{or} solidos, quos tenebatur ex parte compotus. Ulterius solvit XVII solidos et IIII denar., prout magistri protunc concorditer deliberaverunt.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum, tercia die Aprilis super tribus articulis. Primus super facto domus *cornu cervi*; secundus ad substi-

1. Ulricus Stolcze de Yslinga *eodem anno Heidelbergam petivit, ubi intitulatus est. Vid.* Toepke, Matrikel, 1, 94.

2. *Qui nihilominus in rotulo anni* 1403 *ut* magister in theol. *affertur. Et certe tunc jam magister erat.*

3. *Haec procuratoria scripta est eadem manu ac praecedens. Inscriptio tamen diversa est, fortasse a Jacoba de Haerlem.*

tuendum unum receptorem, attento quod receptor protunc existens voluit se transferre ad aliam facultatem; 3us super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum nacio stetit in alias deliberatis, scilicet quod avisarentur modi, quomodo nacio posset deonerari de domo et rehabere pecunias suas. Quoad secundum substitutus erat in receptorem magister Wilhelmus Bloc. Quoad 3^{m} supplicavit magister Johannes Dorp receptor nacionis, pro tunc resignans officium, quod nacio vellet ipsum habere gratum, avoatum et recommendatum. Cujus supplicacio concessa fuit ab omnibus.

1404

Acta in procuratoria magistri Thome de Grynlaw, id est de Monte Viridi.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum hora septima, VII^{a} die Aprilis, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem, vel continuandum antiquum. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Nam quantum ad primum electus fuit concorditer, nemine contradicente, magister Thomas de Grynlaw. Quoad 2^{m} supplicavit procurator precedens, quatinus nacio haberet eum in actis ejus gratum, avoatum et recommendatum. Supplicavit itaque magister Hermannus de [Ummen] pro quadam litera testimoniali. Et eciam supplicavit Jeronimus de Praga [1], quod cum ipse bachalarius esset in studio generali, admitteretur tanquam bachalarius Parisius, qui eciam paupertatem in nacione juravit et sic bursas non solvit, alias vero bursas solvisset. Quorum supplicacionibus annuit nacio.

Item XIX^{a} die ejusdem mensis fuit congregacio facultatis apud Sanctum Julianum predictum ad audiendum juramenta bachalariorum licenciandorum, eciam magistrorum eorum examinatorum in presencia facultatis. Item fuit congregacio Universitatis apud Sanctum Maturinum (*Fol.* 75) hora octava super tribus articulis. Primus fuit super facto privilegiorum. 2us fuit super facto rotuli [2]. Et de illo nacio non intromisit [se], sed stetit in alias deliberatis. 3us fuit super supplicacionibus etc. Quantum ad primum placuit nacioni quod boni scolares juvarentur et eximerentur a solucione tallie. Quantum ad 3^{m} supplicavit magister Dominicus Parvi [3] pro litera recommendatoria cuidam domino temporali. Et supplicavit Johannes Derlyn Scotus quod ipse admitteretur ad locum quem amisit, eo quod non juravit cum aliis in facultate. Quorum supplicaciones concesse erant.

Item penultima die Aprilis predicti fuit congregacio Universitatis hora octava apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus fuit super facto rotuli. De illo nacio non [se] intromisit. 2us fuit super facto privilegiorum. 3us fuit super supplicacionibus. Et supplicavit unus quod ipse reciperetur ad juramentum tabellionatus officii. Et supplicabant plures pro literis citatoriis. Et erant supplicaciones omnes concesse.

Item fuit congregacio facultatis arcium 2^{a} die Maii [4] apud Sanctum Julianum hora octava super tribus articulis. Primus fuit super facto rotuli. Et de illo nacio non intromisit se, sed stetit in alias deliberatis. 2us fuit ad audiendum juramenta magistrorum examinatorum et eciam bachalariorum in Sancta Genovefa. Et ita fuit conclusum. 3us articulus fuit super supplicacionibus etc., et nulli erant supplicantes.

Licenciaturi anni instantis, videlicet 1404.

Nicholaus Mulynar, cujus bursa VII solidi.
Johannes Deman, cujus bursa VII solidi.
Johannes de Colonia, cujus bursa VII solidi.
Fredericus de Medauch [5], cujus bursa VII solidi.
Guillelmus de Avantria, [cujus bursa V sol.]
Robertus Thome, cujus bursa V solidi.
Jacobus de Haerlem, cujus bursa V solidi.
Jeronimus de Praga, cujus bursa II solidi.
Johannes Derlyng, cujus bursa VI solidi et VI d.
Paulus Gloterer, cujus bursa quinque solidi.
Bartholomeus de Harlem, cujus bursa VII solidi.
Jacobus Backer, cujus bursa quinque solidi.

1. *Iste est famosus* Hieronymus de Praga, *qui Constantiae post* Johannem Hus *combustus est. An.* 1398, *Sept.* 14, *Pragae bachalariatum in art. recepit, an.* 1399 Johannes Hus *pro ipso obtinuit dispensationem biennii* (Monum. hist. Univers. Prag., I, p. 333, 338). *Parisiis an.* 1404 *licentiatus est* (*infra p.* 880, 39; 894, 7), *Jan.* 1405 *incepit, et inter magistros actu regentes affertur. Eodem an., Dec.* 19, *intitulatus est in Universitate Heidelbergensi* (Toepke, Matrikel, 1, p. 100), *an. sequente* (1406) *in Universitate Coloniensi* (Keussen, Matrikel, I, p. 101), *anno post* (1407) *in Universitate Pragensi* (Monum., *l. c.*, p. 391). *Caetera vid. apud* Keussen, *l. c., not.*

2. Universitatis, *signati in curia Benedicti et reportati Parisios per nuntios. Sicut semper rotulus occosionem dedit litigandi de beneficiis concessis.*

3. *Mag. in theol., nat. Gallic.*

4. 2 die Maii *inter lineas.*

5. *Ms.* Medanth. *Designatur* Fredericus Myddachten.

Petrus Wilelmi, cujus bursa II solidi.
Amplonius de Crevella[1] cujus bursa VII solidi.

Incepturi anni antedicti.

Johannes de Colonia, cujus bursa VII solidi.
Jacobus Harlem, cujus bursa V solidi.
Johannes Deman, cujus bursa VII solidi.
Nicholayus Mulynar, cujus bursa VII solidi.
Guillelmus de Avantria, cujus bursa V solidi.
Robertus Thome, cujus bursa V solidi.
Fredericus de Medauchtyn, cujus bursa VII solidi.
Paulus Gloterer, cujus bursa V solidi.
Bartholomeus de Harlem, cujus bursa VII solidi.
Jacobus Backar, cujus bursa V solidi.
Petrus Wilelmi, cujus bursa II solidi.
Amplonius de Creveldia, cujus bursa VII solidi.

1404

(*Fol.* 75 b) Continuacio procuratoris precedentis, scilicet magistri Thome de Monte Viridi seu Grynlau.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, quinta die Maii[2] anno quo supra super duobus articulis. Primus erat [ad] eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us erat super supplicacionibus etc. Quantum ad primum electus seu continuatus erat procurator precedens concorditer et nemine reclamante. Quantum ad 2m supplicavit idem procurator, quatinus haberetur gratus, avoatus et recommendatus in actis per eum. Cujus supplicacioni annuit nacio.

Item supplicavit Jacobus Backar in congregacione nacionis ad Sanctum Maturinum XXIIIa die May celebrata, quatinus nacio daret sibi terminum usque ad festum beati Jacobi ad solvendum bursas suas pro incepcione in artibus, cujus supplicacioni annuit nacio.

Item XXIXa die ejusdem est conclusum in nacione apud Sanctum Maturinum, quod currerent distribuciones in missis et vesperis nacionis secundum quod alias consuetum est, et quod daremus omni anno duos vel tres francos pro indumentis sacris in ecclesia nacionis nostre, et quod ille pecunie ponerentur in archa nacionis, donec haberemus magnam summam, et illo tunc emerentur. Eciam dabantur deputati ad visitandum domum *ad ymaginem nostre Domine* nacioni pertinentem, et ibidem locata est domus *ad cornu cervi* domino receptori pro isto anno tantum pro XX scutis. Eciam ibidem dabantur deputati ad inquirendum bursas in tribus collegiis ad nacionem spectantibus.

1404

Continuacio procuratoris precedentis, videlicet de Monte Viridi.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, secunda die Junii, anno quo supra, super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Et concorditer continuatus est precedens nemine reclamante. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit procurator sepedictus, quatinus in actis per eum haberetur gratus, advoatus et recommendatus. Cujus supplicacioni annuit nacio.

Preterea XIIIIa die Julii, dum Universitas ibat processionaliter ad Sanctam Katerinam, gentes domini Karoli de Savosy[3] verberaverunt multos scolares tam infra ecclesiam, quam extra, in tantum quod ecclesia fuit pol[l]uta. Et ventilata fuit causa in parlamento, et promiserunt nobis facere justiciam summarie et de plano, secundum quod rex fecisset, si sanus esset. Verumtamen pendente tempore rex convaluit, et causam coram se evocavit, et ordinavit domum predictam domini Karoli, de qua malefactores exibant, demolliri, et condempnabat eum in centum libris parisien. de redditibus amortizatis Universitati[4], et duobus mill. libris toronen. ad satisfaciendum lesis et ad alias disponendum pro libito sue [*i. e.* Universitatis] voluntatis.

1404

Procuracio magistri Cδnradi Langh de Esslinga.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum, 26a die Augusti, hora sexta ante prandium, anno Domini M° CCC°IIII° super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. 2us super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum electus

1. *I. e.* Creveldia.
2. *Ms.* aprilis.
3. *Seu* Savoisy. *De hoc celebri facto vid.* Chartul. IV. *Plura de eo in* Chron. du rel. de S. Denys, III, 184 *sqq.*, *imprimis vero in* Journal de Nicolas de Baye, *ed.* Tuetey, I, 93 *sqq.*, 100 *sqq.*, 109 *sqq.*, 114. *Vid. etiam* Mémorial de Nicolas de Baye, *ibid.*, II, 288.
4. *Ad instituendas capellanias.*

fuit in procuratorem magister Cůnradus Langh de Esslinga. Quoad secundum supplicavit procurator precedens, quatinus haberetur gratus et recommendatus etc. in actis per ipsum tempore procuracionis sue. Cujus supplicacioni annuit nacio.

Notandum quod 21ª die mensis Septembris, anno quo supra, facta fuit congregacio apud Sanctum Maturinum immediate post sermonem Universitatis super tribus articulis. Primus articulus fuit ad eligendum novum receptorem vel continuandum antiquum, et ad audiendum computum antiqui receptoris. 2us erat ad audiendum computum magistri Jacobi de Harlem racione procuracionis, quam fecit quoad domum situatam in vico Brunelli, scilicet *ad ymaginem nostre Domine*, et an expediret ne idem magister Jacobus aliquas attemptaret reparaciones in predicta domo sine procuratoris et aliorum ad hoc deputatorum magistrorum consensu. 3us articulus super supplicacionibus et injuriis.

Quoad primum articulum, ad evitandum multas difficultates, rixas et discordias, ymmo ad veniendum omnimode ad concordiam, facilitatem et pacem, placuit toti nacioni solempniter congregate eligere duos magistros qui (*Fol. 76*) sub pena solucionis duorum scutorum Francie a IXª hora usque ad 10m inclusive quoad *horelogium Sancti Maturini* haberent eligere novum receptorem vel continuare antiquum, sicut per juramenta sua eis videretur. Et isti duo magistri electi fuerunt scilicet magister Johannes de Galencoep et magister Jacobus de Harlem, qui eligerunt infra tempus eis prefixum in receptorem magistrum Richardum de Lonen. Quoad computum antiqui receptoris data fuit dilacio usque in posterum propter facta nacionis expedienda. Et predicta facta fuerunt propter motiva de quibus supra, addita tamen condicione ne in post factum traheretur in consequenciam.

Super 2° articulo placuit nacioni totum illud negocium differre usque ad aliam congregacionem. Super 3° supplicavit antiquus receptor quatinus nacio haberet eum gratum, recommendatum etc., cujus supplicacio concessa fuit, quia in omnibus actis per eum tempore sue receptorie repertus est sicut valens et probus vir.

Verum est quod tempore, quo duo magistri de quibus supra etc. fuerunt in conclavi ad eligendum novum receptorem vel continuandum antiquum, placuit omnibus magistris, quod tangerem de distribucionibus scolarum pro volentibus regere anno futuro, non obstante quod nacio specialiter super isto non fuit vocata. Et ita factum est. Quare nacio deliberavit quod magistri volentes regere anno futuro haberent scolas a nacione secundum ordinem antiquitatis regencie, modis et forma consuetis in nacione. Ex quo tamen nacio specialiter non fuit vocata ad distribuendum scolas, ut premissum est, ego supplicavi quatinus si essent aliqui magistri non presentes in congregacione illa, anno futuro regere intendentes, qui venirent in proxima congregacione ad supplicandum pro scolis in nacione, quod tunc ipsi similiter haberent secundum or[di]nem antiquitatis sue regencie scolas. Quam supplicacionem nacio concessit. Et ita supplicavi ne ab absentibus, si aliqui essent tales, michi aliquid posset imputari vel impingi, etc.

Sequuntur nomina regencium.

Magister Wilhelmus Bloc, cujus fidejussor magister Heynricus de Berka.

Magister Goedscalcus Vreze, cujus fidejussor magister Heynricus Herwen.

Magister Hermannus de Ommen, cujus fidejussor magister Johannes de Berka.

Magister Hermannus de Esslinga, cujus fidejussor magister Cůnradus Lang de Esslinga.

Magister Heynricus de Xanctis, cujus fidejussor magister Johannes de Berka.

Magister Wilhelmus de Aemsterdam, cujus fidejussor magister Arnoldus Utwiic.

Magister Johannes Spenlin, cujus fidejussor magister Johannes de Alcmaria.

Magister Johannes de Alcmaria, cujus fidejussor magister Johannes Spenlin.

Magister Heynricus Herwen de Novimagio, cujus fidejussor magister Goedscalcus Vreze.

Magister Heynricus Veltkirch, cujus fidejussor...

Magister Paulus Gloterer, cujus fidejussor magister Hermannus de Esslinga.

Magister Johannes de Arnhem [1], cujus fidejussor magister Johannes de Xantis.

1. *Ejus nomen legitur etiam inter lineas post* Henricum Herwen.

1404

(*Fol.* 76 b) Continuacio procuratoris precedentis, scilicet magistri Cůnradi Langh de Esslinga.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, 23a die Septembris super 2bus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Et quoad istud punctum continuatus fuit per nacionem concorditer predictus magister Cůnradus etc. Consequenter tactum fuit quoad primum articulum de computo fiendo racione procuracionis domus *ad ymaginem nostre Domine*, situate in vico Brunelli, a magistro Jacobo de Harlem quia, ut patet ex proxima deliberacione congregacionis immediate supra notate, remissus fuit computus usque ad proximam congregacionem scilicet hic scriptam etc. Et quoad istud punctum supplicavit predictus magister Jacobus, quatinus nacio vellet se informare, utrum ipse haberet computum de predicta domo nacioni ferre, et si sic reperiretur, ipse esset promptus et presto reddere computum; si vero non reperiretur illud in libro nacionis vel cedula posita ad archam nacionis, quod tunc nacio non plus vellet contra ipsum rigorose procedere, quam contra extraneum suppositum. Qua supplicacione audita et facta nacio dedit deputatos ad se informandum super isto, scilicet antiquiores magistros et quibus melius factum illud constaret, et quod acta referrent in nacione.

2us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Et quoad illum articulum procurator supplicavit, ut in factis per ipsum actis etc. esset recommendatus, gratus etc. Et concessa fuit ab omnibus supplicacio. 2° supplicavit idem procurator ex parte magistri Pauli Gloterer de Friburgo, quod cum idem magister Paulus tempore quo incepit in artibus, non juraverit procuratori nacionis, non ex malicia, sed duntaxat ex ignorancia dimittens, et nunc sit sic, quod juravit procuratori presenti scilicet, quatinus nacio velit ipsum habere excusatum et permittere ut predictus magister Paulus possit scribi ad locum suum, ac si tempore debito procuratori jurasset. Et supplicacio illa concessa fuit. Et quia consimiliter factum fuit de magistro Bartholomeo de Harlem, et multi magistri in nacione dixerunt, ideo placuit illud idem nacioni quod prius, dum tamen perprius predictus magister Bartholomeus procuratori juraret.

Nota quod 26a die mensis Septembris supplicavit magister Gerhardus Tůmherr duo: primo quatinus nacio vellet regraciari episcopo Silvanectensi de hoc, quod sibi bursas venerabilis collegii Sarbone contulit [1], quia antea nacio pluries accessit dominum episcopum prefatum supplicando pro supposito nacionis predicto. 2° supplicavit predictus magister, quatinus nacio vellet ipsum recommendare erga dominum ducem Aurelionensem. Quas supplicaciones ambas nacio concessit, et sibi deputatos ad predicta facienda dedit.

Facta fuit congregacio nacionis 2a die mensis Octobris hora 8a ante prandium apud Sanctum Maturinum, anno quo supra, super 2bus articulis. Quorum primus duo continuit puncta. Primum fuit ad referendum ea que fuerant avisata per deputatos nacionis super computo fiendo nacioni per magistrum Jacobum de Harlem racione gubernacionis domus *ad ymaginem nostre Domine* situate in vico Prunelli. Et quoad illud punctum eciam supplicavit predictus magister Jacobus pro dilacione habenda quoad computum. Et suam supplicacionem nacio concessit. 2um punctum fuit super reparacionibus cujusdam parietis in domo *ad cornu cervi*. Et quoad illud nacio dedit deputatos, qui haberent videre quomodo et qualiter possent fieri hujusmodi reparaciones. Et placuit nacioni quod de locagio domus fierent reparaciones si quas oporteret; item quod hujusmodi reparaciones non excederent summam locagii domus pro isto anno.

2us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. (*Fol.* 77) Et quoad istum articulum supplicavit primo magister Johannes de Austria, quatinus nacio vellet sibi assistere et eum juvare omnibus modis et viis possibilibus, ut quedam cappellania de cappellaniis ordinatis racione injurie illate Universitati per Karolum de Schafasy [2] et alios sibi conferatur. Et supplicacionem illam nacio concessit. 2° supplicavit magister Johannes Dorp quatinus nacio vellet intercedere erga istos, coram quibus materia exigeret, pro quodam scolari nacionis incarcerato pro certis factis que sibi imponuntur. Cujus supplicacionem nacio concessit. 3° supplicavit magister Arnoldus Utwiic, quod in casu quo magister Johannes de Austria a sua supplicacione desisteret, de qua supra est mencio facta, vel aliunde esset apparencia pro magistro Arnoldo etc., dum tamen nullo modo cederet in prejudicium magistri Johannis de Austria et sue supplicacionis, quatinus tunc nacio vellet sibi assistere quoad collacionem unius cappellanie. Cujus

1. *Vid. supra* p. 835, not. 1.

2. *I. e.* Savoisy. *Ad haec vid.* p. 882, *not.* 3 *et* 4.

supplicacionem eciam nacio concessit propter supplicacionis racionabilitatem, etc. etc.

Notandum quod 8va die mensis Octobris nacione congregata apud Sanctum Maturinum ad deliberandum super factis Universitatis, supplicavit magister Goeswinus de Arnhem, ex quo propter certam causam non potest incipere ordinarie legere proxima die post festum sancti Dyonisii, quatinus si incipiat ordinarie legere circa festum Omnium Sanctorum, quod tunc in nacione reputetur regens. Item quod nacio velit sibi solvere scolas, quas sibi procurabit, in casu quo inceperit tempore quo supra. Cujus supplicacionem nacio concessit etc. Sed [1] non incepit, ergo nichil fuit.

Nota quod 10a die mensis Octobris celebrata congregacione facultatis apud Sanctum Julianum super electione novi rectoris, supplicavit magister Arnoldus Utwiic, quatinus si aliquis vel aliqui attemptarent ipsum quovis modo molestare racione cappellanie sibi ab Universitate collate, que inquam capellania ad Universitatem devenit racione injurie Universitati illate per dominum Karolum de Schafasy et aliquos alios, quod tunc nacio velit ipsum juvare et sibi assistere modis et viis possibilibus. Cujus supplicacionem nacio concessit simpliciter etc.

1404

Acta in procuratoria magistri Johannis de Arnhem.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno Domini millesimo CCCC° IIII°, die XXIa mensis Octobris super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum electus fuit in procuratorem magister Johannes de Arnhem nemine reclamante. Quoad secundum articulum supplicavit antiquus procurator, scilicet magister Conradus de Eslingia, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus in actis per ipsum tempore procuracionis sue. Cujus supplicacioni annuit nacio. Item solvi XIIII solidos in vino.

Sciendum quod die festivo undecim milium virginum [2] venerunt nova ad Universitatem, quod Bonifacius papa Romanus fuit mortuus prima die mensis Octobris [3]. Et super hoc facta fuit congregacio Universitatis, et ibidem lecta fuit litera que missa fuit cancellario Francie [4], quia illam eandem misit cancellarius Francie Universitati etc.

(*Fol.* 77 b) [5] Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno Domini millesimo CCCC° IIII°, penultima die mensis Octobris, super duobus articulis. Quorum primus fuit ad avisandum aliqua pro unione ecclesie, et ad videndum modum procedendi ulteriorem in eodem facto ecclesie. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum conclusum fuit, quod conclusa per Universitatem in ultima congregacione demandarentur execucioni, scilicet quod *scriberetur electoribus et principibus Almanie* [6] etc. Quoad secundum articulum supplicavit magister Gosvinus de Arnhem, quod ex quo non habebat adhuc scolas pro incipiendo legere de mane, quod nacio vellet supersedere quousque haberet scolas, quia non vellet nacionem dampnificare in locacione scolarum, sperans quod statim alique scole deberent vacare. Concessa fuit supplicacio, dummodo non sit contra statutum nacionis.

Facta congregacione nacionis aput Sanctum Maturinum super tribus articulis. Quorum primus fuit ad audiendum computum antiqui receptoris. Secundus fuit ad videndum si debebat missa nacionis celebrari pro defunctis et quo tempore. Tercius fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum placebat nacioni audire compotum antiqui receptoris etc. Quoad secundum articulum provisum erat de tempore illius misse celebracionis, scilicet tempus consuetum post sanctum Andream etc. Quoad 3m nichil etc.

Facta congregacione nacionis aput Sanctum Maturinum anno Domini ut supra, XVa die mensis Novem-

1. *Haec verba postea addita sunt.*
2. 21 *Octobris.*
3. « Die mercurii prima mensis Octobris, hora XXIa diei sec. cursum Rom. curie, dominus Bonifacius papa nonus suum claudens diem extremum » (*Arch. Vat.* Obligat. n° 57, *fol.* 74b). « Die veneris, xvija mensis Octobris, hora vicesima prima diei, creatus est in summum pontificem et in papam revendissimus in Christo pater et dominus dominus Cosmatus tit. S. Crucis in Jherusalem presb. s. Rom. eccl. card., Bononiensis vulgariter nuncupatus, et vocatus est Innocentius papa septimus ; et illa hora pluit fortiter, nec antea per quatuor nec post per unum mensem unquam pluit » (*l. c.*). *Coronatus est* 11a *Novembris* (*fol.* 75).
4. Arnaldo de Corbic.
5. *In margine superiori* : Acta in procuratoria mag. Johannis de Arnhem.
6. *Nondum Parisios nuntius venit electionis Innocentii VII. Universitas Paris. in desideriis habuit, ut cardinales Romani electionem differrent, et ad hoc obtinendum ad electores et principes Alemanniae aliosque principes obedientiae Romanae suas epistolas direxit. Una illarum exstat in Arch. Univers. Paris.* thec. I, A. 1. f. (JOURDAIN, n° 969).

bris, super tribus articulis. Quorum primus fuit super facto lesorum. Secundus fuit ad ordinandum de festo nacionis. Et tercius fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum dati erant deputati, qui haberent videre quantitatem et qualitatem lesorum etc. Quoad secundum articulum placebat omnibus facere festum secundum modum consuetum, et quod nacio solvat totum. Quoad 3^m^ articulum supplicavit quidam medicus pro fratre suo leso, videlicet quod nacio vellet se bene informare de lesione, qualitate et quantitate. 2° supplicavit unum suppositum lesum de nacione nostra. Item suplicavit magister Thomas de Ungaria ad idem. Item unus Gallicus. Istis omnibus dati fuerunt deputati etc. qui haberent se informare de facto eorum.

Item supplicavit procurator nacionis Francie pro cancellario Sancte Genovefe [1] ut nostra nacio assisteret eidem cancellario, ex quo abbas [2] eum ab officio destituit, attento quod longo tempore predictum officium fideliter exercuit. Conclusum fuit quod nacio volebat servare libertates facultatis; tamen de facto in se volebat magis informari, quia habebat cancellarium bene gratum. Item concludebatur per omnes magistros, si reperiretur aliquis volens nacioni concedere pecunias pro ornamentis, nacio vellet se obligare ad solvendum sibi etc.

1404

(*Fol.* 78) Continuacio ejusdem magistri Johannis.

Facta congregacione nacionis aput Sanctum Maturinum anno Domini ut supra, XVIII^a^ die mensis Novembris super duobus articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem novum vel continuandum antiquum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum conclusum fuit, nemine reclamante, quod antiquus procurator continuaretur. Quoad 2^m^ articulum supplicavit antiquus procurator quod haberetur gratus, avoatus et recommendatus. Et fuit [supplicacio] concessa ab omnibus. Eciam ordinati fuerunt procuratores *festi Almanorum* [3] scilicet magister Conradus, magister Jacobus de Herlem et magister Stephanus Scotus.

Facta congregacione nacionis aput Sanctum Cosmam et Damianum anno Domini millesimo CCCC IIII°, XXIIII^a^ die mensis Novembris, scilicet in vigilia Katerine virginis, super tribus articulis. Primus erat ad audiendum aliquam literam missam ab uno magistro de alta Almania. Secundus erat super distribucionibus, scilicet an magistri vellent quod currerent, attento quod nacio multum exposuit in festo et non erat pecuniosa. Tercius erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum placuit audire literam, et litera audita concorditer deliberaverunt, quod haberet unam literam testimonialem de magisterio, ex quo in litera illa supplicavit pro ea, etc. Quoad 2^m^ placuit et quod vadia venderentur et exponerentur vendicioni. Quoad 3^m^ supplicaverunt illi magistri de ecclesia et gubernatores ecclesie [4], quod nacio vellet ecclesie subvenire etc. Nacio dedit ecclesie X francos pro factura ecclesie, sed quod expectarent quousque nacio haberet facultatem solvendi etc.

Facta congregacione nacionis aput Sanctum Damianum et Cosmam anno Domini M CCCC IIII°, XXVIIII^a^ die mensis Novembris, scilicet in die sancti Andree [5] post vigilias, super duobus articulis. Primus erat ad videndum utrum magistri deberent habere distribuciones, et si non, utrum vellent statuere quod haberent, attento quod valde pauci ad vigilias venerunt etc. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad 2^m^ nichil. Quoad primum concorditer deliberaverunt, nemine contradicente, quod distribuciones currerent in vigilia et missa nacionis pro defunctis etc.; tamen aliqui tetigerunt quod bonum esset quod nacio convocaretur in sequenti die super eodem facto etc.

Facta congregacione nacionis aput Sanctum Cosmam et Damianum, anno ut supra, super facto in die sancti Andree per nacionem concluso, videlicet utrum placeret quod distribuciones in perpetuum currerent etc., deliberaverunt omnes quod sic, et quod sanctum et pium erat, quod illa die currerent, si in aliis diebus non deberent currere etc.

(*Fol.* 78 ^b^) Facta congregacione nacionis aput Sanctum Maturinum anno Domini millesimo CCCC° IIII°, die 3^a^ mensis Decembris, super duobus articulis. Primus erat ad avisandum et dandum concilium procuratori, quia tactum erat inter deputatos quod domini duces, scilicet Bitturie et Aurelianensis,

1. *Fortasse adhuc* Aegidius de Vannis *cancellarius fuit, de qua* Chartul., III, p. 308. *Certe tamen hoc anno* Radulphus Marescalli *in cancellarium S. Genovefae institutus est; an.* 1406 *licent. in theol. e* Catal. licent.; *an.* 1407, *Jun.* 20, *abbas Omnium Sanctorum* (*Reg. Av. Bened. XIII, vol.* XLIX, *fol.* 127); *an.* 1414, *Aug.* 18, *abbas S. Genovefae* (*Reg. Later. Joh. XXIII, an.* 5, n° 178, *f.* 250).

2. Stephanus de Petra, *abbas S. Genovefae ab an.* 1391 (*v.* Chartul. III, p. 425, *not.* 3). Franciscus de Nyons *solum an.* 1406, Jan. 22, *abbas factus est* (*Reg. Av. Bened.* XIII, *vol.* XLVIII, *fol.* 91).

3. *Scil. festum* S. Edmundi.

4. SS. Cosmae et Damiani. *Vid.* p. 867, 29.

5. *Potius* in vigilia festi.

erant male contenti de Universitate etc., quia nuncius Universitatis, qui accessit cum literis Universitatis ad curiam Romanam [1], portavit quendam rotulum nacionis Anglie secum ad presentandum summo pontifici Romano etc. Secundus fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum voluit nacio quod esset sollempnis proponens, qui haberet factum nacionis justificare et declarare, illud esse falsum quod nacioni imponebatur, scilicet de rotulo. Et electus fuit magister Arnoldus Wtwiic, ut proponeret in die sequenti in Universitate in Sancto Maturino.

Quoad 2^{m} articulum nichil.

Facta congregacione Universitatis die IIII^{a} Decembris proposuit magister Arnoldus ex parte nacionis in Universitate, et tota nacio sibi astabat et favebat, et proposicione facta habuit nacio magistrum Arnoldum gratum, avoatum et recommendatum de bona proposicione et justa, quia intencionem nacionis simpliciter et precise dixit etc.

1404

Acta in procuratoria magistri Gerardi de Mekeren.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Julianum pauperem anno Domini 1404, 16^{a} die mensis Decembris, in primis Nostre Domine, super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem. 2us ad audiendum compotum receptoris. 3us fuit super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus fuit concorditer et unanimiter magister Gerardus de Mekeren. Quoad secundum articulum dilatus [2] fuit compotus. Et quoad 3^{m} articulum supplicavit antiquus procurator, videlicet magister Johannes de Arnem, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus in actis per ipsum tempore procuracionis sue. Cujus supplicacio ab omnibus fuit concessa.

1405

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Bernardum 11^{a} die mensis Januarii super supplicacionem cujusdam bacularii nominis Johannis Rosebusch [3], qui supplicavit pro litera testimoniali in communi forma de gradu baculariatus in artibus; que supplicacio fuit ab omnibus concessa.

1405

Continuacio magistri Gerardi de Mekeren.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno Domini quo supra, secundum modum scribendi Gallicanum, 13^{a} die mensis Januarii, super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum; 2us erat ad audiendum compotum receptoris; 3us fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum continuatus fuit magister Gerardus de Mekeren. Quantum ad 2^{m} dilatatus fuit compotus. Et quantum ad 3um articulum supplicavit procurator antiquus ut haberetur gratus, ratus et avoatus in actis per ipsum in procuratoria sua; que supplicacio fuit ab omnibus concessa.

Item proxima die sequenti fuit facta congregacio facultatis in Sancto Bernardo in 7^{a} hora super duobus articulis. Primus erat ad dispensandum cum determinaturis post festum Natalis. 2us erat super suppli (*Fol. 79*) cacionibus et injuriis. Quantum ad primum dispensatum fuit cum volentibus determinare. Quantum ad 2um supplicavit subbedellus nacionis Francie pro sellario suo pro illo quod claudit scolas et barras ante vicum Straminis; cujus supplicacio fuit concessa.

Facta congregacione nacionis Almanie aput Sanctum Maturinum 17^{a} die mensis Januarii, anno Domini ut supra, in octava hora ante prandium, super tribus articulis. Primus erat, quia protunc fuit conclusum in Universitate quod mitterentur

1. *Romam ad Innocentium VII. Universitas Paris. duas epistolas, 9 et 26 Novemb. datas, Romam destinavit, quarum lator fuit* Petrus de Bruxella, *nat. Picard., mag. in art., et bacc. in theol., et insuper bursarius domus Sorbonae. Innocentius et cardinales Febr.* 17, *an.* 1405, *responsum dederunt* (*vid.* Chartul. IV); *sed lator responsi, idem* Petrus de Bruxella, *Martii* 10 *tantum Romae litteras* salviconductus *ab Innocentio recepit, et quidem sub forma :* Venerabilibus fratr. patriarchis etc. Cum dil. filium mag. Petrum de Bruxella in s. theologia bacallarium, capellanum nostrum, ad civitatem Parisiensem et quasdam alias partes, unde ad nos venerat, pro nonnullis nostris et eccl. Rom. negociis presencialiter remittamus, nos volentes eum, qui eciam mag. in artibus existit, cum decem equitibus totidemque peditibus eorumque arnesiis, valisiis, bonis, rebus, *etc. ut in litteris salviconductus.* Dat. Rome apud Sanctum Petrum sexto idus Marcii pontificatus nostri an. primo (*Reg. Vat. Innocentii* VII, n° 333, *fol.* 197). *Epistolas papae et cardinalium Petrus in congregatione Universitatis April.* 21 *praesentavit* (Arch. nat. Paris. L. 316, n° 4 *bis*, *et* Bul. V, 114). *April.* 24 *etiam in Parlamento propter istas tractabatur. Vid.* Journal de Nicolas de Baye *par* A. Tuetey, I, 134.

2. *Ms.* dilatatus.

3. Johannes Rosenbusche de Langhenberch *an.* 1400 *intitulatus erat in Universitate Heidelbergensi.* Toepke, Matrikel, I, 73.

ambaciatores Rome pro unione ecclesie habenda[1], pro qua protunc tota Universitas ferventer laborabat, quid appareret nacioni in illo faciendum. 2us erat de candelis cereis dandis magistris in festo Purificacionis nostre Domine, quod ille ceree fierent per modum parvarum torciarum sicud dantur magistris de nacione Picardie. 3us erat super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad primum placuit nacioni quod multum ferventer laboraretur pro unione ecclesie et quod ambaciatores reportarent omnia acta in scriptis et responsa.

Quantum ad 2m articulum placuit nacioni quod ceree fierent modo predicto. Quantum ad 3m articulum, supplicavit magister Tomas de Crachovia, quia debebat facere festum suum in theologia[2], et quia pauper, quod nacio subveniret sibi in summa XX francorum. Et quia nacio protunc non habuit promptas pecunias et videns necessitatem dicti magistri, obligavit se nacio ad solvendum predictas pecunias a medio Quadragesime future ad annum.

Facta congregacione nacionis Almanie aput Sanctum Maturinum 24a die mensis Januarii, anno Domini ut supra, super duobus articulis. Primus erat ad ordinandum de domo *ymaginis nostre Domine* in vico Brunelli, quia eam resignavit magister Jacobus de Harlem et supplicavit pro substitucione magistri Henrici de Dinteren, qui eciam pro illo supplicavit. 2us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum ordinatus et substitutus fuit magister Henricus Dinteren, qui tenebitur computare omni anno semel in nacione, et ordinati fuerunt magistri ad audiendum compotum magistri Jacobi, et fuerunt ordinati magister Ricardus protunc receptor nacionis, magister Wilhelmus Bloc et magister Johannes Gaelcoep. Quantum ad secundum articulum supplicavit magister Jacobus de Harlem, quia protunc non habebat pecunias, quod nacio vellet sibi expectare ad tempus et ipse libenter solveret. Cujus supplicacio fuit concessa, et fuit ordinatum quod unam terciam pecunie solveret post medium annum et aliam terciam post tria quarteria anni, et terciam post annum, ita quod tota illa pecunia esset persoluta post annum.

Notandum quod 27a die mensis Januarii, anno Domini ut supra, fuit congregacio Universitatis in Sancto Maturino, et traxit se nacio ad partem super supplicacione cujusdam bacularii, et supplicavit dominus Wynandus de Confluencia pro litera testimoniali in communi forma de gradu bacularIatus in artibus; cujus supplicacio fuit ab omnibus concessa.

Item incepturus est dominus Jeronimus de Praga, cujus bursa nichil, sub magistro Conrado Lubeck.

1405

(*Fol. 79 b*) Acta in procuratoria magistri Johannis de Alemaria.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° IIII°, die 10a mensis Februarii super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem; 2us erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum, electus fuit magister Johannes de Alemaria. Quoad 2m primo supplicavit antiquus procurator, videlicet magister Gherardus de Meheren, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus in actis per ipsum tempore procuracionis sue. Cujus supplicacio fuit admissa. 2° supplicavit Hermannus [de] Goettinghen, bachellarius Arffordensis[3], et concessa fuit ejus supplicacio solutis solvendis et juratis jurandis.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini ut supra, 17a die mensis Februarii super tribus articulis. Primus erat ad ordinandum de temptatoribus bachellariorum. 2us erat ad distribuendum menses licenciandorum. 3us erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo placuit nacioni eligere temptatores secundum modum consuetum, et eligit. Super 2° placuit nacioni quod magister Hermannus Ommen, magister Goeszwinus de Aernem, magister Gherardus de Meheren et magister Johannes Spellini haberent omnes menses pro 24 solidis parisiens.

Super 3° articulo primo supplicavit procurator ut nacio esset diligens et omnibus via, modo, jure et forma possibilibus vigilans in facto unionis Dei ecclesie. Et supplicavit procurator ut nacio vellet videre, si essent aliqui magistri vel bachellarii qui juraverunt paupertatem et jam devenerunt ad divitias, quod satisfacerent nacioni secundum tenorem

1. *De ista legatione nemo hucusque locutus est. Septemb.* 20 *Universitas Paris. mentionem facit cujusdam legationis prioris sub rectore* Pontio Simoneti, *quem tamen* Bulaeus *ad an.* 1404 *Jun.* 23 *usque Octob.* 10 *affert, fortasse ut alias proprio marte. Nonne Pontius Decemb.* 16 *ad Martii* 24 *rector fuit? Certe saltem tunc, ut ex superioribus patet, legati Universitatis ad Innocentium VII profecti sunt; fortasse ista occasione in curia defunctus est quoddam suppositum nat. Anglie.*, Godscalcus (Vriese), *de quo infra ad an.* 1406, *Febr.* 20.

2. *I. e. incipere debuit, cum jam an.* 1403 *in theol. licenciatus esset.*

3. Hermannus Kraczvogel de Gothingen, *in Univers. Erfordensi an.* 1397 *intitulatus.* Weissenborn, Acten der Erfurter Universität, I, 51.

statuti. 3° supplicaverunt duo magistri pro duobus bachellariis ut permitterentur subdeterminare solutis solvendis, quia habebant necessario ire ad partes. 4° supplicavit magister Heynricus Dinteren ut darentur deputati, qui haberent cognoscere defectus in domo *ad ymaginem nostre Domine* in vico Brunelli et ut consequenter fierent defectuum reparaciones. Omnes supplicaciones nacio concessit, et super facto domus *ad ymaginem beate Marie* nacio deputavit magistrum Arnoldum Wtwiich, magistrum Andream de Bavaria, magistrum Johannem Boenroed, magistrum Johannem Popir, magistrum Johannem Gaelcop et magistrum Conrardum de Eslinga.

Nota quod, quia antiquiores regentes non venerunt ad congregacionem, nacio distulit electionem examinatorum bachellariorum ad unam congregacionem, ubi convocarentur omnes et singuli per juramentum.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini ut supra, 19ª die mensis Februarii super tribus articulis. Primus erat ad audiendum relacionem deputatorum super facto domus *ad ymaginem nostre Domine* in vico Brunelli et ad audiendum compotum receptum a magistro Jacobo Johannis de Harlem per deputatos. 2us erat ad ulterius providendum de modo sublevandi domum. 3us erat super supplicacionibus et injuriis.

Super primo dixerunt deputati concorditer quod domus erat ruinosa, caduca et valde male cooperta et fetida, ymo in tantum quod non vellent domum pagani, quam inhabitarent, sic permittere tendere in ruinam et fetores. Conpotum receptum aut auditum per deputatos a magistro Jacobo Johannis de Harlem non acceptavit nec avoavit nacio, sed placuit ei audire conpotum in nacione solempniter congregata super hoc, de puncto ad punctum videlicet. Super 2° articulo placuit nacioni quod si aliquis de nacione vel extra nacionem vellet locare domum et cum locagio unius anni vel duorum facere fieri reparaciones bonas et necessarias, quod talis haberet, et si talis non reperiretur, tunc nacio ex XXXVI francis quos debet domui, et ex pecunia quam magister Jacobus predictus tenetur domui, faceret fieri reparaciones necessarias secundum exigenciam domus et facultatem nacionis et predicti magistri Jacobi, et eciam quod hoc fieret circa Quadragesimam. Super 3° supplicavit magister Hermannus Ommen pro Hermanno [de] Goentinghen ut nacio caperet juramentum paupertatis ab eo. Et placuit nacioni, viso quod non erat testimonium alicujus magistri gravius, videlicet ut facultas sua sufficeret ad solvendum. Verumptamen si vellet solvere, quia durum est prestare juramentum, bene placeret nacioni ut solveret secundum exigenciam sue facultatis.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini ut supra, 22ª die mensis Februarii, super tribus articulis. Primus erat ad audiendum compotum de domo *ad ymaginem nostre Domine* in vico Brunelli a magistro Jacobo Johannis de Harlem. 2us erat ad ordinandum examinatores bachellariorum. 3us erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo audivit nacio compotum magistri Jacobi, et compotavit XXXVI francos pro locagio duorum annorum et dimidii anni, et defalcavit XX francos, XIII solidos parisiens. et VI denarios pro expositis que nominavit, et sic mansit prefatus magister Jacobus obligatus nacioni in XV francis, duobus solidis parisiens. et VI denariis. Hunc compotum avoavit nacio, quamvis multi antiqui magistri, scilicet 4or vel quinque, dixerunt, quod istud non sufficeret.

Super 2° placuit nacioni eligere temptatores (*Fol. 79 bis*) secundum modum laudabilem, et exibant duo antiquiores regentes, scilicet magister Wilhelmus Bloec et magister Goedscalcus, et magister Conradus de Aernem et unus loco domini receptoris, quia receptor ex parte nacionis ivit cum rectore [1] ad regraciandum et graciarum actiones referendum domino duci Bituric de legatione, quam misit ad dominum Innocentium super facto ecclesie [2]. Et isti 4or elegerunt re[ce]ptorem et alios qui eligere habebant, scilicet magistros regentes predictos et magistrum Conradum.

Super 3° supplicavit procurator ut inhabitantes domum Dacorum requirerentur, quod locagium non ponerent nec darent alicui sine scito nacionis, et eam concessit nacio. 2° supplicavit magister Johannes Laveroech ut nacio dispensaret secum de facere unum determinantem, et interempta fuit [supplicacio].

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini ut supra, 7ma die mensis Martii super 4or articulis. Primus erat super reparacionibus domus *ad ymaginem nostre Domine* in vico Brunelli. 2us erat ad providendum de ornamentis. 3us erat ut fieret unus specialis liber in quo

1. Bulaeus V, 919, *affert ad* 1404 *Decemb.* 16 *usque Martii* 24 Johannem de Templis, *sed fortasse fuit* Pontius Simoneti.

2. *Haec legatio ducis Bituricensis non confundenda est cum legatione, quam, accepta epistola Innocentii VII ad Universitatem an.* 1405, *Februarii* 17, *directa, Romam misit (de qua secunda legatione* Chron. du rel. de St Denys, III, 250), *cum epistola Innocentii mensis Aprilis* 21 *tantum Parisiis praesentata fuerit* (*vid. supra* p. 891, *not.* 1).

inscriberentur solum illi, qui jurant paupertatem, et quod illi scriberent cedulas obligatorias in illo libro, ut, quam cito pervenirent ad pinguiorem statum, satisfacerent nacioni. 4us erat super supplicacionibus et injuriis. Super primo placuit nacioni quod fierent reparaciones in predicta domo secundum facultatem nacionis, sine quibus domus scilicet non posset inhabitari. Super 2° placuit nacioni quod procurator nominaret aliquos magistros qui haberent videre et inquirere quantum ornamenta necessario requisita deberent constare, et quod illi hoc referrent in nacione, et nacio tunc deliberaret quid ulterius faciendum esset et quid non. Super 3° placuit nacioni quod fieret talis *liber specialis*, ut dictum est, et quod illi facerent, etc. ut dictum est. Super 4to nemo supplicavit.

(*Fol. 79 bis* [b]) Isti sunt determinantes hujus anni.

Primo determinavit dominus Symon Wilhelmi de Rotterdam sub magistro Hermanno de Ommen, cujus bursa quinque solidos (*sic*).

Item 2° determinavit dominus Johannes de Hallis sub magistro Hermanno Ommen, cujus bursa II sol.

Item 3° determinavit dominus Heynricus de Heynsbergh [1], cujus bursa 5 solidi.

Item 4to determinavit dominus Heynricus Beesd sub magistro Johanne de Aernem, cujus bursa IIII albos (*sic*).

Item 5to determinavit dominus Johannes Beesd sub magistro Johanne de Aernem, cujus bursa IIII albos.

Item 6to determinavit dominus Johannes Craennach [2] sub magistro Godscalco Vries, cujus bursa quinque s.

Item 7° determinavit dominus Thomas de Lin sub magistro Paulo Gloterer, cujus bursa IIII albos.

Item 8° determinavit dominus Donaldus Macnachtan sub magistro Arnoldo Wtwiic, cujus bursa quinque solidi.

Item 9° determinavit dominus Gaffridus de Abirbroeth sub magistro Johanne de Alcmaria, cujus bursa VII solidi.

Item 10° determinavit dominus Wilhelmus Allardi de Monykedam sub magistro Wilhelmo Reyneri Creyt, cujus bursa quinque solidi.

Item undecimo dominus Jacobus Vellert sub magistro Wilhelmo Reyneri Creyt, cujus bursa VII s.

Item duodecimo determinavit dominus Albertus de Yselsteyn sub magistro Wilhelmo Creyt, cujus bursa quinque solidos (*sic*).

Item tredecimo determinavit Heynemannus de Brilon sub magistro Paulo Gloterer, cujus bursa IIII albi.

Item determinavit dominus Ghisebertus Heerman sub magistro Hermanno de Ummen, cujus bursa II s.

Item determinavit dominus Cristianus de Bunna sub eodem, cujus bursa quinque solidi.

Item determinavit dominus Nicolaus de Saxonia sub eodem, cujus bursa septem solidi.

Item determinavit dominus Albertus de Miisna sub eodem, cujus bursa IIII albi.

Item determinavit dominus Bertoldus de Voerstoten [3] sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa IIII albi.

Item determinavit dominus Wilhelmus Lochem sub magistro Hermanno de Ummen, cujus bursa quinque solidi.

Item dominus Hermannus de Goetinghen fuit admissus per nacionem in bacallarium, licet fuerit bacallarius Erffordensis [4], cujus bursa IIII albi.

Item determinavit Hermannus de Holte sub magistro Wilhelmo de Amsterdam, cujus bursa IIII albi.

Item determinavit dominus Nycolaus Beer de Haerlem sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa IIII albi.

Item determinavit dominus Arnoldus Ree sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa IIII albi.

Item determinavit dominus Nycolaus de Montfordia sub magistro Wilhelmo de Amsterdam, cujus bursa quinque solidi.

1405

Acta in procuratoria magistri Henrici de Herwen [5].

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC IIII, die decima mensis Martii, hora octava super duobus articulis. Primus erat ad eligendum procuratorem. 2us super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus erat concorditer in procuratorem magister Henricus de Herwen. Quoad 2^{m} supplicavit antiquus procurator, scilicet magister Johannes de

1. Henricus Sophie de Heynsberghen, *Leod. dioec. an.* 1400 *in Universitate Colon. intitulatus est. Vid.* Keussen, I, 81.
2. *Sic paene semper. Sed fortasse scribendum* Cranoth, *vel* Carnoth.
3. *I. e.* Voerstetten.
4. *Vid. supra* p. 894, *not.* 3.
5. *Haec rubrica exstat in* ms^{to} *ante* determinantes.

Alcmaria, ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus in actis per ipsum tempore procuracionis sue. Cujus supplicacio fuit admissa.

Facta congregacione nacionis Anglicane, anno Domini ut supra, XV^{a} die mensis Marcii apud Sanctum Maturinum super duobus articulis. Primus erat ad avuwandum proposicionem factam coram consilio regis a magistro Ursino[1] doctore sacre theologie, quam supplicavit sibi avoari propter duos prelatos, scilicet unum archiepiscopum et unum episcopum, de consilio regis existentes, qui proposicionem dicti magistri in theologia sinistre satis fuerunt interpretati. 2us articulus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum nacio regraciatus (*sic*) fuit dicto magistro et avoavit omnia in dicta proposicione per eum proposita.

(*Fol. 80*) Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno ut supra penultima die mensis Marcii super uno articulo, scilicet super supplicacionibus et injuriis. Primo supplicavit magister Gherardus de Mekeren pro litera testimoniali in forma communi; nacio concessit supplicacionem. 2° supplicaverunt duo scolares pro dispensacione, qui voluerunt fieri subdeterminantes, quod non oporteret eos jurare paupertatem. Nacio concessit eorum supplicacionem : primus vocabatur Nycolaus Beer de Haerlem; 2us erat Arnoldus Rec de Abcouda.

Licentiati in anno Domini M°CCCC°V° secundum usum ecclesie gallicane.

Wilhelmus de Balnavis, cujus bursa V solidi.
Gherardus de Hagis, cujus bursa VII solidi.
Wilhelmus Lochem, cujus bursa V solidi.
Johannes Sarwerden, cujus bursa IX solidi.
Golfridus de Abirbroeth, cujus bursa VII solidi.
Johannes de Spineto, cujus bursa VII solidi.
Johannes Rodensteyn, cujus bursa VIII solidi.
Donaldus Macnathan, cujus bursa V solidi.
Wilhelmus de Haghen, cujus bursa VII solidi.
Symon Wilhelmi de Rotterdam, cujus bursa V s.
Petrus de Luczenburgh, cujus bursa IIII albi.
Symon de Stramiglot, cujus bursa V solidi.
Hermannus de Goetinghen, cujus bursa IIII albi.
Adam de Fexhe, cujus bursa VII solid. et unius albi.
Johannes Gyl, cujus bursa V solidi.
Henricus de Beesd, cujus bursa IIII albi.

Isti sunt qui inceperunt in artibus anno ut supra.

Wilhelmus de Balnavis, cujus bursa V solidi.
Gherardus de Hagis... VII solidi.
Wilhelmus de Lochem... V solidi.
Johannes de Sarwerden... IX solidi.
Johannes de Spineto... VII solidi.
Johannes de Rodensteyn... VIII solidi.
Petrus de Luczenburgo... IIII albi.
Donaldus Macnachtan... V solidi.
Adam de Fexhe... VII solid. et unius albi.
Wilhelmus de Haghen... VII solidi.
Symon Wilhelmi de Rotterdam... V solidi.
Henricus de Beesd... IIII albi.

1405

(*Fol. 80 ^{b}*) Continuacio procuratoris, scilicet magistri Henrici de Herwen.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini 1405, die septima mensis Aprilis super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. 2us ad audiendum compotum domini receptoris. 3us erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum, continuatus fuit antiquus procurator. Quantum ad 2^{m} fuit conclusum quod compotus receptoris esset differendus usque post Pascha. Quantum ad 3^{m}, ubi procurator antiquus supplicavit quod haberetur gratus, avoatus et recommendatus in per eum actis, supplicacio sua fuit concessa ab omnibus nemine contradicente. Et conclusit nacio quod bonum esset accedere ducem Gelrie[2] ad recommendandum sibi factum unionis ecclesie.

1405

Acta in procuratoria magistri Johannis Bonroden[3].

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini 1405, die quinta mensis Maii hora octava super tribus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris. Et electus erat concorditer magister Johannes Bonrode. Secundus articulus super computo domini receptoris, et dilatus erat compotus. Tertius articulus erat super supplicacionibus et injuriis, et supplicavit procurator ut in hiis que facta erant per ipsum nacio haberet

1. De Talvande, *de quo in* Chartul. III *et pluries in tom.* IV, *ubi de hac quaestione, An.* 1403 (1404), *Januarii* 16, *coram parlamento inter ipsum etiam et episcopum Constantiensem agebatur. Vid.* Arch. nat. Paris., X^{1a}, 1478, *fol.* 140^{b}.
2. Guillelmum.
3. *Haec rubrica exstat in ms^{to} post* 901, 6.

eum gratum, recommendatum et agoatum, et supplicacio ejus erat concessa. Adjunctum erat in eadem congregacione et conclusum quod nacio assisteret domino Goberto de Luczenborch et cum manuteneret in jure suo quoad factum conductionis domus Dacorum prope Carmelitas.

Item licenciatus est dominus Hugo Goddefridi de Delf sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa VII s.

Item licenciatus est dominus Johannes Boytin sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus est dominus Jacobus de Leydis sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa... (*sic*).

Item incepit dominus Hermannus Craczvogil de Goethinghen sub magistro Hermanno Ummen, cujus bursa IIIIor albi.

Item incepit dominus Hugo de Delft sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Johannes Boytin sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Johannes de Leydis sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus est dominus Nicolaus de Montfordia sub magistro Wilhelmo de Amsterdam, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Nicolaus de Montfordia sub magistro Wilhelmo de Amsterdam, cujus bursa V s.

(*Fol. 81*) Item incepit dominus Johannes Gyl sub magistro Henrico de Herwen, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Goffridus Abirbroeth sub magistro Wilhelmo Bloc, cujus bursa VII solidi.

Item licenciatus est dominus Wilhelmus Monkedam sub magistro Wilhelmo de Amsterdam, cujus bursa V solidi.

Item incepit dominus Wilhelmus Monkedam sub magistro Wilhelmo de Amsterdam, cujus bursa V s.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, die XXa mensis Maii, hora octava super duobus articulis. Primus erat ut darentur deputati adjungendi domino receptori ad avisandum super reformacionibus faciendis in domo *ad ymaginem nostre Domine* in vico Brunelli et super reformacione cellarii in domo *ad cornu cervi* in vico Sancti Hylarii, et erant dati deputati magistri Hinricus de Herwen, Wilhelmus Bloc, Johannes de Galencoep adjungendi receptori. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et primo supplicavit Wilhelmus Monkedam incepturus in artibus, ut solucio bursarum differretur sibi usque ad festum Bartholomei, et erat concessa prestitis pignoribus valoris sesquialteri. Secundo supplicavit magister Wilhelmus Bloc pluribus premissis consideracionibus, quatinus placeret nacioni succurrere provincie [1], mutuando eidem XX libras parisiens., pro quibus provincia nacioni traderet literam obligatoriam et eciam daret pignora quousque grata solutione predictum mutuum refunderet. Cujus supplicacio concorditer fuit concessa.

Item licenciatus est dominus Jacobus Koc sub magistro Wilhelmo de Amsterdam, cujus bursa VIII s.

Item incepit dominus Albertus Yselsteyn sub magistro Willelmo de Amsterdam, cujus bursa V s.

Item incepit dominus Jacobus Koc sub magistro Willelmo de Amsterdam, cujus bursa VIII solidi.

1405

[Continuacio procuratoris Johannis Bonrode.]

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini 1405, die secunda mensis Junii, hora octava super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Et quoad illum continuatus erat antiquus. Secundus ad audiendum compotum receptoris, et dilatus erat compotus; propinavit tamen receptor. Tercius erat super supplicacionibus et injuriis, et supplicavit procurator ut in hiis que facta erant per ipsum nacio haberet eum gratum, recommendatum et aguatum; cujus supplicacio erat concessa. Item supplicavit Bomundus bedellus nacionis ut nacio solveret sibi certam quotam pecunie sibi debitam, super qua habebat literam obligatoriam nacionis [2]. Et supplicacio sua fuit concessa.

(*Fol. 81 b*) Item licenciatus est dominus Wilhelmus Leonis, cujus bursa V solidi.

Item licenciatus est dominus Henricus de Luebeck, cujus bursa IIII albi.

Item incepit dominus Henricus Luebeck sub magistro Hermanno Ummen, cujus bursa IIII albi.

Item licenciatus est dominus Gherardus de Delf, cujus bursa VII solidi.

Item incepit dominus Gerardus Delf sub magistro Gherardo de Delf, cujus bursa VII solidi.

Facta congregacione nacionis anno quo supra, XXVIIIa die mensis Junii apud Sanctum Maturinum hora VIIIa, super tribus articulis. Primus ad audiendum compotum receptoris. Et computavit et placuit compotus nacioni, qui scriptus est in *libro receptorie*

1. Alemannie.

2. *Vid.* p. 845, 31; 846, 20; 43.

ut sequitur in forma : « Facto compoto nacionis apud Sanctum Maturinum anno Domini MCCCCV, xxviija die mensis Junii, hora octava, tam de receptis ex parte nacionis quam de expositis per eundem receptorem ex parte nacionis, remansit receptor obligatus nacioni in summa sexaginta librarum octo solidorum et X denariorum. Item preter istam summam provincia Alemanie obligatur nacioni in viginti libris ex mutuo, et super hoc nacio habet literam obligatoriam una cum quibusdam vadiis. Item magister Johannes de Arnhem obligatur nacioni in II francis qui non continentur in summa supradicta. Item receptor nichil computavit de domo *ad cornu cervi*, in vico Sancti Hilarii, protunc nec ante. In cujus rei testimonium iste compotus factus est tempore procuratorie Johannis Bonroden qui istum compotum propria manu scripsit, et placet compotus nacioni. »

Secundus articulus erat super reformacione domus *ad ymaginem nostre Domine*, et deliberavit nacio quod cooperiretur domus de pecuniis debitis domui, et dabat nacio deputatos, scilicet dominum receptorem, magistrum Andream de Bavaria, magistrum Robertum Scotum, magistrum Johannem de Galencoep ad petendum pecunias debitas domui a magistro Jacobo et aliis debitoribus, si qui forent ; nec vellet nacio quod de pecuniis, quas dicitur nacio domui debere, inciperetur reformacio tecti, nisi perprius alie pecunie debite essent recepte ; ymmo voluit nacio consequenter quod non fieret aliqua reformacio de pecuniis nacionis in aliqua domo nisi nacio pecunias illas deberet.

Tercius articulus super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit magister Conradus de Lubec quod quedam pecunia recepta per dominum receptorem ultra debitum nacioni per vendicionem cujusdam libri impignorati nacioni restitueretur magistro impignoranti vel procuratori ejus ; et deliberavit nacio quod bene vellet quod pecunia recepta ultra debitum restitueretur magistro Conrado vel alteri, exhibito perprius a petente pecuniam ydoneo procuratorio de potestate levandi, quitandi, etc. Item supplicabant bedelli quod nacio graciose juxta solitum daret eis aliquam quotam pecunie, et supplicaciones erant interempte quousque subedellus fidelius et diligencius ejus exerceret officium.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XXIIa die mensis Julii, hora octava super tribus articulis. Primus super reparacione domus *ad ymaginem nostre Domine* et ad audiendum compotum magistri Guillelmi Bloc de domo *ad cornu cervi*, quem inhabitat pro presenti. Et fuit ordinatum quod nacio solveret pecuniam quam debet domui, et magister Jacobus eciam solveret secundum terminos sibi concessos, et quod de illis pecuniis fierent reparaciones necessarie in ipsa domo, et quod Bomundus eciam succurreret aliquam summam mutuando, ut eo melius domus reformaretur. Et quoad hoc petebat dominus receptor deputatos, qui in hujusmodi reparacionum executione sibi assisterent. Et dati erant magistri Guillelmus Bloc, Johannes de Gale[n]cop, Conradus Lange, Conradus de Lubek, et illis quatuor adhuc jungebatur magister Arnoldus Utwic. Quoad secundum punctum ejusdem articuli de facto magistri Guillelmi Bloc nacio erat contenta satis, et si aliquid restaret agendum quoad factum suum, referebat se nacio ad receptorem, quia ad ipsum dicebatur expectare factum hoc, et de eodem eciam ipse receptor tenetur in nacione computare.

Secundus articulus erat, ut cappa nacionis quoad foderaturam repararetur, et voluit nacio quod foderatura innovaretur et cappa poneretur ad bonum statum et honestum, cum hoc cederet in honorem nacionis.

Tercius articulus super supplicacionibus et injuriis. (*Fol. 82*) Et supplicavit magister Thomas de Cracovia, ut de illis XX francis sibi debitis per nacionem et concessis [1] XII pro nunc solverentur creditoribus, et residuum, scilicet VIII, in Quadragesima ; et interempta fuit ejus supplicacio. Item supplicavit magister Conradus de Lubec pro litera testimoniali in communi forma pro quodam magistro, scilicet magistro Johanne de Francfordia [2], et supplicatio sua fuit concessa. Item supplicaverunt bedelli quod nacio graciose juxta solitum daret eis aliquam quotam pecunie, et fuit ordinatum quod Bomondus haberet IIII scuta, et subbedellus.... (*sic*).

1405

Acta in procuratoria Johannis Spenlini.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra apud Sanctum Maturinum, die XXVIa Augusti, hora octava super duobus articulis. Primus erat super electione novi procuratoris. Electus erat concorditer magister Johannes Spenlini. 2us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit procurator ut in hiis que facta erant per ipsum,

1. *Vid.* p. 893, 17.

2. *Qui jam Heidelbergae fuit. Vid. supra* p. 819, *not.* 2.

nacio haberet ipsum gratum, recommendatum et avoatum, et supplicacio ejus erat concessa concorditer.

Facta congregacione apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XXI^{a} die Septembris [1], hora octava post sermonem, super 4^{or} articulis. Primus ad eligendum novum receptorem. Secundus super factis domorum *ad cornu cervi* quoad reparaciones factas et fiendas et collacione ejusdem domus pro majori summa pecunie quam prius fuit collocata, et *ad ymaginem nostre Domine* quoad reparandum et a debitoribus pecuniam petendam pro ejusdem domus reparacione. 3us super distribucione scolarum pro regentibus. Quartus super supplicacionibus et injuriis.

Quoad primum articulum elegit [nacio] in receptorem magistrum Johannem de Galkopf cum modificacione, quod non substitueret aliquem alium, sed per se fideliter exerceret. Quoad 2um de domibus dedit nacio deputatos qui viderent reparaciones factas in domibus dictis, etiam et fiendas, et de locacione ipsarum, principaliter domus *ad cornu cervi* pro majori summa quam ante fuit locata, et referrent deputati ista in nacione.

Quoad 3^{m} articulum resignaverunt regentes scolas habitas, et ipsi cum aliquibus aliis supplicaverunt iterato pro scolis.

Quoad 4um articulum supplicavit antiquus receptor ut haberetur gratus, etc. Et nacio habuit ipsum gratum, avoatum et recommendatum. Item supplicavit quatinus ipse et successores amplius haberent 4^{or} libr. pro salario receptoris, quia hucusque solum habuit 2as. Et supplicacio fuit interempta ad evitandum discordias que transactis temporibus ex officio isto orte sunt. Item concessum fuit regentibus quod haberent scolas sub hac condicione quod, nisi pro majore parte ordinarii regerent, solverent scolas, et quod tenerent ordinem antiquitatis regencie, et fidejussores darent singuli modo consueto.

Item notandum quod increpatus fui a magistris, quia in deliberacione posui ad eligendum novum receptorem vel continuandum antiquum, dicentes quod alias conclusum fuit non debere continuari receptorem ultra annum, non obstante quod oppositum sit scriptum in congregacione prius inscripta, in qua in hac materia fuit conclusum, et putantes hoc fuisse factum ex inadvertentia procuratoris protunc existentis, qui scripsit quod singulis annis deberet eligi novus receptor ad evitandas discordias in nacione, et apposuit « vel ad minus post byennium [2] » quam apposicionem, dixerunt magistri contra me replicantes, non fuisse bene appositam, quia non fuit conclusa, sed conclusum fuerit duntaxat ad annum.

[Magistri regentes istius anni.]

(*Fol. 82* ^{b}) Magister Gilhelmus Blok — fidejussor magister Heinricus de Novemagio.

Magister Gilhelmus de Amesterdam — fidejussor magister Richardus.

Magister Cůnradus Lubek de Wolffhagen [3].

Magister Johannes Spenlini — fidejussor magister Henricus de Novimagio.

Magister Heinricus de Herwen [de] Novimagio — fidejussor magister Johannes Spenlini.

Magister Johannes de Aernem — fidejussor magister Gil[elmus] de Lochen.

Magister Paulus Glottlerer — fidejussor magister Henricus de Fel[t]kilch.

Magister Jeronymus de Praga.

Magister Gilhelmus de Lochen — fidejussor magister Johannes de Aernem.

1405

[Continuatio Johannis Spenlini.]

Facta congregacione apud Sanctum Maturinum

1. *Septemb.* 20 *Universitas Paris. legatos suas tunc ad Innocentium VII missas litteris suis protegit. Legati fuerunt* Petrus Plaoul, *mag. theol.*, Joh. Guioti, *decret. doct.*, Henricus Doigny, *mag. med.*, Guillelmus Pulcrinepotis, Arnoldus Uitwiic, *mag. art. et bacc. formati in theol.* (*orig. in Arch. Univers.*, thec. I, A, 1, i; Bul., V, 119). *Eodem die celeber* Johannes de Monsterolio *Petrum Plaoul*, « dignissimum magistrum », *aliosque cuidam in Italia degenti recommendat* (Martène-Durand, Ampl. collect., II, 1363, *ep.* 26, *perperam an.* 1408 *ascripta*). *Mense Martii an.* 1406 *isti nuntii Parisias reversi sunt, ut e* Chron. du rel. de St-Denys, III, 360, *apparet, et* Arnoldus Uitwiic *certe April.* 25 *Parisiis morabatur, cum tamen Februarii* 20 *adhuc ut absens legatus afferretur. Perperam igitur narrat* Chron. du rel., *Petrum Plaoul* « per octo mensium spatium » *in curia exspectasse ut sciret quam mentem gereret Innocentius ad Schisma abolendum. Scribendum potius* « quinque ». *Hac occasione, an.* 1405, *Nov.* 19, *Innocentius VII permisit* scholaribus, studentibus et magistris in studio Paris. in scholis regentibus et aliis quibuscunque personis, censuris et penis schismatis presentis loquentis, ut libere et licite valeant participare tam in missis et aliis divinis officiis, quam in quibusquunque aliis communibus actibus, preterquam in crimine, *quod privilegium ad alias Universitates Franciae extendit.* Dat. Viterbii 13 kal. Decemb. (*ms.* Novembris), an. 2 (Summarium bullarum Innoc. VII, in *Arch. Vat.*, arm. 32, n° 58. *Deest vol. in serie Lateran.*, *ubi haec bulla exstabat*).

2. *Vid. supra* p. 866, 39.

3. *An.* 1404, *Jun.* 23 *intitulatus est ut magister in Univers. Heidelbergensi* (Toepke, Matrikel, I, 94). *Reversus est igitur Parisios. Vid. supra* p. 838, *not.* 8.

anno quo supra, die XXIII^{a} Septembris, hora octava super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum. Et fuit continuatus antiquus procurator. 2us fuit super computo receptoris antiqui et juramento novi receptoris. Et quoad 1^{m} articulum juravit novus receptor more solito. Et antiquus receptor reddebat computum. 3us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit procurator ut haberetur gratus in actis per eum. Et quoad hoc nacio habuit eum gratum, avoatum et recommendatum. Supplicavit eciam pro quodam libro Alberti[1], quem provincia Almanie obligavit nacioni cum quibusdam aliis racione cujusdam summe pecunie quam mutuavit nacio provincie. Et supplicacio fuit concessa, videlicet quod haberet per duos menses. Item reiterata fuit supplicacio antiqui receptoris, quam fecit in congregacione precedenti, videlicet ut haberet 4^{or} libras pro salario, que supplicacio non obstante quod alias fuerit interempta, tamen protunc fuit concessa pro se et suis successoribus. Item placuit compotus receptoris nacioni.

(*Fol. 83*)[2] Facta congregacione apud Sanctum Maturinum anno quo supra, die quarta mensis Octobris hora octava, super tribus articulis. Primus erat ad audiendum apunctuamenta et avisamenta super domibus *ad cornu cervi* et *ad ymaginem nostre Domine* per deputatos secundum modum prius conclusum. Eciam pro reparacionibus hostii *magnarum scolarum* et pulputri. Secundus erat ad habendum declaracionem cujusdam conclusionis prius habite de mutacione receptoris, quoniam condam magistri dicebant quod nacio alias deliberavit quod mutaretur singulis annis et haberetur novus, et quod procurator, qui signavit conclusionem apponens « vel per byennium », hanc clausulam apposuerit minus advertens deliberacionem nacionis; idcirco requisiverunt me in congregacione nacionis precedente ut ego peterem declaracionem super hoc a nacione. 3us articulus fuit super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad primum articulum placuerunt nacioni avisata per deputatos in hunc modum. Primo quod ad habitudinem domus *ad cornu cervi* et quoad reparaciones, placuit quod nulle reparaciones fierent de cetero nec magne nec parve per inhabitatorem sine consensu et scitu nacionis; et quod reparaciones scribantur de cetero per receptorem in hunc finem ut, quando inhabitator domus recedat, reddet compotum de reparacionibus, et precipue restituat nacioni numerum clavium et serarum et hujusmodi, vel si perdiderit, refundat nacioni. Sed de preteritis reparacionibus videbatur nacioni quod murus quidam positus super pavimentum, credo coquine, superius fuit culpabiliter positus quia non habuit inferius sufficiens appodiamentum et sustentamentum; et idcirco voluit quod supplicaretur sibi ut apponeret remedium, ut nacio per hujusmodi structuram non dampnificaretur, alias nacio haberet recursum ad eum, scilicet magistrum Gilhelmum Blok, petendo refusionem et restitucionem de dampno, attento quod hujusmodi murum sicut et alias reparaciones fecit sine scitu nacionis. Item placuit quod alius magister accederet illos qui habent visitare fundum communem vicinorum et reparaciones fiendas, qui scilicet jurati sunt ad hoc, ut visitarent (incuria magistri Thome Fabri) quendam lapidem positum supra unam foveam, que recipit aquam, que aqua intrat consequenter caveam domus *ad cornu cervi*. Quoad domum in se placuit nacioni, quod magister Gilhelmus Blok usque ad festum sancti Johannis proxime futurum remaneret in domo pro eodem pretio quo hucusque mansit, scilicet XX scutis. Sed per amplius si inhabitare vellet, de locagio solveret XXIIII scuta, quorum singulis annis daret nacioni XVI, et de octo scutis restantibus fierent reparaciones in domo, et hoc si necessarium esset fieri aliquas; si vero non, nacio haberet totam summam. Verumptamen hujusmodi reparaciones semper fiant cum scitu et consensu nacionis. Item dictus magister Gilhelmus Blok ante festum Pasche vel in quindena immediate post notificet nacioni, utrum amplius velit tenere domum secundum formam prescriptam, quia si non, nacio alteri locare debet.

De domo *ad ymaginem nostre Domine*, considerata ruinositate ejusdem domus, placuit quod Bumundus magnus bedellus nacionis haberet medietatem ejusdem domus, que pars est versus Sanctam Genowefam cum medietate cavee et orto, qui est retro, eciam cum stabulo, usque ad vitam suam, sub hac forma ut ponat quinquaginta francos vel amplius in reparacione ejusdem partis predicte domus ad honorem nacionis et utilitatem suam propriam; ita quod singulis annis in dicta summa apposita in reparacione domus defalcentur quatuor vel quinque franci pro locagio ejusdem domus. Et postquam tota summa quam in reparacione domus posuit, erit defalcata, adhuc per amplius usque ad finem vite sue potest inhabitare eamdem domum, non plus dando

1. *Ms.* Alberhti.

2. *In mag. superiori hujus folii legitur* Spelink scripsit.

pro locagio quam quatuor vel quinque francos. Verumptamen hoc adjecto quod nulle alienationes fiant per eum et quod met inhabitet, vel si aliter fieret, hoc tamen fiat cum consensu nacionis. In casu vero in quo scolares provincie Swecie superveniant qui habeant interesse domus, inhabitent aliam partem dicte domus, non expellendo Bumundum de parte sua. Si vero quovis modo attemptaverint expellere Bumundum de parte domus quam inhabitat et reparavit, nacio omni studio et fidelitate debet assistere Bumendo, deffendendo si possit et juvando quod non expellatur a dicta parte domus. Et si nacio Bumundum deffendere non posset et Bumundum domum exire oporteat, expediatur Bumundus complete in summa in reparacionibus ejusdem partis domus posita, si adhuc aliquantum ejusdem summe restabat solvendum antequam Bumundus domum cedat vel a domo recedat; ita quod Bumundus antequam cedat domo, reddatur indempnis. Item aliam partem domus que respicit collegium Belvacense nacio dedit disposicioni et gubernacioni ipsius Bumundi, videlicet ut ipsam locaret cuicumque pro utilitate nacionis, et cum locagio ejusdem partis fierent reparaciones in eadem parte domus. Et singulis annis Bumundus redderet compotum nacioni de locagio predicte partis. Et pro labore quem habebit, ipse remittet se ad nacionem, que satisfaciet sibi quantificando laborem et diligentiam quam habebit circa eamdem partem domus. Item supplicuit quidam ut locaretur[1] sibi dicta pars domus usque (*Fol. 83* ᵇ) ad festum Sancti Johannis proxime futurum, et placuit nacioni ut haberet pro octo francis et cum eisdem fieret reparacio dicte partis, etc. Item placuit nacioni quod magister Jacobus Harlem daret pignora in proporcione sesquialtera pro debitis, quorum debitorum termini expectatorii protunc fuerunt transacti. Placuit eciam quod fieret reparacio hostii et pulpotri et sedium scolarum.

Quoad 2ᵘᵐ articulum non fuerunt magistri bene concordes; verumptamen voluerunt quod melius videretur papyrus.

Quoad 3ᵐ articulum supplicavit magister Cůnradus quod haberet restam IIIIᵒʳ scutorum, pro quibus fuerunt venditi libri cujusdam scolaris, qui posuit nacioni pro quinquaginta solidis, et dictus magister ostendit procuratorium habitum a prefato scolari qui non fuit Parysius. Et super illo nacio dedit deputatos.

Facta congregacione facultatis apud Sanctum Julianum anno quo supra, die decima mensis Octobris, nacione ad partem vocata, supplicavit magister Hermannus de Esserlinga in nacione, quatinus nacio ipsum excusatum haberet et supportatum in eo quod in scolis, pro quibus sibi absente supplicavit pro eo magister Cůnradus Lang, ipse magister Hermannus eodem anno regere non posset propter quedam impedimenta protunc per ipsum assignata. Cujus supplicacionem nacio concessit.

1405

Acta in procuratoria magistri Conradi Lubeck de Wolffhagen.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, die XXIᵃ Octobris super duobus articulis. Primus ad eligendum novum procuratorem, 2ᵘˢ super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum, electus fuit concorditer nullo contradicente magister Conradus Lubeck, etc. Quoad secundum articulum supplicavit procurator precedens ut haberetur gratus, etc., et concessa fuit supplicacio sua ab omnibus. Item supplicavit magister Conradus de quo supra, ut nacio ordinaret quod receptor antiquus, videlicet magister Richardus de [Loenen], poneret in manibus nacionis quasdam pecunias, quas idem receptor tempore sue receptorie receperat de vendicione cujusdam vadii seu pignoris, quod fuit pro Johanne dicto de Wesalia de Treveri. Non tamen petivit omnes pecunias poni in manibus nacionis, sed solum receptas ultra illa, que prefatus scolaris debebat nacioni, ut dictus scolaris eas habere posset, nisi nacio aliud ordinaret; et supplicacio illa expressa per nullum fuit interempta nisi per illum magistrum Richardum, qui est pars, et sic conclusit procurator quod dictus magister haberet illas pecunias ponere in manibus nacionis, etc.

Facta congregacione nacionis anno quo supra, 4ᵃ die Novembris ad requestam magistri Johannis Derlinc[2] qui supplicavit ibidem pro litera recommendatoria ad episcopum Silvanectensem ad habendum bursas Sorbone, et concessa fuit supplicacio, nec fuerunt alia.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra die quindecima mensis Novembris, hora octava super 3ᵇᵘˢ articulis.

1. *Ms.* loceretur.

2. *Ipse revera inter bursarios domus Sorbonae annumeratur. Vid. supra* p. 835, *not.* 1.

Primus ad disponendum de festo nacionis, scilicet Sancti Edmundi regis. 2us ad audiendum compotum receptoris. 3us super supplicacionibus et injuriis.

Quoad primum articulum deliberatum fuit quod teneretur festum in ecclesia sicut moris est, et quod quoad ornamenta fieret diligencia possibilis quod emeretur per modum alias conclusum, et quod pro isto anno accomodarentur, si possibile esset fieri. Circa punctum secundum articuli, quia, ut dixit procurator, aliqui tetigerant sibi quod expediret, quod extunc havisaretur si essent aliqui invitandi ad prandium vel non, et eciam de modo habendi pecunias, attento quod non fuerunt pecunie in nacione, deliberatum fuit concorditer quod nullus invitaretur, demptis curato et ministris ad altare, et quod festum fieret sicut consuetum est, et receptor haberet providere de pecuniis, scilicet concedendo eas vel procuratori quod concederentur et solverentur de primis quas [1] reciperet. Et dixit receptor se habere vadia pro Xl libris, super quibus deliberatum fuit quod exponerentur vendicioni. Super 3° articulo nichil fuit factum. Super 2° articulo nichil fuit deliberatum quia tempus non patiebatur etc.

1405

(*Fol. 84*) Continuacio procuratoris precedentis, scilicet magistri Conradi Lubeck de Wolffhagen.

Facta congregacione nacionis Anglie anno quo supra apud S. Maturinum, die 18^{a} mensis Novembris, hora 8^{a} super 3^{bus} articulis. Primus ad eligendum procuratorem vel continuandum. Et continuatus fuit procurator precedens concorditer per omnes. 2us ad dandum deputatos qui haberent exequi conclusionem alias sepe captam, scilicet de emptione ornamentorum sive vestium sacerdotalium. Et super isto fuerunt deputati receptor, scilicet magister Johannes Galcop, magister Johannes Bunrad [2], magister Wilhelmus Bloc, magister Conradus de Heslinga et magister Jacobus Scotus, etc., et isti debebant primo videre si posset aliquis reperiri, qui vellet concedere partem pecunie nacioni ad solvendum prescripta, et nacio se obligaret, etc.; vel si aliquis istorum, qui se intromittit de talibus, vellet tradere nacioni seu mutuo vendere nacioni ad tempus, et nacio se obligaret et quidquid in hiis agerent, referre deberent in nacione. Et circa illum articulum eciam fuit tactum quod distribuciones in die sive festo sancti Eadmundi deberent currere, quanquam in anno precedenti in festo predicto non cucurrissent. Item tactum fuit quod receptor libros quos nacio habuit pro vadiis a provincia Almanie, in casu necessitatis posset invadiare, attento quod oportuit eum facere financiam de pecuniis pro festo, sicut conclusum fuit in precedenti congregacione. Secundus articulus erat super supplicacionibus, etc. Et super isto supplicavit procurator precedens ut haberetur in actis per ipsum gratus, avoatus et recommendatus; et fuit supplicacio sua concessa ab omnibus.

Facta congregacione nacionis Anglicane in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani anno quo supra in profesto [3] sancti Nycolai super 2^{bus} articulis. Primus erat ad audiendum relacionem deputatorum datorum super emptione vestium sacerdotalium et audiendum minutam Boemundi bedelli super domo *ad ymaginem nostre Domine*. 2us erat super supplicacionibus. Quoad primum retulit procurator quomodo deputati diligenter avisarunt statum nacionis, in quo eciam statu secundum verisimiles conjecturaciones posset esse circa festum sancti Johannis, postquam incepissent illi qui debent incipere, etc.; et omnibus consideratis reppererunt quod nacio vix haberet, solutis solvendis, XX libras. Et sic videbatur eis quod pro nunc non expediret emere vestes, attento eciam quod non posset inveniri aliquis qui nacioni vellet mutuare pecunias tanto tempore, etc. Ulterius dixerunt deputati quod expediens esset quod extunc aliqui de nacione ordinarentur qui haberent reducere ad memoriam istud factum post Pascha procuratori, qui esset pro tempore, ut tunc laboraretur ut si essent aliqua scripta in nacione patencia, quod quilibet secundum facultatem suam concederet nacioni, unus sex, alius decem francos, et tunc nacio facilius posset providere. Et hec omnia placuerunt nacioni, et sic fuit conclusum concorditer. Et deputati ad reducendum ad memoriam et solicitandum fuerunt procurator, receptor, scilicet magister Johannes Galencop sub pena deaguacionis, ut aliqui tetigerunt, magister Joh. Bonrad, magister Guillelmus Bloc, etc. Item audita fuit minuta Boemundi, et fuerunt dati deputati ad visitandum et referendum, scilicet prescripti, et adjuncti fuerunt magistri Andreas de Bavaria, Johannes de Bercka et Johannes Maczinger. De 2° articulo nichil.

1. *Ms.* que.
2. *I. e.* Bonrode. *In matricula Rostokcensi etiam* (*ed.* Hofmeister) *scribitur* Bonrade. *Vid. supra* p. 713, *not.* 2.
3. *Decemb.* 5.

1405

(*Fol. 84 b*) Acta in procuratoria magistri Henrici de Dintheren.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Julianum pauperem, anno quo supra, XVI^ta^ Decembris, super tribus articulis. Quorum primus erat ad eligendum novum procuratorem, 2us super supplicacionibus et injuriis, et tertius ad audiendum compotum receptoris. Quantum ad primum articulum electus fuit concorditer in procuratorem magister Heinricus de Dintheren. Quantum ad 2^m^ supplicavit procurator precedens quatinus in actis per eum haberetur gratus et avoatus, et ejus supplicacio admissa fuit. Et ad tertium fuit compotus receptoris dilatus pro proxima congregacione.

Facta congregacione nacionis apud Sanctum Maturinum anno quo supra, XXVII^a^ Decembris, super duobus articulis. Primus erat ad audiendum minutam, mensionem facientem de domo *ad ymaginem nostre Domine* sita in vico Brunelli, concessa et data Bomundo bedello nacionis ad ejus vitam secundum tenorem litere principalis inde confecte. Que minuta per deputatos nacionis visitata et reformata placuit nacioni in forma, prout in nacione erat lecta. Eciam consensit nacio quod predicta minuta ingrossaretur et sigillaretur magno sigillo nacionis. Secundus articulus fuit super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit dominus receptor nacionis quatinus nacio provideret, ut ille coopertor, qui cooperuit domum *ad ymaginem nostre Domine* predictam, persolveretur, cui nacio debebat adhuc quinque francos, attento quod dominus receptor multas pecunias nacioni concessit, et nullas recepisset. Et deliberavit nacio circa hoc ut monerentur debitores nacionis, scilicet magister Jacobus de Haerlem et alii, et quod illis pecuniis satisfieret coopertori predicto.

1406

Acta in procuratoria magistri Johannis de Colonia.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo immediate supra, die tredecima mensis Januarii, super tribus articulis. Quorum primus erat ad eligendum novum procuratorem; 2us super supplicacionibus et injuriis; tertius ad audiendum compotum receptoris. Quantum ad primum concorditer electus erat magister Johannes Stummel de Colonia in procuratorem. Quantum ad 2^m^ supplicavit procurator precedens ut haberetur gratus etc., et concessa erat supplicatio. Item supplicavit magister Johannes Derlinc pro deputatis, qui secum adirent dominum episcopum Silvanectensem ad habendum bursas in Sarbona, et concessa erat supplicacio sua. Quantum ad tertium, dominus receptor nacionis predicte computavit, et habebatur compotus suus gratus, et bene placuit nacioni.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, decima nona die Januarii, hora 8^a^ super duobus articulis. Primus erat ad avisandum quid agendum esset per nacionem in facto ecclesie parrochialis Sanctorum Cosme et Damiani, que protunc vacabat per mortem magistri Johannis Rotelli, et ad concordandum magistros si essent plures in nacione qui supplicare vellent, sic quod unus cederet alteri. 2us erat super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad primum placuit nacioni dare proponentem, et dedit magistrum Gherardum Dumhere, qui haberet loqui in Universitate ex parte nacionis pro ista ecclesia predicta et colorare factum nacionis, et principaliter ex parte nacionis haberet nominare et recommendare magistrum Thomam de Kracovia, sacre theologie professorem et doctorem, predicte nacionis suppositum, et minus principaliter et in casu discordie et quo non posset proficere pro (*Fol. 85*) predicto magistro, haberet nominare Bomundum, superiorem bedellum nacionis predicte.

Quantum ad 2^m^ articulum supplicavit predictus magister Thomas quatinus nacio vellet laborare in Universitate pro ipso ad habendum predictum beneficium, et concessa erat supplicacio sua. Item supplicavit predictus Bomundus quatinus post predictum magistrum Thomam nacio vellet laborare pro ipso, et concessa erat supplicacio sua.

1406

Continuacio magistri Johannis Stummel de Colonia.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra immediate apud Sanctum Maturinum inter septimam et 8^m^ horas super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Et continuatus erat procurator antiquus. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit idem procurator quatinus haberetur gratus et avoatus, et concessa erat sua supplicacio.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra immediate, die 16^a^ mensis Februarii, in 8^a^ hora apud Sanctum Julianum pauperem super duobus arti-

culis. Primus erat ad disponendum de officiis, scilicet temptacionibus backalariorum et temptacionibus in cameris. Et ad modum antiquum et conswetudinem exiverunt dominus receptor, seniores magistri regentes duo et unus senior non regens, et elegerunt seipsos in temptatores bacalariorum, quod placuit nacioni. Item magister Coinradus de Eslinga ex beneplacito nacionis habuit primum mensem pro 4^{or} solidis; item unus alter magister de provincia Scocie, cujus nomen ignoro pro presenti, habuit residuum mensium pro medio franco. Item facta congregacione predicta juxta conswetudinem laudabilem magistri nostri iverunt ad tabernam, que protunc erat consweludo laudabilis nacionis, et magistri 4^{or} scilicet temptatores bacalariorum, motis diversis racionibus tactis per magistros et specialiter per magistrum Conradum seniorem, inter ipsos optulerunt ad solvendum francum, sic quod quilibet solveret 4^{or} solidos; que propinacio placuit magistris ibidem protunc existentibus continuari in futurum eodem modo, et protunc gratanter acceptare propter diversas raciones protunc discussas et visas.

Super 2° articulo supplicavit Bomundus protunc bedellus superior nacionis supradicte pro se et socio suo subbedello pro medio franko, quem habere solebant ex consensu nacionis de determinante quolibet nacionis, et admissa erat supplicacio. Item supplicavit quidam bacalarius alterius studii ut admitteretur ad nacionem pro bacalario. Et protunc interempta erat supplicacio sua, propter aliquas raciones ibidem tactas. Et supplicacio bedellorum admissa erat cum tali protestatione, quod non deberent trahere in consequentiam, sed quolibet anno, quando habere vellent, supplicare deberent in nacione pro illo, etc.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra immediate, die 20^{a} mensis Februarii in 8^{a} hora ad Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad ordinandum de missa, scilicet de missa pro magistro Arnoldo de Witwic [1], qui protunc erat legatus unus ex parte Universitatis ad curiam Romanam [2] super facto unionis ecclesie, et de alia missa pro quodam magistro Goitschalco [Vriese], defuncto in eadem curia Romana [3], qui erat de nacione, et conclusum erat quod deberent fieri due misse in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani, una cantando et alia non, sed legendo; prima de Spiritu sancto, et 2^{a} de defunctis.

2us articulus erat super facto cujusdam domini de Swecia, de quo dicebatur quod habuit procuratorium ad repetendum domum *ad cornu cervi* [4], quod pertinet ad quandam provinciam de regno supradicto, scilicet utrum nacio deberet agere contra ipsum ut ipse acceptaret domum, in casu quo ipse propter gravamen domus non vellet eam petere, quia nacio multa exposuit pro reparacionibus in domo predicta factis. Et de isto dati erant deputati qui se haberent informare de isto facto et referre in nacione.

3us articulus erat super supplicacionibus et injuriis. Et supplicavit magister Franko [de Delf], quidam magister de nacione, pro quadam litera ad quoddam capitulum in Brabancia, in qua nacio supplicaret quod predictum capitulum subvenire vellet magistro predicto propter sua gravamina, illo modo quod darent sibi apsenciam ac si staret in studio, non obstante quod non resideret in beneficio quod in illa ecclesia habet, sed in alio beneficio improprie, et hoc per annum a festo Nativitatis beati Johannis Baptiste futuro. Et concessa erat supplicacio, dummodo litera sic facta primo visitaretur per deputatos. 2° supplicavit quidam bacalarius de alio studio duo : primum, ut admitteretur ad nacionem tanquam baccalarius, 2^{m} ut nacio indulgeret sibi de quibus[dam] propter (*Fol. 85* b) que nuper interempta erat supplicacio prima [5]. Et admissa erat supplicacio sua isto modo quod jurare haberet duo : primum, quod nullo modo vindicaret se aliquem ledendo nec aliquos verbo vel facto per se vel per alium propter illud factum seu impedicionem sibi factam vel eciam relacionem illorum, que de ipso relata erant; 2^{m} quod esset baccalarius de alio studio privilegiato, et hoc idem haberet testificare seu probare per testes. Et testabatur unus magister in nacione quod ipse esset baccalarius.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno quo supra immediate, die 22^{a} mensis Februarii, apud Sanctum Maturinum hora 8^{a} super duo[bus] articulis. Primus erat ad examinandum minutam litere concesse magistro Franconi. 2us erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum examinata erat litera, et placuit nacioni quod sigillaretur. Quoad 2^{m} nullus supplicavit, et cetera.

Isti sunt determinantes de isto anno.

Primo determinavit Ulricus de Landsberch sub magistro Conrado Lubek, cujus bursa 4^{or} albi.

1. *Qui nunc saepe, ut olim Johannes Mullinger de Austria, legatus ex parte nat. Anglic. fuit.*
2. *Ad* Innocentium VII. *Vid. supra* p. 905, *not.* 1.
3. *Vid. supra* p. 893, *not.* 1.
4. *Ms.* servi.
5. *Vid.* p. 915, 29.

2us dominus Johannes Rogge sub magistro Johanne Spenlink, cujus bursa octo solidi paris.

3us dominus Goidfridus de Gheez sub magistro Conrado Lubek, cujus bursa quatuor albi.

4us dominus Reynardus de Pomerio, cujus bursa novem solidi paris., sub magistro Johanne Spenlink.

5us dominus Johannes Groesbeck[1] sub magistro Conrado Lubek, cujus bursa sex solidi paris.

6us dominus Tydemannus Lang sub magistro Guilhelmo de Amsterdam, cujus bursa septem solidi et II albi.

7us dominus Spaen dictus Friso de Scorl sub magistro Guilhelmo de Amsterdam, cujus bursa quinque solidi et IIII denarii.

8us dominus Johannes Kau[2] de Dorderaco sub magistro Guilhelmo de Amsterdam, cujus bursa quinque solidi, 4^{or} denarii.

9us dominus Johannes dictus de Cruce de Treveri sub magistro Conrado Lubek, cujus bursa 4^{or} albi.

10us dominus Guilhelmus Oterburn sub magistro Guilhelmo Blok, cujus bursa quinque solidi et I albus.

11us dominus Rodulphus de Arnhem sub magistro Johanne de Arnhem, cujus bursa 4^{or} albi.

12us dominus Petrus Schay sub magistro Guilhelmo Blok, cujus bursa quinque solidi et IIII denarii.

13us dominus Stephanus Bont sub magistro Guilhelmo Blok, cujus bursa II solidi et VI denarii.

14us dominus Nicolaus Assendelft sub magistro Guilhelmo Blok, cujus bursa 4^{or} albi.

15us dominus Conradus Herter sub magistro Johanne Spenlink, cujus bursa VI solidi paris.

16us dominus Gerhardus Smit de Riiswic sub magistro Guilhelmo Blok, cujus bursa quinque solidi et 2 albi.

17us dominus Petrus de Austria sub magistro... (*sic*), cujus bursa sex solidi paris.

Facta missa nacionis apud ecclesiam Sanctorum Cosme et Damiani anno quo supra in dominica *Invocavit*[3], post missam magistri traxerunt se ad partem, et supplicavit ibi quidam scholaris nomine Thomas de Prusia ut admitteretur ad jurandum statutum paupertatis. Et placuit magistris quod, dummodo bene informatus esset de qualitate juramentorum, et ipso bene avisato, si tunc jurare vellet, quod veniret ad proximam congregacionem et juraret in nacione, etc.

1406

[Procuratio magistri Conradi Langh de Esslinga].

(*Fol. 86*) Facta congregacione apud Sanctum Maturinum anno quo supra, X^a die mensis Marcii, nacionis Anglicane in primis Nostre Domine super duobus articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem. Et fuit concorditer electus magister Cůnradus Langh de Esslinga.

2us articulus fuit super supplicacionibus. Et supplicaverunt ibidem magistri Cůnradus Langh, Jacobus Lindensew et Johannes Spenlin pro tribus scolaribus, ut ipsi permitterentur in medio Quadragesime subdeterminare, non obstante quod tales 3 scolares divites essent nec jurare vellent statutum paupertatis. Quorum supplicaciones nacio concessit, attendens ad impedimenta predictorum scolarium propter que ipsi in principio Quadragesime et sic consequenter disputare nequiverunt, ac eciam ad causas per magistros supplicantes tactas.

2° supplicavit procurator immediate precedens ut sibi IIII solidi parysiens. depositi penes Bemondum solverentur vel darentur seu restituerentur, quia ipse tempore electionis temptatorum pro baccalariis in taberna pro magistro Cůnrado de Hagnow, qui tunc electus fuit in temptatorem, IIII solidos parisiens, de consensu scilicet prefati magistri Cůnradi ad perpotandum concessit, ut dixit procurator precedens, licet magister Cůnradus prefatus totum illud negaret; unde quilibet aliorum temptatorum in dicta taberna protunc ut supra solvit IIII solidos paris.[3] Quod et plura alia magistri attendentes dixerunt quod procurator precedens rehaberet suos IIII^{or} solidos parys. a Bemondo, et si illud non placeret magistro Cůnrado predicto, quod tunc ipse caperet 3^{es} magistros sibi deputatos ad eos concordandum, scilicet magistrum Johannem de Berka, Johannem de Arnem et magistrum Johannem de Scotia, et quod illorum expensas, si quas facerent ad concordandum, qui succumberet solveret totaliter.

3° supplicavit predecessor meus ut haberetur gratus etc. Cujus supplicacio fuit concessa.

Facta fuit congregacio XX^a die mensis etc. ut supra, in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum ad audiendum aliquorum supplicaciones. Et primo supplicavit magister Heinricus Dinther ex parte

1. *Postea legum doctor, an.* 1427 *rector in Univers. Lovaniensi* (Fasti academ., *Lovanii* 1650, p. 35), *ibique jam an.* 1426 *moratus est* (*Vid.* E. Reusens *in* Annlectes pour servir à l'hist. eccles. de la Belgique, XXIV, p. 78, 81).

2. *Alias* Kouwe.

3. *Februarii* 28.

4. *Vid.* p. 915, 18.

magistri Johannis Gallenkopf receptoris nostri, ut scilicet ipse receptor posset alium substituere ad audiendum vel examinandum dominos subdeterminantes pro gradu baccalariatus, attento quod receptor prefatus legittime esset occupatus. Cujus supplicacio fuit concessa. 2° supplicavit magister Johannes de Berka pro litera testimoniali pro magistro Gwillelmo de Aquisgrani de magisterio suo, cujus supplicacio eciam fuit concessa. 3° supplicavit Gwillelmus Lochem ut admitteretur ad juramentum paupertatis. Dixerunt magistri quod si esset possibile, induceretur prefatus Gwillelmus quatinus vellet supersedere de hujusmodi juramento; si vero non vellet, quod tunc juraret modo et forma consuetis, etc.

Facta fuit congregacio XXII^{a} die mensis, etc. ut supra in primis Nostre Domine apud Sanctum Maturinum super 2^{bus} articulis. Primus ad audiendum juramenta paupertatis juxta tenorem statuti paupertatis a Gwillelmo Lochem et Thoma de Pruscia, qui tunc juraverunt. 2us fuit super supplicacionibus. Et quoad 2um supplicaverunt Petrus de Austria et David Ha[m]ylton quatinus nacio vellet eis expectare usque ad tres menses de pecunia debita nacioni pro bursis et scolis, ratione sue determinancie, attento quod ipsi vellent jurare juramenta quo adhuc consueta fieri, et dare pignora in proporcione sesquialtera. Quorum supplicaciones nacio concessit, et sic prefati scolares juraverunt juramenta adhuc fieri consueta, etc.

Sequuntur nomina subdeterminantium anni supradicti.

Primo subdeterminavit Johannes Aroios sub magistro Gwillelmo de Amsterdam sub principali determinatore, scilicet Cůnrado Herter, cujus bursa V solidi, VI denarii.

Item David Ha[m]ylton sub magistro Gwillelmo Bloc, sub principali determinatore, scilicet Johanne Hyaig, cujus bursa VII solidi VIII denarii.

Item Thomas de Pruscia sub magistro Johanne Spenlink sub principali determinatore, scilicet Johanne de Cruce, cujus bursa nichil.

(*Fol. 86* ^{b}) Item Guillelmus Lochem sub magistro Johanne Reys, sub principali determinatore, scilicet domino Reynero de Pomeriis, cujus bursa nichil.

1406

Continuatio ejusdem scilicet Cůnradi Lang de Esslinga[1].

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno quo supra, VII^{a} die mensis Aprilis, hora VIII^{a} super 2^{bus} articulis. Primus fuit ad eligendum novum procuratorem vel continuandum antiquum, et continuatus fuit antiquus. 2us fuit super supplicacionibus et injuriis, et supplicavit idem procurator ut haberetur gratus, recommendatus et avoatus. Cujus supplicacio ab omnibus fuit concessa.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum immediate post sermonem Universitatis, anno quo supra, XXV die mensis Aprilis super 2^{bus} articulis.

Primus ad audiendum dominum Nicolaum dictum Skrilvara, decanum ecclesie Lyncopensis, super factis tangentibus domum ad signum *cornu cervi*, situatam in vico Sancti Hylarii, quam petiit tanquam procurator ex parte episcopi et capituli Lyncopensis. Et quia protunc sufficiens procuratorium non ostendit, deliberatum fuit per nacionem quod essent deputati, scilicet magister Johannes de Austria, Arnoldus de Utwic, Johannes Bonraud[2], Galterus Forestarii et Johannes Gallenkopf receptor nacionis, ad videndum de sufficiencia procuratorii sui ac aliis munimentis suis ad hoc sibi necessariis, que si essent reperta sufficiencia, quod tunc prefati deputati viderent reparaciones missas et receptas factas occasione prefate domus, et illas summarent, et quod in hiis omnibus facta diligencia deputati haberent relacionem facere super prescriptis nacioni, et tunc nacio ulterius videret quid agendum. Et consequenter quoad predictam domum supplicavit magister Gwillelmus Blok ut sibi locaretur pro eo precio pro anno futuro sicut habuerat eam tempore transacto, et illud remisit nacio ad sequentem congregacionem nacionis, etc.

2us articulus fuit super supplicacionibus, etc. Supplicavit primo magister Henricus Dintter pro litera testimoniali de magisterio suo et eciam pro litera recommendatoria ad quendam magistrum commorantem in studio Montispesselani[3]; cujus supplicacio fuit concessa.

2° supplicavit magister Thomas de Krakovia ut pannicide satisfieret de quadam summa alias prefato

1. *Ultimo procurator, quia an. sequenti jam in Universitate Heidelbergensi intitulatus est. Vid.* Toepke, I, 104, *et supra* p. 764, *not.* 2.

2. *I. e.* Bonrode.

3. *Ubi tunc Henricus studere cogitabat.*

magistro Thome concessa per nacionem, scilicet quando fecit festum suum in theologya. Et fuit dictum quod dominus receptor predicte nacionis adiret pannicidam cui debetur summa, et sibi supplicaret quod expectaret ad modicum tempus, scilicet quousque essent pecunie in nacione.

3° supplicavit magister Cůnradus Lubek ut nacio videret quid faciendum de hoc quod Carmilite quoddam foramen fecerunt ad murum domus vel collegii Dacie, situati in vico Sancte Genowefe. Et dixit nacio quod unus pedellus iret ad predictos religiosos eis insinuando, ut repararent foramen factum intuitu ipsorum, alias mediante justitia compellerentur ad hoc.

4° supplicavit quidam scolaris scilicet Johannes de Treveri pro littera recommendatoria ad officialem Treverensem occasione quarundam vexationum, que sibi inferuntur per aliquos racione possessionum suarum. Dixit nacio quod haberet literam recommendatoriam non solum ad officialem predictum, verum eciam ad archiepiscopum Treverensem[1], si placeret predicto scolari.

5° tetigit magister Andreas de Bavaria de quadam discordia orta inter magistrum Johannem de Anstria ex una parte, et predictum magistrum Andream ex altera, etc. Dixerunt magistri quod omnibus modis possibilibus procuraretur predictorum magistrorum concordia per supposita nacionis, ne supposita extranea seu aliarum nacionum scirent de suppositorum nacionis discordiis, rixis vel dissentionibus aliquid, etc.

Ultima die mensis Aprilis fuit facta congregacio nacionis hora VIII^a apud Sanctum Maturinum anno ut supra, super 3^{bus} articulis. Primus fuit ad audiendum ea que facta fuerunt per deputatos circa facta domus *ad cornu cervi*, de quibus supra in congregacione proxima, etc. Item ad audiendum aliqua facta super supplicacionibus et requestis, de quibus supra proxime scriptum est. 2us articulus fuit ad audiendum minutas quorundam de quibus eciam habetur supra proxime. 3us articulus super supplicacionibus etc.

Quantum ad primum narratum fuit quod deputati prenominati supra proximo avisaverunt, quod videretur per certos magistros originale decani, de quo supra proximo, utrum esset conforme cum copia per eum nacioni monstrata, et si ita reperiretur, quod tunc presens esset notarius publicus a quo peteretur instrumentum super ostensione originalis et conformitate sui cum copia de hujusmodi procuratorio ut supra; et quod eciam essent testes presentes hoc testantes. Et fuit narratum quod ita esset factum per procuratorem magistrum Johannem Bonraud et receptorem nacionis, scilicet magistrum Johannem Gallenkopf, presente Bonmundo notario publico, presentibus et domino Petro Faveti baccalario in jure canonico et famulo decani predicti testibus. Consequenter dictum fuit quod videbatur deputatis quod ostensa per decanum non sufficerent, et maxime de refusione pecuniarum debitarum nacioni ex parte domus predicte. Item quod placuit deputatis quod haberetur collacio cum decano nominato ad videndum intencionem suam, que protunc ab eo haberi non potuit ad plenum; sed dixit decanus quod haberet consilium cum aliquibus, quo habito responderet nacioni congregate super hoc. Omnia ista facta per deputatos placuerunt nacioni. Et consequenter data in presenti congregacione responsione satis generali per decanum predictum, (*Fol. 87*) visis eciam hiis que monstravit decanus prefatus, dixit nacio quod non sufficeret ad singula requisita. Et sic videbatur nacioni quod nullomodo domus prefata esset predicto decano tradenda adhuc, sed primo refusio totalis summe debite nacioni ex parte predicte domus esset facienda. Et si illud non posset fieri, ad minus tunc fieret per decanum predictum sufficiens caucio civilis vel burgensis de hujusmodi refusione. Quo facto deputati tunc, de quibus supra proximo, viderent summam debitam nacioni de puncto ad punctum, et dicerent predicto decano. Item quod predicti deputati avisarent racionabiles condiciones, ut puta de non alienando domum sine consensu nacionis; item circa ruinam domus, et iis mediantibus quibus fieret tradicio predicte domus cum honore nacionis et utilitate suppositorum ad que pertinet domus predicta, et quod illa referrentur[2] in nacione utrum placerent, etc. Ulterius juxta scripta sua in proxima congregacione tetigit magister Gwillelmus Blok de locacione predicte domus sibi fienda pro precio XX scutorum. Sed cum in una congregacione antea (de qua supra in quarto folio ante[3]) fuerat conclusum quod domus non locetur nisi pro XXIIII scutis, si posset fieri, multi magistri difficultaverunt materiam in se, et dixerunt quod non esset bonum ita faciliter retractare conclusiones nacionis. Finaliter hinc inde multis dictis et allegatis,

1. Wernerum de Koenigstein, *ab an.* 1388, *April.* 3. *Quantum ad nomen vid.* POTTHAST, Bibl. hist. med. aevi, *Supplement.*, p. 428.

2. *Ms.* referrerentur.

3. *Vid. de ista congregacione et quoad* 24 *scuta supra* p. 908, 24.

magistri presentes in congregacione volentes singula ad melius interpretari, dixerunt : Attento quod forsan non posset celeriter reperiri unus qui daret XXIIII scuta, et aliis quampluribus consideratis, si placeret magistro Gwillelmo, quod ipse pro anno futuro haberet pro XXII scutis. Et illud acceptavit magister Gwillelmus Blok, cum tali tamen condicione quod ulterius magistri secum non ascenderent in precio, sed quandiu maneret in domo predicta, ipse eam pro precio XXII scutorum haberet singulis annis a nacione; et illa condicio placuit magistris presentibus aliquibus. Et ulterius dixerunt magistri presentes quod de isto fieret mencio in proxima congregacione nacionis ad ipsum confirmandum et approbandum, vel non. Omnia ista conclusi in quantum potui, etc.

Consequenter tactum fuit de magistro Johanne de Austria et Andrea de Bavaria, racione discordie, de qua in proxima congregacione supra. Placuit nacioni quod adhuc semel requirerentur quatinus vellent se submittere nacioni aut 2^{bus} vel 3^{bus} magistris etc. nacionis ad ipsos concordandum. Item fuit tactum de quodam foramine, de quo supra in proxima congregacione [1], et totum illud fuit commissum magistro Cůnrado Lubek.

Quoad 2^{m} articulum placuit nacioni quod magistri presentes sigillacioni adhuc semel viderent minutas, et si aliquid esset apponendum vel removendum per eos, illud fieret, et quod sigillaretur secundum hoc, etc.

Quoad 3^{m} articulum nichil, quia nullus supplicavit.

Nota quod ultima die mensis Aprilis licenciatus est dominus Johannes de Hallis sub magistro Gwillelmo Blok, cujus bursa III solidi.

Item quinta die mensis Maii licenciatus est dominus Nicholaus de Saxonia sub magistro Gwillelmo Bloc, cujus bursa VII sol., VIII den.

Item quinta Maii licenciatus est dominus Johannes de Crannath sub magistro Guillelmo Bloc, cujus bursa V solidi.

Inter incipientes anni presentis.

Primo incepit dominus Johannes de Hallis sub magistro Gwillelmo Blok, cujus bursa III s. paris., etc.

Item incepit dominus Nycolaus de Saxonia sub magistro Wilhelmo Block, cujus bursa VII solidi et VIII denarii.

Item incepit dominus Johannes de Crannath sub magistro Guillelmo Block, cujus bursa V solidi.

1406

(*Fol.* 87 b) Acta in procuratoria magistri Frederici de Myddachten Ghelrensis.

Facta congregacione nacionis Anglicane anno Domini M.CCCC° sexto, die quinta mensis Maii super 2^{bus} articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem; 2us super facto domus ad signum *cornu cervi*, de qua facta fuit mensio in congregacionibus immediate precedentibus; 3us super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum electus fuit concorditer nemine reclamante nobilis et discretus vir magister Fredericus de Myddachten, natus de Ghelria. Quoad 2^{m} articulum, scilicet de facto domus, dixit procurator precedens quod juxta scripta in proxima congregacione, de qua fit mensio supra, dominus decanus, de quo eciam ibi fit mensio, sibi respondit quod non haberet pecunias ad refundendum nacioni ex parte domus predicte, nec eciam posset prestare caucionem civilem de hujusmodi refusione, attento quod non haberet noticiam Parisius, sed supplicavit ut sibi a nacione daretur litera de summa debita. Et super isto dixit nacio quod illa responsione attenta nullo modo domus in manus ejus poneretur. Et consequenter dixit quod bene posset sibi in generali summa dici, etc. Consequenter tetigit procurator facta in ultima congregacione circa locacionem domus predicte predicto magistro Guillelmo Bloc pro anno futuro ad approbandum illa vel non. Et dixit nacio quod nullomodo placeret quod magister Guillelmus Bloc haberet predictam domum pro anno futuro pro XXII scutis, cum clausula, de qua supra in proxima congregacione. Ymo dixerunt magistri quod melius esset predictam domum locari pro minori summa, ut puta pro XX vel alia, quam sic cum restrictione locari. Item dati sunt deputati in facto domus qui prius fuerunt dati.

Item conclusit ibi nacio quod deberet fieri *novus liber papireus* [2].

Quoad 3^{m} articulum supplicavit procurator ut haberetur gratus et recommendatus. Cujus supplicacio concessa fuit ab omnibus [3].

1. *Vid supra*, p. 921, 7.
2. *I. e. idem liber*, n° 7, *quem infra edimus*.
3. *Reliquam paginam implet index rerum notandarum in volumine.*

(*Fol. 1*)[1] Acta in procuratoria venerabilis viri magistri Frederici de Myddachten Ghelrensis[2].

. . . .

Isti sunt licenciati in eadem procuratoria.

Primo licenciatus est dominus Johannes de Hallis[3], cujus bursa III sol.

Item 2° licenciatus est dominus Nycolaus Koncken[4] de Saxonia, cujus bursa VII s. et VIII den.

Item 3° licenciatus est dominus Johannes de Cramach Scotus, cujus bursa V sol.

Item 4° licenciatus est dominus Jacobus Wellart, cujus bursa VII s.

Item 5° licenciatus est dominus Bartoldus de Voerstate, cujus bursa IIII bl.

Item 6° licenciatus est dominus Martinus Institoris, cujus bursa III s.

Item 7° licenciatus est dominus Johannes de Sagittis Scotus, cujus bursa V s. et VI d.

Item licenciatus est dominus Henricus de Heynsberch, cujus bursa VII s.

Item licenciatus est dominus Petrus de Prusia, cujus bursa nichil.

Item licenciatus est dominus David Hamylton, cujus bursa VII s. et VIII d.

Item licenciatus est dominus Reynerus Claerhouc, cujus bursa II s.

Item licenciatus est dominus Theodericus de Arnhem[5], cujus bursa XVI d.

Item licenciatus est dominus Rodolphus de Arnhem, cujus bursa IIII bl.

Item licenciatus est dominus Wylhelmus Lochem, cujus bursa nichil.

Item licenciatus est dominus Aelbertus de Missena, cujus bursa nichil.

Item licenciatus est dominus Petrus de Austria, cujus bursa VI s.

Item licenciatus est dominus Thomas de Linea Scotus, cujus bursa... (*sic*).

(*Fol. 1* b) Facta fuit congregracio nacionis Anglicane anno Domini ut supra, quintadecima die Maii super duobus articulis. Primus erat ad admittendum quendam bachellarium in proximo licenciandum ad statutum paupertatis [jurandum], cujus nomen erat Petrus de Prusia. 2us erat super supplicacionibus et injuriis.

Quoad primum articulum, placuit magistris eum admittere ad jurandum paupertatem, illo adjecto quod si contingeret ipsum pervenire ad pingwiorem fortunam, satisfaceret nacioni. Quoad secundum articulum nulli alii supplicaverunt. Et est sciendum quod eadem hora fuit congregacio Universitatis ad audiendum relacionem proposicionis facte coram dominis in facto unionis ecclesie[6].

Sequuntur nomina incipiencium in predicta procuratoria.

Item primo incepit dominus Johannes de Hallis[7] sub magistro Wylhelmo Block, cujus bursa III sol.

Item 2° incepit dominus Nycolaus Koneken de Saxonia sub magistro Wylhelmo Block, cujus bursa VII s. et VIII d.

Item 3° incepit dominus Johannes Cramach[8] sub eodem magistro, cujus bursa V sol.

Item 4° incepit dominus Jacobus Wellart sub magistro Wylhelmo de Amsterdam, cujus bursa VII solidi.

Item 5° incepit dominus Bartoldus de Voerstate [sub] magistro Wylhelmo Block, cujus bursa IIII bl.

Item incepit dominus Henricus Heynsberch sub magistro Conrado Lubeck, cujus bursa VII sol.

Item incepit dominus Martinus Institoris sub magistro Johanne Spenlini, cujus bursa III sol.

Item incepit dominus Petrus de Austria sub magistro Spenlini, cujus bursa VI sol.

Item incepit dominus Johannes de Sagittis Scotus,

1. *Arch. de l'Université, Reg.* n° 7.

2. *Postea in msto iterum, et quidem ad verbum, scripta est congregatio quinti mensis Maii, ut jam in libro praecedenti, supra*, p. 924, 8-46. *Omittimus proinde eam iterum afferre.*

3. *Iste et duo sequentes jam supra*, p. 923, 25, *ut* licentiati *afferuntur.*

4. *Ms.* Koncken. *Fuit* can. eccl. S. Sebastiani Magdeburgensis.

5. *Vid. infra* p. 931, 20.

6. *Tunc temporis ut legatus Benedicti XIII* Antonius de Challant, *cardinalis ejusdem papae, Parisiis morabatur, ut coram ducibus pro Benedicto XIII contra Universitatem Paris, quae iterum Benedicto obedientiam substrahere voluit, ageret. Vid.* Chron. du rel. de St-Denys, III, p. 360 ; 372, *sq., imprimis vero* Arch. nat. Paris, X1a (*Cons.*) 4787. fol. 354, *sqq.* ; 1478, fol. 276, *sqq.* (*cf.* Journal de Nicolas de Baye, *par* A. Tuetey, I, p. 157, *sqq.*), *et* Chartul., IV. *Challant unacum cardinalatu tenuit archiepiscopatum Tarantasiens., ad eumque scribit* Johannes de Monsterolio (*ep.* 9, *ap.* Martène-Durand, Ampl. coll. II, p. 1331).

7. *Iste et duo sequentes jam supra*, p. 923, *ut* incipientes *afferuntur.*

8. Johannes Cranach *postquam fuisset pluries procurator nat. Angl., an.* 1422, *Dec.* 4 (1424, *Dec.* 11), *factus est episc. Cathenens., cum esset mag. in art. et baccal. in theol., an.* 1426, *Jun.* 7, *transl. ad eccl. Brechinens.* (Arch. Vat. XII, 121, p. 155, 181).

sub magistro Conrado Lubeck, cujus bursa V s. et VI den.

Item incepit dominus Aelbertus de Missena sub magistro Johanne Spenlini, cujus bursa nichil.

1406

Continuacio ejusdem magistri Frederici de Myddachten.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane anno Domini ut supra, secunda die Junii super tribus articulis. Primus erat ad eligendum vel continuandum procuratorem. Secundus ad audiendum computum domini receptoris. Tercius erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum, electus fuit et continuatus in procuratorem nobilis et discretus vir magister Fredericus de Myddachten procurator precedens, qui propinavit liberaliter et largiflue, sicud eciam fecerat in precedenti vice quando electus fuit. Quoad secundum articulum nichil factum fuit propter infirmitatem domini receptoris. Quoad tercium articulum, supplicavit procurator ut haberetur gratus, avoatus et recommendatus in hiis que per ipsum facta sunt; cujus supplicacio fuit ab omnibus concessa.

Item supplicatum fuit pro domino David Hamylton licenciando, ut reciperetur in vadio liber Ethicorum pro bursis suis; cujus supplicacio fuit concessa, dummodo liber valeret tantum quantum nacioni teneretur tradere, et dummodo receptor esset contentus, sic quod receptor amplius non haberet recursum cum dicto libro ad nacionem.

(*Fol. 2*) Facta fuit congregacio nacionis Anglicane anno Domini ut supra, octava die mensis Junii, super aliquibus supplicacionibus. Et supplicavit ibidem magister Thomas de Ungaria [1] quatenus nacio vellet adire quosdam dominos de Ungaria [2] supplicando eis pro quodam supposito dicte nacionis, qui vocatur magister Benedictus [3], et est magister in artibus et licenciatus in utroque jure, ad finem quod posset relaxari a detencione, quia ipse a rege Ungarie per certa tempora detentus fuit; cujus supplicatio fuit concessa. Ymmo dicebant magistri quod laboraretur pro ipso omnibus modis possibilibus, attento quod fuit honestus et nobilis genere, et attento quod fecit nacioni honorem in gradibus suis, et eciam quia fuit magnus clericus. Secundo supplicavit dictus magister Thomas ut eciam proponens recommendaret ipsum domino comiti [4], qui est principalis inter ipsos dominos de Ungaria venientes, quia ipse est de terra eorum. Cujus supplicacio concessa est. Item datus est proponens magister Johannes de Austria, magister in artibus et sacre theologie doctor, qui in proponendo

1. *De quo saepius supra.*

2. *Qui tunc ut legati ex parte Sigismundi regis Hungariae Parisiis morabantur. Sed apud scriptores altum silentium de hac legatione, nec per epistulas missas ad viros rerum Hungaricarum peritos aliquid indagare potuimus.*

3. *Nomen hujus celebris magistri* de Makra. *Minime Parisiis in artibus promotus est, sed* PRAGAE, *ubi* Benedictus de Ungaria *an.* 1384, *Decemb. examinatur pro bachalariatu, an.* 1386 *post Nativit., seu potius* 1387 *ineunte, examinatur pro magisterio in art.* (Mon. hist. Univers. Prag., I, 225, 250). *Dehinc ejus nomen non legitur in* libro decani, *sed jam eodem an.* 1387, *Octob.* 13, VINDOBONAE « supplicavit mag. Benedictus admitti ad facultatem; qui admissus et receptus fuit secundum ordinacionem ejusdem facultatis » artium, *ut legitur in* Acta fac. art. I Vindob. *fol.* 31[b] (Arch. Univers. Vindobon.). *Tuncque Vindobonae in art. rexit usque ad an.* 1391, *Junii* 23, *et mox* de Ungaria, *mox* de Makra *nominatur. An.* 1390, *Sept.* 1, obtulerunt se ad regendum et quilibet eorum expressit librum suum... mag. Benedictus de Makra Alkabicium (*ibid.* fol. 44[b]). *An.* 1391, *Junii* 23, *legitur* : Item in eadem congregagacione electus erat mag. Petrus de Slezia loco mag. Benedicti in consiliarium ex parte nacionis Ungarie usque ad adventum ejusdem (fol. 50). *Tunc enim Benedictus* PARISIOS *adivit, ibique juri canonico studuit, in quo an.* 1398, *April.* 1, *licentiatus est* (*vid. supra*, p. 771, 3, 40). *Cum in artibus solum, minime in aliqua alia facultate magisterium adeptus esset, Parisiis ad nationem Anglicanam pertinuit. Sed supra designatur ut licentiatus in* utroque jure, *proindeque etiam in* lege civili, *quae ab Universitate Paris. exclusa erat. Revera post an.* 1398 *non invenitur Parisiis, sed an.* 1401, *Martii* 12, Benedictus de Ungaria, artium doctor, PADUAE *aderat doctoratui in med. magistri Petri de Ivrea* (GLORIA, Monumenti della Università di Padova, II, 363, n° 2100). *Postea verisimiliter in Universitate* BUDENSI. *noviter a Bonifacio IX et Sigismundo erecta studens fuit, et fortasse ibid. in jure civ. licentiatus est. Saltem an.* 1403, *Julii, ibid. partes Ladislai regis Neapolit. contra regem Sigismundum sequebatur, et Budam occupavit, sed devictus et captus est, ut ipse Sigismundus eodem an., Septemb.* 30, *ad Ragusenses scribit* : mag. Benedictus, utriusque juris professus, omnium doctorum et magistrorum suorum oblitis doctrinis et copiosorum a nobis receptorum beneficiorum immemor, cum octingentis equis unacum aliis nostris emulis (Bude) se nobis opposuit, et dum Pestini civitatis nostre attigisset limites, ipsum cum tota ejus potencia suffragante nobis divino auxilio fecimus debellari, qui est nunc detentus nostris in vinculis mancipatus (Diplomatarium relationum reipublicae Ragusanae cum regno Hungariae, Budapest, 1887, p. 846). *De hoc etiam ap.* FEJÉR, Cod. diplom. Hungariae, X, 4, p. 199 *not. et* p. 203. *Minime an.* 1406, *sed solum* 1408 *liberatus, postea fidelissimus Sigismundo factus est, cum quo in Cataloniam, Franciam, Angliam ivit* (WINDECK c. 19 *ap.* MENCKEN, Script. rer. german., I, 1085). *An.* 1416 *cum Sigismundo in Anglia moratus est et in instrumento vocatur* Benedictus de Mucru, miles, utriusque juris doctor (*vid.* Archiv f. österr. Gesch., LIX, p. 107). *Alius proinde est ac ille* Benedictus, *qui jam an.* 1411 *fuit praepositus Albaeregal. et protonotar. apost., et an.* 1439, *Junii* 5, *episc. Jauriensis. Quomodo extinctio Universitatis Budensis an.* 1403, *et nova erectio an* 1410 (*vid.* DENIFLE. Universitäten, I, 418, 421) *cum factis suprarelatis cohaereat, inquirendum est.*

4. *Verisimiliter supra significatur* Pipo comes Themisiens., *qui semper cum rege Sigismundo erat.*

eisdem dominis recommendavit eciam factum unionis ecclesie.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane anno Domini ut supra, duodecima die mensis Junii super duobus articulis. Primus erat ad admittendum quosdam bachellarios in proximo licenciandos ad statutum paupertatis jurandum, quorum unus vocabatur Wylhelmus Lochem, secundus Aelbertus de Missena. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum articulum placuit magistris eos admittere, illo adjecto quod si contingeret ipsos pervenire ad pinguiorem fortunam, satisfacerent nacioni. Quoad secundum articulum nulli alii supplicaverunt.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane anno Domini ut supra, quarta die mensis Julii, super quatuor articulis. Primus erat ad audiendum compotum domini receptoris. 2us erat super aliquibus tangentibus honorem nacionis de aliquibus oblocutoribus. Tercius erat ad avisandum modum habendi duas cappas pro isto anno. Quartus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit nacioni computus domini receptoris, qui scriptus est in *libro receptoris*, et remansit receptor nacioni obligatus in summa ... (*sic*). Similiter provincia Almanie remansit nacioni obligata in summa X francorum et II solidorum. De 2° articulo dicebant magistri quod procurator haberet convocare oblocutores et audire ipsos et inhibere ne loquerentur contra nacionem, attento quod nacio non peteret nisi viam racionabilem; et si non desisterent, avizaretur alius modus procedendi contra ipsos. De 3° articulo dicebant magistri quod placeret bene quod haberemus duas cappas novas pro isto anno, dummodo tamen antiqua debita prius solverentur. De quarto articulo nichil factum est.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane anno Domini ut supra, XIIa die mensis Julii super duobus articulis. Primus erat ad audiendum dominum receptorem qui volebat ire ad partes, nam ipse volebat supplicare nacioni ut aliquis substitueretur a nacione ad exercendum officium suum, ipso absente. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. (*Fol.* 2 b) Quantum ad primum articulum placuit nacioni quod magister Arnoldus Vetwiick esset substitutus, dummodo ipse juraret in nacione juramenta que receptor in electione habet jurare. Quantum ad secundum articulum supplicaverunt bedelli quod eis fieret gracia a nacione quoad sallarium, quia dicebant quod longo tempore non habebant annum ita tenuem pro ipsis, sicud annus presens fuit. Quorum supplicacio fuit concessa, nam nacio dedit Bomundo principali bedello pro isto anno octo scuta, et subbedello proportionaliter, scilicet tertiam parte[m] de VIII scutis.

1406

Acta in procuratoria magistri Frederici de Myddachten.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini millesimo CCCC° VI, die XVIIIa mensis Augusti super duobus articulis. Primus erat super aliquibus tangentibus factum scolarum *septem arcium liberalium* in vico Straminis situatarum, et a nacione noviter reedificatarum. 2us erat communis, scilicet super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum articulum dixit procurator, scilicet magister Fredericus de Myddachten, qualiter magister Arnoldus Vytwiick alias tetigit in deputatis de scolis *septem arcium* predictis, scilicet quomodo perderent suum nomen et consequenter vocarentur *nove scole Almanorum*, et non fieret ibi mensio de scolis *septem arcium*, cum tamen istud nomen sit valde honestum pro nacione et nomen totius facultatis, et ergo tetigit procurator predictus quod bonum esset remediare et ponere signum significans septem artes liberales, secundum quod avisatum fuerat per magistros, quando scole primo reedificabantur. Et super isto dixerunt magistri, quod placeret eis quod fieret *una aquila* vel *arma imperatoris* [1] *cum septem virginibus representantibus septem artes liberales* [2], et subtus scriberetur : « *hec sunt scole septem artium liberalium.* » Et volebant magistri quod istud fieret expensis minoribus quo posset fieri, dummodo tamen fieret representacio. Et super isto dabant deputatos, scilicet procuratorem, magistrum Johannem de Austria, magistrum Arnoldum Vytwiick, magistrum Goswinum de Arnhem et magistrum Johannem Speulini ad avisandum cum pictore, qui predictas virgines haberet depingere.

Quoad secundum articulum nullus supplicavit.

1. *Ex hoc apparet, quam intime Parisiis Alemanni nat. Anglicanae, cujus maximam partem constituebant, cum imperatore et toto imperio Alemanniae conjungerentur. In* Sigillo Praeclarae Facultatis Artium *etiam natio Anglicana repraesentatur per aquilam imperialem, sicut nat. Gallic. per tria lilia* (*vid* VALLET DE VIRIVILLE, Hist. de l'instruction publ., p. 130). *Sic etiam* natio Germanica *Bononiae pro armis* aquilam imperialem *surgentem in area aurea eligebat. Vid.* Acta nat. German. Univers. Bonon., *in prima libri pagina, et* p. XXIX. *Similiter* Senis, *alibique.*

2. *Septem liberales artes jam antea per septem puellas repraesentabantur. Supra accrescit novum testimonium.*

Et pro eadem hora erat congregacio Universitatis super literis mittendis prelatis regni Francie, venturis ad Consilium generale regni circa festum Omnium Sanctorum proxime venturum, super facto unionis ecclesie[1].

1406

(*Fol.* 3) Acta in procuratoria magistri Johannis Barberii, Scoti.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini 1406, die 26ª mensis Augusti super duobus articulis. Primus erat ad elegendum novum procuratorem. 2ᵘˢ fuit super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum, electus fuit concorditer nemine contradicente, magister Johannes Barberii[2] in procuratorem. Quoad 2ᵘᵐ articulum, supplicavit precedens procurator ut haberetur gratus et recommendatus; cujus supplicacio fuit ab omnibus concessa.

Item incepit dominus Theodericus de Arnem alias de Hoven[3] sub magistro Goswyno de Arnem, cujus bursa XVI den.

Facta fuit congregacio nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno ut supra, XVª die mensis Septembris super duobus articulis. Primus erat ad querendum modum cedandi (*sic*) controversiam inter nacionem et quosdam de Dacia, racione *domus ad cornu cervi* in vico Hillarii (que domus protunc fuerat in manu nacionis) pro quibusdam expensis pro reparacionibus dicte domus alias factis per nacionem, ubi magistris nacionis solempniter congregatis dominus Nicholaus Skrilmara, gerens se pro decano ecclesie Lyncopensis, humiliter supplicabat quod nacio vellet co[m]putare expensas quas fecit fieri e[r]ga reparaciones predictas et illas sibi intimare, et quod ipse postquam sciverit summam dictarum expensarum, aut satisfaceret dictam summam nacioni, vel pro illa daret sufficientem caucionem. Et ipso a nacione Parisius remoto nacio deliberabat ut deputati cum procuratore viderent co[m]putum, et viso computo dicetur sibi summa in generali, et postquam de dicta summa dederit sufficientem caucionem, de illa particulariter informabitur. Et hoc de primo articulo.

Quoad secundum articulum supplicabat Bobm[und]us principalis bedellus nacionis ut nacio sibi assisteret in suis agendis erga dictum decanum, qui de ipso et eciam de nacione multas injurias dicere non verebatur, ut asseruit; et sua supplicacio nemine reclamante fuerat concessa. Et quia aliquas injurias in suo furore dictus decanus de nacione et de Bobmundo dicebat, ordinatus fuit magister Bernardus [Vloghelingh] ut de dictis singulis injuriis immediate coram nacione dictum decanum increparet. Et ipso vocato et constituto coram nacione multum eloquenter et aspere dictus magister ipsum allocutus est, de singulis singulariter increpando, et hoc facto dictus decanus a nacione humiliter peciit veniam.

(*Fol.* 3 ᵇ) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum in die sancti Mathei[4] anno quo supra, super tribus articulis. Primus erat ad eligendum novum receptorem; secundus ad distribuendum scolas regentibus; tercius super supplicacionibus et injuriis. Quoad primum electus fuit in receptorem magister Wilhelmus Blok. Quoad 2ᵘᵐ regentes pro anno preterito resignaverunt scolas in manibus nacionis, et volentes regere pro anno isto pro scolis supplicaverunt. Quibus nacio co[n]cessit scolas sub tali condicione quod ille, qui non legeret pro majore parte ordinarii, sue scole solveret locagium receptori, propter quod a quolibet regente vellet habere pleg[ium].

Isti sunt regentes.

Magister Henricus Herven, plegius magister W. Blok;

Magister Wilhelmus Blok, fidejussor ejus magister Herven;

Magister Hermannus Ummen, fidejussor magister Jo. Aveze;

Magister Johannes Aveze, fidejussor Hermannus Ummen;

Magister Willelmus Ansterdam, fidejussor magister Arnoldus Wtwiic;

Magister Thomas de Ungaria supplicabat pro magistro Paulo, in casu quo magister Paulus veniret; sin autem, pro se ipso essent scole; quorum fidejussor Henricus Bruch;

Magister Wilhelmus Lochen, fidejussor Hermannus Ummen;

Magister Johannes de Halis, fidejussor W. Amsterdam;

Magister Johannes Crannak, fidejussor Johannes Barberii;

1. *Quod tamen Novembris* 18 *tantum incepit. Vid.* Chron. du rel. de Sᵗ-Denys, III, p. 464. *Sermones et discursus ibidem habiti apud* Bourgeois du Chastenet, Nouv. hist. du Concile de Constance, *Preuves*, p. 95-234.

2. *Jam an.* 1395 *incepit. Vid.* p. 705, 17.

3. *Ipse an.* 1414-1415 *intitulatus est ut mag. in Universitate Heidelbergensi. Vid.* Toepke, Matrikel. p. 125.

4. *Septemb.* 21.

Magister Henricus Brug, fidejussor magister Thomas de Ungaria.

1406

Continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, die jovis XXIIIª die mensis Septembris, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum, et nemine reclamante continuatus erat magister Johannes Barberii. Item deliberatum fuit per nacionem quod receptor in presencia procuratoris ac aliorum quorumdam[1] deputatorum ad hoc specialiter nominatorum reciperet[2] centum scuta monete Francie in auro et in pigneribus, scilicet XL scuta auri, et in pigneribus LX, a decano Lyncopensi, racione reparacionum per nacionem factarum circa domum *ad cornu cervi*, et dictis sic centum scutis receptis dicti procurator et depu[ta]ti ostendent dicto decano co[m]potum particulariter dictarum reparacionum, domo semper remanente in manibus nacionis, donec nacio de ultimo denario dictarum reparacionum plenarie fuerit persoluta. Ad que decanus tunc presens coram nacione consenciit. De secundo nichil.

(*Fol.* 4) Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum IIª die mensis Octobris super quatuor articulis. Primus articulus erat ad avisandum modum per quem quedam ornamenta ecclesie, que habuit quidam mercator comorans supra novum pontem, nacio emere poset pro missa nacionis in diebus festivis. Et placuit toti nacioni dicta ornamenta a dicto mercatore emere et quod procurator et magistri Arnuldus Witwik cum receptore irent ad ipsum mercatorem ad petendum inducias de solutione dictorum ornamentorum pro X diebus, quod et factum est. Secundus articulus erat quoad regenciam, et placuit nacioni quod duo anni non regencium computarentur pro uno anno regencie, et sic secundum antiquitatem magistrorum magistris distribue[re]ntur scole, computando duos annos non regencie pro uno anno regencie. Tercius erat penes factum Bemundi bedelli principalis inter ipsum et quosdam de Dacia, penes domum *ad ymaginem beate Virginis* in vico Brunelli, quod factum nacio reputavit suum et non factum Bemundi. Quartus super supplicacionibus; de hoc nichil. Item[3] magister Gwilhelmus de Amsterdam appellavit.

1. *Ms.* quibusdam.
2. *Ms.* receperet.
3. Item... appellavit *posterius additum.*

Facta congregacione nacionis Anglicane XIIª die mensis Octobris apud Sanctum Maturinum super tribus articulis. Primus erat ad audiendum compotum antiqui receptoris scilicet magistri Johannis Galencop. Secundus de recognicione pecuniarum pro ornamentis ecclesie emendis pro missa nacionis in diebus festivis. Tercius super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum, compotus dicti receptoris placuit bene nacioni, et eciam nacio habuit ipsum gratum et recommendatum. Quoad secundum placuit nacioni reconvencio pro pecuniis habendis. Quoad tercium nichil.

1406

Iterum continuacio ejusdem.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum, die jovis XXIª die mensis Octobris[4], anno millesimo CCCC sexto, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum. Et nemine reclamante continuatus erat magister Johannes Barberii. De secundo articulo nichil.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum die jovis XIª die mensis Novembris super tribus articulis. Primus ad habendum provisores pro festo sancti Edmundi. 2ᵘˢ circa aliqua tangencia domum *ad cornu cervi* situatam in vico Ylarii. 3ᵘˢ super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum placuit nacioni quod festum fiat, scilicet solempne pra[n]dium in festo sancti Edmundi, et dedit ad providendum de prandio magistrum Wilhelmum Blok receptorem, magistrum Corardum de Ezelinga, Almannos, et magistrum Johannem Elwald Scotum. Quantum ad 2ᵘᵐ placuit nacioni quod IIII de antiquioribus magistris viderent archam nacionis, si ibidem aliqua emonumenta reperire poterint per que nacio posset se munire contra procuratorem capituli Sancti Marcelli, qui procurator dicit capitulum illud habere jus ad fundum dicte domus, racione, quia in terra illorum de capitulo dicta domus fundata est, et ideo dictus procurator petit aut quod nacio ostendat amortizacionem, aut conveniat secum de censu[5] a[n]nuali, vel ipse poneret domum in manu regis. Et respon[dere] debeant dicto procuratori, cum tempus affuerit, petendo ab eo inducias de suo processu penes dictam domum, donec de sibi dando responsum fuerit melius consulta. Item deliberatum est

4. *Ms.* Septembris.
5. *Ms.* sensu.

quod procurator faceret diligenciam pro illis centum scutis, que promisit decanus Lyncopensis nacioni racione reparacionum per nacionem factarum in dicta domo *ad cornu cervi*. Quoad 3um articulum, supplicabat Bemundus principalis bedellus pro dimidio franco a quolibet determinaturo pro isto anno; cujus supplicacio concessa est.

(*Fol. 4* b) Monendum quod in die veneris XIIa die mensis Novembris, in camera procuratoris, decanus Lincopensis pro reparacionibus per nacionem factis circa domum *ad cornu cervi* tradidit nacioni centum scuta in auro et argento, et in vadiis, scilicet triginta quinque in auro, XXV in albis, et in vadiis XL; et illa vadia sunt unum Decretum et tres anuli de auro cum tribus lapidibus, pro quibus vadiis steterat nacioni magister Oliverius de Imperio. Et dicta summa recepta per procuratorem, quam procurator immediate tradidit receptori, dictus procurator cum deputatis nacionis ibidem solempniter congregatis ostendebat dicto decano particulariter reparaciones dicte domus *ad cornu cervi* per nacionem alias factas, coram magistro Petro Cauchon [1], magistro Oliverio de Imperio et socio dicti decani seu aliis multis, et sic illis centum scutis defalcatis inventum fuit per dictum co[m]potum quod adhuc dicta domus *ad cornu cervi* obligatur [2] nacioni in viginti sex scutis, XIIII s., VIII den.

1406

Acta in procuratoria magistri Johannis Aveze, alias de Daventria.

Facta congregacione nacionis Anglicane apud Sanctum Maturinum anno Domini Mo CCCCo VIo, die jovis XVIIIa mensis Novembris super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem; secundus super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum electus fuit concorditer nemine contradicente magister Johannes Aveze, communiter vocatus de Daventria, in procuratorem dicte nacionis. Quantum ad secundum supplicavit precedens procurator ut haberetur avoatus gratus et recommandatus, cujus supplicacio ab omnibus concessa fuit, et cum hoc regraciebantur sibi.

Item in eadem congregacione procurator novus posuit in deliberacione quod havizaretur an aliqui essent invitandi ad prandium nacionis, an non. Et deliberatum fuit quod invitaretur domicellus de Clivis honeste cum suis magistris ac ministris, sicut est solitum invitari talem. Item quod invitaretur magister Wilhelmus Augustiensis [3] sacre theologie professor, cui etiam supplicaretur quod propter honorem nacionis vellet in ecclesia esse prelatus in vesperis et in missa. Item quod invitaretur curatus cum suo cappellano, uti erat consuetum.

Facta congregacione nacionis Anglicane in ecclesia Sanctorum Cosme et Damiani anno quo supra in festo Andree apostoli, XXXa die Novembris post vigilias in ecclesia predicta super duobus articulis. Primus erat ad audiendum requestam domini decani Lincopensis de domo ad *cornu cervi*. Et quantum ad hoc dictus decanus requirebat, quod nacio daret sibi recognicionem de receptis ab eo. Item quod daretur sibi ille compotus alias sibi factus pro reparacionibus dicte domus, ad finem ut posset eum mittere ecclesie et capitulo suo ad ostendendum ei summam, quam hic exposuerat, et eciam pro quibus. Item petebat proprietatem domus predicte. Secundus articulus erat super supplicationibus et injuriis.

Quantum ad primum, nacio concessit decano predicto recognicionem de receptis, et de debito ulteriori deberet ab eo peti recognicio pro nacione. Item de compoto quem petebat dati fuerunt duo modi. Primus erat quod nacio scriberet capitulo ejus, asserendo quomodo pro reparacionibus factis per nacionem in domo ad (*Fol. 5*) *cornu cervi* tantum recepit; per hoc enim sufficienter notificaretur capitulo summa, quam hic exposuerat. Alius modus erat quod non daretur ei in particulari et per particulas compotus, nisi prius totum compotum approbaret, presertim ex quo jam in presencia amicorum suorum deputati nacionis computaverunt sibi per particulas, et tunc nichil erat cui contradicere poterat nec contradicebat. Item de proprietate deliberavit nacio quod non daretur sibi proprietas domus dicte nisi in festo Johannis, quando terminus inhabitacionis seu locacionis magistri Wilhelmi Bloec exspirabit, et eciam nisi solvendis adhuc per ipsum ex toto solutis. Quantum ad secundum articulum nichil, quia nullus erat supplicans.

1. *Fuit nat. Gallic.* (*Remens.*) *et licent. in decret.* (*jam an.* 1398; *vid.* Arch. nat. Paris, J. 517, n° 199), *de quo pluries supra. An.* 1403 *etiam in sexto anno scholaris in theologia fuit. An.* 1420, *Aug.* 21, *cum esset canonicus Belvac. et licent. in decretis, electus in episcop. Belvacens., an.* 1430, *Febr.* 13, *translatus ad sedem Lexoviensem* (Arch. Vat., *arm.* XII, p. 132, 248). *Famam tristem adeptus est in processu contra* Jeanne d'Arc.

2. *Ms.* oblibatur.

3. *Verisimiliter* Guillelmus de Sanctis, *qui an.* 1403 *licentiatus est in theol.*

Continuatio magistri Johannis Aveze, alias de Daventria.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Maturinum anno quo supra, XVI^a^ die Decembris, super duobus articulis. Primus erat ad eligendum novum procuratorem vel ad continuandum antiquum. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis. Quantum ad primum nemine contradicente continuatus erat magister Johannes Aveze in procuratorem dicte nacionis. Quantum ad secundum supplicavit procurator, ut in hiis que egit haberetur gratus, avoatus et recommendatus. Cujus supplicacio ab omnibus concessa fuit. Item supplicavit magister Henricus de Herwen, quatinus si ex certa causa contingeret eum ab isto tempore dimittere in vico lecturam suam ordinariam anni presentis, non minus tamen haberetur regens et pro tali computaretur, sicut regentes ceteri. Cujus supplicacio eciam ab omnibus fuit concessa [1].

Facta congregacione solempni per juramentum et sub omni pena possibili singulorum magistrorum nacionis Anglicane in loco capittulari domus Predicatorum seu Jacobitarum anno quo supra, XXI^a^ die mensis Decembris, super duobus articulis. Primus erat ut nacio deliberaret et consuleret sibi super aliquibus tangentibus suum statum ac honorem, quoniam Universitas Parisiensis nuper deliberavit [2], utrumque contendencium de papatu esse scismaticum et vehementer suspectum de heresi, et per consequens nulli hominum licere alicui eorum obedienciam prestare, et ita notavit dominum Innocencium [3] papam Romanum esse scismaticum et suspectum de heresi, et sibi non esse obediendum; — cui tamen deliberacioni predicta nacio Anglicana nunquam consensit. Secundus articulus erat super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad primum deliberavit nacio concorditer, solis tribus vel quatuor exceptis, primo quod ipsa non reputat nec reputavit umquam dominum Innocencium esse scismaticum vel suspectum de heresi, ymmo reputat eum verum vicarium Christi, successorem Petri et verum zelatorem fidei catholice et ecclesie, et sic proportionaliter de suis cardinalibus. 2° Quod non est, nec umquam fuit intencionis sue recedere ab ejus obediencia, ymmo semper intendebat et rebus stantibus ut nunc semper intendit sibi et suo successori obedire tamquam vero pape vicario Christi ac Petri successori. 3° Quod non intendit adherere alicui appellacioni dicte Universitatis, qua appellaret [4] simul ab utroque contendencium de papatu, quia nacio rebus stantibus ut nunc non intendit aliquomodo appellare a domino Innocencio aut ejus successore, quem reputat et tenet pro vero papa. 4° Quod nullo modo in alicujus littere [5] sigillacionem, in qua prefatus dominus noster Innocencius aut ejus successor super scismate aut de heresi suspectus directe vel indirecte notetur, rebus et disposicionibus contra ipsum aut ejus successorem ut nunc currentibus consentit aut consentire intendit, quin ymmo talibus litteris et earum sigillacioni penitus dissentit dissentireque intendit. Et super ista deliberacione nacionis prefate atque declaracione sue intencionis, procurator ejus ac ipsa tota nacio solis quatuor exceptis petiit a magistro Johanne Goberstat fieri publicum instrumentum, unum vel plura, in generali et in speciali pro quolibet consentiente, ad finem quod possit efficaciter ostendere tempore et loco se numquam deviasse ab obediencia domini Innocencii, nec umquam prenominate conclusioni Universitatis de scismaticando et hereticando dominum Innocencium sepe dictum aut ejus successorem concensisse, sed eidem penitus dissensisse.

Quantum ad secundum nichil, quia nullus supplicavit [6].

(*Fol.* 5 ^b^) Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Maturinum anno quo supra, XXVI^a^ die mensis Decembris, super duobus articulis. Primus erat ad audiendum minutam cujusdam littere [7], quam Universitas alias conclusit debere sigillari sigillo Universitatis ac eciam sigillis facultatum et nacionum singularum, in qua tamen conclusione nacio Anglicana nundum consensit, eo quod talis littere minuta nec per se neque per suos deputatos adhuc numquam erat examinata. Secundus erat super supplicacionibus et injuriis.

1. *Inter lineas manus posterior adjunxit* : Germani semper constantes, *quod ad sequentia refertur, et generatim ad personam, quam Alemanni nationis Anglicanae Schismate durante gesserunt.*
2. *Vid. infra.*
3. *Innocentio VII jam Novembri 6 defuncto, et Gregorio XII Novembri 30 Romae in papam electo, nuntius mortis et electionis post Decemb. 27 tantum Parisios pervenit.*
4. *Ad Concilium generale sive Ecclesiae universalis. Vid. tom.* IV Chartul.
5. *De qua « littera » mox agitur.*
6. *Manus posterior adjunxit* Scisma. Duo pape : Innocentius, Dominicus (!)
7. *Hic agitur de epistola Universitatis Paris. ad regem, quae incipit* : Sperabamus, *et Januarii 3 regi praesentata est. Exstat in Cod. Vat. Reg.* 1964. *fol.* 169; *Cod. Rothom.* O. 20, t. II (1356), *fol.* 41, *alibique, et* Bul., V, 134.

Quantum ad primum deliberavit nacio quod, quia singulis clausulis in dicta minuta satis raptim ponderatis, raptim quidem et cursorie propter brevitatem ac tarditatem dati temporis, quo sigillum nacionis petebatur, nulla apparuit, que prima facie contra domini Innocencii aut ejus successoris honorem sonare videbatur, preter illam unicam, videlicet[1] : « Sic enim in littera vestra de ambobus contendentibus concluditur : *quoniam perperam et notorie scisma faciunt et quantum in eis est causam perpetuacionis prebent crimen scismatis incurrentes*, etc. *in hanc sententiam* », ipsa noluit dictam litteram sigillare hujusmodi stante sua apparencia, nisi jam dicta clausula ammoveretur, vel nisi illud plurale : « sic enim de ambobus contendentibus » etc. mutaretur in tale singulare : « sic enim de ipso, scilicet Benedicto, in litera vestra concluditur, quoniam perperam et notorie scisma facit et quantum in eo est » etc.

Quantum ad secundum nichil, quia nullus supplicavit.

Facta congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Maturinum anno quo supra, XXVII^a die mensis Decembris, ad requestam domini rectoris Universitatis Parisiensis super duobus articulis. Primus erat ad audiendum requestam rectoris ac deputatorum Universitatis. Secundus super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad primum venit rector Universitatis magister Poncius Symoneti[2] cum deputatis ejusdem Universitatis in magno numero solempniter congregatis, ostendens nacioni quandam litteram sigillis singularum facultatum ac nacionum prefate Universitatis, sigillo tamen nacionis Anglicane predicte secluso sive dempto sigillatam. In qua quidem littera Universitas predicta Petro de Luna, qui se nominat Benedictum, quem eadem Universitas preter dictam nacionem Anglicanam[3] huc usque tamquam papam colebat, finaliter concludendo amplius non esse obediendum asserit, approbat et affirmat, ymmo eciam obedienciam papalem, quam hactenus sibi prestitit, ab eodem substrahit, revocat et resumit. In istius itaque littere ostensione prefatus dominus rector cum ipsorum deputatorum directione et consensu nacionem ipsam sic alloquebatur :

« Magistri mei reverendi, rogo, exhortor et requiro vos ex parte Universitatis matris nostre modis omnibus quibus possum, quatinus, quemadmodum et cetere facultates et naciones matri nostre prefate consentientes propria sua sigilla presenti littere appendere dignate sunt, ita et vos eidem littere sigillum nacionis vestre appendere dignemini, ipsam sigillando, quoniam per hujusmodi littere sigillacionem nichil, quod sit in vestre obediente prejudicium seu gravamen, approbare videmini, eo quod in nulla istius littere clausula aliquid, quod vestre obediencie cedat in prejudicium aut aliquid quod vobis in obediendo domino vestro, quem colitis pro papa, derogare vel prejudicare videatur quomodolibet, prefata mater nostra Universitas Parisiensis in presenti littera asserere, approbare vel affirmare videtur vel apparet. » Et confirmando subjunxit : « Non est enim mens, intencio nec voluntas nostri nec Universitatis predicte vobis in hac presenti littera quovis ingenio quesito vel colore in vestra obediencia nunc vel in futurum quomodolibet derogare seu prejudicare. Quapropter precor et exhortor diligentius quatinus hiis attentis predicte mee requeste dignemini acquiescere, ipsam propter bonum pacis concedendo. »

Quibus sic per dominum rectorem predictum propositis et narratis, necnon eisdem domino rectore et deputatis abeuntibus, procurator dicte nacionis Anglicane singulariter singulos magistros in modum nacionis ejusdem congregatos, instancius atque discretius quo potuit per juramentum requisivit, ut ad honorem Dei, obediencie Innocentii, ac nacionis secundum conscienciam deliberarent, an dictis protestacionibus rectoris ac deputatorum pro parte Universitatis sucque intencionis declaracionibus attentis expediens erat, dicte requeste rectoris annuere, an ipsam denegare, dicto tamen procuratore una cum ceteris magistris saltem pro majori parte pre omnibus protestante quod in nullius littere sigillationem vellet consentire, in qua prefatus dominus apostolicus Innocentius vel ejus successor scismaticus vel de heresi suspectus quomodolibet notari videretur. Super qua eciam protestacione idem procurator pro se et sibi adherentibus petiit a magistro Johanne Guberstat fieri (*Fol. 6*) unum vel plura publicum vel publica instrumentum vel instrumenta.

Postea vero singulis clausulis in sepedicta littera exquisite ponderatis, cum nichil quo prenominata Universitas Parisiensis prefatum dominum Innocentium aut ejus successorem scismaticaret vel de heresi suspectum judicaret vel sibi non esse obediendum

1. *Hanc clausulam, quae ad verba regis in epistola Universitatis citata refertur, vid. apud* BULAEUM, V, 135.

2. *Ut alias, sic etiam hic* BULAEUS *in sua* Nomenclatura rectorum, V, 919. *in errorem incidit. Loco* Pontii Symoneti, *pro an.* 1406, *Dec.* 16, *usque ad an.* 1407, *Martii* 24, Johannem de Marsono *perperam affert.*

3. *Vid. imprimis*. p. 857, 37.

affirmaret compereretur aut pro tunc exquiri poterat : dicti magistri nacionis prefate, ne antedicte sue matris Universitatis processui contra prememoratum Petrum de Luna, qui se Benedictum appellat, obsistere aut ipsam impedire censerentur, saltem pro majori parte deliberaverunt, quod predicte sue nacionis sigillum absque obediencie domini Innocentii prejudicio quolibet et gravamine ad requestam domini rectoris nomine Universitatis predicte prememorate littere bene poterat appendi. Et ita ex pluralitate vocum fieri est conclusum. Et super premissis fieri unum vel plura publicum vel publica instrumentum vel instrumenta prefatus procurator ac magistri nacionis predicte cum expresso conssensu domini rectoris ac deputatorum predictorum a magistro Johanne Guberstat notario publico cum instancia requisiverunt.

Quantum ad secundum articulum nichil erat quia nullus supplicavit.

1407

Facta [1] congregacione nacionis Anglicane aput Sanctum Maturinum anno Domini M° CCCC° septimo secundum stilum Romanum, XII^a die mensis Januarii, super tribus articulis.

Primus erat ad audiendum concordiam factam per deputatos dicte nacionis inter nacionem ipsam et dominum decanum ecclesie Lincopensis super facto domus *ad cornu cervi* et dependenciis ex dicta domo, tam super reparacionibus quam locagiis, et eciam dicte domus possessione. Unde deputati ipsi ex parte nacionis et dominus decanus predictus ex parte sua et scolarium sue ecclesie, communi conssensu et voluntate pridie (scilicet IX^a mensis ejusdem, scilicet Januarii) submittebant se in istis arbitrio et ordinacioni magistrorum Petri Cauchon et Oliverii de Imperio, volentes quidquid per eos circa singula in hac causa diceretur tenere ratum et approbare. Qui quidem magistri Petrus et Oliverius, auditis hinc inde partibus, dixerunt que sequuntur : Primo quod dicto decano per nacionem tradetur compotus alias exhibitus de reparacionibus factis in ipsa domo et locagiis ejusdem, et quittanciam de receptis pecuniis, et simili modo dictus dominus decanus approbabit et ratas habebit reparaciones ipsas et locagia et inde dicte nacioni pro se et suis successoribus quittanciam tradet. Item de resta compoti alias exhibite restabant XXVI scuta per ipsum decanum solvenda, et quia per dominum decanum allegabantur reparaciones alique voluntarie, ideo ut cessent omnia hinc inde que in posterum dici possent, dixerunt et ordinaverunt dicti magistri quod dominus decanus prefate nacioni traderet de illa summa XXVI scutorum solum XII scuta, et sic hinc inde erunt quiti a parte qualibet, qua quidem summa XII scutorum per ipsum prius soluta aliisque omnibus per eundem faciendis ex toto preexpeditis, ex tunc et ex nunc dicta domus sibi expedietur pure et libere modo solito de collegiis aliis Universitatis. Attamen locagium domus usque festum Johannis pertinere debet nacioni, sed a dicto festo in antea pertinebit domino decano ac sue ecclesie scolaribus. Item cum eciam dictus decanus petebat quemdam coffrum cum libris et litteris seu privilegiis pertinentibus dicte domui, ac eciam ipso dicente locagia domus antedicte pro XX annis retrolapsis debere sibi computari in integrum, et solum computacio sibi facta fuerat de XIII annis, et sic restare dicebat adhuc VII annorum computacionem sibi fieri debere ; sed cum dicti deputati nacionis ex adverso respondentes dicebant de ulteriori tempore quam de XIII annis ac eciam de coffro ac libris nacionem ipsam se nullo modo intromisisse neque aliquid tale recepisse, ideo sepedicti magistri nacionem ab hiis punctis absolvebant, ita tamen quod si in posterum prenominatus dominus decanus vel sui legittimi in predicta domo successores in hujusmodi punctis de coffro cum libris etc. et tempore ulteriori de XIII annis posset vel possent pro se aliqua habere documenta et sufficiencia, vellent dicti magistri quod de talibus judicium et ordinacio reservaretur eis ; et ad hoc se submiserunt ambe partes. Que omnia sic appunctuata, ut prefertur, ipsis partibus accepta et grata fuerunt et hinc inde approbata, partibus eciam petentibus et requirentibus a magistro Johanne Guberstat notario publico inde sibi fieri unum vel plura instrumentum vel instrumenta.

2us articulus erat ad audiendum compotum receptoris; 3us super supplicacionibus et injuriis.

Quantum ad primum placuit nacioni predicta concordia, et omnia appunc(*Fol. 6 b*)tuata per dictos magistros Petrum Cauchon et Oliverium de Imperio habuit grata, rata et approbata. Et similiter habuit deputatos suos in hiis que in presenti materia egerunt gratos, avoatos et recommendatos.

2us articulus dilatus erat propter absenciam receptoris.

1. *Inter lineas manu posteriori* Sequitur arbitramentum.

Quantum ad 3^m articulum, supplicavit dominus Johannes Boy de Paderborn baccularius studii Erfordensis[1] quatinus admitteretur hic Parisius tanquam baccularius et pro tali haberetur. Cujus supplicacio concessa fuit, dummodo tamen prius juraret juramenta solita eorum qui hic ad hujusmodi gradum promoventur, et eciam prius solutis bursis suis juratis.

Juravit michi dominus Johannes Boy de Paderborn juramenta determinancium, cujus bursa VII albi[2].

1. *Ubi in matricula intitulatus. Vid.* Weissenborn, Acten der Erfurter Universität, I.

2. *Hic finem primi voluminis in edendo procuratoris libro faciendum putavimus, quia tum Universitas Parisiensis iterum et in omne tempus obedientiam Benedicto XIII subtraxit, tum electus erat Gregorius XII cum quo commercium Universitas incepit. Mox de Concilio Pisano Constantiense sequente agetur, cujus locus in vol.* IV Chartularii; *itaque aetatem illam nunc aggredi noluimus, alterum volumen* Auctarii *velut non inutile supplementum ad tomos* IV *et* V Chartularii *nostri illustrandros praeparantes.*

ELENCHUS

PROCURATORUM NATIONIS ANGLICANAE (ALEMANNIAE)

(1333-1406)

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
		1333	Det. 12; lic. 11; inc. 1.
13	Johannes de Scenighen Alemannus.	Jan. 12.	
»	Johannes de Waltirstona Scotus.	Febr. 5.	
16	Idem.	Martii 9.	
17	Goeswinus de Zutphania.	April. 26.	
»	Johannes de Waltirstona.	Maii 4.	
		1337	
18	Ulricus de Augusta.	Aug. 25.	
19	Idem.	Septemb. 22.	
22	Idem.	Octob. 20.	
23	Idem.	Novemb. 21.	
24	Suno de Swecia.	Decemb. 15.	
		1338	
25	?		
		1339	Det. 9; lic. 7; inc. 4.
»	Ulricus de Augusta.	Jan. 13.	
26	Gerardus de Maerten.	Febr. 10.	
27	Andreas Freouati de Smalandia.	Martii 11.	
29	Mathias Laurentii de Swecia.	April. 4.	
30	Nicolaus de Schiltberghe.	Maii 5.	
32	Idem.	Junii 2.	
»	Wernerus Wolfram.	Julii 5.	
33	Idem.	Aug. 27.	
35	Mathias de Swecia.	Septemb. 24.	
»	Andreas Freonati de Smalandia.	Octob. 22.	
36	Idem.	Decemb. 17.	
		1340	Det. 10; lic. 6; inc. 1.
»	Idem.	Jan. 14.	

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
37	Conradus de Monte Puellarum.	Febr. 23.	
38	Idem.	Martii.	
»	Idem.	April.	
»	Ulricus de Augusta.	Maii. 22.	
39	Conradus de Monte Puellarum.	Junii 28-30.	
41	Ulricus de Augusta.	Aug. 26.	
»	Idem.	Septemb. 23.	
42	Joh. de Kynhard.	Octob. 21.	
43	Suno Karoli de Suecia.	Novemb. 18.	
44	Conradus de Monte Puellarum.	Decemb. 23.	
		1341	Det. 9; lic. 16; inc. 4.
»	Henricus de Unna.	Jan. 13.	
45	Ulricus de Augusta.	Febr. 10.	
47	Idem.	Martii 10.	
»	Joh. de Kynnard.	April. 7.	
48	Idem.	Maii 5.	
51	Henricus de Unna.	Junii 28.	
52	Galterus de Wardlaw.	Augusti.	
»	Henricus de Unna.	Septemb. 22.	
53	Gerardus de Marten.	Octob. 20.	
»	Joh. de Kynnard.	Novemb. 10.	
»	Robertus Ffyf.	Decemb. 15.	
		1342	Det. 9; lic. 13; inc. 13.
54	Gerardus de Marten.	Jan. 12.	
»	Zuno Karoli de Swecia.	Febr. 9.	
55	Gerardus de Marten.	Martii 9.	
56	Roricus de Monte Stellarum.	April. 6.	
57	Gerardus de Marten.	»	
58	Walterus de Sancto Claro.	Maii 20.	
59	Willelmus de Grinlaw.	Junii 1.	
»	Walterus de Wardlaw.	» 29.	
»	Idem.	Septemb. 4.	
60	Nicolaus Drukken.	Novemb. 18.	
		1343	Det. 15; lic. 12; inc. 5.
»	Idem.	Feb. 17.	
61	Willelmus de Grinlaw.	Martii 1.	
»	Gerardus de Gore.	April. 8.	
62	Henricus de Ghoyre.	Maii 5.	
65	Laurentius Petri de Dacia.	Junii 2.	
66	Nicolaus Drukken.	Aug. 25.	
67	Laurentius Petri de Dacia.	Octob. 21.	
»	Walterus de Wardlaw.	Decemb. 16.	

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
		1344	Det. 24; lic. 20; inc. 11.
68	Henricus de Gore.	Jan.	
»	Joh. de Sarburgo.	Febr. 10.	
70	David de Mair.	Martii 9.	
71	Walterus de Wardlau.	April. 6.	
72	Idem.	Maii.	
74	Christianus de Elst.	Junii 1.	
77	Walterus de Wardlau.	Aug. 25.	
78	Gotfridus de Silvagrifis.	Septemb. 22.	
»	Nicolaus Drukken.	Oct.-Novemb.	
		1344-1345	
79	Walterus de Wardlau.	Decemb. vel Jan.	
		1345	Det. 12; lic. 16; inc. 17.
»	Guillelmus de Grinlaw sive de Viridi Monte.	Febr. 8.	
80	Nicolaus Drukken.	April. 6.	
81	Thomas de Wedayl.	Maii 4.	
83	Galterus de Dun.	Junii 1.	
86	Joh. de Wesalia.	Aug. 26.	
87	Joh. de Sarburgo.	Septemb. 22.	
»	Gerardus Dulmen.	Octob. 20.	
89	Idem.	Novemb. 17.	
»	Joh. de Sarburgo.	Decemb. 15.	
		1346	Det. 32; lic. 10; inc. 5.
90	Joh. de Helmestad.	Jan. 12.	
91	Idem.	Febr. 9.	
93	Galterus de Dun.	Martii 9.	
94	Idem.	April. 6.	
95	Joh. de Wesalia.	Maii 6.	
96	Gotfridus de Parchym Gripeswalden.	Junii 1.	
100	Henricus de Os vel Osche.	Aug. 25.	
101	Joh. de Wesalia.	Septemb.	
»	Joh. de Friburgo.	Octob. 20.	
103	Gotfridus de Parchym.	Novemb. 17.	
		1347	Det. 16; lic. 18; inc. 8.
»	Joh. de Wesalia.	Jan. 12.	
104	Gotfridus de Parchym.	April.	
107	Walterus de Wardelau.	Maii 4.	
108	Idem.	Junii 2.	
109	Thomas de Wedayle.	Junii 21.	
110	Conradus de Swecia.	Aug. 25.	

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
»	Michael de Dacia.	Septemb. 22.	
111	Henricus de Os.	Octob. 19.	
»	Laurentius de Swecia.	Nov. 17.	
113	Joh. de Huesden.	Decemb. 17.	
		1348	Det. 22; lic. 14; inc. 16.
»	Henricus de Minda.	Jan. 13.	
114	Theodoricus de Delf.	Febr. 10.	
»	Henricus de Minda.	Martii 8.	
116	Idem.	April. 5.	
»	Idem.	Maii 3.	
118	Joh. Litle de Dacia.	Junii.	
120	Ricardus de Fogow.	Junii 21.	
121	Willelmus de Brenueth.	Julii 28.	
124	Theodoricus Borre.	Aug. 27.	
125	Joh. Nicolai.	Septemb. 23.	
126	Henricus de Herne.	Octob. 21.	
127	Henricus Thomæ de Swecia.	Nov.	
128	Joh. Walteri de Arnheim.	Decemb. 16.	
		1349	Det. 25; lic. 14; inc. 8.
129	Robertus de Dronghelen.	Jan. 13.	
»	Henricus de Minda.	Febr. 10.	
132	Idem.	Martii 10.	
133	Guillelmus de Brenueth.	April. 7.	
134	Henricus de Smalham.	Maii 5.	
135	Guillelmus de Brenuecht.	Junii 2.	
138	Walterus de Dun.	Julii 17.	
»	Joh. de Lovanio.	Aug. 26.	
139	Thidericus de Hamme.	Aug. 28.	
»	Albertus Boemus.	Septemb. 25.	
140	Joh. de Lovanio.	Octob. 23.	
		1350	Det. 9; lic. 11; inc. 12.
141	Hilgerus de Colonia.	Martii 19.	
142	Malcolinus de Dunbrek.	April. 16.	
»	Idem.	Maii 14.	
143	Joh. Red.	Junii 4.	
144	Malcolinus de Dunbrek	Aug. 9.	
»	Albertus de Bohemia.	Octob.	
145	Henricus de Os.	Novemb. 15.	
147	Henricus de Smalham.	Dec. 13.	
		1351	Det. 20; lic. 18; inc. 9.
»	Jacobus Hollandrini.	Jan. 10.	

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
148	Albertus de Bohemia.	Febr.	
»	Bernardus de Lochem.	Martii 7.	
150	Jacobus Hollandrinus.	April. 5.	
151	Idem.	Maii 3.	
»	Bernardus Lochem.	Maii 24.	
152	Henricus de Hallis.	Julii 11.	
»	Wizkinus Venslai.	Aug. 27.	
153	Idem.	Septemb. 24.	
»	Sebaldus de Nurenberga.	Octob. 23.	
154	Albertus de Helmestede.	Nov. 19.	
»	Idem.	Decemb.	
		1352	Det. 23; lic. 13; inc. 19.
»	Henricus de Clivis.	Jan. 12.	
155	Joh. de Peblis.	Febr. 9.	
156	Idem.	Martii 9.	
157	Henricus de Clivis.	April. 12.	
158	Idem.	April. 30.	
»	Idem.	Maii 28.	
»	Hermannus de Rotwil.	Junii 24.	
159	Idem.	Aug. 27.	
»	Gerardus de Dulmen.	Oct. 24.	
160	Idem.	Novemb. 24.	
161	Idem.	Decemb. 22.	
		1353	Det. 9; lic. 4; inc. 1.
162	David de Coygners.	Jan. 18.	
163	Idem.	Febr. 16.	
»	Tilmannus de Eyke.	Martii 16.	
164	Eglinghus Bos.	April. 13.	
165	Thomas de Harkars.	Maii 11.	
»	Joh. dictus Resdail.	Julii 8.	
166	Themo Judeus.	Aug. 26.	
»	Theodricus de Havert.	Septemb. 23.	
»	Bero de Swecia.	Nov. 18.	
167	Eglingus Bos.	Decemb. 16.	
		1354	Det. 25; lic. 19; inc. 17.
»	Joh. de Aquis.	Jan. 13.	
168	Eglingus Bos.	Febr. 10.	
171	Idem.	Martii 10.	
»	Hermannus de Monte Solis de Brunswich.	April. 7.	
173	Idem.	Maii 5.	
174	Hermannus de Rotwil.	Junii 2.	
175	Bernardus Vreden.	Octob. 21.	

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
176	Simon de Ketenys.	Novemb. 18.	
		1355	Det. 17; lic. 21; inc. 20.
»	Henricus de Kempen.	Jan 13.	
»	Joh. de Peblis.	Febr. 10.	
178	Thomas Kolarst de Brunswich.	Martii 10.	
180	Joh. de Velstede de Brunswich.	April.	
183	Arnoldus de Beveren de Embeke.	Maii 5.	
185	Jacobus de Hollandia.	Junii 2.	
»	Henricus de Kempen.	Junii 25.	
186	Joh. filius Wilhelmi de Trajecto inferiori.	Aug. 26.	
»	Hermannus de Wesalia.	Sept. 23.	
187	Idem.	Oct. 21.	
»	Themo Judei.	Novemb. 18.	
188	Laurentius Thrugoti.	Decemb. 16.	
		1356	Det. 28; lic. 16; inc. 6.
189	Joh. de Wanczeberch de Luneburch.	Jan. 13.	
»	Themo Judei.	Febr. 10.	
190	Thomas de Duns.	Martii 9.	
195	Idem.	April. 6.	
197	Joh. Pomeranus de Prussia.	Maii 4.	
198	Petrus Nicholai de Dacia.	Junii 1.	
200	Arnoldus de Celario de Lochem.	Aug. 26.	
201	Hennighus de Pammyn.	Septemb. 23.	
202	Petrus de Dacia.	Octob. 21.	
203	Joh. de Lychton.	Novemb. 18.	
203	Henricus de Embeke.	Decemb. 16.	
		1357	Det. 20; lic. 18; inc. 11.
204	Remboldus de Gamundia.	Jan. 13.	
205	Joh. de Minda.	Febr. 10.	
208	Malcolinus de Dumbrek.	Martii 10.	
209	Henricus de Embeke.	April. 6.	
211	Willelmus de Spyny.	Maii 4.	
»	Idem.	Junii 1.	
212	Idem.	Junii 29.	
218	Nicolaus Johannis de Swecia.	Aug. 26.	
220	Thomas de Duns.	Septemb. 23.	
221	Joh. de Constancia.	Octob. 21.	
222	Jacobus de Hollandia.	Novemb.	
223	Heninghus de Pammyn.	Decemb. 16.	
		1358	Det. 39; lic. 7; inc. 8.
224	Theodericus de Campen.	Jan. 13.	
225	Artolfus Lauterwech.	Febr. 10.	

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
228	Willelmus Buser.	April. 20.	
229	Artolfus Lauterwech.	Maii 3.	
231	Remboldus Vaner.	Maii 18.	
»	Idem.	Junii 16.	
236	Artolfus Lauterwech.	Julii 23.	
237	Idem.	Aug. 27.	
»	Patricius de Hepburn.	Septemb. 24.	
238	Joh. de Pavone.	Octob. 22.	
239	Martinus Wesselicz.	Novemb. 18.	
		1359	Det. 8; lic. 17; inc. 12.
240	Henricus dictus de Egher de Kalker.	Febr. 11.	
244	Joh. de Pavone.	Martii 11.	
246	Henricus de Kalker.	Martii 21.	
247	Peregrinus Zeleschicz de Prussia.	April. 8.	
249	Godscalcus de Lozebergh vel de Riga.	Maii 6.	
250	Idem.	Junii 3.	
»	Henricus Joh. de Lingno de Kempen.	Aug. 26.	
251	Theodoricus Dystel de Unna.	Septemb. 23.	
253	Ghiselbertus Paep de Naerden.	Octob. 21.	
»	Henricus de Lingno de Kempen.	Novemb. 18.	
»	Idem.	Decemb. 16.	
		1360	Det. 2; lic. 5; inc. 5.
254	Idem.	Jan. 13.	
»	Theodoricus Dystel de Unna.	Febr. 10.	
256	Idem.	Martii 9.	
»	Idem.	April. 6.	
257	Idem.	Maii 4.	
258	Rutgerus de Wevelkoven.	Aug. 26.	
»	Joh. Uter Spiic de Hollandia.	Septemb. 23.	
260	Idem.	Octob. 21.	
261	Idem.	Novemb. 16.	
»	Idem.	Decemb. 16.	
		1361	Det. 1; lic. 2; inc. 2.
265	Henricus de Kempen.	Maii.	
266	Idem.	Junii 10.	
266	Godfridus Cayphe de Prussia.	Aug. 12.	
267	Idem.	Septemb. 23.	
»	Hubertus de Beesde.	Octob.	
268	Guillelmus dictus Buzer de Hoesden.	Novemb. 18.	
269	Idem.	Decemb. 16.	

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
		1362	.... Inc. 14.
269	Guillelmus dictus Buzer.	Jan. 13.	
270	Joh. de Ricmestorp.	Augusti.	
»	Idem.	Septemb. 23.	
273	Theodoricus Dystel de Unna.	Octob. 8.	
274	Joh. de Ricmestorp.	» 21.	
276	Theodoricus Dystel de Unna.	Novemb. 11.	
277	Joh. Scalpy Scotus.	Decemb. 16.	
		1363	Det. 4; lic. 8; inc. 2.
279	Joh. Scalpy.	Jan. 14.	
»	Idem.	Febr. 10.	
281	Florentius de Alcmade.	Martii 10.	
282	Theodericus de Oy.	April. 7.	
283	Joh. de Suecia.	April. 15.	
»	Alexander de Caron.	Maii 5.	
285	Joh. Scalpy.	Junii 2.	
286	Mercilius de Inghen de Novymagio.	Junii 26.	
289	Henricus de Hembuche.	Aug. 24.	
290	Albertus de Bavaria.	Septemb.	
291	Theodoricus dictus Damerou.	Octob. 21.	
292	Michael Wischow.	Novemb. 18.	
»	Joh. de Suecia.	Decemb. 16.	
		1364	Det. 24; lic. 6; inc. 4.
292	Ricoldus de Haeften.	Jan. 14.	
293	Idem.	Febr. 12.	
297	Willelmus dictus Buzer.	Martii 9.	
299	Joh. de Udem.	April. 6.	
300	Aernestus de Wlven.	Maii 5.	
301	Theodericus de Oy.	Maii 31.	
303	Gerardus Swechten.	Aug. 27.	
304	Michael Vischou.	Septemb. 22.	
305	Wilhelmus de Dalgarnoch.	Octob. 21.	
»	Joh. Proys.	Novemb. 18.	
306	Idem.	Decemb. 29.	
		1365	Det. 42; lic. 3; inc. 2.
307	Ghiselbertus But.	Jan. 13.	
308	Idem.	Febr. 10.	
		1368	...... Lic. 7; inc. 6.
312	Joh. de Polonia.	Junii 1.	
315	Jordanus de Clivis.	Aug. 26.	

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
318	Erhardus de Gamundia.	Octob. 21.	
320	Petrus Consul.	Novemb. 18.	
322	Henricus Langhals.	Decemb. 15.	
		1369	Det. 32; lic. 25; inc. 23.
324	Idem.	Jan. 13.	
325	Idem.	Febr. 10.	
328	Arnoldus Neve.	Martii 10.	
331	Hartwicus de Hammis.	April. 7.	
336	Idem.	Maii 5.	
338	Idem.	Junii 2.	
341	Wilhelmus de Wadenoy.	Aug. 27.	
342	Nicolaus de Crucenaco.	Octob. 22.	
344	Henricus filius mag. Theoderici de Thenis.	Novemb. 19.	
346	Joh. Webel.	Decemb. 17.	
		1370	Det. 14; lic. 16; inc. 18.
347	Elyas de Loepwiic.	Jan. 14.	
348	Joh. de Venlo.	Febr. 10.	
349	Walterus de Delf.	Martii 11.	
353	Wenmarus then Ghoye de Zutphania.	April. 8.	
355	Joh. Zynneghen.	Maii 6.	
357	Guillelmus de Trebrun.	Junii.	
360	Jacobus Nicolai de Dacia.	Aug. 26.	
366	Jordanus de Clivis.	Septemb. 23.	
370	Idem.	Octob. 21.	
373	Idem.	Novemb. 18.	
376	Arnoldus de Tricht.	Decemb. 16.	
		1371	Det. 10; lic. 10; inc. 10
381	Joh. de Duren.	Jan. 13.	
388	Radolfus de Lubeke.	Febr. 10.	
392	Idem.	Martii 10.	
396	Henricus de Angeren.	April. 7.	
397	Wilhelmus de Wadenoy.	Maii 5.	
399	Idem.	Junii 2.	
401	Albertus de Pruscia.	Aug. 26.	
403	Thomas Nicolai de Haerlem.	Septemb. 23.	
405	Gerardus de Calker.	Octob. 21.	
406	Idem.	Novemb. 18.	
407	Gerardus de Hoyngen.	Decemb. 16.	
		1372	Det. 15; lic. 10; inc. 9.
»	Joh. de Rayntona.	Jan. 13.	
408	Thomas de Haerlem.	Febr. 10.	

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
411	Idem.	Martii 9.	
412	Jordanus de Clivis.	April. 6.	
413	Galterus Wenedou.	Maii 4.	
»	Henricus Langhals.	Junii 1.	
414	Hermannus de Bottenbroich.	Aug. 26.	
416	Thomas de Clivis.	Septemb. 23.	
417	Nicolaus Stoter de Gouda.	Octob. 21.	
418	Arnoldus de Tricht.	Novemb. 17.	
»	Gerardus de Calker.	Decemb. 16.	
		1373	Det. 19; lic. 19; inc. 20.
419	Walterus de Delf.	Jan. 13.	
420	Gerardus de Calker.	Febr. 10.	
422	Rodolphus Taem.	Martii 10.	
423	Joh. de Hokelem.	April. 7.	
424	Gerardus de Hoyngen.	Maii 5.	
426	Marcelius de Inghen.	Junii 2.	
428	Joh. de Priswalch.	Aug. 26.	
431	Hugo de Hervorst.	Septemb. 23.	
434	Joh. Caelwaert.	Octob. 21.	
435	Theodoricus dictus Ruusch.	Novemb. 18.	
437	Gevehardus Kemyn.	Decemb. 16.	
		1374	Det. 21; lic. 16; inc. 11.
438	Idem.	Jan. 13.	
441	Joh. de Stralen.	Febr. 10.	
447	Idem.	Martii 10.	
451	Jordanus Wanghe de Clivis.	April 7.	
454	Willelmus Gerland.	Maii 5.	
455	Jordanus Wang de Clivis.	Junii 2.	
457	Conradus de Hagenoya.	Aug. 26.	
458	Marcelius de Inghen.	Septemb. 23.	
459	Hugo de Hervorst.	Octob. 21.	
460	Idem.	Novemb. 18.	
461	Henricus Spronc.	Decemb. 16.	
		1375	Det. 21; lic. 23; inc. 15.
462	Jordanus de Ghorinchem.	Jan. 13.	
463	Henricus de Roshem.	Febr. 10.	
»	Aegidius Brune.	Martii 10.	
466	Johannes Koc.	April. 7.	
470	Hugo de Hervorst.	Maii 5.	
474	Jordanus Wang de Clivis.	Junii 2.	
476	Andreas Symonis de Prussia.	Aug. 27.	
477	Marcelius de Inghen.	Septemb. 24.	

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
478	Joh. Levenhaghen.	Octob. 22.	
480	Joh. Forestarii.	Novemb. 20.	
»	Joh. Lubberti de Daventria.	Decemb. 17.	
		1376	Det. 27; lic. 21; inc. 19.
481	Hugo de Hervorst.	Febr. 11.	
489	Idem.	Martii 10.	
492	Meynaerdus Rodolphi de Tyla.	April. 7.	
494	Arnoldus de Ghyse, alias de Arnhem.	Maii 5.	
499	Wilhelmus de Wadenoy.	Junii 2.	
501	Joh. Lubberti de Daventria.	Aug. 5.	
502	Joh. Muntschemannus de Maguncia.	Aug. 26.	
503	Philippus Pingh de Embrica.	Septemb. 24.	
507	Idem.	Octob. 21.	
509	Ghiselbertus Scout de Hokelem.	Novemb. 18.	
510	Joh. de Leyden.	Decemb. 16.	
		1377	Det. 22; lic. 25; inc. 20.
510	Giso Duysse de Ratinghen.	Jan. 13.	
511	Idem.	Febr. 10.	
514	Nicolaus Piec de Gorinchem.	Martii 10.	
515	Joh. Thome de Stralen.	April. 7.	
519	Idem.	Maii 5.	
521	Joh. Lubberti de Daventria.	Junii 2.	
524	Joh. Levenhaghen de Wolgast.	Aug. 26.	
525	Paulus de Gelria.	Septemb. 24.	
527	Idem.	Octob. 22.	
528	Cholmannus Cholb de Austria.	Novemb. 18.	
529	Idem.	Decemb. 16.	
		1378	Det. 25; lic. 20; inc. 20.
530	Joh. Levenhaghen de Wolgast.	Jan. 13.	
531	Idem.	Febr. 10.	
535	Petrus de Bacheraco.	Martii 10.	
536	Joh. de Kare.	April. 7.	
545	Joh. de Stralen.	Maii 5.	
557	Petrus Engelhardus de Austria.	Junii 2.	
560	Otto de Thunnync.	Aug. 26.	
562	Helias van den Oerde.	Septemb. 23.	
564	Fredericus de Warendorpe.	Octob. 21.	
566	Matthaeus de Glendonwyn.	Novemb. 18.	
567	Joh. de Angusia Scotus.	Decemb. 16.	
		1379	Det. 34; lic. 14; inc. 13.
568	Idem.	Jan. 13.	

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
»	Philippus Pingh.	Febr. 10.	
576	Stanislaus de Polonia, dictus Clemens.	Martii 10.	
577	Joh. Munscheman de Maguntia.	April. 7.	
579	Idem.	April. 30.	
581	Idem.	Junii 2.	
582	Joh. Forestarii Scotus.	Decemb. 16.	
		1380	Det. 12; lic. 18; inc. 15.
»	Hermannus de Warendorpe.	Jan. 13.	
583	Idem.	Febr. 9.	
586	Henricus Magni de Suecia.	Martii 9.	
»	Idem.	April. 6.	
587	Hermannus de Warendorpe.	Maii 6.	
589	Idem.	Junii 2.	
591	Henricus Wyse.	Aug. 27.	
592	Joh. dictus Mullechner de Austria.	Septemb. 25.	
594	Arnoldus de Ghyeze al. de Arnhem.	Octob. 22.	
595	Henricus de Rane Scotus.	Nov. 20.	
596	Joh. Forestarii Scotus.	Decemb. 17.	
		1381	Det. 9; lic. 13; inc. 13.
597	Arnoldus de Ghyeze al. de Arnhem.	Jan. 14.	
»	Joh. Lethe Scotus.	Febr. 11.	
603	Hermannus de Warendorpe.	Martii 11.	
604	Joh. de Hokelem.	April. 7.	
606	Andreas Suderman de Tremonia.	Maii 6.	
609	Joh. Bersword de Tremonia.	Junii 3.	
610	Michael de Francvordia.	Aug. 27.	
611	Joh. de Hokelem.	Septemb. 23.	
612	Arnoldus de Xanctis.	Octob. 21.	
»	Petrus de Aemsterdam.	Novemb. 18.	
		1382	Det.28; lic.*nullus;* inc.2.
614	Hugo de Landau.	Jan. 13.	
615	Petrus de Catwiic.	Febr. 10.	
617	Nicolaus de Cuba.	Martii 10.	
619	Petrus de Catwiic.	April. 7.	
621	Idem.	Maii 5.	
622	Idem.	Junii 2.	
625	Stanislaus de Polonia.	Aug. 26.	
626	Otto Boecii al. de Thuningh.	Septemb. 22.	
629	Idem.	Octob. 21.	
633	Thomas de Foresta.	Novemb. 18.	
640	Idem.	Decemb. 16.	

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
		1383	Det. 22; lic. 7; inc. 4.
644	Henricus Poelman de Arnhem.	Jan. 13.	
649	Idem.	Febr. 10.	
654	Henricus Crouwel.	Martii 10.	
656	Alexander de Sancto Vito.	April. 7.	
		1392	Det...; lic. 5; inc. 6.
661	Arnoldus Bloeyer de Gouda.	April. 5.	
663	Idem.	Maii 4.	
666	Joh. de Veen.	Junii 3.	
»	Arnoldus Bloeyer de Gouda.	Julii 2.	
668	Hugo Franconis de Leydis.	Aug. 26.	
669	Idem.	Septemb. 23.	
670	Joh. Gray.	Octob. 20.	
671	Idem.	Nov. 18.	
		1393	Det. 13; lic. 5; inc. 8.
672	Arnoldus Bloeyer.	Febr.	
675	Joh. de Yselsteyn.	Martii 10.	
677	Joh. de Veen.	April. 7.	
»	Nicolaus de Gameren.	Maii 5.	
679	Gerardus de Hoene de Delf.	Junii 29.	
682	Arnoldus Bloeyer.	Aug. 22.	
»	Franco Ghysberti de Delf.	Septemb. 24.	
684	Henricus de Oy.	Octob. 21.	
685	Joh. Gray Scotus.	Novemb. 18.	
»	Idem.	Decemb. 16.	
		1394	Det. 25; lic. 16; inc. 14.
686	Andreas de Bavaria.	Jan. 11.	
»	Joh. de Moravia.	Febr. 10.	
689	Idem.	Martii 10.	
690	Idem.	April. 7.	
691	Idem.	Maii 6.	
693	Joh. de Claromonte.	Aug. 26.	
694	Idem.	Septemb. 23.	
»	Joh. de Edynburghe.	Octob. 21.	
696	Idem.	Novemb. 19.	
697	Joh. de Veen.	Decemb. 21.	
		1395	Det. 22; lic. 16; inc. 16.
»	Idem.	Jan. 10.	
698	Idem.	Febr. 8.	
700	Galterus Forestarii Scotus.	Martii 10.	

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
703	Joh. de Clermont.	April.	
705	Henricus de Arnhem.	Junii.	
709	Theodericus de Scyedam.	Aug. 26.	
710	Nicolaus de Gameren.	Septemb. 23.	
711	Fridericus de Pritzwalk.	Octob. 21.	
713	Idem.	Novemb. 19.	
715	Joh. de Veen.	Decemb. 7.	
		1396	Det. 25; lic. 26; inc. 21.
716	Idem.	Jan. 10.	
717	Gerardus Kalant.	Febr. 10.	
719	Idem.	Martii 9.	
720	Wilhelmus de Scoenhoven.	April. 6.	
723	Theodericus de Scyedam.	Maii 4.	
724	Joh. de Claromonte.	Junii 1.	
725	Fridericus de Pritzwalk.	Aug. 26.	
727	Henricus de Busco.	Septemb. 23.	
729	Andreas Hermanni curatus in Malsen.	Octob. 21.	
730	Andreas Glaync.	Novemb. 18.	
731	Galterus Forestarii Scotus.	Decemb. 16.	
		1397	Det. 31; lic. 21; inc. 18.
»	Idem.	Jan. 13.	
732	Idem.	Feb. 10.	
733	Joh. de Zande, al. de Campen.	Martii 10.	
737	Idem.	April. 7.	
739	Nicolaus de Saxonia sive de Pritzwalk.	Maii 5.	
742	Arnoldus Wtwiic.	Junii 2.	
746	Joh. de Dorp de Leydis.	Aug. 26.	
750	Idem.	Septemb. 24.	
752	Joh. de Edynbourch.	Octob. 22.	
753	Idem.	Novem. 19.	
»	Joh. de Zande, al. de Campen.	Decemb. 17.	
		1398	Det. 29; lic. 24; inc. 25.
755	Joh. de Zande al. de Campen.	Jan. 14.	
760	Idem.	Febr. 11.	
768	Idem	Martii 11.	
771	Franco de Delf.	April. 8.	
776	Idem.	Maii 6.	
777	Nicolaus de Saxonia sive de Pritzwalk.	Maii 14.	
779	Galterus Forestarii Scotus.	Junii 3.	
781	Nicolaus de Gameren.	Aug. 26.	
784	Franco de Delf.	Septemb. 23.	
786	Arnoldus Wtwiic.	Octob. 21.	

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
787	Arnoldus Wtwiic.	Novemb. 18.	
788	Henricus de Busco.	Decemb. 16.	
		1399	Det. 36; lic. 20; inc. 18.
»	Gerardus de Eten.	Jan. 13.	
789	Idem.	Febr. 10.	
792	Petrus Prenner.	Martii 10.	
794	Joh. de Galencoop.	April. 7.	
798	Joh. de Egmonda.	» 27.	
»	Idem.	Maii 5.	
800	Idem.	» 25.	
804	Arnoldus Wtwiic.	Julii 2.	
»	Andreas de Bavaria.	Octob. 2.	
805	Albertus Thomæ.	Novemb. 18.	
806	Gerardus Brant, al. de Davantria.	Decemb. 16.	
		1400	Det. 14; lic. 9; inc. 11
808	Nicolaus Becherer de Argentina.	Jan. 13.	
»	Idem.	Febr. 10.	
809	Gerardus Brant.	Martii 9.	
810	Joh. de Galencoep.	April. 6.	
812	Idem.	Maii 4.	
813	Idem.	Junii 1.	
816	Jordanus de Derthesen.	Aug. 14.	
»	Idem.	» 25.	
817	Joh. de Dorp de Leydis.	Septemb. 23.	
820	Jordanus de Derthesen.	Octob. 16.	
»	Idem.	Novemb. 18.	
821	Bernardus Vlogheling.	Decemb. 16.	
		1401	Det. 17; lic. 14; inc. 10.
822	Joh. de Egmonda.	» 13.	
»	Idem.	Febr.	
824	Gerardus Doemheer al. de Luxembourch.	Martii 10.	
825	Jordanus de Derthesen.	April. 7.	
827	Joh. Eluvald.	Maii 5.	
828	Navno Johannis de Dacia.	Junii 2.	
832	Goedscalcus dictus Vrese.	Aug. 26.	
835	Idem.	Septemb. 23.	
»	Jordanus de Derthesen.	Octob. 21.	
836	Joh. Eluvald.	Novemb. 18.	
837	Joh. Galencoop.	Decemb. 16.	
		1402	Det. 29; lic. 17; inc. 17.
838	Jacobus Johannis de Harlem.	Jan. 13.	

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
839	Jacobus Johannis de Harlem.	Febr. 10.	
841	Ghiisbertus Wit.	Martii 10.	
844	Joh. de Galencoep.	April. 7.	
846	Idem.	Maii 5.	
847	Idem.	Junii 2.	
848	Idem.	Aug. 26.	
850	Wilhelmus Bloc.	Septemb. 23.	
»	Idem.	Octob. 21.	
»	Jacobus Johannis de Haerlem.	Novemb. 19.	
851	Henricus Maltmengher de Berka.	Decemb. 16.	
		1403	Det. 40; lic. 19; inc. 19.
»	Thomas de Viridi Monte.	Jan. 13.	
852	Henricus Maltmengher de Berka.	Febr. 10.	
855	Conradus Lang de Esslinga.	Martii 10.	
856	Bernardus Vloghelingh.	April. 8.	
»	Idem.	Maii 6.	
859	Ghiisbertus Wit.	Junii 2.	
865	Wilhelmus Bloc.	Aug. 27.	
868	Idem.	Septemb. 24.	
871	Goswinus de Arnhem.	Octob. 21.	
872	Idem.	Nov.	
»	Conradus Lubeck de Wolffhagen.	Decemb. 17.	
		1404	Det. 14; lic. 14; inc. 12.
874	Idem.	Jan. 14.	
875	Hermannus de Ummen.	Febr. 11.	
878	Jacobus de Haerlem.	Martii 10.	
879	Thomas de Grynlaw id est de Monte Viridi.	April. 7.	
881	Idem.	Maii 5.	
882	Idem.	Junii 2.	
»	Cunradus Langh de Esslinga.	Aug. 26.	
885	Idem.	Septemb. 23.	
887	Joh. de Arnhem.	Octob. 21.	
889	Idem.	Novemb. 18.	
891	Gerardus de Mekeren.	Decemb. 16.	
		1405	Det. 24; lic. 25; inc. 25.
892	Gerardus de Mekeren.	Jan. 13.	
894	Joh. de Alcmaria.	Febr. 10.	
897	Henricus de Herwen.	Martii 10.	
900	Idem.	April. 7.	
»	Joh. Bonroden.	Maii 5.	
902	Idem.	Junii 2.	
905	Joh. Spenlini.	Aug. 26.	

PAG.	NOMINA PROCURATORUM.	ANNUS ET DIES ELECTIONIS.	NUMERUS DETERMINANT., LICENT. ET INCIPIENT.
906	Joh. Spenlini.	Septemb. 23.	
910	Conradus Lubeck de Wolffhagen.	Octob. 21.	
911	Idem.	Novemb. 18.	
913	Henricus de Dintheren.	Decemb. 16.	
		1406	Det. 21; lic. 17; inc. 11.
»	Johannes Stummel de Colonia.	Januarii 13.	
914	Idem.	Februarii.	
918	Conradus Langh de Esslinga.	Martii 10.	
920	Idem.	April. 7.	
924	Fredericus de Myddachten de Ghelria.	Maii 5.	
927	Idem.	Junii 2.	
930	Idem.	Aug. 18.	
931	Johannes Barberii Scotus.	Aug. 26.	
933	Idem.	Septemb. 23.	
934	Idem.	Octob. 21.	
935	Johannes Aveze de Daventria.	Novemb. 18.	
936	Idem	Decemb. 16.	

INDEX PERSONARUM

[Numerus prior columnam, alter lineam, astericus notam significat.]

A

B

C

D

E

F

G

H

I

J

M

N

T

W

ADDENDA ET CORRIGENDA

61, 22, *leg.* Willelmi *pro* Walteri; 34, *leg.* Reynenhusen.

100, 33, 40, 45, *pro* Balgino, *leg.* balgivo, i. e. balivo vici Straminis.

105, 12. Comma transferendum post « licenciandorum ».

138, not. 4, *leg.* Guillelmo.

140, not. 7, *deleas* arium.

171, 48, *leg.* Brůnswich.

206, not. 6, *leg.* 197, 35.

212, 22, *leg.* Scoti.

253, 7. *leg.* fuit.

291, 29 et postea, *leg.* Damerou, Damerow.

294, 4, 14, *leg.* Venedans.

298, 43; 299, 35, *leg.* Mathei.

307, 8, *leg.* Decembris *pro* Novembris, *contra ms.*

333, 13, *leg.* solverunt, ipsorum.

387, 19, *leg.* Wernerus.

427, 46, *fortasse leg.* torciis *pro* tribus.

436, 7, *leg.* platee.

530, not. 7. Karolus IV Parisios tantum reliquit, et per septimanam integram in partibus vicinis morabatur. Magistri nat. Anglic. itaque sine difficultate petitiones suas eidem porrigere potuerunt.

559, not. 2, *leg.* Tibure.

567, not. 3. « Conradus Sifridi de Geilenhusen » an. 1371, Januar. 28, affertur ut can. eccl. b. Mariae ad gradus Magunt., « licent. in art., qui etiam ut asserit in theologia peritus existit, et in jure can. per plures annos studuit » (Reg. Av. Gregorii XI, vol. VI, fol. 38). Inde certum fit, Conradum minime Parisiis in theol. licentiatum esse, ut jam observavimus, nam an. 1371 simplex scolaris tantum, sine aliquo gradu, in theol. fuit, ita ut an. 1378 vel 1379 licentiam obtinere non potuerit. Ab an. 1373 (1374) exstat *Elenchus licentiatorum* Parisiis in theol., in quo tamen ejus nomen deest. An. 1369 eum Bononiae invenimus. V. *Acta nat. German.*, p. 132 sq.

607, not. 4, lin. 7, *leg.* informatis, *pro* infortunitatis.

616, 50, *leg.* Harue *sive* Harve.

617, 1, *leg.* provincie.

622, not. 3, *leg.* Toepke.

647, not. 2, *leg.* Cameraci.

667, 20, 22; 668, 22. Keussen affert ad an. 1404 mag. Hugonem Franconis de Leyden, mag. art., lic. in med. (*Matrikel*, I, 95, 10), eumque in not. perperam cum Hugone de Leydis confundit, qui an. 1400 Pragae bacc. in art. factus est, cum iste Coloniensis sit potius noster Parisiensis Hugo Franconis de Leydis, minime Pragensis, de cujus licentia et magisterio nihil scimus.

690, 18, *leg.* Cariber.

706, not. 3; 719, 1*; 721, 2*; 737, 1*; 759, 1*; 763, 1*; 817, 2; 863, 1*; 915, 1*. Verum nomen est Johannes Mullechner; corruptum, quod quandoque invenitur, *Mullinger*.

715, not. 3. Johannes Gerson etiam in sermone an. 1403 coram Benedicto XIII facto, cum rotulum Universitatis praesentaret, asseruit jam a XVII annis magistros Paris. sine provisione fuisse (*Opp.*, II, 52), unde probatur rotulum anni 1387 « ultimum generalem » fuisse, proindeque in principio pontificatus Benedicti XIII minime rotulum generalem transmissum fuisse.

744, 28, *leg. contra ms.* « IIII den. »

764, not. 2, lin. ult., *leg.* 104.

766, not. 3, lin. ult., *leg.* 397.

788, not. 4, *transfer* usque ad *ante* an. 1399.

831, 14 *leg.* ² *pro* ?

839, 5, *leg.* 1402.

850, not. 3, *leg.* supra p. 800, not. 4.

901, 20, *leg.* Jacobus de Leydis *pro* Johannes.

902, 37, 39, *leg.* Luneborgh, *pro* Lubeck.

948, ult. *leg.* Hollandrinus.

MATISCONE, EX TYPIS FRATRUM PROTAT